The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
WITHDRAWN

SUMMA PHILOSOPHIÆ

E

D. THOMÆ AQUINATIS

DOCTRINA

TOM. I, SECT. I. — LOGICA.

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus BAUSA, O. P.,

S. P. A. Magister.

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS

TOMI TRES, IN SEX SECTIONES DIVISI

TOMUS I	Sectio i. — Logica
	Sectio ii. — Physica, pars prima
TOMUS II	Sectio iii. — Physica, pars secunda
	Sectio iv. — Physica, pars tertia
TOMUS III	Sectio v. — Ethica
	Sectio vi. — Metaphysica

BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
SELECTA ATQUE COMPOSITA
A FRANCISCO EHRLE, S. J.

SUMMA PHILOSOPHIÆ

EX VARIIS LIBRIS

D. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN ORDINEM CURSUS PHILOSOPHICI

ACCOMMODATA

A COSMO ALAMANNO, S. J.

EDITIO JUXTA ALTERAM PARISIÉNSEM VULGATAM A CANONICIS REGULARIBUS ORD. S. AUG. CONGREGATIONIS GALLICANÆ

ADORNATA

A BONIFACIO FELCHLIN ET FRANCISCO BERINGER, SOC. JES. PRESB.

TOMI I SECTIO 1. — LOGICA.

PARISIIS, MDCCCLXXXV

SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75

ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ ET NEO-EBORACI.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

JUN 16 1933

5891

BREVE SS. DOMINI NOSTRI LEONIS PP. XIII

datum ad clar. virum Fredericum PUSTET S. Sedis Apostolicæ typographum (1).

LEO PP. XIII

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratum fuit Nobis ex tuis litteris agnoscere optimum consilium a te susceptum typis edendi Summam Philosophicam D. Thomæ Aquinatis, quam olim Cosmus Alamannus Societatis Jesu Theologus ex immortalibus scriptis Angelici Doctoris contexuit et in lucem emisit, in ordinem philosophicæ institutionis redigens omnes philosophiæ partes, quas idem Angelicus Doctor in suis operibus insigni sapientiæ luce refertis pertractavit. Nos quidem, Dilecte Fili, magno in pretio hoc opus habemus, in quo non modo summi Aquinatis Magistri philosophicæ doctrinæ Ejusdem verbis propositæ sunt, sed et in ipsis conclusionibus, quæ ab Eo sunt depromptæ, argumenta Ejus plene ac fideliter afferuntur, quæ, dum illas philosophica methodo demonstrant, eos opportune refellunt, qui Angelicum Doctorem non rationum momentis, sed auctoritate Aristotelis unice innixum fuisse contendunt ; ac merito putamus, philosophiæ cultores ex eodem opere, quod doctorum hominum illustria testimonia commendarunt, posse feliciter veluti ex sincero fonte Magni Doctoris sapientiam haurire. Quapropter jucundum est Nobis, te, ut tuis litteris significas, statuisse omnes tuas curas ad ejusdem operis editionem diligenter accurateque adornandam, adhibita etiam doctorum virorum opera, conferre, et commodis eorum inservire, qui, Nostris hortationibus obsequentes, viam solidæ sapientiæ inter tot tenebras a fallaci philosophia offusas consectantur. Cum hoc tuum consilium, Dilecte Fili, in optimorum studiorum utilitatem redundet, Nos illud Nostris hisce Litteris ultro commendamus, minime dubitantes, quin ii omnes, qui veram scientiam diligunt, tuæ industriæ ac labori libentissime suffragentur. Adprecantes autem divinam benignitatem, ut tuæ optimæ voluntati propitia adsit, Apostolicam Benedictionem, quam postulas, in testimonium paternæ dilectionis tibi tuæque familiæ peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die XVII Aprilis 1883.

Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

(1) De hoc Brevi vide paullo post p. VIII.

LECTORIBUS

HUJUS NOVÆ EDITIONIS SALUTEM

Ne in ipso libri aditu diutius, quam par est, legentes detinere videamur, perpauca de auctoris vita atque de ejus, quod denuo vulgamus, opere præmittemus.

1. Cosmus Alamannus, Mediolani nobili loco natus, patrem habuit Benedictum Alamannum. Hic nonnullos e Societate Jesu patres, qui primi Mediolanum erant ingressi, cum obviam habuisset, domum suam deduxit et humaniter hospitio exceptos diebus aliquot detinuit, donec de commodo illis domicilio consultum esset. Hoc humanitatis officium eo divinitus visum est compensatum, quod ex sex optimi parentis filiis quinque Societati nomen dederunt.

E quibus Cosmus III cal. sept. an. 1559 secundo loco natus, adolescens sedecim annorum, Grammatica et Rhetorica probe excultus ac fortasse etiam Philosophia jam initiatus III id. sept. an. 1575 Mediolani Societatem Jesu est ingressus. Utroque tirocinii anno Novallariæ exacto, humanioribus litteris ibidem denuo per annum expolitus (1575-1578), Mediolanum ad Philosophiæ studia est revocatus. In quibus, cum ingenium ad has altiores disciplinas ostendisset non solum pronum, sed etiam apprime aptum, dignus Superioribus visus est, qui cum tres annos in aliquo Mediolanensis Provinciæ collegio docenda Grammatica et Rhetorica consumpsisset, Romam transmitteretur, ut inter selectos ex omnibus Societatis provinciis melioris notæ juvenes sub optimis magistris divinarum litterarum studio vacaret. Romam an. 1584 appulsus, nactus est magistros, quibus Collegium Romanum nunquam habuit clariores, Franciscum Suarez (1584-85) et Gabrielem Vasquez (1585-88).

Eorum disciplina ita profecit, ut finito quadriennio (1584-88) Mediolanum in collegium Braidense (di Brera) sit revocatus atque Philosophiæ docendæ addictus. In quo docendi munere in eo collegio quindecim annos exegit (1588-1597 et 1600-1606) et quidem quinque in Philosophia (1588-93), octo in Theologia (1593-1597 et 1600-1603), duos in Casibus conscientiæ sive in Theologia morali (1604 et 1605) explicanda. Quid annis 1598 et 1599 egerit, cognitum non habemus ; fortasse incommoda valetudo effecerat, ut superiores interrumperet labores.

Hæc certe virium debilitas Superiores an. 1606 adegit, ut Cosmum a docendi munere amoverent ; eo enim anno Ticinum missus est, ut Episcopo in theologicis et canonicis controversiis atque in diœcesi obeunda operam navaret. Illa in urbe ad viginti annos (1606-1624) est commoratus, quo tempore subsicivis horis, gravioribus curis solutus, se totum dedit Summæ Philosophicæ condendæ ex principiis et doctrina S. Thomæ, cui ex magistrorum suorum disciplina maxime semper fuit addictus. Opus suum, ardui sane et diuturni laboris, ita alacriter est prosecutus, ut cum an. 1618 primum vulgasset volumen, an. 1623 paucis antequam Mediolanum remigraret mensibus, quintum jam

absolvisset [1]. Fatendum tamen, hanc ultimam partem, quæ Metaphysicam complectitur, non ita, ut reliquas, esse omnibus numeris completam ac perpolitam. Urgebat, ut opinor, redeundi Mediolanum necessitas, atque, ne ultimam admoveret manum, impediebat. Quare, cum Canonici Regulares S. Augustini provinciæ Gallicanæ, quorum caput est Parisiis celeberrimum S. Genovevæ monasterium, demuo in usum scholæ suæ philosophicæ Alamanni Summam vulgare sibi proposuissent, opus meliori quo possent modo complendum duxerunt. Adjecerunt igitur Metaphysicæ quam plures quæstiones et articulos, atque sextum volumen, quo Ethica explicaretur, de integro conscripserunt.

Anno quo dixi Mediolanum reversus, cum et eruditionis et morum probitatis laude floreret plurimum, tantam laborum segetem nactus est, ut viribus ætate et longo usu attritis nihil otii studiis litterariis reliquum haberet. Primum enim per annum (1624-25) in domo professa ad S. Fidelis sacris confessionibus ad januam excipiendis est addictus; deinde vero, quod vitæ reliquum erat, in collegio Braidensi studiis regendis atque pietate scholarium atque aliorum undique ad eum confluentium promovenda

1. Cum exemplaria hujus prioris editionis ita rara sint, ut excussis frustra bibliothecis Romanis omnibus et Florentinis et ipsa Ticinensi tandem in sola Braidensi Mediolani unum aliquod nactus sim, non abs re erit, accuratam ejus descriptionem hic adjungere: quo loco mihi maximæ gratiæ agendæ sunt clarissimis viris J. Ghiron, præfecto bibliothecæ Braidensis et J. Giorgi, bibliothecario bibliothecæ nationalis Romanæ, qui omni, quo poterant, modo me foverunt atque adjuverunt. — Accedamus igitur ad *editionem Ticinensem*.

Summa | Totius | Philosophiæ | E D. Thomæ Aquinatis Doctoris | Angelici Doctrina, | Auctore R. P. Cosmo Alamannio Mediola- | nensi Soc. Jesu Theologo | Pars Prima. | Ticini Excudebat Jo. B. Rubeus. 1618. 4°; pp. 626 et XVIII.

Prima | Secundæ | Partis | Totius | Philosophiæ, | E D. Thomæ Aquinatis Doctoris | Angelici Doctrina. | Auctore R. P. Cosmo Alamannio Mediolanensi Soc. Jesu Theologo. | Papiæ MDCXXII. Apud Jo. B. Rubeum; pp. 436 et X.

Secunda | Secundæ | Partis Summæ Philosophiæ | E D. Thomæ Aquin. etc. ut supra. Ticini Excudebat Jo. B. Rubeus. 1623; pp. 389 et XIV.

Tertia | Secundæ | Partis Summæ Philosophiæ, etc. ut supra. | Papiæ. Ex Typogr. Jo. B. Rubei MDCXXIII; pp. 599 et XII.

Tertia Pars | Summæ | Philosophiæ etc. | Papiæ. Excudebat Jo. B. Rubeus. 1623; pp. 234 et X.

Libet præterea adjungere titulos *editionis Parisiensis*:

Summa Philosophiæ | D. Thomæ | Aquinatis | Doctoris Angelici | Ex variis Ejus Libris In Ordinem | Cursus Philosophici accommodata. | Auctore R. P. Cosmo Alamannio Mediolanensi | Soc. Jesu Theologo | Hactenus In Galliis Desiderata, Nunc Demum | Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Congregationis Gallicanæ opera et studio in usum scholæ suæ Philosophicæ luci data, et | Philosophia Morali ipsaque pro majori parte Metaphysica recens adaucta. | In hoc toto opere unus D. Thomas loquitur. | Parisiis | Apud Car. Roulliard, MDCXL; fol. pp. 218 et XII. Aliqua vero exemplaria habent: Parisiis. Apud Petrum Billaine | MDCXXXIX.

Prima | Secundæ Partis | Totius | Philosophiæ | E D. Thomæ Aq. Doctoris | Angelici Doctrina. | Auctore R. P. Cosmo Alamannio Mediolanensi | Soc. Jesu Theologo. | Parisiis | Apud Petrum Billaine, | MDCXXXIX; pp. 155 et VI.

Secunda | Secundæ | Partis Summæ | Philosophicæ | E D. Thomæ, etc. ut supra. | Parisiis. Apud Petrum Billaine, | MDCXXXIX; pp. 138 et VII.

Tertia | Secundæ | Partis Summæ | Philosophicæ, etc. ut supra. | Parisiis, etc. ut supra; pp. 206 et VI.

Tertia Pars | Summæ | Philosophicæ | E D. Thomæ Aq. | Doctoris Angelici | Doctrina. | Huic operi recens addita. | Parisiis, etc. ut supra; pp. 110 et VIII.

Quarta Pars | Summæ Philosophicæ | E. D. Thomæ Aq. | Doctoris Angelici | Doctrina. | In hac editione pro majori parte adaucta, et ad desideratum sui complementum perducta. | Parisiis etc. ut supra; pp. 262 et VII.

BQ
6832
P5 A4

cor sumpsit. Ibidem an. 1634 mense julio exeunte, cum disputationi theologicae praesideret, febri correptus, IX cal. Augusti pie in Domino obdormivit.

2. Ut Alamanni Summam Philosophicam Bibliothecae nostrae adjungeremus, litterae SS. Domini Nostri Leonis XIII effecerunt, quibus cl. Fredericum Pustet ad eam denuo vulgandam incitavit. Quo quidem loco maximae huic clarissimo viro gratiae nobis sunt agendae, qui cum de consilio edendae hujus Bibliothecae certior esset factus, illico liberali animo ultro a Summo Pontifice petiit, ne gravaretur, quod sibi dederat in mandatis, in hujus Bibliothecae editorem transferre.

Quam vero sapienti consilio SS. Dominus Noster, Theologiae et Philosophiae scholasticae eximius fautor, ut Alamanni Summa omnium tereretur manibus, efficiendum censuerit, nemo non videat, cum id in illis, quas adjunximus, litteris apertissime sit propositum. Quare nobis pauca de opere ipso et nova ejus editione adiungenda restant.

Auctor ipse in operis proœmio, S. Thomam in conscribenda Summa Theologica secutus, librum monet non doctis, sed tironibus esse conscriptum. Id vero prae reliquis hujus generis libris habet proprium, quod auctor non solum non sua, nec aliena suis verbis exponit, sed doctrinam philosophicam S. Thomae ex ipsius S. Doctoris verbis, quantum fieri potuit, contexuit, « in ordinem philosophicae institutionis redigens omnes Philosophiae partes, quas idem Angelicus Doctor in variis suis operibus pertractavit ».

Non infitiamur, quin si usum nostri aevi spectemus, aliqua videantur ex libro resecanda, nobis jam minus fructuosa, alia autem haud ita pauca adjicienda, quibus nunc Philosophiae studiosi aegre carebunt; nihilominus imprimis negari non potest, longe majorem libri partem, ut majoribus nostris, ita et nobis fore utilissimam, cum non tantum contineat doctrinam sanam, sed etiam praecipuos significet locos, quibus ea a S. Doctore inveniatur tradita. Praeterea ea, quam indicavimus libri renovatio, cum laborem exigat improbum ac diuturnum, tum demum utiliter fiet, cum nova nobis praesto erit operum omnium S. Thomae editio, qua quae genuina, quae spuria, accuratius quam ab Echardo et Rubeo factum est, sit determinatum, verbaque ipsa genuinorum operum ad manuscriptorum fidem correcta ac restituta. Demum ad hanc ipsam renovationem per partes praeparandam viri docti nulla profecto re efficacius excitabuntur, quam cum antiqua ejus recensio, exemplarium raritate jam paene ignota, denuo longe lateque erit diffusa.

In nova editione adornanda imprimis editionem Parisiensem cum ea contulimus, quam auctor ipse Ticini typis descripsit; deinde nec tempori nec labori parcentes universos S. Doctoris et Aristotelis locos in his editionibus indicatos in suis sedibus inquisivimus ac rectene an secus essent allati, indagavimus. Aliquot ex eis, qui nescio cujus errore irrepserant, cum ad rem omnino non facerent, denuo describendos non duximus, ne lectores in eis exquirendis tempus inutiliter tererent. Aliquoties eos locos indicatis substituere potuimus, qui cum ab auctore primum essent adnotati, postea typothetarum negligentia erant mutati; taceo plurimos errores editionis Parisiensis ex Ticinensi correctos. Caeterum in hujusmodi mutationibus inducendis, quum non auctorum sed editorum munere fungeremur, moderatissime nobis agendum esse statuimus.

Plurimum desiderabamus, ut nobis in hac quoque editione, ut in prioribus factum est, locos indicatos ad marginem adscribere liceret. Verum id, quia pretium libri ma-

gnopere erat aucturum, nobis fuit omittendum ac loci aut ipsi disputationi inserendi aut post aliquas particulas accumulandi, quorum neutrum non aliquid habet incommodi. Mediam igitur viam tenere studuimus, ne orationem nimium incideremus neve locos adductos a suis sententiis longius avelleremus.

Locos ipsos ex S. Doctore adductos ita aperte indicasse nobis videmur, ut compendia verborum, quibus usi sumus, explicationem non exigant. Quare Lectores hoc unum monemus, nos Opuscula eo ordine afferre, quo in editione Romæ sub S. Pio V vulgata leguntur; qui quidem ordo in posterioribus editionibus aliquantum est perturbatus. Cæterum, ut omnem dubitandi occasionem excluderemus, universos S. Doctoris libros proxima post præfationes pagina uno conspectu exhibendos curavimus. Præterea auctor nonnunquam locos ex libris significat, qui Aquinati aut perperam aut saltem non certo adscribuntur: velut in hoc primo volumine non raro nos ad Opusculum 48 remittit, cui titulus : « Summa Logicæ » quod, ut modesti simus, inter dubia rejiciendum est. Cum vero infinitas, quæ se hoc loco ingerunt quæstiones, ipsi decidere non possimus, hæc tantum præstanda putavimus : primum in scriptorum S. Doctoris elencho, quem paullo post adjunximus, asterisco, quæ Echardi judicio dubia vel spuria habenda essent, indicavimus. Deinde locos ascitos ex commentario cardinalis Hannibaldi in libros Sententiarum (ex scriptis S. Thomæ collecto) atque Aquinati adscriptos suo plerumque restituimus auctori nec plane delendos duximus, quippe quibus aliquid saltem momenti inesset.

Præterea cum commentarii in Aristotelis libros aliter in aliis editionibus per lectiones sint distincti, eas plerumque ita indicavimus, ut priori loco poneremus numeros editionis Romanæ, quos pleræque ex aliis editionibus exhibent ; posteriori vero aut uncis inclusos aut addita voce « alias » (al.) adjungeremus numeros editionis Parisiensis anni 1871 et sqq.

Demum plurimos locos, qui passim ex Aristotele secundum antiquorum ejus libros in textus dispertientium usum afferuntur, ita descripsimus, ut divisionem editionis Berolinensis adjungeremus, libros et capita designantem. Ex. gr. 5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 6, vel 3. *de Anima text.* 22; c. 4. In locis vero allatis ex iis libris, quos antiqui quoque per capita distinxerunt, posterior numerus (1. Ethic. c. 3 (1), *vel* : al. 1) ad editionem Berolinensem est referendus.

Non est, cur Lectores moneamus, alios auctores alios sensus, quæ est humanorum ingeniorum varietas, quandoque de iisdem doctrinæ capitibus ex S. Doctoris scriptis elicuisse. Ita factum est, ut unum exemplum proferam, ut Philippus a SS. Trinitate in sua Summa Philosophiæ conscribenda hoc sibi imprimis agendum proposuerit, ut Alamanni Summam impugnaret. Fatendum tamen, has controversias circa ea maxime capita versari, in quibus, cum subtiliora et obscuriora sint, in suo quisque sensu abundet.

Faxit Deus, ut improbus in hoc opere denuo vulgando positus labor eos Philosophiæ christianæ afferat fructus, qui SS. Dominum Nostrum Leonem XIII, horum studiorum eximium æstimatorem et fautorem, ut ad eum suscipiendum hortaretur, impulerunt.

Scribebam Romæ (Borgo S. Spirito 12).

Franciscus Ehrle S. J.

SANCTISSIMO DOCTISSIMOQUE

PRÆDICATORUM ORDINI

COSMUS ALAMANNUS

MEDIOLANENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGUS

Magnum opus omnino et arduum aggressus sum, religiosissimi Patres, et rem eximiæ sane laudis, sed perdifficilem conatus, non inficior. Plus etiam, quam pars virilis postulet, oneris ac muneris suscepi, non nego. Eam subire provinciam non dubitavi, quam doctissimus quisque cum laboris magnitudine tum rei difficultate perterritus facile recusasset, verissimum est. Dicam tamen quod censeo, et latentem animi mei sensum sic aperiam, ut nihil vos effugiat. Non illius ego dicti memor, quod perelegans poeta cecinit : Audaces fortuna juvat, timidosque repellit; sed ejus, quod in doctorem gentium a Christo Domino electus, divino afflatus numine pronuntiavit : Omnia possum in eo, qui me confortat; et summa voluptate sum arduum opus agressus, et oneri gravissimo humeros licet impares subjeci, et provinciam undique difficultatibus circumseptam animo alacri et læto suscepi. Quare quidquid boni fuerit tam in hac meorum operum, quasi quadam præcentione repertum, quam in iis, quæ postea prælo commissa exibunt et emanabunt in vulgus, totum erit Christo Domino, ejus Sanctissimæ Matri Angelicoque Doctori tribuendum; totum, inquam, uni Deo bonorum omnium auctori acceptum referendum, totum Deiparæ Virginis, et Sanctissimi Doctoris precibus adscribendum. Verum quid illud tandem est, rogabit aliquis vestrum, quod tamdiu a doctrinarum studiosis avidissime expectatum prodit in lucem, ingenio perfectum et elaboratum industria? Non ego vos diutius morabor, rem paucis accipite. Quo tempore Mediolani eorum mandato, quibus, ubi sapere cœpi, vitæ meæ commisi rationes, Theologiæ tradendæ curriculo, Doctorem Sanctum ducem secutus, versabar, adeo me illi addictum, deditum et obstrictum professus sum, ut ne latum quidem unguem, ut vulgo dici solet, ab illius doctrina discesserim, sed ejus sententiam in quacumque proposita quæstione secutus, quidquid ille probaret, approbarim, e contrario reprobarim, quidquid rejiceret. Tantus hic meus erga Sanctissimum Doctorem amoris ardor et observantiæ studium, et tanta in illius doctrinam animi mei propensio in nonnullis auditoribus effecit, ut me ad Summam Philosophicam ex illius mente conscribendam sæpius hortarentur, utilitatis inde plurimum et emolumenti ad omnes cum Philosophiæ, tum Theologiæ studiosos derivaturum validis rationibus confirmarent, ad tale tantumque munus obeundum me unum a præpotenti Deo fictum et factum; me unum, præterea neminem, quod erat illorum in præceptorem singularis amoris, plus æquo illi tribuentis indicium, aptum natumque prædicarent. Aperte et ingenue confiteor, religiosissimi Patres, nec vestris inserviam auribus : ita illi mihi tum frequenti hortatione, cum blando supplicique sermone suaserunt, ut facili negotio discipulorum amantissimo persuase-

rint; planius et apertius dicam; non me languentem et tardum, sed mea sponte currentem incitarunt. Statim igitur me accinxi operi, nullis peperci laboribus nullisque vigiliis, nihil penitus intentatum reliqui, quominus in opere tam gravi pro dignitate sustinendo quispiam a me vel curam et sollicitudinem, vel studium et laborem exigeret. Ad Summae Theologicae D. Thomae ordinem plane angelicum in Philosophia conficienda non voluntate modo proxime accedere, sed imitatione etiam consequi pro ingenii viribus contendi; doctrinam philosophicam eadem prorsus methodo et ratione, qua ille theologicam, quaestionibus, et has articulis quasi quibusdam terminis definivi; in horum singulis argumenta, quae partem oppositam probant, primo loco posui; deinde pro parte altera Philosophi auctoritatem adjeci; postea rem universam in articuli corpore, more institutoque Sanctissimi Doctoris fusius explicatam variis rationibus ex ejus doctrina collectis ita confirmavi, ut non illius modo sensum, sed verba etiam ipsissima protulerim, quae rei veritatem planius aperirent; certo enim mihi persuadebam futurum, ut, si ad Summam illius Theologicam ista Philosophica propius accederet, quando illam assequi et exaequare non poterat; si nimirum tam argumenta pro utraque parte, contrariorumque refutationes, quam corpus ipsum articuli ad verbum ex variis D. Thomae locis ad paginae oram notatis eruerem, et huic non longe minor a viris doctis haberetur fides, et eidem etiam inde multo major adjungeretur auctoritas. Verum quid ego in hac prima meorum laborum parte praecipue perfecerim, verius dicam, quid effecerim, vestrum omnium, doctissimi Patres, expecto judicium. Rebus in arduis si minus assequi possumus, quod sequimur, tentasse saltem perhonorificum est et commendatione dignum singulari. Etenim licet ultro concedam, et in hoc opere desiderari quam plurima, multa potuisse vel addi vel detrahi, multa mutari, inchoata plurima, nulla ex parte perfecta, universum opus forte vel mutilum esse vel mancum; ad summam totum corpus imperfectum ac rude relictum, non repugnem; vobis tamen religiosissimi Patres, pro viribus exhibui amoris saltem et observantiae meae in vestrum Ordinem sanctitatis et doctrinae fama celeberrimum, et in vestrum Sanctissimum Doctorem, theologorum facile principem, non vulgare testimonium. Hoc uno contentus, si minus caeteris omnibus, ipse mihi certe satis et cumulate facio. Durius illud extenuandum est et emolliendum diligentiusque, quod mihi contra quis iure meritoque posset objicere, refellendum. Qui serit arborem, vel quid ejusmodi bene culto solo, non derelicto mandat, is jure suo fructus demetit, percipit, condit, et ut sementem fecit, ita metit; at tu cur alienam messem ingressus, ad id muneris obeundum, quod ab erudito et docto viro ex Patribus Dominicanae familiae expeti et expectari debuerat, ultro te intulisti, non quaesitus intrusisti? Quam facile possit haec argumentatio infirmari, quam facile repelli, vos ipsi decernite. Si cuipiam ex augustissima vestra familia hoc vel muneris vel oneris genus venisset in mentem, jure optimo illius humeros id expetiisset et tamquam sibi debitos exegisset; nemoque potuisset illud pro majori dignitate sustinere; dicam apertius quod sentio, philosophicum hoc gravissimumque negotium nemo facilius feliciusque transegisset. Ex eodem enim ubere lac doctrinae sugens et ex eodem sapientiae fonte aquam hauriens multo uberius veriusque philosophicas quaestiones ad Sanctissimi praeceptoris sensum et ad ejus sincerum ac subtile judicium explicabit, quam qui vel rivulos consectatur vel aliunde doctrinam accepit, cujus nimirum aures Doctoris voce alieni familia personuerunt. Verum enim vero nihil hujusmodi vobis venit in mentem, nihil animis vestris occurrit, quod ad rem hanc pertinere videretur; de onere tam gravi suscipiendo et sustinendo, vos ipsos testes appello vivos et praesentes, non modo non excogitastis, sed forte ne cogitastis quidem, sese mihi tam utilis et fructuosa cogitatio divinitus opinor obtulit, ita penitus insedit in animo, nullo ut evelli modo potuerit, sed ad sese illum non modo non invitum et repugnantem, sed plane gaudentem etiam rapuit et libentem. Sed demus factum bene, urgebit demum aliquis, quod tu homo e Societate Iesu opus eximiae utilitatis et laudis, si rem, qua de agitur, spectemus, confeceris, cur hanc potissimum Philosophicae Summae partem ex D. Thomae doctrina desumptam amplissimo Dominicanae familiae nomini consecratam esse voluisti et

sub illius potissimum patrocinio divulgatam? An ut doctissimorum Patrum ita gratiam ineas benevolentiamque concites, ut quæ in illa minus digna reperiuntur, quæ probentur, utpote non apta atque perfecta, non expleta omnibus suis numeris et partibus, non improbentur, et quæ commendationem promerentur et laudem, magis emineant et probentur magis? Dicam ingenue nec ficte loquar et simulate, næ ille divinavit. Addo præterea, cuinam alii religiosorum hominum familiæ primi laborum meorum fructus, quam illi suo jure debebantur, cui plures maturi et cocti ex eadem arbore sapientiæ, unde illi quia peracerbi et crudi vi quasi quadam avulsi sunt, ad communem omnium literatorum hominum utilitatem per se ipsi ac sua sponte quotidie decidunt? Planius et apertius dicam, non longe quærenda causa, cur primam partem Philosophicæ Summæ e D. Thomæ doctrina, tamquam surculum quemdam ex arbore fructuosissima excisum, sub clarissimo Dominicanæ familiæ nomine apparere voluerim, ut nimirum ex illius excellentis et singularis doctrinæ splendore lucem aliquam dignitatis accipiat eoque magis extet et emineat illuminata, quo studiosius ab invidis hominibus absconderetur oppressa; et quemadmodum pictores multa vident in umbris et in eminentia, quæ nos non videmus, ita quæ meorum operum partem alieno fulgore collucentem et illustratam obscurant, non minus grata et jucunda legentibus, quam quæ sunt eminentia, videantur. Habetis opinor, Patres religiosissimi, cognitam atque perspectam instituti operis et vobis consecrati rationem; quid in illo desideretur, ut minus ingratum et injucundum videatur, omnino spernite et pro nihilo putate. Hoc unum, quod longe pluris in me vellem faceretis, quæso, diligenter attendite benevolentissimum scilicet animum et mirabiliter in vestrum amplissimum et clarissimum Ordinem propensam voluntatem, et in vestrum doctissimum et sanctissimum Patrem theologorum principem summum amorem et observantiam singularem. Si quid vero boni, id est, si quid fuerit docte et erudite, si quid acute et sapienter dictum, ut primis extrema conjungam, totum Christo Domino bonorum omnium largitori tribuite, totum ab illo Matris Sanctissimæ, sapientissimique Doctoris rogatu impetratum existimate.

AD BENEVOLOS LECTORES.

Quid vobis reliquum esse censetis, doctrinarum studiosi, quod potissimum velim vos monitos esse ac plenius et planius edoctos? Duo sese mihi offerunt inter alia, quæ minutius in frusta concidam, ut levius ac lenius in ora, ut ita dicam, animorum inserta magis extenuentur, et mollita mandantur, non vorentur. Unum *est, cur ego Philosophicam Summam non ita confecerim, ut mea sponte, nullis adminiculis, et ut dicitur, meo marte illam expleverim, sed alieno præsidio, opibus aliunde conquisitis, ad alterius ingenium, sensum, methodum, verba denique ipsa, et totidem illis ea omnia reddiderim, quæ in alio doctore inveniuntur expressa.* Alterum *vero, cur Summam Philosophicam ex D. Thomæ doctrina potissimum, non ex alterius nobilissimi clarissimique theologi, Scoti videlicet, Alberti Magni, vel cujusvis alterius ejusdem generis hominum contextam perfectamque in vulgus ediderim. — Ut brevitati simul et perspicuitati consulam, primum id explicabo, quod* priore loco *in dicendi controversiam et disceptationem vocatum est; nec quæram eas rationes, quæ ex conjectura pendent, quæ disputationibus huc et illuc trahuntur et nullam adhibent persuadendi dignitatem, sed ex ipsius rei natura deductis totam controversiam dirimam et meam explebo concludamque sententiam;* posteriore vero loco *quæstionem alteram conquisita et enodata, ut potero, cura diligenter exponam.*

Insitam et innatam esse cuique honoris et gloriæ consequendæ cupiditatem, non nisi ex hominum numero ejiciendus et ex finibus humanæ naturæ exterminandus negare audebit. Qui enim inficiari, se hominem esse, non potest, is fateri debet, quem vocamus hominem, si corpus illius attendas, a præpotenti numine fuisse erectum et ad cæli quasi cognationis et domicilii pristini conspectum excitatum; si vero te ad animum cogitatione convertas, eumdem ortum esse reperies ad divini numinis cognitionem, cælum intuendo capiendam; ad illam tanti operis fabricam, quæ construi a Deo atque ædificari mundum fecit, contemplandam, et ad immensi hujus ædificii fabricatorem et architectum imitandum totius naturæ parentem Deum. Quod est dicere, hominem tanquam mortale quoddam numen non nisi natum ad sublimia, excelsa, non nisi eximia laude, singulari commendatione æternaque memoria digna cogitaturum, moliturum, perfecturum. His ita propositis quid tu modo, dicet quispiam, non ex proprio sed alieno marte Philosophicam Summam minori laude atque industriæ commendatione moliris, quam gloriam ex alienorum laborum fabrica venaris? O peracutum hominem, qui paucis verbis negotium confectum putat et ea sumit, quorum nihil omnino conficitur ex propositis, nihilque concluditur. Age, esto hoc, levis est animi lucem splendoremque fugientis, laboribus susceptis periculisque aditis quasi mercedem rerum gestarum gloriam non modo non desiderare et augere, sed etiam aspernari atque negligere. Esto itidem hoc, immortali me gloria dispolio, alium adorno, quid inde consequens efficitur? Errarene me, quod opere contexendo gloriam mihi jure meritoque debitam repudiaverim in aliumque transtulerim, an te multo longius falli, qui gloriæ nomine falso uteus, non quomodo efficiatur ex propositis atque concessis, argumentationem sententiamque concludis. Hoc potius facile, breviterque demonstro. Vel nomine gloriæ veram, gravem, solidamque intelligis, quæ nimirum habet formam honestatis et similitudinem, quæque est veræ virtutis fructus, vel inanem, falsam, popularem stultorum et improborum hominum consensu excitatam. Si hanc *intelligis, ne tu longe falleris, et toto, ut vulgo dicitur, aberras cælo? Hæc sempiternam turpitudinem infligit, non immortalis famæ splendore illustrat. Hujus studio trahuntur homines perditi, delectatione et utilitate omnia metientes, non viri probi et sapientes, ad honestatis formam normamque virtutis omnia revocantes. Huic nos remittere nuntium, hanc nos repudiare funditus is, cujus auctoritate et exemplo vita nostra instituenda est moresque conformandi, Christus Dominus facto imperavit, cum in amantissimi Patris gloriam, quamdiu vixit, cogitationes omnes et omnia studia convertit; docuit verbis, cum idem aperte palamque summa hominum frequentia testificatus est, non se suam in obeundo redemptionis humanæ munere gloriam quærere, sed illius, a quo fuerat e cælo demissus in terras. — Si vero de gloria locutus* illam, *quæ summa est atque perfecta, significare voluisti, tantum abest, ut argumentando quidquam effeceris et meam sententiam oppugnatam everteris, ut pro illa propugnaveris acerrime, constantissime defenderis, et oppositum ejus, quod tibi fuerat in animo propositum ad probandum, omnino concluseris. Etenim hanc me meis laboribus atque vigiliis desiderare gloriam, hanc veluti mercedem animo constituisse, hac me denique vehementer optare a Christo Domino tanquam singulari eximioque præmio donari, paucis ostendo. Veram, solidam perfectamque gloriam ex tribus potissimum constare Romanæ docuit eloquentiæ princeps: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Hoc veluti nostræ argumentationis jacto fundamento, quid inde sit consequens et necessario colligendum, diligenter attendite. Quando aliqua duo ita sunt inter se apta atque connexa, ut uno posito et aliud poni necesse sit, fieri minime potest, ut velit quis id, quod sumitur, et nolit illud, quod ei est consequens et ex propositis efficitur; nam ratio connexi, cum superius concesseris, cogit et inferius concedere. Quod vero tria prædicta, quibus veræ solidæque gloriæ natura definitur, sint hisce meis laboribus atque conatibus implicita et vinculis summæ conjunctionis et quasi naturalibus colligata, non nisi captum oculis et mente destitutum latere potest. Quod enim meam Philosophicam Summam non exigua philosophorum et theologorum multitudo avidissime expectet, manifestam multitudinis dilectionem ostendit; manifesta vero dilectio magnam scriptori auctoritatem affert et fidem. Quem enim summe diligimus, si consilia illi committimus et uni res credimus universas, multo maiorem eidem tribuemus auctoritatem fidemque adhibebimus longe certiorem. Quod vero qui religiosa familia, doctrinæ genere, vivendi ratione institutoque alienus est, incredibili cupiditate ardeat, atque omni ope atque opera nitatur, ut viri sanctitate et doctrina celeberrimi nomen operibus in lucem editis illustret ac prædicet, quis*

non vehementer suspicat, admiretur et obstupescat? Quod jam amplius expectatis, benevoli lectores? Hoc unum addo, reliqua silentio præteribo, unicuique nostrum, qui Christo servatori nomen dedimus, nihil omnino honorificentius, nihil gloriosius accidere posse, quam de illo magnifice ac sanctissime sentire et loqui, quem Deus ipse singulari commendatione dignissimum judicavit, quam efficere multa pluraque conari, cum ad illius laudem amplificandam et honore augendam, tum ad amplitudinem nominis ornandam et illustrandam, quem Deus in terris velati quemdam minorem Deum ab omnibus religiose coli præcepit, et in cœli domicilio immortalibus bonis et æternitate gloriæ cumulavit. Quid plura, tractatio Philosophiæ optimo et amplissimo quoque dignissima est; verum si dirigatur ad omnium doctrinarum studiosos excitandos, inflammandos magisque juvandos, cura suscipitur et cogitatio plenissima dignitatis et gloriæ. Quid ex prædictis omnibus efficiatur, quid sit illis consequens, nemo est qui non videat, nemo, qui non intelligat. Sit ergo firmum, fixum et in perpetuum ratum, sine ulla temeritatis et ignominiæ nota, sed honestissime et laudatissime posse quemlibet libros in lucem emittere, unde longe plus ad alium quempium, quam ad scriptorem, utilitatis, honoris et gloriæ derivetur. Hujus rei locupletissimos testes possem in medium afferre non paucos, sed uno contentus instar omnium profero Gabrielem Biel, virum illum eruditionis atque doctrinæ præstantia insignem, qui cum laudis eximiæ opus in Missæ canonem scripsisset, quia religiose et sine ambitione commendari non poterat, ut cui merito jureque optimo debebatur, æternum illi suorum laborum præconium tribueretur, non aperte modo et ingenue ad finem operis fatetur, sed etiam simpliciter et candide lectores monet palamque prædicat atque denuntiat, se, quæcumque in illo digna commendatione posuit et explicavit, ex suopte ingenio non ea fudisse, sed fere omnia ex Joanne quodam suo præceptore viro doctissimo accepisse. Quod tanto viro non modo sine ullius ignominiæ nota, sed summa etiam cum laude licitum fuit; et id licere dicimus, quod vel legibus, vel more majorum institutoque conceditur; multo magis id mihi licitum erit, qui nec eruditionis magnitudine nec doctrinæ præstantia sum cum illo ulla omnino ratione conferendus.

Sed ad alteram quæstionem, si placet, et longe faciliorem veniamus; priori enim satis superque factum vel adversarius ipse non negabit. Quæsitum igitur est secundo, cur ex unius D. Thomæ doctrina, non ex Scoti vel Alberti vel alius viri doctissimi Philosophicam Summam confecerim. Ne diutius suspensa oratione mea expectatio vestra teneatur, causa potissima, cur id fecerim, non est petenda longius nec altius eruenda, patet omnibus, et æque mihi prompta est, et cuicumque libuerit rem, ipsam diligentius accuratiusque perpendere. Cæteri doctores, quos laudavi, et physica disputandi ratione multa explicarunt, et a more philosophico fere omnia, quæ ad rationalem scientiam, qua de potissimum agimus in præsenti, spectant, in contrarias partes disputando, crassis occultata et circumfusa tenebris ad veritatis lucem protulerunt; at doctor angelicus, licet egregie præclareque ac divine theologica multis voluminibus ita persecutus sit, ut nemo illa plenius et uberius disputarit, nemo eruditius et doctius, nemo apertius et planius explicarit, nemo denique facilius atque felicius, et scientiæ pervestigatione et disserendi ratione comprehenderit, philosophica tamen non nisi leviter attigit et disperse, et quibus de quæstionibus philosophi multa dicere solent, breviter ab illo, strictimque dicuntur. Quare hoc unum ad sanctissimi præceptoris doctrinæ absolutionem perfectionemque maxime desiderari videbatur, ut philosophica materies in unum congesta corpus, variisque definita quæstionibus et articulis ad rei veritatem in occulto latentem aperiendam et illustrandam more philosophico rationibus in contrarias partes disputaretur, captionibusque discussis, certis conclusionibvs tanquam exitu et determinatione orationis tota disceptatio finiretur; sic enim fieret, ut is multo minore labore ac studio, majore vero utilitate et fructu Theologiam Doctoris Angelici perciperet, qui doctrinam illius philosophicam ex eodem omnino fonte hausisset. Næ suo jure, dicam quod sentio nec ad ullius loquar voluntatem, suo inquam jure meritoque hoc muneris et oneris a doctrinarum studiosis postulabat et tanquam debitum exigebat sapientissimus et sanctissimus doctor, ut tot ab illo exantlati labores et tot exactæ vigiliæ in re theologica præsertim augenda et illustranda, ratione aliqua compensarentur et ejus laudi, honori et gloriæ, si qua fieri posset accessio, cumulus adderetur. Hoc unum de doctissimo sanctissimoque Patre extremo loco dicam, quod et omni me tempore ad illius doctrinæ studium mirabiliter incitavit et ad Philosophicam Summam contexendam, licet non repugnantem sed valde propensum impulit et libentem quodque deberet ad illam diligentissime pervolutandam

eorum animos, qui graviorum disciplinarum studiis maxime delectantur, vel flagrantissimos incenderet; si communi proborum et doctorum virorum consensu sanctitatis et doctrinæ præstantia primum inter scholasticos doctores locum est consecutus; sanctitatis quidem admirabili quadam animi despicientia honores ac dignitates oblatas constantissime recusarit, quod virginei candoris amore captus blandas voluptatis illecebras inimicas rationi severissime contempserit, quod divinæ charitatis incendio ardens omnes suos conatus et impetus ad hæreses omnino profligandas erroresque ex hominum animis radicitus evellendos contulerit; quod in cœlestium spirituum beatissimo cœtu, sapientissimo sanctissimoque Ecclesiæ Doctori Augustino gloriæ splendore parem exstiterit, virginei pudoris gloria episcopalis oneris meritum compensante, divinitus significatum fuisse historiarum monumenta tradiderint, unde merito fuerit et in sanctorum numero a Summo Pontifice cooptatus et inter Scholasticos nemine repugnante insigne et gloriosum Sancti Doctoris nomen consecutus; doctrinæ vero, quod illa doctissimorum virorum conspiratione atque consensu, cum subtilitate et perspicuitate, tum soliditate et multiplicitate, omnium scholasticorum doctrinas longissime præcellat; quod Christi Domini fuerit testimonio comprobata, Deiparæ Virginis oraculo confirmata et ab Innocentio summo Pontifice ita commendata et laudata, ut quod de nullo Doctore vel sanctitatis vel doctrinæ gloria illustri, dictum vel scriptum reperitur, dicere non dubitarit, hujus sanctissimi præceptoris doctrinam plane divinam, excepta canonica, habere proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum et nullum ex iis, qui ejus doctrinam secuti sunt, unquam a recto veritatis tramite declinasse, et quotquot eamdem oppugnare conati sunt, semper fuisse de veritate suspectos. Ecquis erit ingenio ita hebeti ad intelligendum ac rudi, ut philosophicis disciplinis eruditi vehementer exoptans, non eas e scientiarum omnium fontibus uberrimis hauriat, sed doctrinarum sitientes rivulos consectetur. Ecquis itidem erit ita inops rationis atque judicii, ut me vel reprehensione dignum existimet, vel certe miretur, quod sapientissimi sanctissimique Doctoris, cui se litterati omnes, et studiis doctrinisque dediti plurimum debere confitentur, cujusque me discipulum rudem atque integrum profiteor, doctrinam philosophicam a tenebris ad lucem vocarim, ad certam methodum ordinemque redegerim, aditumque patentiorem et faciliorem ad philosophicas disciplinas capessendas cuilibet illarum studioso reddiderim, quin immortales potius præpotenti Deo gratias agat habeatque perpetuas, quod ex eodem omnino fonte in posterum omnes graviores disciplinæ copiosius et abundantius haurientur.

Hæc habui, benevoli lectores, quæ vos præmonerem, si tam ea vobis, quam quæ ex D. Thomæ doctrina plurium annorum spatio et multis lucubrationibus atque vigiliis meditatus sum non indigna commendatione videbuntur, illa omnia Deo Domino bonorum omnium auctori tribuite; si non arridebunt, utpote inchoata et rudia, grati saltem animi non exiguam significationem et summam atque optimam probate voluntatem.

Attestatio Rever. P. Fr. Francisci Ghetii de Como Sacræ Theologiæ Lectoris primi in conventu S. Thomæ de Papia Ordinis Prædicatorum.

Tantum abest, ut Quæstiones logicales a religiosissimo ac præstantissimo viro Patre Cosmo Alamanno Societatis JESU e D. Thomæ doctrina decerptas, ingenti labore confectas, admirabili arte ordinatas contra regulas novi Indicis librorum aliquid contineant, quin potius subtilissimam doctrinam, veram Philosophiam, peripateticam scientiam, Thomisticam veritatem eas continere assero: in his acumen ingenii tanti Patris, maximus in nostrum divinæ voluntatis interpretem D. Thomam Aquinatem affectus, eximia in nostram Dominicanam Religionem benevolentia demonstratur. Quapropter eas dignissimas, ut prælo quam primum iterum subjiciantur ad omnium, præsertim autem Thomistarum commodum ac utilitatem judico. Datum Papiæ die 4. Octob. 1623.

Ita est. — Fr. Franciscus Ghetius de Como, Lector etc.

Die 5 Octobris 1623. Visa supradicta attestatione: Imprimatur.

Fr. Deodatus Seghitius, Inquisitor Papiæ.

BREVIS CONSPECTUS

SCRIPTORUM S. THOMÆ

QUÆ IN EDITIONE ROMÆ AN. 1570 VULGATA

CONTINENTUR

Summa Theologiæ; 1a scil. prima pars, 1a 2æ scil. prima pars secundæ partis, 2a 2æ scil. secunda pars secundæ partis, 3a (scil. tertia pars).

Summa contra Gentiles; ll. 4. c. Gent.

Quæstiones disputatæ de potentia Dei, de malo, de spiritualibus creaturis, de anima, de unione Verbi, de virtutibus in communi, de caritate, de correctione fraterna, de spe, de virtutibus cardinalibus, de veritate.

Quodlibeta 12.

Scriptum in 4 libros Sententiarum.

Commentaria in 2 lib. Perihermenias, in 2 lib. Posteriorum Analyticorum, in 8 lib. Physicorum, in 3 lib. de Cœlo et Mundo, in lib. de Generatione et Corruptione, in 4 lib. Meteorum, in 3 lib. de Anima, in lib. de Sensu et Sensato, de Memoria et Reminiscentia, de Somno et Vigilia *, de Somniis *, de Divinatione per Somnum *, in 12 lib. Metaphysicorum, (de causis), in 10 lib. Ethicorum, in 8 lib. Politicorum.

Opuscula : 1. Contra errores Græcorum. — 2. Compendium theologiæ. — 3. Declaratio quorundam articulorum contra Græcos, Armenos et Saracenos. 4. De duobus præceptis charitatis. — 5. De articulis fidei et sacramentis ecclesiæ. — 6. Expositio super symbolum Apostolorum. — 7. Expositio orationis dominicæ. — 8. Expositio salutationis angelicæ. — 9. Responsio de 108 articulis *. — 10. Responsio de 42 articulis. — 11. Responsio de 36 articulis. — 12. Responsio de 6 articulis ad lectorem Bisuntin. — 13. De differentia divini verbi et humani. — 14. De natura verbi intellectus. — 15. De substantiis separatis. — 16. De unitate intellectus contra Averroistas. — 17. Contra retrahentes a religionis ingressu. — 18. De perfectione vitæ spiritualis. — 19. Contra impugnantes Dei cultum et religionem. — 20. De regimine principum. — 21. De regimine Judæorum. — 22. De forma absolutionis. — 23. Expositio primæ decretalis. — 24. Expositio super secundam decretalem. — 25. De sortibus. — 26. De judiciis astrorum. — 27. De æternitate mundi. — 28. De fato. — 29. De principio individuationis. — 30. De ente et essentia. — 31. De principiis naturæ. — 32. De natura materiæ et dimensionibus interminatis. — 33. De mistione elementorum. — 34. De occultis operibus naturæ. — 35. De motu cordis. — 36. De instantibus. — 37. De quatuor oppositis. — 38. De demonstratione. — 39. De fallaciis. — 40. De propositionibus modalibus. — 41. De natura accidentis. — 42. De natura generis *. — 43. De potentiis animæ *. — 44. De tempore. — 45. De pluralitate formarum *. — 46. De dimensionibus interminatis. Cf. n. 32. — 47. De natura syllogismorum *. — 48. Summa totius Logicæ Aristot. *. — 49. De sensu resp. singularium et intellectu resp. universalium *. — 50. De inventione medii *. — 51. De natura luminis *. — 52. De natura loci *. — 53. De intellectu et intelligibili *. — 54. De quo est et quod est. * — 55 et 56. De universalibus *. — 57. Officium de festo corp. Chr. — 58. De sacramento altaris *. — 59. De sacramento eucharistiæ *. — 60. De humanitate J. Chr *. — 61. De dilectione Chr. et proximi *. — 62. De divinis moribus *. — 63. De beatitudine *. — 64. De modo confitendi *. — 65. De officio sacerdotis *. — 66. Expositio missæ *. — 67. De emptione et venditione ad tempus *. — 68. Epistola de modo acquirendi scientiam *. — 69. Expositio in lib. Boethii de hebdomadibus. — 70. Quæstiones in lib. Boethii de Trinitate. — 71. De vitiis et virtutibus * — 72. De concordantiis *. — 73. De usuris *.

Expositio : in Job, in Psalmos, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Jeremiam, in Threnos, [in Matthæum et Joannem] ; Catena aurea in quatuor evangelia ; expositio in epist. S. Pauli, in Genesim *, in Danielem *, in lib. Machabæorum *, in epist. canonicas *.

SUMMÆ
PHILOSOPHICÆ
E DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI
DOCTRINA

PARS PRIMA

Quoniam philosophicæ veritatis doctor non solum mediocriter in illa institutos, sed plane rudes etiam et imperitos debet instruere, secundum illud Apostoli ad Rom. 1 : « Sapientibus et insipientibus debitor sum »; propositum nostræ intentionis in hoc opere est, ea, quæ ad naturalem Philosophiam pertinent, eo modo tradere, qui magis incipientium eruditioni congruere videbitur. Cum igitur, ut recte monet Philosophus (2. *Metaphys. text.* 15 l. 1, *min.* c. 3), absurdum sit, simul quærere scientiam et modum sciendi, et ad Logicam spectet, hunc modum tradere; *priore* loco tractabimus ea, quæ sunt logicæ considerationis; *posteriore* vero ea, quæ pertinent ad scientias naturales; et hæc omnia tentabimus divini numinis auxilio freti, breviter ac dilucide prosequi, secundum quod materiæ difficultas patietur.

QUÆSTIO I

DE DOCTRINA LOGICÆ : QUALIS SIT ET AD QUÆ SE EXTENDAT, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Ubi primo considerandum est et investigandum de ipsa Logicæ doctrina qualis sit et ad quæ se extendat, ut intentio nostra sub certis limitibus comprehendatur.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR SEX :

1. De necessitate hujus doctrinæ per comparationem ad actus rationis.
2. Utrum sit scientia.
3. Utrum sit una vel plures.
4. Utrum sit practica vel speculativa.
5. Utrum sit necessaria simpliter omnibus scientiis.
6. Quod sit subjectum ejus.

ARTICULUS I

UTRUM AD DIRECTIONEM ACTUUM RATIONIS SIT NECESSARIUM, ALIQUAM DOCTRINAM HABERI

Videtur quod non sit necessarium ad directionem actuum rationis, aliquam doctrinam haberi.

1. Quia sicut homines ordinantur in finem, ita et alia animalia, sed ad hoc, quod actus aliorum animalium ordinentur in finem, non requiritur ulla ars, vel doctrina, sed sufficit naturalis instinctus : ergo similiter ad directionem actuum rationis in finem, non requiritur particularis doctrina, sed sufficit instinctus naturæ intellectualis. — 1. *Poster.* l. 1.

2. Præterea, omnis doctrina est ad per-

fectionem vel quantum ad intellectum, sicuti speculativa, vel quantum ad voluntatem, sicut practica; sed utrumque completur per Philosophiam naturalem et moralem; quia per demonstrativas scientias perficitur intellectus in suis actibus, per morales vero voluntas in suis : ergo non est necessaria alia doctrina ad directionem actuum rationis. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 1, arg. 2.

3. Præterea, ratio semper est recta, ut dicit Philosophus 3. *de Anima text.* 26, c. 6. ; sed quod est rectum, non indiget per aliud dirigi ; ergo non est necessarius ullus habitus ad directionem actuum rationis. — *de Malo*, q. 7, a. 5, arg. 6; 2. *Sent.* dist. 24, q. 3, a. 3, arg. 3.

4. Præterea, ratio non solum est directiva actuum aliarum potentiarum, sed etiam suarum; sed natura non facit per duo, quod per unum facere potest ; ergo præter rationem non est necessarius ullus habitus ad directionem actuum rationis. — 1. *Poster.* l. 1 ; 1a. q. 51, a. 2, arg. 1.

5. Præterea, doctrina non potest esse nisi de ente; nihil enim scitur, nisi verum, quod cum ente convertitur; sed de omnibus entibus tractatur in philosophicis disciplinis : ergo præter illas non debet dari doctrina, quæ versetur circa directionem actuum rationis.—1. p. q. 1, a. 1, arg. 2; 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 1, arg. 1.

Sed contra est : 1. quod consideratio rationis per habitum perficitur, unde secundum diversos ordines, quos proprie ratio considerat, erunt diversi habitus et doctrinæ; sed datur duplex ordo in actibus hominis : unus, quem ratio considerando facit in operibus voluntatis; alter vero, quem ratio considerando facit in propriis actibus ; ergo sicut ille exigit peculiarem habitum et doctrinam, quæ est Philosophia moralis, ita iste requiret proprium habitum, qui dicitur scientia rationalis seu Logica, cujus est considerare ordinem partium et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. — 1. *Ethic.* l. 1.

2. Præterea, omnium, quæ ratione cognosci possunt, necesse est aliquam doctrinam tradi ad perfectionem humanæ sapientiæ, quæ Philosophia vocatur; sed directio actuum rationis judicio rationis subjecta est ; ergo necesse fuit ad complementum Philosophiæ de directione actuum rationis doctrinam tradere, quæ Logica nuncupatur. — 1. *Periherm.* l. 1; 1. *Poster.* l. 1; 1. *Polit.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod necessaria est quædam doctrina, per quam homo dirigat actus rationis.—Ad cujus manifestationem considerandum est, quod, quia hominum genus, sicut dicit Philosophus, 1. *Metaphys.* c. 1, arte et ratione vivit, ad differentiam animalium, quæ quodam naturali instinctu ad suos actus aguntur, diversæ artes illi deserviunt ad proprios actus faciliter et ordinate perficiendos. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est; hoc enim est proprium intellectivæ partis, ut in seipsa reflectatur; nam intellectus intelligit seipsum, et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, inventa est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate potest hujusmodi actus exercere, eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat; et hæc est ars logica, id est rationalis scientia, quæ non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod est circa actum rationis, sicut circa propriam materiam; et ideo videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt. — 1. *Poster.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod *dupliciter* aliquid sua actione vel motu tendit in finem : uno modo, sicut se ipsum movens ad finem. Alio modo, sicut motum ad finem. Illa, quæ rationem habent, seipsa movent in finem, ut homines, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis; illa vero, quæ ratione carent, tendunt in finem per naturalem instinctum, quasi ab alio mota, non autem a seipsis, cum non cognoscant rationem finis, et ideo nihil in finem ordinare pos-

sunt, sed solum in finem ab alio ordinantur (1a 2æ, q. 1, a. 2, c.). Quoniam vero omnis actio ratione utentis perficitur per habitum, nam per illum homo redditur promptus et delectabiliter operans actum suum, ideo, ut homo perfecte dirigere possit actus suos, eget aliquo habitu superaddito, quem vocamus scientiam rationalem seu Logicam. Vel dic, quod sicut perfectum vitæ regimen est animalibus per memoriam adjuncta assuefactione ex disciplina vel quomodolibet aliter, ita perfectum hominis regimen est per rationem arte perfectam. — *de Carit.* q. un. a. 1, c.; 1. *Poster.* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod actus rationis *dupliciter* considerari possunt : *vel* secundum ordinem realem, quem habent in se cum ad objectum tum ad potentiam, et hoc modo pertinent ad considerationem Philosophiæ naturalis ; *vel* secundum ordinem, quem ratio cognoscendo facit in illis, et hoc modo spectant ad hanc doctrinam seu ad considerationem logicam. — 1. *Ethic.* l. 1.

Ad tertium dicendum, quod ratio semper recta dicitur, *vel* secundum quod se habet ad prima principia, circa quæ non errat; *vel* quia error non evenit ex proprietate rationis, sed ex ejus defectu, quem supplet habitus, cum sit complementum potentiæ (*de Malo*, q. 7, a. 5, ad. 6; *de Virt. in com.* q. un. a. 1, c.). Vel dic, quod Philosophus non dicit rationem semper esse rectam, sed intellectum; non est autem idem intellectus, quod ratio; hæc enim importat quemdam discursum unius in aliud, ille vero importat subitam apprehensionem alicujus rei, et ideo intellectus proprie est principiorum, quæ statim cognitioni se offerunt, ex quibus ratio conclusiones elicit, quæ per inquisitionem innotescunt. Unde sicut in speculativis in intellectu principiorum non potest esse error, sed in deductione conclusionum ex principiis, ita etiam in operativis intellectus semper est rectus, sed ratio recta et non recta.

Ad quartum dicendum, quod ratio, cum sit potentia, dirigit suos actus secundum esse simpliciter; at Logica, cum sit habitus superadditus, dirigit actus rationis secundum bene esse. Per Logicam enim homo faciliter, ordinate et sine errore in intelligendo procedere potest; hoc enim distinguitur habitus a potentia quod hæc est principium actus secundum esse simpliciter, ille vero est principium actus quoad bene esse. —1. *Poster.* l. 1; 4. *Sent.* dist. 4, p. 1 a. 1. c.

Ad quintum dicendum, quod philosophicæ disciplinæ, cum sint de rebus naturæ, versantur etiam circa operationes intellectus, ut sunt res naturæ; at Logica versatur circa illas in ipsis considerando intentiones intelligibiles, seu considerat operationes intellectus secundum ordinem, quem habent in se ad objecta et ad potentiam, ut dictum est. — 1. *Ethic.* l. 1; 4. *Metaphys.* l. 1.

ARTICULUS II

UTRUM HÆC DOCTRINA SIT SCIENTIA

Videtur quod hæc doctrina non sit scientia.

1. Quia Philosophus (2. *Metaphys. text.* 15; l. 1. *min.* c. 3) ait absurdum esse simul quærere scientiam et modum sciendi; sed hæc doctrina, quam Logicam vocamus, est modus sciendi ; ergo non est scientia. — *Opusc.* 70. q. 6, a. 1, ad 3; 2. *Metaphys.* l. 5.

2. Præterea, secundum Philosophum (1. *Poster. text.* 35, 36, c. 22), logice speculari est probabiliter speculari; at scientia speculatur et procedit ex necessariis, ut probat idem Philosophus (1. *Poster. text.* 15, c. 6); ergo Logica non est scientia. — 1. *Poster* l. 1. 33, 34, 12.

3. Præterea, omnis scientia ex Philosopho (1 et 6. *Metaphys. text.* 1 ; ll. 1 et 5, c. 1 et 11. *Metaphys. sum.* 3. c. 1 ; l. 10 c. 1), vel est practica vel speculativa ; sed Logica neque est practica neque speculativa, sed adminiculatrix utrique, ut dicitur (1. *Metaphys. sum.* c. 1, 2 ; c. 1); ergo non est scientia. — 1 et 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7; et locis citandis infrà art. 4. c.

4. Præterea, illa doctrina non est scientia, cujus partes non sunt scientiæ ; sed partes Logicæ, scilicet Dialectica et Sophistica non sunt scientiæ; nam Dialectica, ut dicitur (1. *Topic.* c. 1 et 2, procedit ex probabilibus et ex principiis extrinsecis; procedit enim ex intentio-

nibus rationis, quæ sunt omnino extraneæ a natura rerum, unde et a Philosopho (1. *Metaphys. text.* 5. l. 3, c. 2) dicitur esse tentativa de his, de quibus Philosophia est sciens; Sophistica vero procedit ex falsis; ergo hæc doctrina non est scientia. — 4. *Metaphys.* l. 4; 1. *Poster.* l. 20; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1. c.

5. Præterea, non potest demonstrationis esse demonstratio, sicut nec scientiæ scientia, ut dicitur (2. *Poster. text.* 27, c. 19); sed hæc doctrina, cum versetur circa actus rationis tanquam circa propriam materiam, maxime considerat de demonstratione, quæ a Philosopho (1. *Poster. text.* 15, 18, 25, c. 6, 10) vocatur scientia demonstrativa, quia facit scire; ergo hæc doctrina non est scientia. — 2. *Poster.* l. 42; 1. *Poster.* l 12, 13.

Sed contra est : 1. quod Philosophus partes hujus doctrinæ, Dialecticam scilicet et Sophisticam vocat scientias (11. *Metaphys.* c. 3 ;), ubi probat, quod accidentia entis, ut ens est, nulli scientiæ nisi Metaphysicæ conveniunt, quia nec conveniunt naturali nec Dialecticæ nec Sophisticæ; et c. 7 (*rectius.* c. 8 et 9.), inter scientias solam Sophisticam ait versari circa ens per accidens; et (1. *Poster. text.* 27, c. 11) docet, quod omnes scientiæ utuntur communibus principiis, sed diverso modo; nam Dialectica et Metaphysica sunt de communibus; hæc quidem; quia versatur circa ens ut ens tanquam circa subjectum; Logica vero versatur circa entia rationis, quæ potest ratio negotiari circa res omnes. — 11. *Metaphys.* l. 1, 3 et 11; 1. *Poster.* l. 20.

2. Præterea, ea doctrina est scientia, in qua sunt demonstrationes per aliquam ex quatuor causis tanquam per medium procedentes; demonstratio enim est syllogismus faciens scire per quamcumque causam ex quatuor, ut docet Philosophus (2. *Poster. text.* 11, c. 11) , sed in Logica sunt multæ demonstrationes ex aliquibus causis ex quatuor, ut patet ex libris *Poster.*, quorum in primo ex causa finali demonstrationis, quæ est scientia, probat Philosophus necessitatem illius et ex definitione ejusdem per causam finalem de eadem ostendit definitionem materialem, et in particulari demonstrative probat, quod demonstratio procedit ex necessariis; ergo. — 1 et 2. *Poster.* l. 9; 1. *Poster.* l. 1, 4, 13.

Respondeo dicendum, quod hæc doctrina est scientia. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod hujus doctrinæ seu Logicæ partes tres sunt : Dialectica, Sophistica et Demonstrativa, quarum Dialectica dupliciter potest considerari *uno* modo secundum quod est docens, *alio* modo, secundum quod est utens. — Et quidem, secundum quod est *docens*, habet considerationem de intentionibus rationis, instituens modum, quo per eas possit procedi ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas, et hoc demonstrative facit, et secundum hoc est scientia. — *Utens* vero est, secundum quod modo adjuncto utitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis, et sic recedit a modo scientiæ. — Et similiter dicendum est de Sophistica, quia prout est *docens* tradit per necessarias et demonstrativas rationes modum arguendi apparenter; secundum vero quod est *utens*, deficit a processu veræ demonstrationis et argumentationis, et sic non est scientia. — Sed in parte Logicæ, quæ Demonstrativa dicitur, solum doctrina pertinet ad Logicam, usus vero ad Philosophiam et ad alias particulares scientias, quæ sunt de rebus naturæ; et hoc ideo, quia usus Demonstrativæ consistit in utendo principiis rerum, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinent, non in utendo logicis intentionibus; est tamen Demonstrativa, secundum quod est docens, vere scientia, quia circa intentiones rationis versatur, demonstrative docendo, quomodo fiant demonstrativæ scientiæ, seu quomodo per illas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis demonstrative ostendendas, non autem procedendo ex illis ad aliquid ostendendum de rebus, quæ sunt subjecta aliarum scientiarum, ut facit Dialectica, secundum quod est utens, ut dictum est. Nam cum tales intentiones rationis sint omnino extraneæ a natura rerum, scientia vero procedere debeat ex propriis rerum principiis, ut sic non esset scientia, sicut ob hanc causam non est scientia ipsa Dialectica, secundum quod est utens; et sic manifestum est, quod hæc

doctrina est scientia. — 4. *Metaphys.* l. 1; 1. *Poster.* l. 1 20; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, c.; *et locis citandis infra*, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi (1. *Metaphys.* l. 1. *min.* c. 3) est, cum in addiscendo incipiendum sit ab eo, ex cujus cognitione cognitio sequentium dependet, primo loco addiscendam esse Logicam, quia docet communem modum sciendi omnibus scientiis. Sicut enim modus particularis sciendi in singulis scientiis ante illas tradendus est, ita et addiscenda prius est illa scientia, quæ docet modum procedendi communem omnibus scientiis, quod non impedit, quominus Logica sit dicenda scientia, cum demonstrative tradat talem modum, ut dictum est. — Il. cit. in. c.

Ad secundum dicendum, quod logice speculari est secundum communia, sicut analytice speculari est speculari ex proprio, ut docet Philosophus ibidem (1. *Poster.* t. 35, 36, c. 22). Cum enim Logica non solum Analyticam, sed etiam Dialecticam contineat, ostendere aliquid logice est ostendere universaliter vel aliquid universale et commune utrique parti; ostendere autem aliquid analytice, est ostendere particulariter et ex propriis scientiæ. — 1. *Poster.* Il. 33, 34.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus l. c. divisit scientias perfectas, quæ scilicet non sunt instrumenta aliarum, cujusmodi est Logica; ut ait Boethius, quod ex eo manifeste constat, quod Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1, 2.), enumerat quatuor genera artium et scientiarum, quarum alias dicit inventas ad necessitatem vitæ, ut sunt scientiæ mechanicæ, alias ad introductionem ad alias scientias, ut sunt scientiæ logicales, alias ad voluptatem, sicut artes, quæ sunt ordinatæ ad hominum delectationem, ut comicæ, tragicæ et aliæ artes ludicræ, et alias demum speculativas, quæ non sunt propter prædicta repertæ, sed propter seipsas. Vel dic, Philosophum loqui de scientiis realibus, non de rationalibus, cujusmodi est Logica. — 1. *Metaphys.* l. 1 et 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad. 2, et q. 6, a. 1, ad 3; 4. *Metaphys.* l. 1; 1. *Periherm.* l. 1; 1. *Poster.* l. 1; 2a 2æ q. 51, a. 2, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus loquitur de Dialectica secundum quod est utens, ut sic enim non est scientia, sicut nec Sophistica utens, utraque tamen, ut diximus, est scientia, secundum quod est docens. — 4. *Metaphys.* l. 1.

Ad quintum dicendum, quod sensus Philosophi (2. *Poster. text.* 27, c. 19 est, quod sicut demonstratio non est ex necessitate demonstrationis principium, alioquin procederetur in infinitum, ita cum demonstratio scientiam causet, neque scientia potest esse principium scientiæ, ita scilicet quod principia scientiarum per scientiam cognoscantur. Unde intellectus proprie versabitur circa principia, eritque principium scientiæ, scientia vero proprie versabitur circa conclusiones. Sic igitur, cum Logica demonstrative ostendit modum communem sciendi in aliis scientiis, ut dictum est (l. c. in c.), erit scientia respectu conclusionum, quas deducit ex propriis principiis illarum, non autem respectu principiorum, ex quibus illas deducit.

ARTICULUS III

UTRUM HÆC DOCTRINA SIT UNA SCIENTIA SPECIE

Videtur quod hæc doctrina non sit una scientia specie.

1. Quia secundum Philosophum (1. *Poster. text.* 43, 44, c. 32, 33) una scientia est, quæ est unius generis subjecti, sed operationes intellectus et intentiones rationis, de quibus tractat hæc doctrina, non continentur sub uno genere subjecti, cum hæ sint entia rationis, illæ vero entia realia; ergo hæc doctrina non est una scientia. — 1a. q. 1, a. 3, arg. 1; 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 2, arg. 2..

2. Præterea, ea, quæ sunt ab opere nostro, et ea, quæ sunt ab opere naturæ, non reducuntur ad eamdem scientiam; sed hæc doctrina determinat de his, quæ sunt ab opere nostro; agit enim de intentionibus rationis, quas negotiatur ratio circa res omnes, ut dictum est (*art. præc. Sed contra.*); et de his, quæ sunt ab opere naturæ; agit enim de prædicamentis, quæ sunt entia naturæ; ergo hæc doctrina non est una scientia. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 2, arg. 3; *Opusc.* 48. tr. 2, c. 1.

3. Præterea, in operativis ad diversas virtutes pertinet inquirere et determinare: ergo pari ratione in speculativis hæc pertinebunt ad diversas scientias; sed inquirere pertinet ad Dialecticam, determinare vero ad Demonstrativam: ergo Dialectica et Demonstrativa sunt diversæ scientiæ, et sic Logica non erit una scientia. — 1. *Poster.* l. 1; 2a 2æ, q. 51, a. 2, arg. et ad 3.

4. Præterea, illa doctrina non est una scientia, sed multiplex, cujus generatio non simul perficitur, sed successive per plures actus; sed generatio hujus doctrinæ non est simul, sed successive ex pluribus actibus: ergo hæc doctrina non est una scientia, sed multiplex.— Dices: scientias, sicut et habitus, non multiplicari ex quacumque diversitate actuum, nam sicut cum diversitate actuum potest stare unitas habitus imo et potentiæ, ita poterit stare unitas scientiæ. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, arg. 1.

5. *Sed contra*, diversitas actuum causata ex diversitate medii et principii ostendit diversitatem scientiarum; sed actus, quibus generatur Logica, procedunt ex variis mediis, quibus ad diversas conclusiones pervenitur: ergo Logica non est una scientia.—2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 2, ad. 5; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad. 2.

6. Præterea, Logicæ communiter assignantur tres partes, nimirum scientia Prædicamentorum, scientia Perihermenias et scientia Novæ Logicæ; et hæc rursus dividitur in tres partes: in Resolutoriam, Topicam et Sophisticam; sed ubi sunt plures partes alicujus doctrinæ, quarum quælibet est scientia, illa doctrina non est una scientia, sed plures; ergo Logica non est una scientia — 1. *Periherm.* l. 1; 1. *Poster.* l. 1.

7. Præterea, de una sola conclusione potest haberi scientia actu et habitu, cum una demonstratio faciat habitum scientiæ; sed ad Logicam pertinent plurimæ conclusiones ad varias illius partes spectantes, ut patet: ergo Logica non est una scientia. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 3, ad. 4; *de Virt.* in com. q. 1, a. 9, ad 11; 1. *Poster.* l. 1.

Sed contra, quæcumque conveniunt in una ratione, possunt ad unam scientiam pertinere; unde etiam omnia in quantum conveniunt in ratione entis, pertinent ad Metaphysicam; sed ea omnia, de quibus hæc doctrina tractat, conveniunt in una ratione; non enim quæruntur ad cognoscendum propter seipsa, sed ut sunt adminiculum ad alias scientias; ergo hæc doctrina est una scientia. — 4. *Metaphys.* l. 1; 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 1, *Sed contra*; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad. 2; et q. 6, a. 1, ad 3; 1. *Metaphys.* l. 1 et 3.

Respondeo dicendum, quod hæc doctrina non est una scientia specie, sed plures. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod, cum sint tres partes Logicæ, ut dictum est, Dialectica, Sophistica et Demonstrativa, duobus modis possunt considerari: uno modo secundum quod sunt *docentes* (4. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, c.; 2a 2æ, q. 51, a. 2, ad 3 et a. 4, ad. 3); et hoc modo sunt plures scientiæ, quod potest esse manifestum ex tribus. *Primo* ex Philosopho, qui de illis loquitur tanquam de diversis scientiis; nam (11. *Metaphys.* sum. 1, l. 10, c. 1), dicit, agere de iis, quæ accidunt enti, prout est ens, pertinere ad aliquam scientiam (11. *Metaphys.* l. 3); neque tamen pertinere ad naturalem, neque ad dialecticam, neque ad sophisticam. — *Secundo* ex communi modo, quo scientiæ inter se distingui solent. Scientiæ namque diversificantur ex objectis formalibus, sunt autem maxime diversa inter se objecta prædictarum partium (1a 2æ, q. 54, a. 2, c. et ad. 1); versantur enim circa modos arguendi, quos demonstrative docent, tanquam circa objecta, qui modi sunt plane diversi, ut patet; modus enim arguendi apparenter maxime distinguitur a modo arguendi probabiliter, et uterque a modo arguendi demonstrative. — *Tertio* ex proprio modo, quo distingui possunt prædictæ Logicæ partes in ordine ad rationem speculativam. Cum enim scientia sicut et virtus ordinetur ad actus, actus autem, quibus perficitur ratio speculativa sicut et practica sint duo, et inquirere et judicare, oportet secundum differentiam actuum perficientium rationem speculativam sicut et practicam, scientias sicut et virtutes esse diversas, et maxime quando non est eadem ratio perfectionis et bonitatis in hujusmodi actibus (2a 2æ, q. 51, a. 2, c. et ad 3 et a. 4, ad 2; 3. *Sent.* dist. 33, q. 3, a. 1, q. 3, c.;

6. *Ethic.* l. 9; 1a 2æ, q. 57, a. 6, c. et ad. 3; *de Virt. Card.* a. 1, c.). Sicut ergo in practicis, quia inquirere et determinare sunt omnino diversa, (quod patet ex hoc, quod ista aliquando ab invicem separantur), requirunt virtutes distinctas, eubuliam scilicet et synesim, ita cum eodem modo in speculabilibus prædicti actus diversificentur, alia rationalis scientia debet esse Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem inventivam, et alia scientia Demonstrativa, quæ est veritatis determinativa et judicativa; singulæ tamen partes et scientiæ sunt una simplex qualitas (1a 2æ, q. 54, a. 4, *Sed contra* et c.); nam quælibet est habitus, qui cum sit qualitas, debet esse forma simplex; cum vero sit perfectio intellectus, debet esse illi proportionatus, ut, sicut intellectus una potentia existens ad multa se extendit, secundum quod conveniunt in uno aliquo, id est in generali quadam ratione objecti, ita etiam habitus et consequenter scientia, ad multa se extendit, secundum quod habent ordinem ad aliquod unum, puta ad unam specialem rationem objecti.

Alio modo considerari possunt prædictæ partes Logicæ secundum quod sunt *utentes*, et hoc etiam modo inter se plane differunt, ut in unam scientiam essentialiter convenire non possint (4. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1. c.); cujus ratio est, quia Dialectica secundum quod est utens, non est scientia, sed opinio, unde et a Philosopho (4. *Metaphys. text.* 5, l. 3, c. 1) dicitur tentativa de his, de quibus Philosophia est sciens, est tamen una tantum Dialectica, non plures, quia procedit ex communibus principiis, ex principiis scilicet rationum probabilium, quæ non diversificantur juxta diversitatem rerum, quia communia sunt. Sophistica vero similiter non est scientia, imo nec opinio vera, sed falsa cognitio, cum deficiat a processu veræ argumentationis (1a 2æ, q. 57, a. 6, ad. 3; 2a 2æ, q. 51, a. 4, ad 2; 4. *Metaphys.* l. 1). Demonstrativa autem est scientia, non tamen pertinens ad Logicam, sed ad alias particulares scientias, quæ sunt de rebus naturæ; et hoc ideo, quia usus Demonstrativæ consistit in utendo principiis rerum, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinent, non in utendo logicis intentionibus. Unde non est Demonstrativa una tantum scientia, sicut est Dialectica, sed multiplex, quia procedit ex principiis propriis, quæ diversificantur secundum diversitatem rerum scibilium. Et sic apparet, quod quædam partes Logicæ habent ipsam scientiam et doctrinam Et usum, sicut Dialectica et Sophistica; quædam autem doctrinam et non usum, sicut Demonstrativa. Unde manifestum est, quod scientiæ logicales plures sunt, non una; et sic patet ad objecta, quæ hoc probant, quæ tamen solvenda sunt, ut veritas magis pateat.

Ad primum ergo dicendum, quod operationes intellectus sunt materiale scientiarum logicalium; formale vero sunt intentiones rationis, quas intellectus considerando facit in ipsis, de illis constituendo tres arguendi modos inter se diversos. — 1. *Poster.* l. 1 et 20; 4. *Metaphys.* l. 1, *vers. fin.*; 1. *Ethic.* l. 1.

Ad secundum dicendum quod, cum logicus consideret res, secundum quod sunt in ratione atque adeo modum prædicandi, non autem rerum existentiam; e contra philosophus consideret res secundum, quod sunt entia atque adeo rerum existentiam, non prædicandi modum; diverso modo prædicamenta spectant ad logicum et ad philosophum; nam ad illum spectant, prout secundum acceptionem intellectus subsunt intentioni universalitatis, ad hunc vero secundum quod entia sunt. Unde Philosophus (7. *Metaphys.* text. 46, l. 6, c. 13) negat substantias secundas dici de subjecto, quod tamen affirmarat in prædicamento substantiæ. — 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42. c. 5.

Ad tertium patet ex dictis; hoc enim argumentum probat id, quod ostensum est, Dialecticam et Demonstrativam, secundum quod sunt docentes, esse scientias specie diversas. — ll. cit. in c.

Ad quartum dicendum, quod, vel loquimur de scientiis logicalibus separatim sumptis, vel simul; si *primum*, quælibet est scientia, nec successive generatur ex eo, quod subjectum non statim consequitur dispositionem firmam et difficile mobilem; et ex eo, quod incipit imperfecte esse in subjecto et paulatim perficitur. Si

secundum. Logica non simul, sed successive per plures et diversos actus generatur; præterquam quod sicut inventio et inquisitio ordinantur ad judicium et determinationem, ita et Dialectica ad Demonstrativam.— 1a 2æ. q. 54. a. 4. ad 1; et II. cit. in c.

Ad quintum dicendum, quod partes Logicæ generantur ex actibus procedentibus ex diversis mediis et principiis. Aliud enim est principium modi arguendi sophistice, quem demonstrative tradit Sophistica; aliud modus arguendi dialectice et demonstrative, quos demonstrative tradunt Dialectica et Demonstrativa. Procedit enim Sophistica ex his, quæ videntur vere et probabilia, et non sunt;] Dialectica vera ex probabilibus, Demonstrativa autem ex veris et per se notis et propriis scientiæ. (4. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 39, c. 3, *de fallac.*) Singulæ tamen illarum partium ex uno tantum actu generantur; nam cæteri actus consequentes non generant novam scientiam vel habitum, sed præcedentem perficiunt. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 1 et 3.

Ad sextum dicendum, quod contenta in Prædicamentis, lib. Periherm. et Poster. sub una formalitate considerata, nimirum secundum quod deserviunt ad demonstrative instituendum modum arguendi scientifice, spectant ad scientiam demonstrativam; sub alia vero, quatenus scilicet deserviunt ad instituendum modum arguendi sophistice vel probabiliter, pertinent ad scientiam sophisticam vel dialecticam; scientia enim sumit suam unitatem ab objecto formali, ut dictum est.— 4. *Metaphys.* l. 1; 1 *Periherm.* l. 1.

Ad septimum dicendum, quod ille, qui in una scientia logica acquirit per demonstrationem scientiam unius conclusionis, habet quidem habitum, sed imperfecte; cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam alterius conclusionis, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, utpote ad plura se extendens, eo quod conclusiones et demonstrationes unius scientiæ ordinatæ sunt et una derivatur ex alia. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 3.

Ad argumenta secundæ partis dicendum, quod sicut in operativis, quia inquirere et judicare licet conveniant in fine remoto, habent tamen diversos fines proximos, requirunt diversas virtutes, ita similiter in speculativis ob eamdem rationem requirunt diversas scientias. — 2a 2æ, q. 51, a. 2, ad 2 et 3.

ARTICULUS IV

UTRUM HÆC DOCTRINA SIT SCIENTIA PRACTICA VEL SPECULATIVA

Videtur quod hæc doctrina sit scientia practica.

1. Logica enim dicitur ars artium, eo quod nos dirigit in actu rationis, a quo omnes artes procedunt; sed ars, ut dicitur 6. *Ethic.* c. 3 et 4, est habitus practicus: ergo hæc doctrina est scientia practica. — *Poster.* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 1; 6. *Ethic.* l. 3.

2. Præterea, scientia speculativa, ut dicit Philosophus (1 *Metaphys.* c. 1), inventa est propter ipsum scire atque adeo sui gratia, cujus signum, inquit, est, quod acquisitis et repertis omnibus artibus, quæ possunt esse ad vitæ necessitatem vel delectationem vel introductionem aliarum, speculativæ non sunt propter hujusmodi repertæ, sed propter seipsas; sed Logica non est inventa propter scire et propter seipsam, sed propter alias scientias : ergo non est scientia speculativa. — 1. *Metaphys.* l. 1 et 3.

3. Præterea, scientia præter cognitionem habens aliquod opus pro fine est practica; hoc enim distinguitur scientia practica a speculativa, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 3 (l. 1, *min.* c. 1) ; sed Logica præter cognitionem habet aliquod opus pro fine, puta constructionem propositionum et syllogismorum : ergo Logica est scientia practica. — 2. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3; 2a 2æ, q. 47, a. 2, ad 3; 1a 2æ. q. 57, a. 5 ad 3.

4. Præterea, scientia speculativa est tantum triplex, Physica, Mathematica et Metaphysica, ut dicitur 6. *Metaphys. text.* 2 (l. 5, c. 1). Sed Logica nulla illarum est ut patet; ergo non est scientia speculativa, sed practica. — 6. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 2. *Metaphys. text.* 3, l. 1, *min.* c. 1) scientiam speculativam colligit ex fine, qui est cognitio veritatis; sed Logicæ finis est cognitio veritatum, modi scilicet arguendi probabiliter, sophistice et demonstrative, nam demonstrative tradit hos modos, ut dictum est: ergo.

2. Præterea, omnis scientia, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 3, l. 1, *min.* c. 3; 6. *Metaphys. text.* 1, et 2. l. 5, c. 1), vel est speculativa vel practica, sicut et omnis intellectus, ex eodem ibidem, et 3. *de Anima text.* 49 (c. 10), aut est practicus aut speculativus, quorum ille speculatur veritatem propter operationem, hic vero speculatur veritatem propter seipsam tantum (2. *Metaphys.* l. 2.; 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7.; 3. *de Anima* l. 13); sed Logica non est scientia practica; nam hæc secundum Philosophum (6. *Metaphys.* l. c.), dividitur in activam, cujus principium est in agente ipsa electio; idem enim est agibile et eligibile; et factivam, cujus principium est in faciente primo intellectus, qui primo artem invenit, secundo ars, quæ, est habitus intellectus, et tertio potentia aliqua exsequens, sicut potentia motiva, per quam artifex exsequitur conceptionem artis; neutra autem est Logica, ut dictum est; ergo Logica est scientia speculativa. — 6. *Metaphys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod hæc doctrina neque est scientia speculativa neque practica, sed introductoria et adminiculatoria utrique. Quod enim *non sit speculativa*, manifestum est *primo*, quia, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1), scientia speculativa non est inventa ad eruditionem seu ad introductionem scientiarum, sed propter se ipsam; Logica autem est inventa propter eruditionem et introductionem scientiarum (1. *Metaphys.* l. 1.; *Opusc.* 70. q. 5, a. 1. ad 2 et q. 6, a. 1. ad 3). *Secundo* quia scientiæ speculativæ sunt de rebus, quarum cognitio quæritur propter se, res autem, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias; unde dicit Boethius in Commentario super Porphyrium, quod Logica non tam est scientia, quam instrumentum scientiæ (2. *Metaphys.* l. 5.; 6. *Ethic.* l. 7). *Tertio* quia, cum Logica, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 15, l. 1. *min.* c. 3), doceat modum communem sciendi omnibus scientiis speculativis, necesse est eam esse priorem illis atque adeo sub Philosophia speculativa non contineri tanquam ejus partem; præterquam quod scientiæ speculativæ, quia ad nullum omnino opus ordinantur, simpliciter scientiæ dicuntur, non autem artes; at Logica dicitur ars (1a 2æ, q. 57, a. 3, c. et ad 3). Quod vero *non* sit scientia *practica*, evidentius constat, tum ex eo, quod scientia practica est ad perfectionem quantum ad effectum procedentem in opus, sicut speculativa est ad perfectionem quantum ad intellectum (1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 1, arg. 2). Manifestum autem est per doctrinam Logicæ perfici tantum intellectum, tum ex eo, quod illi desunt quatuor conditiones necessario requisitæ ad habitum vel scientiam practicam.

Requiritur enim *primo*, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 3; l. 1, *min.* c. 1), ut habeat pro fine opus, quod probatur, quia, sicut intellectus practicus idem est quod operativus, unde sola extensio ad opus facit intellectum practicum; ita idem dicendum de habitu et consequenter de scientia (2. *Metaphys.* l. 2; *de Verit.* q. 14, a. 4, c.). Sed Logica non habet opus proprie dictum, sed tantum habet aliquid per modum cujusdam operis, unde et ad habitum speculativum potius spectat, licet non sit scientia speculativa proprie dicta (1a 2æ, q. 57, a. 3, ad 3). *Secundo* ut tale opus sit alterius potentiæ ab intellectu; ut enim dicit Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1), scientiæ practicæ vel sunt activæ vel factivæ (6. *Metaphys.* l. 1); agere autem, licet sit operatio immanens sicut et intelligere, non est tamen operatio intellectus, sed ab illa differt, ut docet Philosophus ibidem, cum ait actionem, quæ est principium activarum, idem esse quod electionem, idemque esse agibile et eligible; electio autem actus voluntatis est, ut dicit Philosophus (3. et 6. *Ethic.* c. 2; 2. *Phys. text.* 49, c. 5; — *Ethic.* l. 3; 6. *Ethic.* l. 2; 1. *Ethic.* l. 3; præterea *Tabula Aurea*, v. *Intellectus* n. 277, 281, 282, 283.) Idem confirmat negans

cognitionem esse actionem, et 1. *Ethic.* c. 3, finem scientiæ moralis dicit actionem, non autem cognitionem; certum autem est. Logicam non nisi circa operationes intellectus versari. *Tertio* ut tale opus sit exterius vel interius voluntatis procedens ad effectum externum (1a 2æ, q. 57, a. 1, c. et ad 1,: quod manifestum est tum ex Philosopho l. c. distinguente actionem a cognitione ex eo, quod practicum vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non dicit ordinem habitus speculativus (1a 2æ, q. 57, a. 3, ad 3). *Postremo* requiritur, ut scientia vel habitus practicus sit immediate regulativus illius operis; cujus ratio est, quia non quælibet relatio ad opus facit intellectum et consequenter habitum et scientiam practicam. Nam aliqua speculatio potest esse alicui occasio remota aliquid operandi, sicut philosophus speculatur, animam esse immortalem, et inde sicut a causa remota sumit occasionem aliquid operandi, sed oportet intellectum et habitum practicum esse proximam regulam operis, utpote quo consideratur ipsum operabile et rationes operandi et causæ operis. Constat autem, quod Logica non versatur nec proxime regulat ullum opus externum vel internum procedens ad effectum externum, cum tota sit posita in directione actuum solius rationis, ut dictum est, illosque considerat quantum ad speciem suam seu quatenus referuntur ad res, circa quas versantur, scilicet objectum, enuntiabilia, præmissas, conclusiones et similia, non autem quantum ad exercitium seu quatenus referuntur ad hominem, qui speculari debet, et sunt voluntarii, quo tantummodo subjacent consilio et prudentiæ.—2a 2æ, q. 47, a. 2, ad 2; *Cajetanus, ibid.*

Quare superest, ut Logica sit *scientia introductoria* et adminiculatoria scientiis omnibus tam practicis quam speculativis, ut sentit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1), ut dictum est, et 1. *Top.* c. 1, ubi dicit tria esse problemata, alia propter electionem et fugam, alia propter scientiam, alia neutro modo per se, sed propter adminiculantia utrique; et subdit rationem, quia ipsa quidem per se non volumus cognoscere, sed aliorum gratia, ut per illa aliud quidpiam cognoscamus. Præterea confirmatur, quia cum doceat, ut dictum est modum communem sciendi omnibus scientiis speculativis et practicis, non debet contineri tanquam pars sub scientia, secundum quod dividitur in speculativam et practicam, sed secundum quod dividitur in rationalem, naturalem et moralem, vel certe in rationalem et realem (*supra* a. 2, c. et ad 1 ;1. *Ethic.* l. 1 ; 1. *Poster.* l. 1. ; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1. c. ; 4. *Metaphys.* l. 1). Verum est tamen, quod, quia Logica versatur circa opus interius intellectus et demonstrative tradit ea, de quibus agit, eaque non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsa, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias; — ideo potest dici habitus speculativus potius quam practicus, vel ars speculativa et sub Philosophia speculativa contineri, non quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, syllogismos scilicet et definitiones et alia hujusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus. — 1a 2æ, q. 57, a. 3, ad 3. ; 4. *Metaphys.* l. 1. ; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 2. ; 2a 2æ, q. 47, a. 2 ; ad 3 et q. 51, a. 2, ad 3 et q. 53, a. 4. c.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cujusdam operis, puta constructio syllogismorum, aut orationis congruæ, aut opus numerandi vel mensurandi; et ideo quicumque ad hujusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quamdam similitudinem artes, scilicet liberales, ad differentiam illarum artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quodammodo serviles, in quantum corpus serviliter subditur animæ, et homo secundum animam est liber; illæ vero scientiæ, quæ ad nullum hujusmodi opus ordinantur, simpliciter scientiæ dicuntur, non autem artes.—1a 2æ, q. 57, a. 3, c. et ad 3 ; 2a 2æ, q. 47, a. 2, ad 3 ; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod Logica est sub Philosophia speculativa reductive; nam est habitus potius speculativus quam practicus, ut dictum est — ll. cit. in fin. c.

Ad tertium dicendum, quod constructio

syllogismi non est proprie opus, quale est illud, quod spectat ad habitum practicum. — II. cit. in c. ad 1.

Ad quartum dicendum, quod Logica non est proprie scientia speculativa, sed tantum reductive, unde et vocatur ars. — 1a 2æ, q. 57, a. 3, ad 3.; II. cit. in c. et ad 1.

Ad primum secundæ partis jam dictum est.

Ad secundum dicendum, quod scientia, secundum quod dividitur a Philosopho in speculativam et practicam, est realis, non rationalis, cujusmodi est Logica, atque adeo cujus subjectum est ens naturæ, non autem ens rationis, quod est subjectum Logicæ. — II. cit. in fin. c.

ARTICULUS V

UTRUM HÆC DOCTRINA SIT SIMPLICITER NECESSARIA OMNIBUS SCIENTIIS

Videtur quod hæc doctrina non sit simpliciter necessaria omnibus scientiis.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 1 ; l. 4, c. 1), quod in doctrinis inchoandum est, unde quis facilius discat; sed Dialectica est difficillima, cum sit de secundis intentionibus; ergo illa non est primo loco addiscenda et consequenter nec necessaria ad omnes scientias. — 5. *Metaphys.* l. 1. ; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, ad 3.

2. Præterea, si Logica est necessaria omnibus scientiis, maxime quia docet definire, dividere et argumentari; sed hæc omnia docet quælibet scientia in propria materia; tradit enim physicus proprias definitiones, similiter et mathematicus et metaphysicus ; ergo non est simpliciter necessaria omnibus scientiis. — 1. *Poster.* l. 1. ; 2. *Metaphys.* l. 5. ; 6. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, si Logica est necessaria omnibus scientiis; ergo et sibi ; nam, ut dictum est, et ipsa est scientia; sed non est necessaria sibi, alioquin daretur processus in infinitum et esset Logica ante Logicam ; ergo idem quod prius. — II. cit. supra a. 2.

4. Præterea, habitus naturales non sunt simpliciter necessarii, ad actus; sed hæc doctrina est quidam habitus; nam per illam quis, dum actu non considerat, potest considerare, quod est signum habitus, ut dicit Philosophus 3. *Ethic.* c. 5. et 2. *de Anima. text.* 5, c. 1) : ergo hæc doctrina non est necessaria ad actus logicos, et proinde multo minus ad actus et habitus omnium aliarum scientiarum — 3. *Sent.* dist. 23. q. 1, a. 1, c.; 4. *Sent.* dist. 1. q. 1, a. 1 c. ; 1a, q. 83, a. 2, c. ; 1a 2æ, q. 49, a. 1 et 2, c. ; 1. *Ethic.* l. 12. ; 2. *de Anima.* l. 1. ; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2. a. 4, ad 4.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1) dicit, aliquas scientias esse inventas ad introductionem scientiarum easque necessarias esse ad eruditionem ; at hæ nullæ aliæ sunt quam scientiæ logicales: ergo sunt simpliciter necessariæ ad alias scientias; et 2. *Metaphys. text.* 15, l. 1. *min.* c. 3 dicit absurdum esse simul quærere scientiam et modum sciendi; per modum autem sciendi intelligitur Logica, ut dictum est : ergo Logica est simpliciter necessaria omnibus scientiis ; verbum enim «absurdum» non quamcumque necessitatem, sed impossibilitatem comparandi quamcumque aliam scientiam ostendit et necessitatem absolutam.— 1. *Metaphys.* l. 2 et 3; 2. *Metaphys.* l. 5.

RESPONDEO DICENDUM, quod hæc doctrina est simpliciter necessaria omnibus scientiis. —Cujus ratio duplex afferri potest, *prior* est ex actu proprio scientiæ. Proprius enim actus scientiæ est cognoscere conclusiones, resolvendo eas ad principia per se nota, sicut qualitas habilitans hominem ad hunc actum est habitus scientiæ; at sola scientia demonstrativa, quæ est pars Logicæ, docet modum resolvendi conclusiones in sua principia; unde et dicitur analytica, idest resolutiva (3. *Sent.* dist. 31. q. 2. a. 4. c.; 1. *Poster.* l. 1). *Posterior* est ex modo sciendi et inquirendi veritatem ; non enim potest haberi certa et evidens cognitio veritatis rei atque adeo scientia, nisi sciamus modum definiendi, dividendi et demonstrandi, per quem habetur talis cognitio et scientia ; unde et Philosophus (1. *Poster.* c. 1) ostendit necessitatem demonstrativi syllogismi, cujus scientia est Logica, ex suo fine, qui est scientia, et (2. *Metaphys. text.* 15, l. 1. *min.* c. 1.) dicit absurdum esse simul quærere modum sciendi

et scientiam ; nam ille in communi necessario debet antecedere scientias in communi, sicut et particularis modus sciendi debet antecedere quamcumque scientiam in particulari; at sola Logica est illa, quæ docet modum sciendi. —2. *Metaphys.* l. 5; 1. *Poster.* l. 1 ; 4. *Metaphys.* l. 1 ; *Opusc.* 70. q. 5. a. 1. ad 2.

Hinc enim est, quod plures philosophi Logicæ ignari in multos errores inciderunt; nam Pythagorici, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys. text.* 8; c. 6), ob ignorantiam Dialecticæ posuerunt unum et numerum præter res sensibiles, et alii ob eamdem rationem ex eodem (4. *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3), tractarunt de principiis demonstrationis volentes ea demonstrare(1. *Metaphys.* l. 10; 4. *Metaphys.* l. 5). Unde merito congruus ordo scientias addicendi a philosophis est constitutus, ut primo pueri logicalibus instruantur, quia Logica docet modum totius Philosophiæ; secundo in mathematicis, quæ nec experientia indigent nec imaginationem transcendunt; tertio in naturalibus, quæ, etsi non excedunt sensum et imaginationem, requirunt tamen experientiam; quarto in moralibus, quæ requirunt experientiam et animum a passionibus liberum; quinto in sapientialibus et divinis, quæ transcendunt imaginationem et requirunt validum intellectum. Manifestum ergo est, quod Logica est simpliciter necessaria omnibus scientiis. — *Opusc.* 70, q. 6, a. 1 ad 3, et q. 3, a. 1, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod in addiscendo incipimus ab eo, quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat; quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo, quod est facilius, sed ab eo, a cujus cognitione cognitio sequentium dependet, ut contingit in proposito; oportet enim in addiscendo incipere a Logica, non quia ipsa sit facilior cæteris scientiis; habet enim maximam difficultatem, cum sit de secundo intellectis, sed quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi omnibus scientiis ; oportet, enim scire primo modum scientiæ, deinde ipsam scientiam, ut dictum est ex Philosopho loc. cit.

Ad secundum dicendum, quod Logica docet modum communem definiendi, dividendi et demonstrandi omnibus scientiis. In singulis autem scientiis traditur modus particularis definiendi, ut docet Philosophus (6. *Metaphys* text. 2; l. 5, c. 1), qui tamen in se involvit communem modum, quem demonstrative docet Logica, sicut universale necessario involvitur in particulari. Vel dic, quod Logica demonstrative docet modum definiendi et demonstrandi, sed cæteræ scientiæ utuntur talibus modis, applicando illos ad proprias materias, ex qua applicatione etiam ipsi modi diversificantur.—2. *Metaphys.* l. 5; 6. *Metaphys.* l. 5, ; 4. *Metaphys.* l. 1, vers. fin.

Ad tertium dicendum quod, quia tam modus sciendi, quem tradit Logica, quam res omnes, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed propter scientias, ideo Logica non est proprie sibi necessaria, sed aliis scientiis; quia vero ipsa etiam est scientia, ut dictum est, ad illam sufficit lumen naturale intellectus, quo et cognoscit terminos principiorum, ex quibus deducit conclusiones de modo sciendi, quem demonstrative tradit, et quo per reflexionem cognoscit, utrum modus sciendi, quo ipsa utitur ad definiendum et demonstrandum, conveniat cum eodem modo, quem demonstrative docet.

Hoc enim est proprium partis intellectivæ, ut in se ipsam reflectatur; nam intellectus intelligit se ipsum; unde similiter de suo actu ratiocinari potest atque ita cognoscere, utrum, verbi gratia actus, quo demonstrat aliquam passionem de demonstratione, sit talis, qualem requirit natura ipsius demonstrationis, de qua talem passionem demonstrat; hoc autem ipsum longe facilius facit intellectus per habitum Logicæ, quæ actus rationis dirigit, ut dictum est.—2. *Metaphys.* l. 5; 4. *Metaphys.* l. 1 ; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 2 et 3 ; 1. *Poster.* l, 1.

Ad quartum dicendum, quod habitus naturaliter acquisiti non sunt quidem simpliciter necessarii ad proprios actus circa propriam materiam, aliqui tamen sunt simpliciter necessarii ad actus aliorum habitum, ut in proposito habitus Logicæ necessario requiritur ad scientiam actualem vel habitualem rerum. Cujus ratio

est, quia, ut dictum est ex Philosopho, nemo potest scire, nisi sciat modum sciendi; scire autem talem modum formaliter tantum possumus per habitum Logicæ; nam hoc scire involvit cognitionem plurium conclusionum logicarum, quæ non possunt simul esse in intellectu, et tamen simul esse debent vel actualiter vel virtualiter per habitum; quia ille scit aliquam conclusionem, qui potest illam resolvere in sua principia tam ex parte materiæ quam ex parte formæ, et ideo debet habere in se aliquam qualitatem vel principium, per quod possit hoc facere; hoc autem effici non potest per actuales cognitiones conclusionum logicarum quoad utrumque, nam tales cognitiones præterierunt; quare necessario debet id fieri per habitum ab illis cognitionibus actualibus in intellectu relictum, quem dicimus habitum Logicæ — ll. cit. in arg. et ad. 3 ; 3. *Sent.* dist. 31, q. 2, a. 4, c.

ARTICULUS VI

UTRUM ENS RATIONIS SIT SUBJECTUM HUJUS DOCTRINÆ

Videtur quod subjectum hujus doctrinæ non sit ens rationis.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 4 ; l. 3, c. 2), quod Dialectica de iis est, de quibus Philosophia; sed hæc ex eodem ibidem versatur cira ens reale in communi tanquam circa subjectum ; ergo et Dialectica et consequenter ejus subjectum non erit ens rationis. — 4. *Metaphys.* l. 2 ; al. 1.

2. Præterea, per subjectum distinguitur scientia ab aliis scientiis et habitibus; sed per ens rationis non distinguitur Logica ab aliis habitibus: nam circa illud versantur Grammatica, Rhetorica et aliæ : ergo ens rationis non est subjectum Logicæ. — 1. *Sent. Prolog*, q. 1, a. 4, c.; 1a 2æ, q. 57, a. 2, ad. 2

3. Præterea, objectum est prius actu, et actus potentia, ut dicit Philosophus (2, *de Anima text.* 33, c. 3), et consequenter etiam habitu, et scientia; comparatur enim actualis, cognitio ad scientiam sicut actus ad potentiam; sed ens rationis non est prius actu intellectus, sed quid posterius, cum illum consequatur ; ergo ens rationis non est subjectum vel objectum Logicæ. — 2. *de Anima.* l. 1 et 6; 4. *Metaphys.* l. 9, vers. fin. ; *Opusc.* 42, c. 4, ; *de Pot.* q. 7, a. 6, c.

4. Præterea, omnis intellectus, cui non respondet aliquid in re, est cassus et vanus, sed intellectui intelligentis ens rationis nihil respondet in re ; ergo est cassus et vanus ; sed cognitio, quæ habetur per habitum Logicæ, non est vana et cassa cum sit necessaria, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1), ad eruditionem et introductionem scientiarum : ergo illi respondet aliquid reale, non rationis, et consequenter ejus subjectum non est ens rationis. — *de Pot.* q. 7, a. 6, arg. 4, et q. 1, a. 1.,arg. 10, et ad 10.

5. Præterea, scientia est de objecto reali, ut enim dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 38, c. 8), scientiæ secantur sicut res; sed ens rationis non est objectum reale ut patet ; ergo non potest esse objectum Logicæ. — 3. *de Anima*, l. 13.

6. Præterea, omnis scientia debet intitulari et denominari a suo subjecto; sed hæc doctrina dicitur scientia rationalis : ergo quia ejus materia et subjectum est actus rationis, non autem ens rationis. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 4, arg. 1, ; 1. *Poster.* l. 1 ; *Periherm.* l. 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (4. *Metaphys. text.* 5 ; l. 3, c. 2) docet, quod circa ens in communi versantur Metaphysica, Dialectica et Sophistica, quod ideo verum est, quia Metaphysica versatur circa ens reale, tanquam circa proprium subjectum; Dialectica vero et Sophistica, quæ sunt partes Logicæ, ut dictum est, circa ens rationis, quod æquiparatur a Philosopho enti reali, quia nihil est in rerum natura, circa quod ratio non negotiatur — 4. *Metaphys.* l. 1 ; *Opusc.* 42, c. 4.

2, Præterea Philosophus (11. *Metaphys. text.* 7 ; l. 10, c. 3) dicit, quod solus metaphysicus versatur circa accidentia entis ut ens est; quia dialecticus et sophista versantur quidem circa accidentia entis, sed non ut entia sunt ; nam versantur circa intentiones, quæ accidunt entibus realibus. — 11. *Metaphys* l. 3 ; *de Pot.* q. 7, a. 6, c. et ad 4.

3. Præterea, objectum medicinæ est

santias, quia nihil considerat nisi in ordine ad illam; et quia illa est forma, quam inducit in corpus humanum, sicut similiter objectum artis statuariæ est forma statuæ, quam in ejus materiam inducit : ergo similiter objectum Logicæ, quæ est ars directiva operationum intellectus, erit forma directionis, quam inducit in operationes intellectus; sed illa directio fit per entia rationis, per respectus scilicet tum partium tum principiorum ad invicem et ad conclusiones, qui non possunt esse reales, cum tantum consequantur operationes intellectus : ergo — 2a 2æ, q. 1, a. 1, c.; 1. *Ethic.* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod subjectum hujus doctrinæ est ens rationis, secundum quod est modus arguendi probabiliter, apparenter et demonstrative.— Ad cujus evidentiam considerandum est, quod ens est duplex, naturæ et rationis; ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut sunt intentio generis, speciei et similium, quæ non inveniuntur in rerum natura, sed consequuntur considerationem rationis, et hujusmodi ens rationis est proprie subjectum Logicæ (1. *Poster.* l. 19. ; 4. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 42, c. 4 et 9 ; *de Pot.* q. 7, a. 6, c. ; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 2 et 3). Quod manifestum esse potest *primo* ex ratione subjecti. Subjectum enim habet ad scientiam ad minus tres comparationes; prima est, quod quæcumque sunt in scientia, debent contineri sub subjecto; secunda est, quod subjecti cognitio principaliter attenditur in scientia; tertia est, quod per subjectum distinguitur scientia ab omnibus aliis scientiis; has autem comparationes habet ens rationis ut est modus sciendi ad Logicam. Nam secundum quod est docens atque adeo scientia, est de secundis intentionibus demonstrative modos instituens per illas arguendi probabiliter, apparenter et demonstrative, a quorum postremo quippe communi omnibus scientiis ipsa dicitur a Philosopho modus sciendi, et per illum distinguitur ab aliis scientiis, ut dictum est. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 4, c.

Secundo ex modis ipsis sciendi, quos Logica demonstrative probat, puta definitione et demonstratione. Dupliciter enim potest definitio considerari secundum *Avicennam*: vel secundum id, quod significatur per definitionem, vel secundum intentionem definitionis. Et priori quidem modo idem est definitio, quod definitum; nec quæ ponuntur in definitione, sunt partes rei significatæ per definitionem, sicut nec definiti; non enim homo dicitur ex animali et rationali, sed esse animal rationale; posteriori vero modo definitio non est definitum, sed est ductivum in cognitionem illius; et sic etiam definitio est composita ex pluribus intentionibus, quarum nulla prædicatur de ipsa, nec e converso, quia intentio generis non est intentio definitionis, hoc autem non est nisi secundum intellectum, qui adinvenit has intentiones. Cum ergo ad logicum spectet tractare de definitione, ut est instrumentum sciendi ductivum in cognitionem rerum, definitio, secundum quod ad Logicam spectat, non nisi ut ens rationis ad illam spectabit; idemque dicendum est de demonstratione, cum eadem sit utriusque ratio (*Opusc.* 30, c. 1; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2). — *Tertio* ex ratione, secundum quam prædicamenta spectant ad logicum. Cum enim eadem etiam a metaphysico considerentur, sub alia ratione spectare debent ad logicum atque ad metaphysicum ; ad hunc autem spectant, secundum quod sunt entia naturæ, ut patet ex Philosopho (4. *Metaphys. text.* 5 ; l. 3, c. 2; 7. *Metaphys. text.* 46 ; l. 6, c. 13 ; 2. *Metaphys.* text. 7 ; l. 1, *min.* c. 2); considerat enim philosophus naturas rerum, ut res sunt. Ad illum vero secundum quod subsunt intentionibus rationis; considerat enim logicus res, ut sunt in ratione, quod manifeste patet ex diversis et contrariis prædicatis, quæ substantiæ prædicamentali ab utroque tribuuntur, quæ evidenter supponunt, ad logicum prædicamenta spectare, non nisi, ut substant intentionibus rationis, atque adeo ut sunt entia rationis; ad philosophum vero ut sunt entia realia. (4. *Metaphys.* l. 4 ; 7. *Metaphys.* l. 13 et 17. ; 2. *Metaphys.* l. 3 ; *Opusc.* 42, c, 9.) Secundæ namque substantiæ, quæ est primum prædicamentum, tribuit Philosophus, metaphysici personam agens (7. *Metaphys.*

text. 46. ; l. 6, c. 13), non dici de subjecto; in Antepræd icamentis vero cap. 2, et in prædicamento substantiæ, ubi logicum agit, eidem tribuit oppositum, puta dici de subjecto; dici autem de de subjecto, quod est prædicari de inferiori sub se contento convenit tantum substantiæ, ut subest intentioni universalitatis, ut constat ex Philosopho in Metaphys. l. c., ubi cum dixisset, quod substantia dicitur, quæ de non subjecto, statim subdit, universale vero dicitur de subjecto, quod addidit, ut ostenderet substantiam absolute sumptam et secundum quod est ens naturæ, quomodo pertinet ad considerationem metaphysici, non dici de subjecto, ut sic enim idem est, quod substantia prima, quæ neque in subjecto est neque de subjecto dicitur; apud metaphysicum enim, qui rerum naturas et existentiam considerat, idem est esse in subjecto et dici de subjecto, secus vero apud logicum, qui modos prædicandi et res considerat, prout sunt in intellectu; esse vero universalem seu intentionem universalitatis esse rationem, cur substantiæ conveniat dici de subjecto, quomodo spectat ad logicum; prædicabile enim est passio universalis, ut ait Philosophus in Prædicamentis cap. de substantia. — 4. *Metaphys.* l. 1 ; 7. *Metaphys.* l. 13 ; *Opusc.* 42, c. 9.

Quod ratione confirmari etiam potest; nam quod substantia de subjecto dicatur habet in quantum per actum rationis induit naturam accidentis, quatenus scilicet illi tribuit intellectus intentionem rationis, quæ est accidens quoddam rationis; quod enim ratio nostra facit circa substantiam, accidens est, et non substantia. Unde Philosophus in Prædic. cap. de substantia dicit, secundas substantias per quamdam nominis similitudinem hoc aliquid significare, quod est proprium primæ substantiæ, sed secundum rei veritatem magis significare quale quid, in quantum per actum rationis transeunt in similitudinem accidentis, non amittendo substantiam propriam in rerum natura, sed accipiendo rationem uniformitatis seu intentionem rationis, quæ est quædam qualitas rationis, per quam substantia fit universalis et consequenter prædicabilis de multis, ad quæ dicit uniformitatem. Præterea, substantia secunda metaphysice considerata multiplicatur ad multiplicationem subjectorum illam participantium; metaphysice enim tres homines sunt etiam tres substantiæ, logice vero considerata non multiplicatur ad multiplicationem subjectorum, sed est quid unum commune multis, plures enim homines sunt unus homo; at multiplicari ad multiplicationem subjectorum convenit substantiæ, secundum quod est ens naturæ; id enim est realiter identificari cum entibus naturæ, quæ sunt plura; non multiplicari vero, sed esse quid unum multa respiciens, convenit eidem tantum ratione intentionis rationis; nam convenit illi ratione uniformitatis ad multa, quam accipit ab anima mediante intentione rationis. Demum genus substantiæ logice consideratum, est genus univocum ad substantias materiales et immateriales, sed non est univocum univocatione naturæ rei, quam considerat metaphysicus. Quia cum in substantia non sit accipere aliquam unitatem ex parte ipsius rei, sicut est in gradu viventis et sentientis, quia non est aliqua ejus definitio, quæ illam unitatem ostendat, (nam esse per se, cum in omnibus substantiis reperiatur, est definitio competens substantiæ, secundum quod dividitur contra accidens, non autem ut est primum genus substantiæ), in illa remanet sola unitas, quam facit intellectus mediante intentione rationis; nam ejus actio non fundatur super aliquam rem quocumque modo unam, sed super naturas penitus diversas, quæ tamen ratione intentionis rationis sunt una substantia : ergo erit univocum univocatione rationis seu per intellectum, secundum intentionem rationis; ergo Logica considerat substantiam, ut subest enti rationis. Unde manifestum est, quod subjectum Logicæ est ens rationis, cum eadem sit ratio partis et totius Logicæ.

Ad primum ergo dicendum, quod subjectum Logicæ ideo a Philosopho æquiparatur subjecto Philosophiæ, quod est ens naturæ seu reale, quia se extendit ad omnia, de quibus ens naturæ prædicatur. Est enim ens rationis, quod consequitur considerationem rationis, sub quam omnia entia naturæ cadunt; nihil enim est in rerum natura, circa quod ratio non negotie-

tur. — 4. *Metaph.* l. 1, ; 1 *Poster.* l. 19; *Opusc.* 42. c. 4.

Ad secundum dicendum, quod entia rationis spectant ad Logicam, quatenus de illis demonstrative instituit modum arguendi scientifice, topice et sophistice, seu gignendi scientiam, opinionem et errorem; ad Rhetoricam vero, prout de illis instituit modum gignendi suspicionem, sicut ad Poeticam, prout ex illis per modum repraesentationis instruitur modus gignendi existimationem, et ad Grammaticam, prout ex illis gignitur modus efficiendi orationem congruam. — 1. *Poster.* l. 1; 4. *Metaphys.* l. 4; 1a 2æ, q. 57, a. 3, ad 3; *Opusc.*, 70 q. 5, a. 1 ad 3.

Ad tertium dicendum, quod licet ens rationis logicum sit quid consequens operationem intellectus, consideratur enim in Logica constructio syllogismi per modum cujusdam operis, est tamen aliquo modo prius et intellectu et operatione ipsius. Nam objectum potentiæ activæ, cujusmodi est intellectus respectu syllogismi constructi atque adeo respectu entis rationis, secundum quod ad Logicam spectat, comparatur ad ipsius operationem sicut finis, et hoc modo est prius illa; est tamen posterius in ratione effectus et operati, secundum quam rationem distinguitur ab objecto reali, respectu cujus, quia intellectus habet rationem potentiæ passivæ, ideo objectum est prius illo in genere causæ efficientis. — 1a 2æ, q, 57, a. 3, ad *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3; 2. *de* 3; *Anima*, l. 6.

Ad quartum dicendum, quod considerationi logicæ respondet aliqua res, si non immediate, saltem mediate, et hoc sufficit ad hoc, ut consideratio logica non sit vana et cassa. Dupliciter enim respondet intellectui aliquid in re. Uno modo immediate, quando scilicet intellectus concipit formam rei alicujus extra animam existentis, ut hominis vel lapidis. Alio modo mediate, quando aliquid sequitur actum intelligendi, et intellectus reflectens supra ipsum considerat illud. Unde res aliqua respondet illi considerationi intellectus mediate. idest mediante intelligentia rei; v. g., intellectus intelligit naturam animalis in homine, equo et aliis speciebus, et ex hoc sequitur, quod eam intelligit, ut genus. Huic intellectioni, qua intellectus intelligit genus, non respondet res aliqua extra immediate, quæ sit genus, sed intellectioni, ex qua consequitur ista intentio, respondet aliqua res; et similiter est de aliis entibus rationis logicis. — *de Pot.* q. 1, a. 1, ad 10 et q. 7, a. 4, c. et ad 4.

Ad quintum dicendum, quod res realis est objectum scientiæ, ut distinguitur in practicam et speculativam, seu in naturalem et moralem; secus vero, si sumatur ut dividitur in moralem, naturalem et rationalem, cujusmodi est Logica, ut dictum est. Sensus autem Philosophi est, quod sensus et scientia dividuntur in actum et potentiam, sicut et res, ita ut sensus et scientia respiciant sensibile et scibile in potentia, sensus autem et scientia in actu referantur ad sensibilia et scibilia in actu. — *v. supra* a. 1, c.; 3. *de Anima* l. 13.

Ad sextum dicendum, quod operationes intellectus dupliciter possunt considerari, vel secundum ordinem, quem habent ex propria natura ad objectum et potentiam, et hoc modo cum considerentur secundum quod sunt entia naturæ, non spectant ad logicum, sed ad philosophum naturalem; vel secundum ordinem, quem intellectus considerando facit in illis, et hoc modo spectant ad logicum; hac enim ratione considerantur, secundum quod substant entibus rationis. Vel dic, quod, cum Logica, ut dictum est, sit ars artium, sicut in cæteris artibus, licet actio artificis, quæ per artem dirigitur, sit materia directionis artis; objectum tamen artis non est talis actio, sed opus, quod ars considerat, efficit et constituit, ut est respectu artis textilis tela, et statua respectu statuariæ, cum tamen earum materia sit lana et æs, ut docet Philosophus (6. *Ethic.*), ita in Logica operatio intellectus est materia directionis, at subjectum illius est modus sciendi communis omnibus scientiis; hic enim est, quem Logica considerat, instituit et demonstrative probat, ut dictum est, et ab utroque potest denominari scientia rationalis, et quod versetur circa actus rationis, tanquam circa propriam materiam directionis, et quod sit de intentionibus rationis, tanquam proprio objecto, quod

considerat et construit per modum cujusdam operis. — 1. *Ethic.* l. 1 ; 6. *Ethic.* l. 3 ; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3 ; 1a 2æ, q. 57, a 3, ad 3.

QUÆSTIO II

DE UNIVERSALIBUS IN COMMUNI

Quoniam principalis intentio hujus doctrinæ est dirigere omnes tres operationes intellectus ; ad hujus doctrinæ expositionem intendentes, prædictarum operationum ordinem sequemur. Quare *primo* tractabimus de his, quæ pertinent ad directionem primæ, quæ a Philosopho determinantur in libris Prædicamentorum ; *secundo*, de his, quæ ad directionem secundæ, quæ determinantur in libris Perihermeniæs ; *tertio*, de his quæ ad directionem tertiæ, quæ determinantur in libris Priorum et in consequentibus, in quibus agitur de syllogismo simpliciter et de diversis syllogismorum et argumentationum speciebus, quibus ratio de uno procedit in aliud.

Consideratio autem de his, quæ pertinent ad directionem primæ operationis bipartita erit ; *primo* namque agemus de universalibus ; *secundo* de prædicamentis, nam hæc, ut considerantur a logico, nihil aliud sunt quam ordinatio universalium seu prædicabilium in ordine prædicamentali. — Circa universalia vero *primo* considerandum est de illis in communi, *secundo* de iisdem in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR SEPTEM.

1. Utrum universalia sint naturæ reales secundum se sumptæ, an vero naturæ reales, ut sunt in intellectu, seu naturæ intellectæ.
2. Utrum universalia sint tantum in intellectu, an etiam a parte rei.
3. Utrum universalia, secundum quod sunt a parte rei, sint realiter in singularibus, an vero sint realiter separata ab illis.
4. Utrum universale recte definiatur a Philosopho, quod sit unum in multis.
5. Utrum universale fiat per notitiam abstractivam, an vero per comparativam.
6. Utrum universalia sint tantum quinque.
7. Utrum ratio universalis dicatur univoce, an vero analogice de quinque universalibus.

ARTICULUS I

UTRUM UNIVERSALIA SINT NATURÆ REALES SECUNDUM SE SUMPTÆ, AN VERO NATURÆ REALES UT SUNT IN INTELLECTU SEU NATURÆ INTELLECTÆ.

Videtur quod universalia sint naturæ reales secundum se sumptæ, non autem naturæ intellectæ, seu ut sunt in intellectu.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster.* c. 16) quod universale est unum præter multa, quod in illis omnibus unum inest et idem ; sed natura realis secundum se sumpta est una, et eadem inest omnibus singularibus : ergo natura secundum se est universalis. — 2. *Poster.* l. 20.

2. Præterea, illud est universale, quod potest prædicari de multis ; prædicabilitas enim ponitur (1. *Periherm.* c. 5, 7) in definitione universalis ; sed posse prædicari de multis convenit naturæ secundum se, non naturæ intellectæ ; prædicatur enim quod inest, non inest autem singularibus natura, ut in intellectu existens seu natura intellecta, sed natura secundum se : ergo huic convenit esse universalem. — 1. *Periherm.* l. 10 ; *Opusc.* 30, c. 2 ; *Opusc.* 42 : c. 9..

3. Præterea, res dividuntur in universales et singulares (1. *Periherm.* c. 5), sed non dividuntur res ut sunt in intellectu, sed secundum se sumptæ ; sunt enim differentiæ rerum abstrahentium ab omni intellectu : ergo esse universale competit naturæ secundum se, non naturæ intellectæ vel ut in intellectu. — 1. *Periherm.* l. 10 ; 4. *c. Gent.* c. 11 ; *de Pot.* q. 9, a. 4, c. ; *de Verit.* q. 3 et 4, a. 2, v. c. ; 1a, q. 85, a. 2.

4. Præterea, omnis scientia est de universalibus, ut dicitur (1. *Poster. text.* 21 c. 42 ; c. 9, 33. ; et 6. *Ethic.* c. 6) ; sed scientiæ sunt de naturis realibus secundum se, non de naturis, ut sunt in intellectu : ergo universalia sunt naturæ reales secundum se sumptæ. — 1. *Poster.* l. 10 et 42 ; 6. *Ethic.* l. 5 ; 3. *de Anima* l. 8 ; 4. *c. Gent.* c. 11.

Sed contra est, quod Philosophus in divisione, quam affert 1. *Periherm.* c. 5 rerum in universales et singulares, illas dividit, secundum quod significantur per

nomina, sed nomina non significant res nisi mediantibus conceptibus : ergo divisio illa non est de naturis rerum secundum se sumptis, sed ut mediantibus conceptibus sunt in intellectu, seu quatenus sunt intellectæ. — 1. *Periherm.* l. 10; *Opusc.* 9, q. 1; 3. *Metaphys.* l. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod natura universalis tripliciter considerari potest, primo absolute et secundum se, seu ut abstrahit ab esse in intellectu et in singularibus; secundo, prout est in singularibus seu secundum esse, quod habet in illis; tertio ut est in intellectu, seu secundum esse, quod habet in illo. Universale neque est natura absolute et secundum se considerata, neque est natura ut est in singularibus, seu secundum esse, quod habet in illis, sed est natura prout est in intellectu seu natura intellecta. — Quod enim natura universalis seu natura, cui tribuitur immediate ab intellectu universalitas, non sit natura secundum se et absolute considerata, multipliciter probatur, et *primo*, quia quidquid convenit naturæ reali secundum se, atque adeo homini, ut homo est, convenit omnibus individuis illius, atque adeo Petro, et Paulo; sed esse universale, puta speciem, non convenit individuis hominis; falsum enim est, quod Petrus sit species; ergo esse speciem vel universale, non convenit naturæ secundum se et absolute sumptæ. *Secundo* quia naturæ secundum se atque adeo homini, ut homo est, tantum conveniunt prædicata essentialia; sed esse universale, puta esse speciem vel genus, non est prædicatum essentiale, ut per se manifestum est; ergo natura universalis non est natura secundum se, ut abstrahit ab esse in intellectu et esse a parte rei in singularibus. *Tertio* quia de ratione universalis est unitas et communitas, neutrum autem convenit homini, in quantum homo est, seu naturæ humanæ secundum se sumptæ. Nam si utrumque esset de intellectu hominis vel naturæ humanæ secundum se sumptæ, in quocumque inveniretur natura humana, inveniretur unitas et communitas universalis; invenitur autem natura humana in Petro et in singulis individuis, in quibus nec invenitur unitas, quia natura humana in Petro et Paulo non est una, sed plures, et in singulis est una numero; nec invenitur communitas, quia quidquid est in Petro et in singulis individuis, est individuatum; ergo esse universale non competit naturæ secundum se et absolute consideratæ. — *de Pot.* q. 5, a. 9, ad 16; *Quodl.* 8, a. 1, c.; 2. *de Anima* l. 12; *Opusc.* 30, c. 2; *Opusc.* 42, c. 7 et 9; *Opusc.* 55 et 56; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c. et alibi.

Quod vero neque id competat naturæ consideratæ, secundum quod habet esse in singularibus, longe manifestius est, et patet ex dictis, quia ratio universalis exigit, ut sit unum quid in multis; at natura universalis in singularibus non habet unum esse, sed multiplex : ergo naturæ, ut est in illis, non competit esse universalem, restat ergo ut id competat naturæ, ut habet esse in intellectu seu naturæ intellectæ. — Quod præter inductionem factam confirmari potest *primo*, quia ratio universalis convenit naturæ, ut habet esse abstractum ab omnibus conditionibus individuantibus, sed hoc habet natura ut est in intellectu seu ut est intellecta; in illo enim habet rationem uniformem ad omnia singularia, tanquam similitudo quædam æqualiter inducens in omnium singularium cognitionem, quam non haberet, nisi haberet esse abstractum a conditionibus individuantibus. *Secundo*, quia de ratione universalis est unitas et comunitas, natura enim universalis debet esset una et communis, est autem hujusmodi natura, ut est in intellectu; est enim una, quia est una similitudo repræsentans omnia individua, in quantum conveniunt, et ejus ratio æqualiter et uniformiter convenit omnibus individuis; est etiam communis, quia talis similitudo æqualiter ducit in cognitionem omnium individuorum, puta Petri, Pauli et reliquorum, in quantum homines sunt; ergo dicendum est, quod natura, cui immediate tribuitur ab intellectu universalitas, non est natura secundum se considerata, neque natura ut est in singularibus, sed est natura, ut est in intellectu seu natura intellecta. — *Opusc.* 30, 42, 55, 56; 1. *Periherm.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod natura secundum se neque est una neque plures,

cum illi tantum conveniant prædicata essentialia, inter quæ non est unitas vel pluralitas, ut dictum est. Vel dic, quod natura secundum se sumpta habet unitatem essentiæ ex unitate definitionis et nominis derivatam, unitas vero numerica, generica vel specifica consequuntur essentiam naturæ secundum duplex esse, quod habet, unum in rebus, alterum in intellectu; numericam quidem secundum esse, quod habet in rebus, in quibus est numero multiplicata juxta numerum rerum, genericam vero vel specificam secundum esse, quod habet in intellectu (*Opusc.* 30. c. 2; *Opusc.* 42. c. 7 et 15). — Vel dic, naturæ, ut est in intellectu, convenire, quod sit unum præter multa et unum et idem in multis; est enim quid unum præter multa secundum considerationem intellectus, qui informatus specie intelligibili repræsentante rem materialem sine conditionibus individuantibus format quamdam intentionem ducentem in cognitionem plurium similium in tali natura; est vero unum et idem in multis secundum rationem scilicet speciei vel generis. Nam ut est in intellectu mediante intentione, dicit uniformem rationem ad plura, et ut est in singularibus extra animam, est aliquid respondens illi, sicut significatum signo. — 2. *Poster.* l. 20; 2. *de Anima.* l. 12; 1. *Sent.* dist. 2. q. 1. a. 3 « *Quantum ad primum* »; 1. c. *Gent.* c. 53; *Opusc.* 42. c. 9.)

Ad secundum dicendum, quod, licet natura animalis absolute sumpta sit prædicabilis et conveniat illi prædicari, non tamen id illi convenit ut prædicatum essentiale, sed accidentale; id enim, quod est genus, est animal, licet ratio, per quam illi utrumque convenit, sit esse abstractum a conditionibus individuantibus, quod habet, ut est in intellectu mediante conceptu.

Et ideo non sequitur, quod animal, sit universale, puta genus, in quantum absolute accipitur, et non in quantum est in anima; nam esse prædicabile per se convenit animali, ut est in intellectu, per accidens vero eidem absolute sumpto; tribuitur enim ab intellectu essentiæ rei secundum se sumptæ intentio universalitatis et prædicabilitatis, ut tamen habet esse in anima. Unde sicut esse in anima vel esse in singularibus accidit essentiæ vel naturæ rei secundum se sumptæ, ita et accidit universalitas et prædicabilitas.—*Opusc.* 30. c. 2; *Opusc.* 42. c. 7; 2. *de Anima* l., 12; 1. *Periherm.* l. 2.

Ad tertium dicendum, quod divisio rerum in universales et singulares non cadit supra res, ut sunt extra animam, sed ut sunt in anima mediantibus conceptibus immediate significatis per nomina, quorum conceptuum quia unus significat unum alius plura, ideo res dicitur dividi in universalem et singularem. — 1. *Periherm.* 2 et 10.

Ad quartum dicendum, quod scientia est de rebus intellectis et de rebus simpliciter seu de rebus, ut sunt in intellectu et secundum se sumptis; nam per res, ut sunt in intellectu, venimus in cognitionem rerum secundum se; et quia hæ sunt fines illarum, ideo scientiæ dicuntur simpliciter esse de rebus. — *de Verit.* q. 3 et 4, a. 2, c.; *de Pot.* q. 5, ad 16; 4. c. *Gent.* c. 11; 1 a. q. 85, a. 2, c.; *Quodl.* 8, a. 1, c.

ARTICULUS II

UTRUM UNIVERSALIA SINT TANTUM IN INTELLECTU, AN ETIAM A PARTE REI.

Videtur quod universalia sint tantum in intellectu.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster.* c. 15; 19), quod omne universale habet esse quiescens in anima; sed quod est tale, non habet esse extra animam in rebus; ergo universale tantum est in intellectu. — 2. *Poster.* l. 20.

2. Præterea, dicit Philosophus, quod universale est commune multis et unum in illis; sed nulla natura datur a parte rei, quæ sit communis et una in multis, quia quidquid est in re, est singulare, uni soli communicabile: ergo universale est tantum in intellectu. — *Opusc.* 42. c. 5; 2. *Poster.*, l. 20; 7. *Metaphys.* l. 14; 10. *Metaphys.* l. 30; 1. *Periherm.* l. 10.

3. Præterea natura est eatenus universalis, quatenus est similitudo formata ab intellectu inducens illum in cognitionem individuorum, quorum est similitudo; est enim singularis respectu intellectus, quatenus est una numero forma recepta in intellectu; sicut si esset una statua, quæ repræsentaret plures homines, illa haberet

esse proprium et singulare, quatenus esset in tali materia; esset autem universalis, secundum quod esset commune repræsentativum plurium; sed nulla natura substantialis est a parte rei, quæ sit communis multis, et eadem sit subiective in intellectu : ergo natura universalis est tantum in intellectu. — 2. *Sent* dist. 3, q. 1, a. 2, ad 3; 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 3, ad 3; *Opusc.* 30, c. 2.

4. Præterea, universale est natura abstracta a conditionibus et principiis individuantibus; sed nulla natura existit a parte rei abstracta a conditionibus individuantibus, sed hoc tantum convenit illi, ut est in intellectu : ergo universale non est a parte rei, sed tantum in intellectu. — *Opusc.* 42, c. 5; 1a, q. 8, a. 2, ad 2, et a. 3, ad 1 et alibi.

5. Præterea, si universale est a parte rei v. g. species hominis, vel talis species est humanitas Petri, vel humanitas Pauli, vel utraque; sed nullum horum dici potest, nam quælibet humanitas est una numero et ambæ sunt duæ numero : ergo universale est tantum in intellectu. — 1. *Periherm.* l., 10; 1a, q. 85, a. 2, ad, 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Periherm.* c. 5; 7) dividit res in singulares et universales ergo universale non tantum est in intellectu, sed etiam a parte rei. — 1. *Periherm.*l. 10.

2. Præterea, de homine secundu mquod est universale, prædicatur, quod sit dignissima creaturarum; sed esse dignissimam creaturarum convenit homini secundum quod est in singularibus et a parte rei, nam quilibet homo singularis est dignior omnibus creaturis irrationalibus : ergo universale est a parte rei — (l. c.).

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 33; c. 3), quod objectum præcedit actum; sed objectum intellectus est universale, ut dicitur 1. *Phys. text.* 49; c. 5 : ergo universale est a parte rei præcedens actum intellectus et ita non est tantum in intellectu.— 2. *de Anima* l. 6; 1. *Phys.* l. 9.

4. Præterea, objectum sensus est natura existens extra animam, ut dicit Philophus (2. *de Anima text.* 59 et 60; c. 5); sed sensus non solum percipit singulare, sed etiam universale, ut docet Philosophus (2 *Poster.* c. 15; 19) : ergo universale est etiam a parte rei. — 2. *de Anima*, 12; 2. *Poster.* l. 20; 1a 2æ. q. 29, a. 6, c.; 1a, q. 80, a. 2, ad 2.

5. Præterea, fundamentum similitudinis inter duo est unitas, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15), sed datur a parte rei hæc similitudo : ergo dabitur hæc unitas, sed hæc non est numerica, nam duo alba non sunt unum numero album : ergo est specifica et universalis, et per consequens universale est a parte rei. — 3. *Metaphys.* l. 10 (al. 12); 2. *Poster.* l. 20.

RESPONDEO DICENDUM, quod universale dupliciter potest accipi. Uno modo pro natura v. g. animalis prout subiacet intentioni universalitatis. Alio modo pro natura animalis secundum se, sicut et album potest accipi dupliciter, vel id, cui accidit esse album, vel ipsummet secundum quod subest albedini. *Si priori modo* accipiatur universale, non significat substantiam, sed qualitatem; significat enim uniformitatem, per quam natura formaliter fit universalis per actum rationis,quæ uniformitas non est nisi accidens; quia nostra ratio circa substantias nihil potest facere nisi accidens, et propter hanc uniformitatem rationis inventam in intentione, quæ fit ab intellectu per remotionem a conditionibus individuantibus et omni diversitate, est unum in multis non multiplicatum ad multiplicationem illorum, et existens in plus et communius, quam subjectum, de quo prædicatur. Et e contra multa sunt tale unum puta plures homines unus homo, et plura animalia unum animal, et per consequens universale sic sumptum non est a parte rei, ut dixerunt Platonici, qui posuerunt animal et hominem in sua universalitate esse substantias, quod Aristoteles (7. *Metaphys.*) reprobat, ostendens, quod animal commune non est aliqua substantia in rerum natura, sed tantum in intellectu, a quo hanc communitatem et universalitatem habet, quatenus unam formam accipit in multis communem abstrahendo illam ab omnibus conditionibus individuantibus, si sit forma specifica, vel a differentiis, si sit generica, seu hanc sine illis et illam sine suis principiis individuantibus intelligendo ut patet; in simili in sensu. Visus

enim videt colorem pomi sine odore ipsius; quod si quæratur, ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est, quod color, qui videtur, non est nisi in pomo, sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter et humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas, quæ intelligitur, apprehendatur sine conditionibus individuantibus, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei et non individualium principiorum. — 2. *de Anima* l. 12; *Opusc.* 42, c. 9 et 5; 7. *Metaphys.* l. 13; 1a. q. 85, a. 1, ad 3).

Si vero accipiatur universale *posteriori modo*, tripliciter potest considerari talis natura; *primo* abstrahendo ab omni esse, sive in intellectu sive a parte rei in singularibus, et hoc modo non competit naturæ, nisi id quod illi convenit secundum quod ipsum. Nam homini, in quantum homo est, tantum convenit esse animal et rationale, non autem vel esse album, vel esse in intellectu, vel esse in hoc vel illo singulari, vel in anima; nam ut homo est, abstrahit a quolibet esse, ita tamen, quod non fiat præcisio alicujus eorum, et consequenter nec erit natura sic sumpta una vel plures, sed abstrahet ab utroque; unde non erit universale formaliter et actu, sed tantum fundamentaliter et potentialiter proxime, quatenus unitas universalis, quam facit intellectus, fundatur immediate et proxime in unitate reali naturæ sic sumptæ. — *Secundo* potest considerari natura secundum esse materiale, secundum quod est in singularibus, et naturæ sic sumptæ non advenit intentio universalitatis, quia ut sic per materiam individuatur, et consequenter non est actu universalis, sed tantum fundamentaliter et potentialiter remote, quatenus illa eadem natura, quæ est in singularibus conjuncta cum principiis individuantibus, fit universalis ab intellectu eam abstrahente ab illis, eique sic abstractæ tribuente intentionem universalitatis (2. *de Anima* l. 12; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 3, q. 2, ad 1; *Opusc.* 55). — *Tertio* potest considerari natura secundum esse immateriale, secundum quod est in intellectu, et naturæ sic sumptæ advenit universalitas, unde ipsa est formaliter et actualiter universalis, nam illi advenit universalitas, secundum quod est ab intellectu abstracta et considerata sine conditionibus individuantibus. Cum autem in natura universali formaliter sint duo, natura rei et abstractio, et per consequens universalitas, quæ abstractionem sequitur, ipsa natura, cui universalitas accidit, non est nisi in singularibus, sed hoc, quod est intelligi et abstrahi a conditionibus individuantibus et ipsa intentio universalitatis, sunt in intellectu; unde relinquitur, quod universalia formaliter non sunt in rerum natura, sed tantum in anima seu in consideratione intellectus abstrahentis communia a propriis. Universalia vero materialiter sumpta seu ipsæ naturæ, quibus accidit intentio universalitatis, sunt in rerum natura, licet non sint eo modo, cum quo debent esse ad hoc, ut illis ab intellectu attribuatur intentio universalitatis; hæc enim accidit naturæ, quæ est a parte rei in singularibus, non tamen prout est in illis, sed prout est per intellectum a conditionibus individuantibus abstracta, seu quatenus est in intellectu, non autem quatenus est in rebus numero multiplicata; propter hoc enim nomina significantia naturas ipsas prædicantur de individuis, non autem nomina significantia intentiones; Petrus enim est homo, sed non est species, quamvis homo sit species. — 2. *de Anima* l. 12; 1a, q. 85, a. 2, ad 2 et a. 3, ad 4; *Opusc.* 30 et 42.

Ad primum dicendum, quod argumentum procedit de universali formaliter, et idem dicendum ad *secundum, tertium* et *quartum*.

Ad quintum dicendum, quod, cum universale fiat non solum per abstractionem a pluribus individuis, sed etiam ab uno, (ut patet manifeste in natura solis et lunæ, quæ fiunt universales per hoc, quod intelliguntur sine principiis individuantibus,) si loquimur de universali, sub quo continentur plura individua vel species, ut humanitas vel animalitas, dici potest *primo* quod humanitas, quæ est in quolibet, est universalis (1 *Periherm.* l. 10; 1a. q. 85,

a. 2, ad 2; 3. *de Anima* l. 8). Nam si per impossibile unus homo tantum viveret, adhuc natura unius hominis posset fieri universalis ex eo, quod per intellectum consideraretur sine conditionibus individuantibus; hanc autem potentiam non amisit per hoc, quod sunt plures homines in mundo; neque tamen inde sequitur, quod sint plures universalitates universales. Nam humanitas, quæ est in Petro, est universalis, secundum quod ab intellectu apprehenditur et abstrahitur a conditionibus individuantibus, ut dictum est, in qua cum non differat humanitas Petri et humanitas Pauli, non sunt nisi una humanitas universalis, sicut et omnes homines sunt unus homo, et tamen quilibet est homo. — Unde *secundo* dici potest, quod non solum singulæ humanitates, sed etiam omnes humanitates sunt una humanitas universalis, et quod omnes homines sunt unus homo; nam in natura abstracta ab omni diversitate et divisione materiali seu ab omnibus conditionibus et principiis individuantibus una humanitas non differt ab alia, et consequenter nec unus homo ab alio. — Si vero loquamur de universali, sub quo unum tantum individuum continetur, tunc natura illius potest fieri universalis per abstractionem a principiis materialibus et individualibus, ut dictum est. — 1. *Periherm.* l. 10; 1a, q. 85, a. 2, ad 2; 3. *de Anima* l. 8; *Quæst. disp., de Anima* a. 2, ad 5. — *Opusc.* 30, c. 2. *Opusc.* 42, c. 5 et 7.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod Philosophus dividit res, secundum quod referuntur ad intellectum mediantibus conceptibus, non autem ut sunt a parte rei (V. art. præc.).

Ad secundum dicendum, quod de universali aliquid enuntiatur quatuor modis, nam universale potest *uno modo* considerari quasi separatum a singularibus, sive per se subsistens, ut Plato posuit, sive secundum sententiam Philosophi secundum esse, quod habet in intellectu; et sic potest aliquid illi tribui dupliciter: *quandoque* enim tribuitur ei aliquid sic considerato, quod pertinet ad solam operationem intellectus, ut si dicatur, quod homo est prædicabile de multis sive universale sive species. huiusmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intellectæ, secundum quod comparat ipsam ad res ipsas, quæ sunt extra animam. *Quandoque* vero attribuit id, quod non pertinet ad actum intellectus sed ad esse, quod habet natura apprehensa in rebus, quæ sunt extra animam, ut cum dicitur, quod homo est dignissima creaturarum; hoc enim convenit naturæ humanæ, etiam secundum quod est in singularibus. Nam quilibet homo singularis dignior est omnibus creaturis irrationalibus, sed tamen omnes homines singulares non sunt unus homo extra animam, sed solum in acceptione intellectus, et per hunc modum ei attribuitur prædicatum, ut uni rei. — *Alio* autem *modo* attribuitur aliquid universali, prout est in singularibus, et hoc etiam dupliciter: *quandoque* quidem ratione ipsius naturæ universalis, ut cum tribuitur ei aliquid, quod ad essentiam ejus pertinet, vel quod consequitur principia essentialia, ut cum dicitur homo est animal, vel homo est risibilis; *quandoque* autem tribuitur ei aliquid ratione singularis, in quo invenitur, ut cum dicitur: homo ambulat. Neque hoc mirum est, quia etiam singulari tripliciter potest aliquid tribui: uno modo secundum quod in apprehensionem cadit, ut cum dicitur: Socrates est singulare, vel prædicabilis de uno solo; quandoque autem ratione naturæ communis, ut cum dicitur: Socrates est animal; quandoque autem ratione sui ipsius, ut cum dicitur: Socrates ambulat — 1. *Periherm.* l. 10.

Ad tertium dicendum, quod objectum intellectus est universale, non quidem formale et actuale, sed materiale et potentiale, puta natura, cui ab intellectu tribuitur intentio universalitatis seu quidditas rei a rebus ipsis sensibilibus secundum rationem separata. (3. *de Anima* l. 7 et 8) Objectum enim intellectus nostri non est aliquid extra res sensibiles realiter existens, ut Platonici ponebant, sed est aliquid in illis existens, licet intellectus alio modo quidditates rerum apprehendat, quam sint in rebus sensibilibus, quod potest fieri sine ulla falsitate (2. *de Anima* l. 12; 1a, q. 85, a. 1, ad 1 et q. 84, a. 1, c.; 1. *Metaphys.* l. 10). Nihil enim prohibet duorum ad invicem conjunctorum unum

intelligi absque eo, quod intelligatur aliud, sicut visus apprehendit colorem absque hoc, quod apprehendat odorem, licet non absque eo, quod apprehendat magnitudinem, quæ est proprium subjectum coloris. Unde et intellectus potest aliquam formam intelligere absque individualibus principiis, non tamen absque materia; ratio autem hujus est, quia non oportet, quod aliquid eumdem modum essendi habeat in rebus, per quem modum est in intellectu scientis. Nam intellectus immaterialiter cognoscit materialia, et naturas singulares cognoscit universaliter absque consideratione principiorum individualium.—3. *Metaphys.* l. 9.

Ad quartum dicendum, quod de universali dupliciter loqui possumus, uno modo secundum quod subest intentioni universalitatis; alio modo de natura, cui talis intentio tribuitur. Si sumatur universale *priori* modo, nulla potentia sensitivæ partis potest in universale ferri, quia universale fit per abstractionem a materia individuali, in qua radicatur omnis virtus sensitiva. Si vero sumatur *posteriori* modo, tripliciter potest dici potentia sensitiva ferri in universale : *primo* quia potentia sensitiva, tam apprehensiva quam appetitiva potest ferri in aliquid universaliter; sic enim dicitur, quod objectum visus est color secundum genus, non quia visus cognoscat colorem universalem, sed quia quod color sit cognoscibilis a visu, non convenit illi in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter. Similiter et appetitus sensitivus potest per odium ferri in aliquid universale, quia ex natura communi aliquid adversatur animali, et non solum ex eo, quod est particulare, sicut lupus ovi. *Secundo* quatenus apprehendit aliquid, cui per abstractionem accidit universalitas. *Tertio* quatenus cognoscit individua universalium, ut hunc hominem, hoc animal, et non tantum Calliam, ut Callias est, ut docet Philosophus (2. *Poster.* c. 19), ex quibus deinde singularibus eliciuntur prima universalia, quæ propterea dicuntur per viam inductionis fieri a sensu in anima.— 1a 2æ, q. 29, a. 6, c. et ad 1; 2. *Poster.* l. 20.

Ad quintum dicendum, quod relatio similitudinis inter duo alba, sicut et æqualitatis vel inæqualitatis inter magnum et parvum, dicitur fundari in unitate, quia aliquid, puta quantitas vel qualitas est in utroque extremorum; in illis quidem actualiter multiplicata, sed potentialiter et fundamentaliter una, et formaliter talis tantum per intellectum, ut dictum est. (1a, q. 13, a. 7, c.; 2. *Poster.* l. 26). — Vel dic, quod relatio similitudinis, sicut et identitatis generis vel specificæ, fundatur in conformitate unius ad plura, quæ conformitas est in pluribus, sed in uno tanquam in subjecto, in pluribus vero tanquam in terminis; et est relatio secundum dici, quæ est proximum fundamentum relationis secundum esse. — *Opusc.* 48, tr. 1, c. 4.

ARTICULUS III

UTRUM UNIVERSALE, SECUNDUM QUOD EST A PARTE REI, SIT REALITER IN SINGULARIBUS, AN VERO REALITER SEPARATUM AB ILLIS.

Videtur quod universale sit realiter separatum a singularibus.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster.* c. 19), quod universale est unum præter multa; sed quod est tale, non est realiter in multis; ergo universale non est realiter in singularibus, sed est separatum ab illis. — 2. *Poster.* l. 20.

2. Præterea, singularia sunt infinita; sed infinita non possunt cognosci, nisi reducantur ad aliquod unum, quod est universale; ergo scientia de singularibus non habetur, nisi in quantum sciuntur universalia ; sed scientia non est nisi verorum et existentium; ergo universalia sunt aliqua per se existentia præter singularia. — 3. *Metaphys.* l. 9.

3. Præterea, si universalia non sunt realiter aliquid præter singularia, sicut hæc sunt sensibilia et non intelligibilia, ita et universalia essent sensibilia et non intelligibilia; sed hoc est falsum, nam de illis est scientia, quæ est de intelligibilibus : ergo universalia sunt entia realiter separata a singularibus. — 3. *Metaphys.* l. 9.

4. Præterea, omnia sensibilia corrumpuntur et sunt in motu, sed universalia sunt incorruptibilia et immobilia; ergo universalia non sunt realiter ipsa singularia. — Sed dices, quod universalia sunt incorruptibilia, quatenus sunt abstracta per

intellectum a conditionibus individuantibus. — 3. *Metaphys.* l. 9.

3. Contra, abstractio formæ a materia non aufert a re singularitatem ; nam etiam in mathematicis, quæ sunt abstracta, est considerare particulares lineas ; sed intellectus noster intelligit universales per abstractionem a materia singulari : ergo universale erit conjunctum cum singularitate et consequenter erit corruptibile ; at hoc est falsum ; sunt enim universalia perpetua et incorruptibilia : ergo universalia sunt separata a singularibus. — *de Verit.* q. 2. a. 6. arg. 1 et q. 1. a. 1. arg. 3 et ad 3.

6. Præterea, quando aliquid unum prædicatur de multis, non secundum prius et posterius, est secundum rem separatum ab illis ; nam illud est primum, quod omnia participant, nihil autem participat se ipsum ; sed universalia specifica præsertim non prædicantur de multis secundum prius et posterius : ergo sunt separata ab illis. — 1. *Metaphys.* l. 10 ; 3. *Metaphys.* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (1. 3. et 7. *Metaphys* contra Platonem fuse probat, impossibile esse, universalia esse realiter separata a singularibus.

RESPONDEO DICENDUM, quod universalia non sunt realiter separata a singularibus, ut voluit Plato, sed tantum secundum rationem abstrahentem communia a propriis ; cujus veritatis manifestatio ex tribus apparere potest. — 1. *Metaphys.* l. 10. (al. 17 ; 3. *Metaphys.* l. 9 ; 7. *Metaphys.* l. 14.

Et *primo* quidem ex eo, quod ad nullum eorum, propter quæ ponuntur universalia sic separata sunt necessaria. — Non enim *primo* propter scientiam, quæ ab illis causatur ; tum quia cognitio uniuscujusque perficitur per cognitionem suæ substantiæ et non per cognitionem substantiæ separatæ (1. *Metaphys.* l. 10. (al. 17.) ; tum quia inde sequerentur multa inconvenientia, ut quod non addiscenda essent rerum principia, quæ tamen addiscimus. Nam nullus addiscit, quæ præcognoscit ; hæc autem universalia separata, si sunt causæ scientiæ, debent habere scientias rerum omnium, cum sint rationes omnium scibilium. Deinde quod scientia esset nobis connaturalis, ita ut ejus oblivisci non possemus ; nam per hujusmodi universalia, ut dicunt Platonici, hæc sensibilia naturam propriam adipiscuntur, et tamen secundum illos anima ex unione ad corpus obliviscitur scientiæ, quam naturaliter habet de omnibus. Præterea quod per hujusmodi universalia, non haberetur perfecta scientia rerum ; nam per illa non cognoscuntur principia materialia, sed tantum formalia ; nam ipsa secundum illos sunt formæ rerum. Postremo quod aliquis non habens aliquem sensum haberet scientiam de objecto illius, ut cæcus de colore ; nam scientia causata ab hujusmodi universalibus non est cum dependentia a sensu. — Neque *secundo* conferunt ad hoc, ut sint exemplaria sensibilium ; nam primo exemplar est, ad quod respiciens artifex facit aliquid illi simile, sed agens naturale, cum operatur, non respicit ullum exemplar, alioqui sequeretur, quod nihil produceretur simile agenti proximo, sed tantum remoto, quod tamen est falsum. (1. *Metaphys.* l. 9 (al. 15). Deinde sicut se habet species ad individuum, ita se habet genus ad speciem, quare si species est exemplar individuorum, et genus erit specierum, et consequenter species esset exemplar et exemplata, quod videtur inconveniens. — Neque *tertio* conferunt rebus sensibilibus, sicut earum substantiæ et quod quid ; tum quia impossibile est separari substantiam ab eo, cujus est ; nam cujuslibet rei substantia est in eo, cujus est substantia, at universalia separantur a singularibus, (7. *Metaphys.* l. 5), — tum quia sequeretur, quod de rebus sensibilibus, quarum quodquid est separatum ab illis, neque scientia esset, quia scientia cujusque rei in eo consistit, quod sciatur « quodquid erat esse » illius ; quare si hoc non inest illi, res illa non scietur, neque illæ essent entia, quia nihil est ens, bonum et animal, cui non inest hoc, quod est ens, bonum et animal ; ergo si quod quid est entis, boni et animalis, est separatum a re, quæ est ens, bonum et animal, illa res non erit ens, sicut nec bona nec animal, si illa v. g. sit Socrates vel Plato. — Neque *postremo* conferunt, ad illorum fieri et esse tanquam causæ essendi et fiendi. Primo quia posita causa ponitur effectus ; sed existentibus speciebus non propter hoc fiunt

individua participantia species, nisi sit aliquod motivum, quod moveat ad speciem; quod ex hoc patet, quia species semper eodem modo sunt secundum Platonem; unde si illis positis essent vel fierent individua participantia ipsas, sequeretur quod semper essent hujusmodi individua, quod patet esse falsum. Deinde quia sicut se habent artificialia ad causas artificiales ita naturalia ad naturales; sed artificialia non fiunt ab illis substantiis separatis, sed tantum a suis causis proximis; ergo et similiter naturalia tantum fient a causis suis proximis et non ab ullis separatis.

Secundo probatur ex impossibilitate positionis; nam primo universale est quid commune multis et unum in multis, ut dicitur (2. *Poster. text.* 27, c. 19. et 7. *Metaphys. text.* 58 l. 6, c. 16); sed ex eodem Philosopho ibidem in Metaph. id, quod est realiter separatum a multis, non potest esse commune et unum in illis, ut patet; nam hæc duo opponuntur, esse aliquid in aliquo et esse realiter separatum ab illo; ergo universalia non sunt realiter separata a singularibus. (2 *Poster.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 14; Deinde ut argumentatur Philosophus (7 *Metaphys. text.* 51; l. 6, c. 16) : si ponuntur universalia separata realiter a singularibus, ut species hominis, vel leonis, constat, quod est unum genus in prædictis speciebus; vel ergo animal existens in homine et leone est unum et idem numero, vel alterum est in homine, alterum in leone, et sic de cæteris speciebus. Si dicatur primum,— quod necessario dici debet, quia sicut species prædicatur secundum unam rationem de individuis et propter hoc datur aliquis homo communis separatus ab individuis, ita, cum et genus prædicetur univoce de speciebus, necesse est ipsum esse aliquid subsistens separatum a speciebus; — sequuntur duo inconvenientia, unum est, quod, cum animal seu genus sit in specie sicut substantiam significans, sic erit animal in equo sicut Petrus in se ipso, qui est substantia sui ipsius; sic autem est possibile aliquod unum esse in pluribus non separatim existentibus. — Non enim Petrus est nisi in se ipso; est enim in pluribus non separatim existentibus, sicut in carnibus et ossibus, quæ sunt partes Petri; quare et animal non erit unum et idem in pluribus speciebus, cum hæ sint separatæ et divisæ inter se. — Alterum est, quod cum species constet ex genere et differentia, aut hoc est per hoc, quod genus participet differentiam, sicut subjectum participat accidens, et si hoc dicatur, sequitur unum impossibile, quod nimirum, cum genus, quod prædicatur de diversis speciebus, ponatur esse una substantia, contraria simul insint ipsi animali, quod in se est unum et hoc ens demonstrabile; differentiæ enim, quibus dividitur genus, sunt contrariæ; aut non fit species ex genere et differentia per modum participationis, et tunc non est assignare alium modum possibilem et convenientem. Nam cæteri modi, puta per modum compositionis, sicut domus ex lapidibus, vel per copulationem, ut arca ex lignis conclavatis, vel per mixtionem, ut electuarium ex speciebus alteratis sunt omnino inconvenientes; nam tunc non possent genus et differentia prædicari de specie, sicut non possunt partes compositæ vel copulatæ vel mixtæ prædicari de suis totis. — Si vero dicatur, quod non est unum animal in omnibus speciebus, sequuntur alia inconvenientia, nimirum, quod infinita sint, quorum substantia est animal; est enim genus substantia specierum, quæ sunt fere infinitæ, inconveniens autem est, quod unum cadat in substantiam infinitorum. Præterea quod substantia animalis sit multa, quia animal, quod est in unaquaque specie, est substantias peciei, de qua prædicatur; non enim prædicatur de specie, sicut de quodam a se diverso in substantia, hoc autem inconveniens est. Nam, cum animal sit genus atque adeo quid commune, non potest esse multa, id enim est contra rationem communis; nam commune est, quod est unum in multis.

Tertio probatur ex falsitate fundamenti, quo nititur positio Platonis. Ideo enim posuit universalia esse substantias realiter separatas a singularibus, quia cum existimaret, omnem cognitionem per modum cujusdam similitudinis esse, credidit, quod forma cogniti ex necessitate sit in reipsa cognita eo modo, quo est in cognoscente; consideravit autem, quod forma rei intellectæ est in intellectu universaliter, imma-

terialiter et immobiliter, quod ex ipsa operatione intellectus apparet, qui intelligit universaliter et per modum cujusdam necessitatis; modus enim actionis est secundum modum formæ agentis; et ideo existimavit, quod oporteret res intellectas hoc modo in se ipsis subsistere, scilicet immaterialiter, immobiliter et universaliter. Hoc autem necessarium non est, quia etiam in ipsis sensibilibus videmus, quod forma alio modo est in uno sensibilium, quam in altero, puta cum in uno est albedo intensior, in altero remissior, et cum in uno est albedo cum dulcedine, in alio sine dulcedine; et per hunc etiam modum forma sensibilis alio modo est in re, quæ est extra animam, et alio modo in sensu, qui suscipit formas sensibilium absque materia, sicut colorem auri sine auro. Et similiter intellectus species corporum, quæ sunt materiales et mobiles recipit immaterialiter et immobiliter, secundum modum suum; nam receptum est in recipiente per modum recipientis; et ideo licet intellectus intelligat res per hoc, quod est similis eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, diverso tamen modo species illa est intellectu atque in re ipsa intellecta; quod necesse est dicere, eo quod natura intellectus et potentiæ cognoscitivæ est alia a natura rei intellectæ et cognitæ. Unde, licet id in re esse oporteat, quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo, et per consequens, quamvis intelligat universalia præter particularia, non tamen oportet, quod universalia sint præter particularia. Et sic relinquitur, quod universalia non sint separata realiter a singularibus, sed sola ratione apprehendente naturam, quæ est in singularibus sine conditionibus individuantibus, cum quibus est a parte rei conjuncta. — 1a, q. 84, a. 1, c.; *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 6; 1a, q. 85, a. 2, ad 2; *Opusc.* 42, c. 5; 1. *Metaphys.* l. 10; 3. *Metaphys.* l. 7 et 9.

Ad primum ergo dicendum, quod universale dicitur a Philosopho unum præter multa, non quidem secundum esse, sed secundum considerationem intellectus, qui considerat naturam aliquam, puta hominis, non respiciendo ad Socratem vel Platonem. — 2. *Poster.* l. 20.

Ad secundum dicendum, quod scientia non est nisi verorum et existentium; non tamen oportet, quod universalia realiter existant præter singularia; non enim oportet, quod eumdem modum essendi habeant res in seipsis, quem habent in consideratione scientis; quæ enim in se ipsis materialia sunt, cognoscit immaterialiter, et similiter naturas rerum, quæ singulariter in rebus existunt, cognoscit universaliter, idest absque consideratione principiorum individualium. — 3. *Metaphys.* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod de sensibilibus est scientia; hæc enim fiunt actu intelligibilia per hoc, quod abstrahuntur a conditionibus materialibus per intellectum agentem. — 1a, q. 79, a. 3, c. et a. 4, c. et ad 4.

Ad quartum dicendum, quod universale in rebus existens simpliciter dicitur corrumpi in hoc et in illo; secundum se vero dicitur incorruptible, non quia habeat aliquam formam incorruptiblem, sed quia ratione abstractionis a conditionibus materialibus et individuantibus, non conveniunt ei secundum se dispositiones materiales, quæ sunt causa corruptionis in individuis. — *de Verit.* q. 1, a. 5, ad 14.

Ad quintum dicendum, quod intellectus abstrahendo formam à conditionibus et principiis individualibus, licet non tollat singularitatem secundum rem, tollit tamen secundum considerationem, quia intellectus intelligit rem, quæ est in singularibus, non tamen prout est singularis. Nam, ut dictum est, secundum alium modum res est a parte rei et in intellectu; nam hic est intelligibiliter, universaliter et abstracte, ibi vero singulariter et concrete. — *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 6; *de Verit.* q. 2, a. 6, ad 1; *Opusc.* 42, c. 9.

Ad sextum dicendum, quod cum universalia prædicantur de inferioribus, ut genera de speciebus et species de individuis, quia ratione uniformitatis communiter se habent ad omnia sub se contenta, prædicantur de illis univoce. Non enim alia est ratio animalis, quando prædicatur de homine, et alia quando de equo, sed una et eadem est, sicut et nomen est idem; non tamen hæc inferiora eo modo dicuntur participantia universalia, quomodo volebat Plato, ita ut homo

separatus misceatur huic homini singulari, qui componitur ex materia et natura speciei, quam participat, sicut si esse quoddam album separatum et permisceretur albo, quod est in subjecto. Nam sic sequeretur, quod accidentia et formæ possent esse sine substantiis, quod est falsum; universalia namque cum in rebus sint singulariter, non distinguuntur realiter ab illis, sed tantum ratione considerante naturam, quæ est singulariter in rebus, universaliter; et sic quando prædicantur de inferioribus, non prædicantur de illis per participationem, sed per essentiam; homo enim est animal essentialiter, non solum aliquid animalis participans. — 1. *Metaphys.* l. 15, (al. 9); 3. *Metaphys.* l. 3; 7. *Metaphys.* l. 3.

ARTICULUS IV

UTRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO UNIVERSALE : QUOD SIT UNUM IN MULTIS.

Videtur quod non recte definiatur a Philosopho (2. *Poster. text.* 27; c. 19) universale, quod sit unum in multis.

1. Nam idem Philosophus (7. *Metaphys. text.* 45; l. 6, c. 13) definit universale, quod sit aptum inesse multis; quod autem est tale, non semper est unum in multis, ut patet in natura solis: ergo universale non recte definitur, quod sit unum in multis. — 7. *Metaphys.* l. 13.

2. Præterea, genus est universale; sed genus, ut dicitur (7. *Phys. text.* 31, c. 3), non est unum in multis; nam quæ non sunt comparabilia, non habent unam naturam, sicut habent ea, quæ sunt comparabilia; quæ vero sunt unius generis, non sunt comparabilia; ergo universale non recte definitum est. — 7. *Phys.* l. 8.

3. Præterea, universale est natura realis; sed nulla datur natura realis, quæ sit una in multis; non enim datur una humanitas, quæ sit in Petro et Paulo; ergo universale non est quid unum in multis. — 10. *Metaphys.* l. 1; 2. *Poster.* l. 20.

4. Præterea, substantia est primum genus atque adeo universale; sed substantia non est quid unum in multis, quia sub se comprehendit substantias materiales et immateriales, quibus nihil est commune, nisi nomine tenus; ergo universale non est unum in multis. — *Opusc.* 42, c. 5 et 7.

5. Præterea, omne prædicatum multiplicatur ad multiplicationem subjectorum; verum enim, est dicere, quod homo et equus sunt duo animalia. Et ratio est, quia multiplicato inferiori multiplicatur superius; sed universale est quoddam prædicatum, quod dicitur de multis; ergo universale multiplicatur ad multiplicationem subjectorum, de quibus prædicatur, et sic non erit unum in multis. — *Opusc.* 42, c. 5 et 9.

6. Preterea, natura divina est una in multis, in tribus scilicet personis divinis; sed natura divina non est universalis; ergo universale non est unum in multis. — 1. *Sent. dist.* 19, q. 4, a. 2, ad 1.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Poster. text.* 27; c. 19) definit universale, quod est unum in multis. — 2. *Poster.* l. 20.

RESPONDEO DICENDUM, quod universale dicitur dupliciter. (*Opusc.* 42, c. 5 et 7; *Opusc.* 55; 7. *Metaphys.* l. 13). *Uno modo* ipsa natura, cui intellectus propter aliquid in ea inventum, intentionem universalitatis attribuit, et sic universalia, quæ rerum naturam significant, prædicantur in quid; animal namque dicitur substantia illius, de quo prædicatur, et consequenter non est unum in multis. Cujus ratio est, quia natura prædicatorum semper multiplicatur multiplicatis subjectis; unde quot sunt animalia, tot sunt substantiæ, et quot homines, tot animalia; neque est universale actu, sed tantum potentia, quia potentiam habet talis natura, ut fiat universalis per actionem intellectus. — *Alio modo* dicitur universale illa natura, ut subest intentioni universalitatis ei ab intellectu tributæ, quod est accipere universale formaliter, et hoc modo universale est in multis. Quod patet, quia universale necessario debet esse unum et plura; plura, in quantum in pluribus est, alioqui non posset prædicari de pluribus; unum vero in cognitione. Quod unum non solum debet esse unum præter multa, ut docet Philosophus contra Platonem (10. *Metaphys. text.* 6, l. 9, c. 2, et 2. *Poster.* c. 27; 19), non quidem secundum esse, sed secundum considerationem intellectus, sed etiam unum in multis secundum esse et secundum rem;

non quia debeat esse eadem numero humanitas omnium hominum, sed quod sit eadem secundum rationem speciei in multis, et realiter sit in illis humanitas et non tantum in uno homine singulari, saltem secundum aptitudinem. Nam universales naturæ sunt in duplici differentia: aliæ enim plura habent individua, in quibus realiter sunt; aliæ vero habent unum tantum individuum, et hujusmodi universalia non sunt unum quid actu in multis, sed tantum potentia vel per non repugnantiam; et ideo Philosophus (7. *Metaphys.* l. c.) ad hujusmodi naturas universales respiciens universale definit, quod est aptum natum esse in multis; et sic est manifestum, quomodo sit intelligenda definitio universalis (2. *Poster.* l. c.) et quam recte sit tradita. — 10. *Metaphys.* l. 3 (al. 1); 2. *Poster.* l. 20; 1a, q. 13, a. 9 et a. 7, c.; v. *Cajetanum* in hunc art. 7, et *Tabulam auream* in concord. n. 1197; 7. *Metaphys.* l. 13; 1 *Periherm.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod loquitur Philosophus de universali habente sub se unum tantum individuum. — 7. *Metaphys.* l. 13; 1. *Periherm.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod duplex est unitas: alia logica, et hæc convenit omnibus generibus; cum enim genus sit universale, necessario debet illi competere unitas universalis, quæ est rationis et logica. Alia est physica et naturalis, et hæc est duplex: una sumpta ex unitate subjecti et potentiæ, et hæc est unitas secundum quid, et competit omnibus generibus, quæ sumuntur ex eadem potentia et materia, ut est unitas generum sub substantia contentorum excepta ipsa substantia et corpore; neutrum enim, cum sub se contineat corruptibilia et incorruptibilia, in quibus est diversus modus potentiæ, potest habere unitatem naturalem, sed tantum rationis, et per consequens utrumque potest esse genus logicum, non autem naturale et physicum. Nam hujus unitas vel diversitas sumitur ex unitate vel diversitate subjecti et materiæ, quæ diversæ rationis est in corporibus, corruptibilibus et incorruptibilibus, ut dicitur (10. *Metaphys. text.* 26; l. 9, c. 19). — Altera unitas sumitur ex unitate formæ et dicitur unitas simpliciter, et hæc nulli generi convenit, sed tantum speciei; non enim genus est una natura, secus vero species. Cujus ratio est, quia species sumitur a forma ultima, quæ simpliciter una est in rerum natura; genus autem non sumitur a forma aliqua, quæ sit una in rerum natura, sed secundum rationem tantum; non enim est aliqua forma, ex qua homo sit animal, præter illam, ex qua homo est homo, nec est in homine, equo vel leone aliqua anima communis, quæ constituat animal, præter illam animam, quæ constituit hominem vel equum, secus autem est in specie. Nam omnes homines, qui sunt unius speciei, conveniunt in forma, quæ constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem; et sic genus est simpliciter unum logice, et tantum secundum quid physice; species vero est unum logice et physice. Quia ergo, ut dicit Philosophus, forma, in qua fit comparatio, non solum debet habere unitatem logicam, sed etiam physicam simpliciter, ideo optime is dixit, quod quæ sunt unius generis, non sunt comparabilia, eo quod genus non est una natura simpliciter; quæ vero sunt unius speciei, sunt comparabilia, et quod species est una natura, quod non tollit, quominus genus, in quantum universale, sit unum in multis. — 1a. q. 66, a. 2, ad 2 et q. 88, a. 2, ad 4; 7. *Phys.* l. 7 et 8; *Opusc.* 42, c. 4, 7, 13.

Ad tertium dicendum, quod unitas universalis non est realis, sed rationis, ut dicitur (10. *Metaphys. text.* 1; l. 9, c. 1). Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, quæ possit dici species, sed intellectus apprehendit ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt, et sic in apprehensione intellectus species sit indivisibilis, quæ realiter est diversa in diversis individuis; et idem dico de genere. Animal enim non dicitur universale, quia sit una natura in homine et equo, sed quia consideratur universaliter; debet enim universale esse unum et plura, ut dictum est; plura, inquantum est in pluribus, alioqui non posset de pluribus prædicari; unum vero in cognitione, quia licet plura, ut plura, non constituant unum intellectum, plura tamen secundum quod similia sunt, constituunt unum intellectum. Non enim potest intellectus distinguere

inter similia, in quantum similia, et ideo intellectus apprehendens hominem et equum, in quantum conveniunt in una operatione sensitiva, unico intellectu apprehendit, etsi in re sunt multa, nec talem unitatem apponit illi multitudini, sed illi operationi vel naturæ, in qua illa plura conveniunt.— *Opusc.* 56, tr. 2; v. ll. cit. supra in corp. hujus art.

Ad quartum dicendum, quod substantia est una logice, sicut et cætera genera, quod sufficit ad rationem universalis, et consequenter ad hoc, ut sit unum in multis; differt tamen ab aliis generibus, excepto corpore, in unitate physica. Nam substantia non habet unitatem, physicam naturæ, super qua fundatur unitas rationis, quomodo est unitas universalis, cum careat una definitione, nam quæ communiter assignatur, quod sit ens per se, non est definitio substantiæ, ut est supremum genus, sed ut distinguitur ab accidente; nam convenit etiam partibus substantiarum, de quibus tamen non prædicatur substantia, ut est summum genus, — sed unitas universalis in substantia fundatur super diversis naturis materialibus et immaterialibus, convenientibus tamen in aliquo modo, puta in esse per se; hoc enim est immediatum fundamentum uniformitatis ad plura, et unitatis rationis in substantia. At cætera genera, ut vivens et animal significant naturas, super quarum unitatibus fundantur intentiones, quas intellectus illis attribuit; animal enim secundum se sumptum est natura quædam habens propriam unitatem, ut patet ex illius uno nomine et una definitione, quæ est, quod sit substantia animata, sensibilis.— *Opusc.* 42, c. 4, 5, 7; 1a, q. 13, a. 7 et 9, c.; V. ll. cit. supra in corp. hujus art.

Ad quintum dicendum, quod cum animal prædicatur de homine et equo, dupliciter potest accipi, uno modo absolute et secundum se, quomodo illi ex propria definitione et nomine convenit unitas realis. Alio modo, ut est in intellectu abstractum a conditionibus individuantibus et ab omni differentia, quomodo illi convenit unitas alia per rationem, quæ est unitas universalis. Si priori modo sumatur, dicitur reale prædicatum et sic non descendit cum sua unitate ad ea, de quibus prædicatur, sed tantum cum illis, quæ sunt de intellectu ipsius, secundum se sumpti, ut esse substantiam, animatam, sensibilem. Nam prædicata realia multiplicantur ad multiplicationem subjectorum, et ideo cum prædicatur de homine et equo, homo et equus non dicuntur unum animal, sed duo; nec est in plus quam homo et equus, sed idem est realiter, quod homo et equus; sicut si prædicaretur de solo homine, non esset in plus quam homo.—Si vero sumatur posteriori modo, dicitur prædicatum rationis et non multiplicatur ad multiplicationem subiectorum, sed unum existens respicit multa et de singulis dicitur, et sic cum prædicatur de homine et equo, homo et equus dicuntur unum animal, non duo, sicut Petrus et Paulus dicuntur unus homo, non duo. Et ratio hujus est ex Philosopho (10 *Metaphys. text.* 1; l. 9 *c.* 1) quia unitas universalis est unitas apprehensionis, per quam intellectus apprehendit ut unum id in quo omnia inferiora conveniunt, unde per apprehensionem intellectus genus fit indivisibile; similiter et species, quæ tamen realiter sunt divisa in diversis speciebus et individuis. — *Opusc.* 42, c. 5, 7 et 9.

Ad sextum dicendum, quod ad universale non solum requiritur, quod sit unum in multis, sed etiam ut natura, quæ est universalis, secundum esse multiplicetur ad multiplicationem illorum, et in illa sit differentia inter quidditatem et esse quidditatis, et requiritur potentialitas et contrahibilitas, ratione cujus particulare addit supra universale, quæ non conveniunt naturæ divinæ, quæ est una numero in tribus personis, nullam habens potentialitatem vel contrahibilitatem. — *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2, ad 1 et dist. 35, q. 1, a. 5, c.; 1a, q. 3, a. 5, c. et q. 30, a. 3, ad 3; *de Pot.* q. 9, a. 4, ad 5; 1. *Sent.*, dist. 25, q. 1, a. 3.

ARTICULUS V

UTRUM UNIVERSALE FIAT PER NOTITIAM COMPARATIVAM

Videtur quod universale non fiat per

notitiam comparativam, sed per abstractivam.

1. Dicit enim Philosophus 7. *Metaphys. text.* 45; l. 6, c. 13, quod universale est, quod aptum natum est inesse multis; sed eo ipso quod natura abstracta est per intellectum a conditionibus individuantibus, est apta inesse multis, est enim apta participari a pluribus differentiis; ergo universale non fit per notitiam comparativam, sed per abstractivam. — 7. *Metaphys.*, l. 13; *Opusc.* 56, tr. 2.

2. Præterea, natura abstracta per intellectum a conditionibus individuantibus et ab omni divisione est una per intellectum; sed hæc unitas non est unitas realis naturæ, nam hæc convenit naturæ secundum se; ergo est unitas universalis, et per consequens universale fit per notitiam abstractivam. — *Opusc.* 42, c. 7; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 1.

3. Præterea, eatenus natura est universalis, quatenus habet rationem uniformem ad omnia sub se contenta, et est forma quædam una per intellectum communis pluribus; sed natura habet talem uniformitatem et est una forma communis multis, quatenus est abstracta ab omnibus conditionibus individualibus; nam in ea sic considerata plura sunt individua et unum; ergo natura eatenus est universalis, quatenus est abstracta, et sic universale fiet per abstractionem. — *Opusc.* 30, c. 4; *Opusc.* 42, c. 5 et 10; 7. *Metaphys.* l. 13.

4. Præterea, opposita oppositis rationibus constituuntur; sed natura fit singularis per materiam individualem; hæc enim est singularitatis principium; ergo eadem fiet universalis per abstractionem a tali materia, et consequenter per notitiam abstractivam. — *Opusc.* 45 et 55; 1a, q. 86, a. 1, c.; *Opusc.* 56, tract. 2; *Opusc.* 42, c. 15.

5. Præterea, intellectus agens ad hoc requiritur, ut naturam sensibilem faciat actu intelligibilem, quæ erat ante tantum in potentia talis; debet enim illam facere proportionatum objectum intellectus, quod est universale, ut dicitur (1. *Physic. text.* 49; c. 5). Sed id facit intellectus agens, quatenus talem naturam spoliat a conditionibus individualibus; ergo universale, fit per solam abstractionem. — 1a, q. 79, a. 3, c. et q. 86, a. 1. « *Sed contra* » et c.

6. Præterea, eadem videtur ratio universalis in repræsentando seu speciei intelligibilis, et universalis in prædicando seu verbi, quod procedit ab intellectu ut informato tali specie; sed hæc eo ipso est universalis, quod representat hominem, non ut est hic, et nunc, sed ut abstractum a talibus conditionibus; ergo et illud erit tale per hoc, quod est abstractum a conditionibus materialibus. — *Opusc.* 48, tr. 1, c. 1; *Opusc.* 30, c. 4; 1. *Sent.*, dist. 36, q. 1, a. 3, ad 3; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 5.

Sed contra est : 1. Quod universale sit formaliter, quando formatur ab intellectu intentio universalitatis, sed hanc format intellectus per hoc, quod naturam jam abstractam a conditionibus individualibus tribuit huic et illi individuo, seu comparat ad plura individua, quibus inest; ergo universale fit per notitiam comparativam. — *Opusc.* 48, l. c.; 1. *Periherm.* l. 10.

2. Præterea, universale formaliter est relatio rationis superioris ad inferiora; sed hæc non habet aliud esse, quam in apprehensione intellectus conferentis unum alteri; ergo universale fit per notitiam collativam. — 1a, q. 28, a. 1, c.

3. Præterea, ex hoc intellectus attribuit intentionem generis atque adeo universalitatis animali, quod intelligit animal ut in pluribus speciebus; sed non potest intellectus intelligere animal in pluribus speciebus per notitiam abstractivam, nam per hanc tantum apprehendit naturam v. g. animalis sine conditionibus individuantibus, atque adeo tantum intelligit unum quid sine ulla divisione, diversitate et pluralitate; ergo debet id intelligere per notitiam comparativam; et sic universale fiet per hanc et non per abstractivam. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3. « *Quantum ad primum* »; 1a, q. 85, a. 2, ad 2; 2. *de Anima* l. 12.

4. Præterea, intellectus nulli naturæ attribuit intentionem universalitatis, nisi postquam ex omnibus acceptum est unum, in quibus illa natura invenitur; sed per intellectum accipitur unum quid ex multis, quatenus abstrahitur natura a principiis individualibus, per quæ unum dividitur in

plura : ergo attribuere universalitatem ipsi naturæ non fit per notitiam abstractivam, sed per aliam supponentem hanc, quæ non est nisi comparativa. — 1. *Sent.* dist. 30, q. 1, a. 3, c.; 2. *de Anima*, l. 12.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, ad faciendum universale requiri duplicem notitiam, abstractivam scilicet et comparativam. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod ad rationem universalis duo requiruntur, ut docet Philosophus (2. *Poster. text.* 27; c. 19 et 10. *Metaphys. text.* 6; l. 9, c. 2) : quod sit unum præter multa seu de multis, et quod sit unum in multis.

Requiritur enim *primum*, primo, quia sicut intelligitur natura singularis per hoc, quod intelligitur conjuncta cum principiis individualibus, ita intelligitur universalis per remotionem talium principiorum; opponuntur enim universale et singulare; intelligere autem naturam præter principia individuantia, est intelligere illam, ut unam præter multa. — Secundo, quia universale est id, in quo per intellectum intelliguntur plura esse similia et convenientia; hoc autem necessario debet esse indivisum et proinde unum; licet enim plura, ut plura, non possint constituere unum intellectum, plura tamen, secundum quod similia sunt et convenientia constituunt unum intellectum, ita ut intellectus non possit distinguere inter illa, in quantum similia sunt; unde fit, ut quando intellectus apprehendit hominem et equum ut similes in operatione vel natura sensitiva, necessario debeat hæc natura apprehensa esse una.

Requiritur autem *secundum*, primo, quia universale ita debet esse unum præter multa, ut sit commune prædicatum de multis, ut dicit Philosophus (10. *Metaph., text.* 6; l. 9, c. 2), commune autem prædicatum de multis est unum in illis. — Secundo quia universale necessario debet concipi ut quid in inferioribus vel individuis, quæ in superiori sunt unum; propterea enim universale, ut dictum est, est unum et plura; plura, in quantum est in pluribus, quia alioqui non posset prædicari de pluribus; unum vero in cognitione, quia illa plura cognita, secundum quod sunt similia, constituunt unum intellectum; concipere autem universale, ut quid in inferioribus, est concipere ut unum in multis. — 2. *Poster.* l. 20; 10. *Metaphys.* l. 3; *Opusc.* 42, c. 15; 1. *Poster.* l. 4, (al. 3 ; 2. *de Anima*, l. 12.; *Opusc.* 49 et 56.

Efficitur autem universale *unum præter multa*, quatenus per intellectum abstrahitur ab omni diversitate, divisione, et conditionibus individuantibus, seu quatenus consideratur natura v. g. animalis sine specificis differentiis, et natura hominis sine materia individuali, non respiciendo scilicet ad Socratem et Platonem. Cum enim hoc fieri non possit realiter, ut Platonici posuerunt; — non enim datur homo realis et naturalis nisi cum his carnibus et ossibus, ut probat Philosophus (7. *Metaphys. text.* 28; l. 6, c. 8 — relinquitur, quod id debeat fieri per intellectum; id autem facit intellectus, quatenus apprehendit naturam communem, non apprehendendo principia individuantia, et sic requiritur notitia abstractiva.—At vero efficitur *unum in multis*, quatenus ab intellectu intelligitur ut in inferioribus, quæ in superiori sunt unum; quod manifeste patet tum ex eo, quod universale ita debet concipi unum in multis, ut concipiatur ut unum commune illis, in quibus est unum, ut contra Platonem argumentatur Philosophus (7. *Metaphys. text.* 57; l. 6, c. 16.) Sed hoc non potest fieri per notitiam abstractivam; nam tali conceptione debent concipi illa plura, in quibus universale est unum, et illud unum cum ordine ad illa plura, nam illud est unum commune illis pluribus; at per notitiam abstractivam tantum cognoscitur natura non cognitis principiis individualibus, per quæ constituuntur et intelliguntur illa plura, quæ talem naturam participant; tum quia unitas hæc universalis nihil aliud est, quam uniformitas naturæ ad omnia contenta sub ipsa; hæc autem uniformitas est relatio rationis naturæ communis ad contenta sub illa; quare sicut hæc nec fit nec cognoscitur nisi per notitiam comparativam; quia tantum est in apprehensione rationis conferentis unum alteri ; ita nec unitas universalis et per consequens nec ipsum universale formaliter sumptum, seu ut unum in multis fieri potest nisi per notitiam comparati-

vam. Unde manifestum est, quod ad universale faciendum secundum suam completam rationem, requiritur notitia abstractiva et comparativa, ut probant argumenta secundæ partis. — II. cit.; 1a, q., 85, a. 1, ad 1; 7. *Metaphys.* l. 16. (al. 14; *Opusc.* 42, c. 5, 7; *Opusc.* 30, c. 4; 1a, q. 28, a. 1; 1, c.; *Periherm.* l. 10; *de Pot.* q. 7, a. 11, c.; *de Verit.* q. 21, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod prædicta definitio est universalis fundamentalis, non autem formalis; nam illa aptitudo nihil aliud est, quam non repugnantia ad essendum in pluribus, ultra quam requiritur aliquid aliud ad universale formaliter, nimirum, ut intellectus intelligat hanc naturam, cui non repugnat esse in pluribus, esse positive participabilem a pluribus differentiis specie vel numero. Nam sic illam intelligit sub intellectu generis vel speciei atque adeo sub intellectu universalis; est autem positive participabilis a multis, quatenus est unum in multis; est autem unum in multis, secundum quod cognoscitur unum in multis; cognoscitur vero ut talis per relationem.— *Opusc.* 56 (al. 50.) tr. 2; V. II. cit. supra in corp. hujus art.

Ad secundum dicendum, quod natura, ut est abstracta a conditionibus individualibus, est una per intellectum, non tamen hæc unitas est universalis completa; nam completur per relationem universalis ab intellectu naturæ sic abstractæ tributam; est enim unitas completa universalis unitas uniformitatis, quæ consistit in ordine et relatione superioris ad inferiora. — *Opusc.* 42, c. 10.; *Opusc.* 30, c. 4.; v. II. cit. in c.

Ad tertium dicendum, quod natura per abstractionem habet uniformitatem incompletam; nam ut est abstracta, est unum quoddam de multis; completur autem et perficitur hæc uniformitas per relationem superioris ad inferiora, quæ est relatio universalitatis, a qua denominatur natura formaliter universalis, et consequenter per notitiam comparativam fit universale formaliter. — *Opusc.* 42, c. 10; *Opusc.* 30, c. 4; V. II. cit. in c.

Ad quartum dicendum, quod singulare dupliciter sumitur, uno modo materialiter, et sic est res, cui convenit intentio singularitatis; quæ res, si sit substantia completa materialis, est compositum ex materia et forma, quæ est singularitatis principium. Altero modo formaliter, et sic cum sit nomen secundæ intentionis, sicut et universale, præter naturam completam compositam ex materia et forma, et consequenter præter contractionem factam per principia individuantia, dicit relationem singularitatis ad universale, cui subest, quod præter abstractionem naturæ a conditionibus individuantibus dicit secundam intentionem seu relationem rationis, universalitatis scilicet ad inferiora. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 2, ad 4. et a. 3, c.; *Opusc.* 48, tr. 1, c. 2.

Ad quintum dicendum, quod intellectus agens requiritur ad faciendum universale fundamentaliter, quod est objectum intellectus; hoc enim est, ut ait Philosophus (3. *de Anima text.* 11; c. 4.) quidditas rei abstracta a conditionibus individuantibus, cum quibus est realiter conjuncta; hæc autem est universale fundamentaliter, ut dictum est.— II. cit. *in arg.*; 3. *de Anima* l. 8.

Ad sextum dicendum, quod sicut species intentionalis non est universalis, secundum quod consideratur, ut est in intellectu (sic enim est quid in determinatum, sicut intellectus), sed quatenus comparatur ad res extra animam, quia est una similitudo omnium, ita similiter species expressa seu verbum mentis. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 2, ad 3: *Opusc.* 30, c. 4.

ARTICULUS VI

UTRUM UNIVERSALIA SINT TANTUM QUINQUE.

Videtur, quod universalia sint plura quam quinque.

1. Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys. text.* 6; l. 9, c. 2.), quod ens est universale, quia universaliter prædicatur de rebus omnibus, et ideo contra Platonem negat, ens posse esse substantiam rerum, ut ipse ponebat, quia nullum universalium possibile est esse substantiam; sed ens non est genus, ut dicitur (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3), neque ullum ex aliis universalibus; ergo erit sextum universale. — 10. *Metaphys.* l. 3. (al. 1,) et 3. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, definitio prædicatur de definito; non solum enim hoc nomen animal convenit homini et bovi, sed etiam ejus definitio. Cum enim definitio prædicetur de definito, prædicabitur etiam de quocumque prædicatur definitum; similiter et individuum vagum et nomen persona; illud enim significat aliquid commune pluribus, puta naturam communem cum determinato modo essendi, hoc vero significat quid commune secundum rationem omnibus tribus, divinis personis, si sumatur persona increata; sed nullum prædictorum est ullum ex quinque prædicabilibus, ut patet; ergo universalia sunt plura. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1; 7. *Metaphys* l. 5; 1a, q. 30, a. 4, c. et ad 3.

3. Præterea, genus et species faciunt duo prædicabilia, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, species vero de pluribus differentibus numero; sed eodem modo se habent differentia generica et specifica; ergo constituunt duo universalia, et sic erunt plura quam quinque. — *Opusc.* 48, tract, 1, c. 1, 2 et 3.

Sed contra est, quia omne quod de pluribus univoce prædicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens; sed universale est illud, quod univoce prædicatur de multis, ut dicit Philosophus. (1. *Ethic.* c. 6; 1. *Poster. text.* 25, c. 11; 4. *Metaphys. text.* 6, l. 3, c. 2.) : ergo, etc. — 1. *c. Gent.* c. 32. *Opusc.* 42, c. 1; 1. *Ethic.* l. 6; 1. *Poster.* l. 19. (al. 18); 4. *Metaphys.* l. 4. (al. 1).

Videtur quod universalia sint pauciora, quam quinque.

1. Dicit enim Porphyrius, quod proprium uni soli et semper convenit, adæquatur enim proprio subjecto, ut neque inveniatur extra illud, neque contra; sed universale est illud, quod prædicatur de pluribus, ut dictum est; ergo proprium non est universale et sic universalia erunt pauciora quam quinque. — 1. *Poster.* l. 11, (al. 10.); V. ll. cit. supra art. 4.

2. Præterea, de ratione universalis est prædicari univoce ut dictum est; sed accidens non prædicatur univoce de suo subjecto, ut dicit Philosophus (*de Prædicam.* c. 5), sed denominative : ergo accidens non est universale, et sic universalia erunt pauciora quam quinque — V. ll. cit. supra in « *Sed contra* » hujus art.

3. Præterea, universale est quoddam prædicatum, est enim quoddam commune multis de illis prædicabile, ut dictum est; sed omne prædicatum vel est substantia vel accidens, nihil enim mediat inter illa, cum dividat ens per affirmationem et negationem : ergo universalia sunt pauciora quam quinque. — 1. *Metaphys.* l. 10; *de Spirit. Creat.* a. 11, c.

Sed contra est auctoritas Porphyrii asserentis universalia esse tantum quinque.

Respondeo dicendum, quod universalia sunt tantum quinque, quod manifestum est ex duobus, *primo* ex proportione ad compositum substantiale, de quo proprie prædicatur. Quidquid enim prædicatur vere de alio, debet dicere totum; nam impossibile est prædicari partem de toto. Quia tamen totum potest denominari et a toto et ab una parte, ideo prædicatum potest denominare totum vel ab una parte, vel ab utraque simul seu a toto, et propterea tot erunt prædicabilia, quot erunt in composito substantiali, secundum quæ poterit ipsum ab aliquo prædicato denominari. Hujusmodi autem sunt quinque, scilicet materia, forma, compositum ex utraque, propriæ passiones, quæ consequuntur principia essentialia, et accidentia, quæ consequuntur principia materialia; quare et quinque erunt universalia, quorum unum denominat compositum ab eo, quod est materiale in ipso, et dicitur genus, aliud vero denominat ipsum a principio formali, et dicitur differentia; ita enim se habet genus ad differentiam, sicut materia ad formam. Quod vero denominat a materia et forma simul dicitur species; quod ab accidentibus causatis ex principiis speciei dicitur proprium; quod demum ab accidentibus causatis ex principiis individui, sive talia accidentia habeant causam permanentem in subjecto, ut sunt masculinum et femininum et alia hujusmodi, sive non habeant, ut sedere, stare, dicitur accidens.— *Opusc.* 30, c. 3; 10. *Metaphys.* l. 10 (al. 3); *de Spirit. Creat.* a. 11. c.; *Quaest. disp. de Anima.* a. 12, ad 7.

Secundo ex habitudine prædicati ad subjectum. Omnis enim habitudo prædicati ad subjectum vel est substantialis, vel ac-

cidentalis, vel media inter utramque partem, scilicet conveniens partim cum una, partim cum altera; prædicatio autem substantialis efficit tria prædicabilia. Nam quod prædicatur essentialiter de aliquo, vel prædicat totam essentiam illius, et est prædicabile, quod dicitur species; vel prædicat partem essentiæ, sed materialem, et est genus; vel partem formalem, et est differentia. Prædicatio vero accidentalis constituit unum prædicabile, quod est accidens, quod significat id, quod est præter essentiam et non causatur ex illa. Prædicatio vero media constituit aliud prædicabile, quod dicitur proprium; hoc enim convenit cum prædicato substantiali in hoc, quod causatur ex principiis essentialibus speciei, cum accidentali vero, quia neque est essentia rei neque pars essentiæ, sed aliquid præter ipsam. Unde relinquitur, quod quinque tantum sunt prædicabilia seu universalia, genus, species, differentia, proprium, accidens; nam eadem res dicitur universalis, quatenus illi attribuitur ab intellectu esse in multis; prædicabilis vero, quatenus illi tribuitur dici de multis. — *Opusc.* 30, c. 1; *de Spirit. Creat.* a. 11, c. et ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod ens non est universale, quia omne universale recipit additionem alicujus, per quod determinatur; at ens non recipit additionem ullius extraneæ naturæ per modum, quo differentia additur generi vel accidens subiecto. Nam intellectus entis includitur in omnibus quæcumque, qui sapprehendit; quælibet enim natura est essentialiter ens; unde etiam probat Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3), quod ens non potest esse genus, quod est species universalis. — 1. *Sent.* dist. 18, q. 4, a. 2, ad 2, et dist. 35, q. 1, a. 5, c.; 1a, q. 3, a. 5, c.; *de Verit.* q. 1, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod universalia sunt termini simplices et incomplexi, at definitio, cum sit ratio habens partes, est oratio et terminus complexus. Similiter et individuum vagum est terminus complexus significans naturam communem cum determinato modo essendi. Persona vero non est universale; nam vel sumitur hoc nomen, ut dicitur de Deo et creaturis, et tunc est manifestum, quod non est genus vel universale respectu illorum, sed est quid commune analogum ad illa. Nam per prius convenit Deo ratione rei significatæ quam creaturis; sed contra, ratione modi significandi, quod univoco non convenit; præterquam quod, cum Deus et creatura in nullo genere generalissimo conveniant; quia Deus in nullo genere est, non potest aliquid de illis univoce dici, quod requiritur ad rationem universalis, ut dictum est. — Vel sumitur ut dicitur tantum de personis divinis, et neque tunc est universale, quia omne universale est secundum aliud et aliud esse in suis inferioribus; genus enim et species et quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus, et ideo in inferioribus secundum esse diversificatur, ut dictum est; at in divinis non est nisi unum esse (7. *Metaphys.* l. 9; 1a, q. 30, a. 4, c. et ad 3; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 3, c; 1. *c. Gent.* c. 32, n. 6; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 5, ad 2 et 4; V. « *Sed contra* » in hoc art. et supra art. 4, ad 6). — Si demum sumatur, ut dicitur de personis humanis, neque etiam est universale, tum quia hoc nomen personæ est commune communitate rationis, sicut individuum vagum, non sicut genus vel species tum quia nomina universalium vel significant intentiones, seu sunt nomina intentionis ut genus, species et similia, vel sunt nomina rei significantia naturam absolute, ut animal, homo; sed nomen persona sicut et individuum vagum neque sunt nomina intentionis, ut patet, neque sunt nomina rei significantia naturam absolute, quia sic idem significaretur nomine hominis et personæ humanæ, quod est falsum. Nam individuum vagum, ut aliquis homo significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus; nomen autem personæ significat subsistens distinctum in natura humana. Demum, quia cum nomen persona sit substantivum, oportet considerare ex forma significata ipsius univocationem; forma autem significata nomine personæ non est natura absolute, ut dictum est, sed incommunicabilitas vel individualitas subsistendi in natura; hæc autem individualitas non potest esse univoce communis. Nam hæc efficitur a principiis individua-

libus; hæc enim in creatis et sunt principia subsistendi et distinguunt supposita naturæ communis ab invicem; principiis autem individualibus nihil datur commune univocum, quod sit sicut genus et species, et consequenter ut universale. Nam de ratione universalis est, ut prædicetur de pluribus secundum esse differentibus et ut sit in pluribus; at principium individuationis est id, per quod aliquid non potest esse in pluribus, unde habet oppositam rationem ipsi universali, et ob eamdem rationem multo minus individuum poterit esse universale, cum illius ratio magis opposita sit rationi universalis. — *de Pot.* q. 9, a. 4, c. et a. 5, ad 13 et a. 6, c. et a. 2, ad 7; 3a. q. 77, a. 2. c.

Ad tertium dicendum, quod prædicabilia distinguuntur secundum diversum modum prædicandi et significandi; et ideo quia genus et species diverso modo prædicantur et significant totum illud, de quo prædicantur; (nam genus prædicatur in quid incomplete; nam dicit quidem totum, quod dicit species, sed confuse, indeterminate, indistincte; species vero praedicatur in quid complete, quia dicit totum complete, determinate, et distincte. Differentia vero tam specifica quam subalterna eodem porsus modo prædicantur in quale quid incomplete et significant totum confuse et indistincte ratione partis materialis, determinate vero et distincte ratione partis formalis); ideo genus et species constituunt duo universalia, differentia vero generica et specifica tantum unum. — *Opusc.* 30, c. 3; 10. *Metaphys.* l. 10 (al. 3); *Opusc.* 42, c. 5.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod proprium dupliciter considerari potest, vel respectu subjecti immediati, et sic est prædicatum universale, quod definit Philosophus (1. *Poster.* text. 11; c. 4), quod de omni est et per se et secundum quod ipsum, vel respectu inferiorum, et sic est quartum universale. — 1. *Poster.* l. 11. (al. 10).

Ad secundum secundæ partis dicendum, quod prædicari univoce, scilicet secundum idem nomen et secundum eamdem rationem significatam per nomen, dupliciter contingit, vel per essentiam vel per participationem. Genus et species prædicantur univoce secundum essentiam, quia ratio generis et speciei est de essentia individuorum, de quibus univoce prædicantur; accidens vero et proprium prædicantur univoce per participationem, quia individua, de quibus prædicantur participant nomen et rationem nominis; sed talis ratio non est de essentia illorum, sed est quid superadditum illis. — 1. *Metaph.* l. 10. (al. 8).

Ad tertium dicendum, quod datur medium prædicatum inter substantiam et accidens, et quod ad prædicatum substantiale, accidentale et medium inter utrumque reducuntur quinque universalia. — V. ll. cit. in c. hujus art.

ARTICULUS VII

UTRUM RATIO UNIVERSALIS DE QUINQUE UNIVERSALIBUS DICATUR UNIVOCE AN VERO ANALOGICE.

Videtur quod ratio universalis de quinque universalibus dicatur univoce.

1. Illa enim ratio est univoca, quae eodem prorsus modo convenit univocatis; sed ratio universalitatis eodem modo convenit quinque universalibus. Nam universalitas est accidens conveniens rebus quinque universalium secundum esse, quod habent in intellectu, quod esse est omnino ejusdem rationis in omnibus universalibus; ergo universale dicitur de quinque universalibus univoce. — *de Pot.* q. 7, a. 11. c; *Opusc.* 55. in fine.

2. Præterea, quidqui dprædicatur de aliquibus secundum unum nomen et unam rationem, univoce illis convenit; sed nomen universalis et ejus definitio sic conveniunt quinque universalibus; nam quodlibet illorum est universale et prædicatur de multis univoce, et est unum in multis. Genus enim est unum in speciebus et species in individuis; equus enim et homo dicuntur unum animal esse, et omnes homines unus homo, et sic de singulis; ergo universale dicitur univoce de quinque universalibus. — *Opusc*, 48. tract. 2, c. 1.; 1a, q. 13, a. 10, c.; 1. *c. Gent.* c. 32, n. 6; *Opusc.* 42, c. 7 et 9; V. ll. cit. supra art. 4.

Sed contra est, quod nihil datur commune univocum substantiæ et accidenti; sed inter universalia quædam sunt de ge-

nere accidentium, ut proprium et accidens; quædam vero significant substantiam, ut genus, species et differentia ; ergo universale non est univocum quinque universalibus. — 1. c. *Gent.* c. 32, n. 6.; *de Verit.* q. 2, a. 11. arg. 7; Cfr. art. præced. c.

RESPONDEO DISCENDUM, quod universale dupliciter sumi potest, vel pro natura subjecta intentioni, vel pro ipsa intentione universalitatis. Si accipiatur universale *primo modo*, est quidem ens reale, non tamen est quid univocum quinque universalibus, sed analogum; nihil enim datur commune univocum substantiæ et accidenti, sub quibus illa continentur, ut dictum est, sed analogum, ut dicit Philosophus de ente respectu utriusque (4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2; V. ll. cit. supra art. 2 et 4; *Opusc.* 55). — Si vero accipiatur *secundo modo*, est ens rationis et univoce prædicatur de quinque universalibus; singulis enim convenit esse unum cognitione in pluribus, quæ est definitio universalis, ut dictum est, et quod illa plura ratione illius sint quid unum; neque talis ratio convenit uni prius quam alteri. (V. art. præced.; 4. *Metaphys.* l. 1.) Nam æqualiter intellectus naturis universalium, ut sunt in intellectu attribuit proprias intentiones; nam hæ non sunt de accidentibus convenientibus naturis secundum suam absolutam considerationem, vel secundum esse, quod habent extra animam, sed sunt de accidentibus, quæ sequuntur naturas rerum secundum esse, quod habent in intellectu.— Et sic patet ad objecta; nam prima duo probant, universale formaliter esse quid univocum quinque universalibus, tertium vero probat universale materialiter sumptum, non esse univocum, sed analogum iisdem, quod verum est. — *Opusc.* 55 et 56; *Opusc.* 42, c. 5. 7. 9; *Opusc.* 30, c. 2.

QUÆSTIO III

DE GENERE

Deinde considerandum est de universalibus in particulari; et primo de genere, secundo de specie, tertio de differentia, quarto de proprio, quinto de accidente.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR SEPTEM.

1. Utrum generis definitio sit recte tradita.
2. Utrum genus contineat differentias.
3. Utrum genus per se prædicetur de differentiis.
4. Utrum in compositis materialibus genus sumatur a materia, et differentia a forma.
5. Utrum genus faciat unum per se cum differentia.
6. Utrum genus distinguatur realiter a differentia.
7. Utrum genus requirat plures species actu.

ARTICULUS I

UTRUM GENERIS DEFINITIO SIT RECTE TRADITA.

Videtur quod generis definitio non sit recte tradita, nimirum quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 14; l. 6, c. 11.), quod sola species definitur; sed genus non est species, ut per se constat : ergo genus non est recte definitum. — 7. *Metaphys.* l. 11.

2. Præterea genus sumi potest vel pro intentione genereitatis vel pro natura subjecta intentioni ; sed neutrum definitur. Non primum, quia id definitur, quod prædicatur; sed non prædicatur intentio de speciebus ; non enim est verum dicere, quod homo vel species sit genus. Neque secundum, quia prædicari non est passio naturæ, sed universalis formaliter, quod est tale per intentionem : ergo genus non potest definiri. — *Opusc.* 30, c. 3; 2. *de Anima* l. 12 ; *Opusc.* 55 ; *Opusc.* 42, c. 9.

3. Præterea, adefinitio est ratio significans substantiam rei, et ideo est una sicut et illa, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 42; l. 6, c. 12.; sed prædicari de pluribus non est substantia generis, sed ejus passio; ponitur enim in Prædicamentis c. 5 tanquam passio secundarum substantiarum : ergo genus non est recte definitum, quia non per essentialia. — 7. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 42, c. 9.

4. Præterea, genus est pars speciei, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 30; l. 4, c. 24, et veluti materia, ut dicitur 8. *Metaphys. text.* 15; l. 7, c. 6; sed pars non prædicatur de toto nec materia de composito ; ergo genus non est recte definitum, quod prædicatur. — 5. *Metaphys.* l. 21 et 8. *Metaphys.* l. 6; *Opusc.* 42, c. 8.

5. Præterea, secundæ substantiæ secundum rei veritatem, ut dicit Philosophus in lib. Prædicam. magis significant quale quid, quam hoc aliquid; unde, 9. *Metaphys. text.* 12; l. 8, c. 7, distinguit inter universale et subjectum, quod hoc significat hoc aliquid, non illud, et 7. *Metaph. text.* 48 et 50; l. 6, c. 13 expresse ait, nullum universale significare hoc aliquid, sed quale quid; quod autem significat quale quid, non prædicatur in quid, sed in quale quid; ergo genus non est recte definitum, quod prædicatur in quid. — *Opusc.* 42, c. 9; 9. *Metaphys.* l. 6. (al. 3) et 7. *Metaphys.* l. 13.

6. Præterea, ens non est genus, ut dicit Philosophus (3. *Metaph. text.* 10; l. 2. c. 3); sed ens prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; ergo genus non bene definitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. — Sed dices, quod ens non prædicatur univoce, quod necessario requiritur ad rationem generis, ut dictum est de universalibus. — Contra, corpus est genus ad corpora cœlestia et sublunaria, similiter bonum et malum sunt genera contrariorum, ut habetur in Prædicamentis c. 5; sed nec corpus prædicatur univoce de corporibus cœlestibus et sublunaribus, quia corruptibili et incorruptibili solo nomine potest aliquid esse commune; nec bonum et malum prædicantur univoce, ut patet; ergo genus non est id, quod prædicatur univoce de pluribus differentibus specie. — 3. *Metaphys.* l. 8; *de Pot.* q. 7, a. 3, ad 6; *Quodl.* 2, a. 3; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, arg. 3; 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2.; 1. *Periherm.* l. 8; *Opusc.* 42, c. 5 et 9; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4, arg. 5; 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 2, ad 1; 1a 2æ, q. 18, a. 2. c.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 33 l. 4, c. 28 et 10 *Metaphys. text.* 13; l. 9, c. 3 et 1. *Top.* c. 4 et 4. *Top.* c. 1) definit genus, quod sit id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid; eodemque modo definitur a Porphyrio. — 5. *Metaphys.* l. 22 (al. 32); 10. *Metaphys.* l. 4, (al. 2); 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 2, ad 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte fuit a Philosopho et Porphyrio descriptum genus. Ad cujus manifestationem sciendum, quod genus est quoddam universale et in substantiis est secunda substantia; unde sicut hæc secundum rei veritatem, ut dicit Philosophus in Prædicamentis c. 5. significat quale quid seu intentionem universalitatis, quæ est accidens quoddam per intellectum formatum et attributum naturæ, ita et genus formaliter significat intentionem genereitatis, quæ est relatio rationis ab intellectu attributa naturæ, comparando ipsam vel ad res ad extra vel ad res ut sunt in intellectu. Unde non est nomen primæ intentionis, quod imponitur rei absolutæ mediante conceptione, qua fertur intellectus super ipsam rem, ut est in se, ut homo, lapis, sed est nomen secundæ intentionis, quod imponitur rei, non secundum quod in se est, sed secundum quod est in intellectu, ut cum dicitur: homo est species, animal est genus. Cum autem intellectus eidem rei possit plures intentiones attribuere, duas potissimum attribuit, nimirum esse unum in pluribus et dici de pluribus, quarum illa denominat naturam universalem, hæc prædicabilem, et est veluti passio alterius. Sic enim Philosophus in lib. Prædicamen. inter proprietates secundarum substantiarum ponit prædicari de pluribus; quia enim prædicari est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis vel dividentis, habens fundamentum in re ipsa unitatem eorum, quorum unum de altero dicitur, ratio prædicabilis potest claudi in ratione hujus intentionis, quæ est genus, quæ similiter per actum intellectus completur. Quoniam vero intellectus non cuilibet naturæ quamlibet intentionem attribuit, ideo sciendum, quod in qualibet re est considerare aliquid, in quo res illa habet convenientiam, et conformitatem cum aliis rebus, et aliquid illi soli proprium, in quo scilicet habet difformitatem cum aliis; quæ tamen difformitas vel conformitas potest esse major vel minor per comparationem ad diversas res. V. gr., Socrates per essentiam suam, quæ est ex hac anima et hoc corpore, conformatur Platoni et huic equo et huic plantæ; est enim per essentiam suam rationalis, sensitivus, vivens, et in his tribus est conformis Platoni, huic autem equo in duobus, et huic plantæ in uno.

Quia vero intellectus noster ea, quæ sunt in re conjuncta, potest distinguere, quando unum eorum non cadit in rationem alterius, rationale autem in se consideratum non est de ratione sensibilis nec sensibile de ratione vivi; ideo hæc in Socrate separatim accipit, per ordinem scilicet ad diversa. Et quando considerat in re illud, in quo convenit cum aliis rebus, illi communi sic sumpto attribuit intentionem universalitatis et vocat illud universale; quando vero considerat id, quod est proprium illius, in quantum est hæc res, illi attribuit intentionem singularitatis et vocat illud singulare; quæ duæ intentiones licet a solo intellectu fiant, habent tamen fundamentum in re extra. Nam intentioni singularitatis respondet extra illud, quod est proprium Socratis, in quantum est hic homo; intentioni vero universalitatis respondet illud, in quo convenit cum aliis rebus, non tamen secundum materiam, sed secundum formam: nam sola conformitas secundum formam potest esse fundamentum intentionis generis. Ut enim dicit Avicenna, duplex est forma, quædam, quæ est pars compositi, sicut anima; ex anima enim et corpore componitur homo; quædam autem sequitur totum compositum, ut humanitas, quæ etiam est forma hominis, et isto modo sumpta forma dicitur quidditas, et est illud, quod intellectus intelligit de re. Quando ergo intellectus intelligit prædictam formam seu quidditatem, ut est determinata ad hanc materiam, puta humanitatem, ut est in hac materia signata, id est in his carnibus et ossibus, tunc faciendo concretum, puta hunc hominem, intelligit singulare et huic attribuit intentionem singularitatis. Si vero dictam formam intelligit, non ut est determinata ad hanc materiam (quia omnis talis forma est de se plurificabilis ad hanc et illam materiam), habenti talem formam intellectus attribuit intentionem universalitatis, unde homo est universalis. Et si ea, quæ in hac forma conveniunt, non habent in se difformitatem pertinentem ad dictam formam, sed solum sunt difformia per materiam signatam istius vel illius, in quo dicta forma determinata est, illa solum dicuntur differre numero; et talis forma, in qua conveniunt in concreto sumpta, puta homo, est species. Si vero ea, quæ conveniunt in aliqua forma plurificabili, sunt inter se difformia, non solum quantum ad materiam signatam, talia dicuntur differe specie; et talis forma, in qua conveniunt, in concreto sumpta, puta animal est genus. Et quia, ut dictum est, talis natura sumpta in concreto de pluribus formaliter differentibus, quæ sunt in diversis speciebus, dici potest, hinc est, quod tali naturæ intentio prædicabilitatis attribui potest, ideoque dicitur, quod genus est id, quod prædicatur, id est, prædicabile de pluribus differentibus specie. Hoc autem, quod dictum est in concreto sumptum, intelligitur solum in prædicamento substantiæ; nam in aliis prædicamentis et maxime in absolutis sumitur species et genus in abstracto. Dicitur autem genus prædicari in eo, quod quid est, id est substantive, secundum grammaticos; animal enim quod de homine et equo prædicatur, substantivum est et non adjectivum. Unde manifestum est quod definitio generis recte tradita est. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 2; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 2; 7. *Metaphys.* l. 9; *Opusc.* 30, c. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod genus potest definiri ut species, et ita definitur in proposito; definitur enim in quantum est species universalis. — 5. *Metaphys.* l. 4 et 8; 7. *Metaphys.* l. 11; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 1 et 2.

Ad secundum dicendum, quod id definitur, quod prædicatur; convenit autem prædicari tam naturæ absolutæ quam generi seu naturæ, ut subest intentioni universalitatis. Verum quia tria significari possunt per hoc, quod est naturam prædicari de aliquo; nam *primo* significat dicere totum respectu illius, de quo prædicatur, et non partem, quia pars non prædicatur de toto; *secundo* significat referri et comparari ad aliquid, non secundum rem, sed secundum intellectum; *tertio* significat per intellectum componi naturam cum subjecto, de quo prædicatur; si prædicari sumatur *primo modo*, convenit naturæ; natura enim animalis concrete sumpta dicit totum, quod dicit homo, alioqui nec prædicaretur de homine, cum pars non prædicetur de toto. Verum, quod animal non solum dicat totum, quod est homo, sed etiam totum, quod est equus

et leo, et ita sit in plus quam homo et equus, et non multiplicetur ad multiplicationem subjectorum, habet ratione relationis uniformitatis ad inferiora, et ideo si in definitione generis sumatur prædicari hoc modo, convenit naturæ, ut subest intentioni universalitatis, et consequenter natura ut sic, est illa, quæ definitur. (*Opusc.* 30, c. 2 et 3; *Opusc.* 42, c. 9; *de Verit.* q. 21, a. 1, c.; 1a, q. 28, a. 1, c.; *de Pot.* q. 7, a. 11, c.; 1. *Periherm.* l. 10.) — Si vero sumatur prædicari *secundo modo*, licet ut sic sit quoddam, quod completur per actum intellectus componentis et dividentis, habens fundamentum in re unitatem eorum, quorum unum de altero dicitur, unde ratio prædicationis potest claudi in ratione hujus intentionis, quæ est genus, quæ similiter per actum intellectus completur, nihilominus tamen illud, cui intellectus intentionem prædicationis attribuit, componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius substratum illius, significatum nomine, v. g. animalis; et ideo quod definitur in definitione generis, est res, quæ subest intentioni generis. Nam hæc res vere refertur et comparatur ad inferiora; præterquam quod in artificialium definitionibus, quorum tota substantia est materia, hæc prædicatur in recto, et est id, quod definitur; sic autem se habet natura subjecta intentioni respectu generis, non tamen definitur res secundum se, sed ut subest intentioni universalitatis. Nam animal, v. gr., sine intentione universalitatis acceptum, proprie non est prædicabile, quia sic est prima substantia, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur; unde et a Philosopho in Metaphysica, ubi substantiam considerat ut est ens, dicitur, quod non dicitur de subjecto, cujus oppositum dixerat in Logica, quia ibi ut logicus consideravit substantiam, secundum quod per actionem intellectus subest rationi universalitatis, cui convenit ut passio, prædicari de subjecto. (*Opusc.* 30, c. 2 et 3; 1. *Sent.* dist. 5, q. 2, a. 1, c. in fine; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 3; *Opusc.* 42, c. 7 et 9; 7. *Metaphys.* l. 13). — Si demum sumatur prædicari *tertio modo*, cum per intellectum componantur ipsæ naturæ, quibus accidit intentio universalitatis secundum se sumptæ, non autem prout sunt in intellectu, cujus signum est, quod de individuis et inferioribus non prædicat intellectus nomina significantia intentiones seu nomina secundæ intentionis, sed nomina communia significantia naturas seu nomina primæ intentionis. Socrates enim est homo, non autem est species, quamvis homo sit species; id quod prædicatur et per consequens quod definitur in definitione generis, erit natura absolute considerata, ita tamen, ut non fiat præcisio ejus, quod est esse in intellectu vel in singularibus; hæc enim natura sic considerata est, quæ prædicatur de inferioribus vel individuis. — *Opusc.* 30, c. 2 et 3; *Opusc.* 42, c. 9; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 2.

Ad tertium dicendum, quod definitio generis est descriptio, et ideo non mirum, si detur per passionem. — 7. *Metaphys.* l. 11; *Opusc.* 42, c. 8; 10. *Metaphys.* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod genus neque proprie est pars, neque materia speciei, sed ita dicitur, quia sumitur a parte materiali rei; nam alioqui dicit totum, quod dicit species, in cujus definitione ponitur, quod patet, quia de illa prædicatur; dicitur, enim quod homo est animal, cum tamen nec pars de toto, nec materia de composito ex illa dicitur. Vel dic, quod duplex est pars, rei seu integralis, et rationis, et quod illa non prædicatur de toto, hæc vero prædicatur. — 5. *Metaphys.* l. 21; 7. *Metaphys.* l. 9 et 12; 1a, q. 77, a. 1, ad 1; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 1 et dist. 25, q. 1, a. 2, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod universale dupliciter sumi potest. Uno modo, pro natura, cui intellectus attribuit intentionem universalitatis, et hoc modo significat substantiam rei, et prædicatur in quid, animal enim significat substantiam hominis, de quo prædicatur. Alio modo, pro natura, ut substat intentioni universalitatis, et hoc modo non significat substantiam rei, et consequenter nec prædicatur in quid, sed significat quale quid, quia qualitatem, idest uniformitatem rationis, per quam fit formaliter universale, circa substantiam, quæ est proprie quid, determinat. — 7 *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42; c. 5 et 9.

Ad sextum dicendum, quod ens non

dividitur nec prædicatur univoce de decem prædicamentis, sed analogice; at de ratione generis est, ut univoce dividatur et prædicetur de suis speciebus; quia enim ratione uniformitatis communiter se habet ad omnia sub se contenta, ideo potest prædicari secundum unum nomen et unam rationem, quod est univoce prædicari; hoc autem implicite continetur in illis verbis descriptionis generis : differentibus specie. Nam species se habet ex additione differentiarum ad genus, at decem prædicamenta non sic se habent ex additione ad ens, et ideo ens non ponitur in definitionibus rerum, ut genus. Nam deberet se habere, ut materia ad differentias, per quarum additionem fieret res illa, quæ definitur, puta substantia, quantitas, et deberet esse extra conceptum differentiarum, cum differentia non participet genus, cum tamen ens immediate involvatur in conceptu cujuslibet rei et differentiæ; quod ei convenit, quia est analogum, quod aliter dividitur atque univocum et æquivocum. Hoc enim dividitur secundum res significatas. illud secundum differentias, et analogum secundum modos diversos, in quibus imbibitur, licet expresse non significentur nomine illius analogi, ut est per se et in alio respectu entis. — *Quodl.* 2, a. 3, c.; 5. *Metaphys.* l. 22; 8. *Metaphys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 9, 7; 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2; *De Verit.* q. 21, a. 1, c; *Opusc.* 42, c. 2.

Ad septimum dicendum, quod corpus, ut dicitur de cœlesti et sublunari, non est genus physicum, nec de illis dicitur univoce univocatione et unitate physica seu rei, quia hæc sumitur ab unitate primi subjecti seu materiæ, quæ diversa est in utroque corpore; est tamen unum genus logicum, et de illis dicitur univoce univocatione et unitate rationis, quæ sumitur ab unitate intentionis et rationis, quæ una reperitur communis utrique corpori. — Ad illud de bono et malo dicendum, quod genus dupliciter potest accipi, uno modo proprie, prout prædicatur de pluribus in eo, quod quid est, et sic neque bonum neque malum sunt genera, quia sunt de transcendentibus; quia bonum et ens convertuntur. Altero communiter, ut genus dicatur omne id, quod sua communitate multa ambit et continet, et sic bonum et malum dicuntur genera omnium contrariorum, quia, ut dicitur in 1. Phys. text. 81. (c. 9) omnia contraria hoc modo se habent, quod unum est nobilius et alterum vilius, ita quod vilius privationem in se includit, sicut nigrum in respectu ad album, et frigidum in respectu ad calidum, propter quod 2. de *Generat. Animal.* c. 6 dicitur, quod frigus est privatio caloris; et per hunc modum semper unum contrariorum pertinet ad bonum et alterum ad malum. — *Opusc.* 42, c. 14 et 17; 5. *Metaphys.* l. 22; 10. *Metaphys.* l. 10. (al. 4); 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, 2, ad 1.

ARTICULUS II

UTRUM GENUS CONTINEAT DIFFERENTIAS.

Videtur quod genus non contineat differentias.

1. Ut enim argumentatur Philosophus (7. *Metaphys. text.* 47; l. 6, c. 13), si genus contineret differentias, idem simul participaret contraria, differentiæ enim contrariæ sunt; sed hoc est impossibile; ergo genus non continet differentias. — 7. *Metaphys.* l. 14.

2. Præterea, genus ita se habet ad differentiam et speciem, sicut materia ad formam et compositum; sicut enim materia dividitur per formas et cum forma constituit compositum, ita genus dividitur per differentias et cum differentia constituit speciem; sed materia non continet formam vel compositum in se, ergo nec genus differentias. — *Opusc.* 30, c. 3; 10. *Metaphys.* l. 10.

3. Præterea, genus non intelligitur in differentia, ut dicit Avicenna, sicut pars essentiæ illius, sed ut extra essentiam; at si genus contineret differentias, dicens totum, quod illæ dicunt, contineretur in intellectu differentiæ, sicut ex eo, quod continet speciem, dicens totum, quod illa dicit, continetur in intellectu speciei; ergo genus non continet differentias. — *Opusc.* 30, c. 3.

4. Præterea, si genus continet differentias, vel illas continet in potentia, sicut materia formas, vel actu distincto, quomodo compositum substantiale continet carnem et ossa; vel actu confuso seu po-

testate, quomodo totum quantitativum continet partes; sed nullo ex his modis genus continet differentias. Non primo, quia genus dicit totum, quod dicit species; at in specie est differentia, ut dicitur (5. *Metaphys. text.* 10, l. 4 c. 6, et 4. *Phys. text.*, 23 c, 5). Nam per illam constituitur, materia vero non dicit id, quod dicit forma, ut patet. Neque secundo, quia compositum dicit determinatam materiam et determinatam formam; at genus licet dicat determinatam materiam, non tamen determinatam formam. Neque tertio, nam quantitas tota non est in una suarum partium; genus autem est in qualibet specie totum; ergo genus, non continet differentias. —1. *Phys.*, l. 1; 4. *Phys.*, l. 3; 5. *Metaphys.* l. 7 et 21, al. 30; *Opusc.* 30, c. 1.

5. Præterea si genus continet differentias, debet illas continere aliquo genere causæ, sed non est fingere, in quo genere llas contineat, non enim formalis, nam, potius differentia est forma generis; neque materialis, nam cum differentiae sint in genere tanquam in toto, erunt ipsæ potius causæ materiales, quam contra, neque efficientis vel finis, ut patet ergo. — 11. *Metaphys.*, l. 1, 10; *Metaphys.*, l. 10, 2; *Phys.*, l. 5.

6. Præterea differentia est, qua species abundat a genere, ut dicit Phorph. cap. 4; sed hoc esset falsum, si differentia contineretur in genere ergo genus non continet differentias. — *Opusc.* 48 tract., 1, c. 5).

7. Præterea genus, non alia ratione continet differentias, quam dicens totum, quod dicit species; sed genus non potest dicere totum, quod dicit, species, quia alioqui sequeretur, quod diversarum specierum, quarum unum est genus, sit tantum una essentia, quod est falsum; ergo. — *Opusc.*, 30, c. 3.

Sed contra est, quod Philosophus — (8. *Metaphys. text.* 7 et 8, l. 7, c. 3), probat, quod genus non dicit solam materiam, neque solam formam, sed formam in materia; hoc autem est continere differentias, quippe quæ sumuntur ex forma, et (2. *Poster. text.* 17. c. 13) supponatur, inquit, tale esse genus, ut si secundum potentiam in plus. — 8. *Metaphys.* l. 2 et 3; *Poster.* l. 13.

Præterea animal, in quantum est genus, est in plus quam homo et leo, de quibus prædicatur; sed esse in plus est dicere et continere totum, quod dicit homo et leo, et quæcumque alia species; ergo genus continet totum, quod dicunt species, et per consequens et differentias. — *Opusc.* 42, c. 9.

RESPONDEO DICENDUM, quod genus dicit species et consequenter continet differentias, non tamen quomodocumque illas continet, sed potestate tantum. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod species non tantum dicit formam, quæ opinio videtur Averrois et quorumdam, qui illum sequuntur, sed etiam materiam in communi. Quod patet *primo* ex Philosopho, qui (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3) dicit, quod res naturales habent in sui definitione materiam sensibilem præter formam, et in hoc differunt a mathematecis; non potest autem dici, quod substantiæ naturales definiantur per id, quod non est de essentia earum; substantiæ enim non habent definitionem ex additione, sed sola accidentia; unde relinquitur, quod materia sensibilis sit pars essentiæ substantiarum naturalium, non solum quantum ad individua, sed etiam quantum ad species ipsas (*Opusc.* 42, c. 1; *de Pot.* q. 8, a. 4, ad. 3; 11. *Metaphys.* l. 1; 8 *Metaphys.* l. 3; 7. *Metaphys.*, l. 9). — *Secundo* probatur a Philosopho (8. *Metaphys. text.* 8; l. 7, c. 3), quia sequeretur, quod idem esset res sensibilis et quod quid est ejus, sicut idem est anima et animæ esse; sed consequens est falsum. Nam si est aliqua res, quæ sit composita ex materia et forma, oportet, quod in illa re etiam sit aliquid præter naturam speciei; cum enim materia sit principium individuationis, oportet, quod in quolibet composito ex materia et forma, sint principia individuationis, quæ sunt præter naturam speciei. Unde hujusmodi res tota non est sua quidditas, sed aliquid habet præter hoc; si qua vero res est, quæ sit forma tantum, non habet aliqua principia individuantia præter naturam speciei, cum ipsa forma per se existens per se ipsam individuetur; et ideo ista res nihil aliud est, quam quod quid est esse suum. — 8. *Metaphys.* l. 3; 7. *Metaphys.* l. 11; *Opusc.* 30, c. 3.

Sic ergo dicendum, quod nomen speciei

significat compositum ex materia et forma; quod si species dicit totum compositum, necesse est etiam dicere, quod genus, ut animal, et differentia, ut rationale, dicant totum, quod dicit species, ita ut genus dicatur materia, et differentia forma, non quia proprie ita sit, sed quia genus sumitur ab eo, quod est materiale in re, et differentia ab eo, quod est formale.

Verbi gratia animal, quod est genus hominis, ita dicitur, quia significat aliquid habens naturam sensitivam, quæ materialiter se habet ad naturam intellectivam, a qua sumitur rationale, quæ est differentia hominis; rationale, autem significat aliquid habens naturam intellectivam. Ratio autem hujus est manifesta, quia genus et differentia prædicantur de specie, secus vero materia et forma: non enim dicitur, quod homo sit caro vel os vel anima, dicitur autem quod sit animal, quod dici non posset, si genus non diceret et non contineret totum, quod est species, sed tantum aliquid ejus. Et hinc est, quod genus continet potestate differentias, ex eo enim animal, quod est genus, continet totum, quod species dicit, quia forma speciei, quæ est differentia, non est forma diversa a forma generis, sed est forma generis cum determinatione. Animal enim est, quod habet sensitivam animam; homo vero, quod habet animam sensitivam talem, id est cum ratione; omne autem determinatum implicite et consequenter potestate continetur in indeterminato; et ideo cum additur differentia generi, non additur tanquam diversa essentia a genere, et tanquam pars parti, — nam sic differentia non continetur in genere, — sed tanquam essentia implicite contenta in genere, et tanquam totum significatum et determinatum toti indeterminato et non significato implicite in eo contentum. Non enim animal est genus hominis, quia significat tantum rem quandam, quæ habet talem perfectionem, ut possit sentire et moveri per principium in eo existens cum præcisione alterius perfectionis, — nam sic non est genus, sed pars, — sed quia significat quandam rem, ex cujus forma potest provenire sensus et motus, quæcumque sit illa forma, sive sit anima sensibilis tantum, sive sensibilis et rationalis simul. Et ita forma rationalis implicite continetur in forma animalis, sicut et forma viventis in forma corporis, prout est genus, quia per corpus genus intelligimus habens formam, ex qua possint in eo designari tres dimensiones, sive ista forma sit sine anima, ut lapideitas, sive cum anima. Unde manifestum est, quod genus implicite seu potestate continet differentias. — 8. *Metaphys.* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 9 et 12; 10. *Metaphys.* l. 1 et 10; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1. a. 1. ad 2; *Opusc.* 30, c. 1; *Opusc.* 42, c. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod nil prohibet, quod genus in se contineat differentias diversas, sicut indeterminatum continet in se diversa determinata, licet objectio supponat, quod differentia adveniat generi ut diversa essentia ab eo existens, sicut advenit album homini, quod est falsum. — 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad secundum dicendum, quod genus licet habeat proportionem cum materia, et differentia cum forma, non tamen genus est materia, et differentia forma; aliter enim diversificatur materia per formas, et genus per differentias. Forma enim non est hoc ipsum, quod materia, sed facit compositionem cum illa; unde materia non est ipsum compositum, sed aliquid ejus; differentia vero non additur generi quasi pars parti, sed quasi totum toti, nam genus est hoc ipsum, quod species, et non solum aliquid ejus; nam si esset pars, non prædicaretur de illa, sicut non prædicatur materia. Sed tamen quia totum potest denominari ab una sola parte, ut si homo denominatur habens caput vel manus, contingit compositum denominari ex materia et forma; et quidem nomen, quo totum denominatur ab eo, quod est materiale in ipso, est nomen generis; nomen autem, quo denominatur a principio formali, est nomen differentiæ, sicut homo nominatur animal a natura sensitiva, rationalis vero ab intellectiva; sicut ergo habens manum convenit toti, licet manus sit pars, ita genus et differentia conveniunt toti, licet sumantur a partibus. Si ergo consideretur in genere et differentia id, a quo utrumque sumitur, hoc modo genus se habet ad differentias, sicut materia ad formas; si

vero considerentur, secundum quod denominant totum, sic aliter se habent. Nam licet sit commune utrique quod, sicut essentia materiæ dividitur per formas, ita natura generis diversificatur per differentias; differunt tamen, quod materia est in utroque diviso, non tamen est utrumque eorum; genus autem utrumque eorum est, quia materia nominat partem, genus autem totum. Et ideo loquens Philosophus de genere secundum quod differt a materia (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8.) dicit, quod genus est, quo ambo specie diversa dicuntur unum et idem, et quod genus non solum debet esse commune duobus differentibus specie, ita ut utrumque sit animal, sicut aliquid indivisum est commune divisis, sed hoc ipsum, quod est animal, debet esse utrumque, ita ut hoc animal sit homo, et consequenter quod illud, quod pertinet ad naturam generis, specie differat in diversis speciebus, et anima sensibilis in homine et equo, quod non convenit materiæ, quæ non est compositum, quod constituit, sed pars ejus. — 10. *Metaphys.* l. 4 et 10; 7. *Metaphys.* l. 9 et 12; *Opusc.* 30, c. 1.

Ad tertium dicendum, quod genus est extra essentiam differentiæ, si consideretur id, quod est de intellectu principali ejus, et id, unde sumitur genus; secus vero si consideretur genus, ut dicit totum, quod species; nam tunc differentia non additur generi, ut pars parti, sed ut totum toti. — *Opusc.* 30, c. 1; 10. *Metaphys.* l. 10.

Ad quartum dicendum quod, cum genus, quia est universale, sit quoddam confusum et indistinctum, ut dicitur 1. *Phys. text.* 5, c. 1, indistincte et confuse continetsuas partes, quidquid scilicet dicunt species et differentiæ; confusum autem et indistinctum medio modo se habet inter puram potentiam et actum perfectum; unde necesse est dicere, quod genus neque contineat actu completo species et differentias, nec pura potentia, sed medio modo, potestate scilicet seu confuse et indistincte. Non quidem actu completo, quia, ut argumentatur Philosophus (11. *Metaphys. text.* 1; l. 10, c. 1.), differentia sumitur a forma, sicut genus a materia, sed forma non includitur in materia actu: ergo nec differentia in genere. (1. *Phys.* l. 1; *Opusc.* 30. c. 1). Et propter hoc dicitur differentia non participare genus, quia, cum dico rationale, significatur aliquid habens rationem, non est autem de ratione et intellectu rationalis, quod sit animal; illud autem participatur, quod est de intellectu participantis. Neque continetur differentia in genere in pura potentia, quo modo continetur forma in materia; nam quod sic continetur in aliquo, neque est pars illius, neque est hoc ipsum, quod est illud, sed additur illi tanquam pars parti, ut patet in forma respectu materiæ; sed differentia continetur in genere actu, sed confuso et indistincto, et dicit totum, quod dicit species, et per consequens et totum, quod dicit genus, sed determinate et distincte, alioqui non posset prædicari de specie, quia pars integralis non prædicatur de toto; sicut et genus, quia dicit totum, quod dicit species, et quod differentia, sed indeterminate et indistincte et implicite, potest prædicari de specie; unde relinquitur, quod genus contineat differentias potestate seu implicite et confuse, medio modo inter puram potentiam et actum completum. — Quod confirmari potest, quia eo modo universale continet species, ut dicit Philosophus (1. *Phys.* l. c.), quo totum integrale suas partes, ut domus, et quomodo nomen definiti continet partes definitionis; sed partes totius integralis potestate continentur in toto, et similiter partes definitionis in definito; nam qui apprehendit domum, apprehendit partes, sed non distincte, cum nondum illas distinguat. Similiter et qui apprehendit nomen homo, concipit indistincte et confuse partes definitionis, cum illas nondum distinguat; ergo similiter et differentiæ continebuntur in genere confuse, indistincte et potestate, scilicet actu, quoad entitatem et potentia quoad distinctionem. — 8. *Metaphys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 1; 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30. c. 1; *Opusc.* 42. c. 1. 9. 10.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter potest accipi genus, uno modo secundum id, quod principaliter significat et a quo sumitur, et hoc modo comparatur ad differentias, sicut potentia ad actum et sicut materia ad formam; sumitur enim genus ab eo, quod est materiale in re, sicut

differentia ab eo, quod est formale, et ut sic continet differentias in genere causæ materialis, quomodo etiam materia continet formas. — Alio modo potest accipi genus ut nominat totum, quod dicit species et differentia, seu ut est totum confusum, et hoc modo genus, ut dicit Philosophus 2. *Phys. text.* 31; c. 3.), continet differentias in genere causæ formalis; omnes enim partes comparantur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, quæ est comparatio materiæ ad formam; non autem in genere causæ materialis, quia universalia non sunt materia, ex quibus componantur particularia, sed prædicant eorum substantiam. — 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30, c. 1; 1a. q. 85, a. 3, ad 2 et 4; 11. *Metaphys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 4; 2. *Phys.* l. 5; *Opusc*, 30. c. 1.

Ad sextum dicendum, quod species dicitur abundare a genere per differentiam, non quia hæc non contineatur in genere confuse et indistincte, sed quia species abundat, id est excedit in suo significato etiam illud, quod explicite significat differentia. — *Opusc.* 48, tract. 1. c. 4.

Ad septimum dicendum, quod licet genus significet totam essentiam speciei, non tamen sequitur, quod diversarum specierum existentium sub eodem genere sit una essentia. Nam unitas generis ex ipsa indeterminatione et indifferentia procedit, non autem ita, quod illud, quod significatur per genus, una natura numero sit in diversis speciebus, cui superveniat res alia, quæ sit differentia ipsum determinans, sicut forma determinat materiam, quæ est una numero, sed quia genus significat aliquam formam, non tamen determinate hanc vel illam, quam determinate differentia exprimit, quæ non est alia, quam illa, quæ indeterminate significabatur per genus. Et ideo Commentator dicit in 9. *Metaphys.* quod materia dicitur una per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur unum per communitatem formæ significatæ. Unde patet, quod per additionem differentiæ remota illa indeterminatione, quæ erat causa unitatis generis, remanet species diversa per essentiam. — *Opusc.* 30, c. 1.

ARTICULUS III

UTRUM GENUS PER SE PRÆDICATUR DE DIFFERENTIIS.

Videtur quod genus per se prædicetur de differentiis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 35 et 36; c. 22), quod animal per se prædicatur de homine; sed quidquid per se prædicatur de prædicato, prædicatur de subjecto : ergo animal per se prædicabitur de rationali, quod est differentia hominis. — 1, *Poster.* l. 32 et 33; *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 6.

2. Præterea, quæcumque sunt idem, ita se habent quod, quidquid prædicatur de uno, prædicatur etiam de altero; sed differentia dicit idem quod species; alioqui non prædicaretur de illa, quia pars non prædicatur de toto : ergo cum animal per se prædicetur de homine, per se etiam prædicabitur de rationali, quod est differentia hominis. — *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 7; *Opusc.* 30, c. 3.

3. Præterea, homo per se est animal, ut dictum est ex Philosopho; sed ob eamdem rationem homo per se est rationalis, quia utrumque est de definitione speciei, eique per se conveniens in primo modo, et præsertim differentia : ergo rationale per se erit animal, et sic genus per se prædicabitur de differentiis. — 1. *Poster.* l. 31, 32, 33.

4. Præterea, quidquid prædicatur de aliquo, vel prædicatur per se vel per accidens, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 15 et 34; c. 6 et 19); sed genus non prædicatur de differentiis per accidens. Nam dupliciter aliquid prædicatur per accidens secundum Philosophum ibidem, vel quando subjectum prædicatur de accidente, vel quando accidens prædicatur de subjecto; neutro autem modo genus per accidens prædicatur de differentia; neutrum enim est accidens, saltem in substantiis, et neutrum proprie est subjectum alterius; ergo genus per se prædicabitur de differentiis. — 1. *Poster.* l. 13 et 31; 3. *Metaphys.* l. 8.

5. Præterea, quæ prædicantur per accidens, non insunt subjecto necessario, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 15;

c. 6), et per consequens subjectum potest esse sine illis; sed rationale non potest esse sine animali; nam quælibet differentia facit esse in actu genus et complet ejus essentiam; ergo genus per se prædicatur de differentiis. — 1, *Poster.* l. 13; 1, c. *Gent.* c. 42, n. 8; 1a 2æ, q. 18, a. 7, ad 3; *de Pot.* q. 8, a. 4, ad 5.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3; 10. *Metaphys. text.* 12; l. 9, c. 3; 11. *Metaphys. sum.* 1, c. 1; l. 10, c. 1; 6. *Top. locus* 38 c. 9) dicit, quod impossible est, quod genus prædicetur de differentiis sine speciebus.—3. *Metaphys.* l. 8; 11. *Metaphys.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod genus per se sumptum non potest per se prædicari de differentiis, quod multipliciter potest esse manifestum. Et *primo* quidem, quia quidquid per se prædicatur de aliquo, aut est de definitione illius, aut contra illud ponitur in definitione hujus; sed neque genus ponitur in definitione differentiæ, quia differentia non participat genus, ut dicitur 4. *Top.* c. 3 et 11. *Metaphys. sum.* 1, c. 1; l. 10, c. 1, nec differentia ponitur in definitione generis; non enim genus, ut dicit Avicenna, est de intellectu differentiæ, neque contra. *Secundo*, quia si genus per se prædicatur de differentiis, etiam ens posset esse genus, cum prædicetur de differentiis. *Tertio*, quia genus, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 12; l. 9, c. 3), est quod prædicatur de pluribus differentibus specie; differentiæ autem non differunt specie, sed sunt se ipsis diversæ: ergo genus non prædicatur per se de differentiis; prædicatur tamen per se de eo, quod habet differentiam, id est de specie; et propterea dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3.), quod genus non prædicatur de differentiis sine speciebus, quia prædicatur de illis, secundum quod sunt in specie. Nihil enim prohibet aliquid per accidens inesse et prædicari de altero secundum se sumpto, quod eidem per se inest et prædicatur alio addito, sicut homini per accidens inest moveri, per se vero, in quantum est currens; similiter ergo et animal per accidens prædicatur de rationali secundum se sumpto, per se vero secundum quod est homo.—*Metaphys.* ll. cit.; *Opusc.* 30, c. 3; *de Pot.* q. 3, a. 16, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod illa maxima verificatur in prædicabilibus per se; prædicatur autem per se aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundum propriam rationem, non autem secundum identitatem rei: cum ergo dicitur rationale per se est homo, non est vera nisi secundum identitatem rei, non autem formaliter. Nam, ut dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3), impossible est prædicari species de differentiis; quod patet, quia cum differentia ponatur in definitione speciei, non posset species prædicari per se de differentia, nisi intelligatur, quod differentia esset subjectum speciei, sicut numerus est subjectum paris, in cujus definitione ponitur; hoc autem non sic se habet, sed magis differentia est quædam forma speciei. Quare non potest prædicari species de differentia, nisi forte per accidens, — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 6; 3. *Metaphys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod sicut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 21; c. 2.), non oportet, quod omnia eadem prædicentur quolibet modo de eisdem, sed solum de iisdem ratione; differentia autem et species, licet sint idem re, non sunt tamen idem ratione, ut dictum est, et ideo non oportet, quod quidquid prædicatur de uno prædicetur de altero. — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 7; 3. *Phys.* l. 5; *Opusc.* 30, c. 3.

Ad tertium dicendum, quod in argumento committitur fallacia accidentis, quæ est, quando id, quod convenit uni, tribuitur alteri, quod non est idem omnino illi. Cum enim species et differentia non sint omnino idem, — nam licet differentia sit de essentia speciei, non tamen definitio eadem est utriusque, non enim sola constituit speciem, sed addita generi, — non est necesse, quod quidquid verificatur de uno, verificetur de altero, nisi verificetur de illo, secundum quod est idem cum altero; secus vero, quando verificatur de illo, secundum quod est diversum ab altero, ut est in proposito. Nam cum animal non verificitur de homine, secundum quod est idem rationali, sed secundum quod differt ab illo, — non enim homo in quantum rationalis est animal, nam de intellectu rationalis non est animal, — non potest verificari de rationali simpliciter.

— *Opusc.* 39. *de fallaciis*, c. 8; 3 et 11. *Metaphys.* l. c; *Opusc.* 30. c. 3; *Opusc.* c. 1.

Ad quartum dicendum, quod rationale per accidens est animal, secundum quod per accidens prædicari, est, ut dicitur 1. *Post. text.* 9, c. 4., ita prædicari de re ut neque sit de definitione illius, neque contra, ut est in proposito. Nam, ut dictum est, neque genus participat actu differentiam, nec differentia genus. — Vel dic, quod per se dupliciter dicitur, vel ut opponitur ei, quod est per accidens, et sic non prædicatur genus de differentiis per accidens, vel ut opponitur ei, quod est per aliud, et hoc modo genus non prædicatur per se de differentiis, sed per aliud; nam ut dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3), prædicatur de illis mediantibus speciebus. — *Quodl.* 2, q. 2, a. 4, ad 1; 1. *Poster.* l. 9 et 10, et ll. cit. in c.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter loqui possumus de genere, vel quoad esse, vel quoad rationem. Si loquamur de genere priori modo, differentia complet genus, nam facit esse genus in actu; sed in prædicatione per se non spectatur esse, sed ratio prædicati per ordinem ad rationem subjecti; nam prædicatum per se est illud, quod ponitur in definitione subjecti, vel contra, ut dicitur 1. *Poster. text.* 15 et 19; c. 6 et 7. Si vero loquamur de genere posteriori modo, cum animal, ut dictum est, non sit de intellectu rationalis, et per consequens genus non sit de conceptu differentiæ, optime possumus intelligere differentiam absque eo, quod intelligamus genus, et propterea genus non inest necessario differentiæ, nec contra. — 1. *c. Gent.* c. 42, n. 8; 1a 2æ, q. 18, a 7, ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM IN SUBSTANTIIS MATERIALIBUS GENUS SUMATUR A MATERIA ET DIFFERENTIA A FORMA, ET IN IMMATERIALIBUS UTRUMQUE SUMATUR AB EADEM ESSENTIA.

Videtur quod in substantiis materialibus genus non sumatur a materia et differentia a forma.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 34; l. 6, c. 10.), quod materia non est pars speciei nec pertinet ad speciem; sed genus, cum sit pars speciei, debet ab illo sumi, quod pertinet ad speciem : ergo genus non sumitur a materia. — 7. *Metaphys.* l. 9.

2. Præterea, ita se habet materia ad hominem, sicut æs ad circulum, dato, quod nullus circulus esset, nisi æneus, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 37; l. 6, c. 11; sed æs nullo modo est de ratione circuli : ergo nec materia de ratione hominis; sed genus debet sumi ab illo, quod est pars rei atque adeo de intrinseca ratione illius, cum partes definitionis respondeant partibus rei, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 33; l. 6, c. 10 : ergo genus non sumitur a materia. — 7. *Metaphys.* l. 11 et 9.

3. Præterea, genus et differentia prædicantur de toto composito; sed materia et forma non prædicantur de illo, cum sint ejus partes integrales : ergo.— *Opusc.* 42. c. 5; *de Spirit. Creat.* a. 1, ad 24; 8. *Metaphys.* l. 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c.

4. Præterea quidquid est in genere aliquo, participat rationem illius; sed ratio substantiæ, secundum quod est prædicamentum, non est, quod sit composita ex materia et forma, quia tunc substantia esset de consideratione naturalis, non autem metaphysici : ergo ratio generis substantiæ in materialibus non sumitur a materia. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, arg. 1 et ad 1; *de Spirit. creat.* a. 1, ad 10 et 23.

5. Præterea, quæcumque sunt in genere aliquo, participant uniformiter principia illius generis; sed substantiæ materiales et immateriales sunt in eodem genere substantiæ : ergo participant uniformiter principia illius; sed principia substantiæ ut dicitur de immaterialibus, non sunt materia et forma, ut patet : ergo neque hæc erunt principia substantiæ, ut dicitur de materialibus, et sic genus substantiæ non sumetur in illis a materia. — 2. *Sent.* l. c., arg. 2; *de Spirit. Creat.* l. c. arg. 23.

6. Præterea, materia est ignota; sed genus est principium cognoscendi, utpote prima pars definitionis : ergo genus non sumitur a materia. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 2, c.

Sed contra est quod Philosophus dicit (7. *Metaphys. text* 33; l. 6, c. 10), quod ita se

habet definitio ad rem, sicut partes definitionis ad partes definiti; sed non alia ratione partes definitionis respondent partibus rei, quam quia una pars definitionis, puta genus, sumitur ab una parte rei, et altera ab altera; ergo genus sumitur a materia et differentia a forma. — 7. *Metaph.* l. 9.

2. Præterea, differentia, est nobilior genere; sed non nisi quia differentia sumitur a parte nobiliore; ergo cum in composito forma sit nobilior materia, ab hac sumetur genus, ab illa differentia. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 6, ad 1.

Videtur quod in substantiis immaterialibus genus et differentia non sumatur ab eadem essentia.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text* 33; l. 6, c. 10), quod partes definitionis significant partes rei; sed in substantiis immaterialibus nulla est alia compositio, quam ex essentia et esse : ergo genus et differentia, quæ sunt partes definitionis, sumuntur in illis ex essentia et esse, et non ab eadem essentia. — 7. *Metaphys.* l. 9; 1a, q. 50, a. 2, ad 1.

2. Prætere, agenus sumitur ab eo, quod est in potentia, differentia vero a forma seu ab actu; sed in substantiis immaterialibus essentia est ut potentia, esse ut actus: ergo genus et differentia sumuntur ab his, non autem ab eadem essentia. — *Opusc.* 42, c. 4.

3. Præterea, si genus et differentia sumuntur ab eadem essentia, maxime quia genus sumitur ab essentia, quatenus est in potentia ad esse, differentia vero ab eadem, quatenus magis vel minus accedit ad actum purum et recedit a potentia; sed hoc dici non potest, nam major et minor perfectio non diversificat speciem : ergo differentia in illis non poterit sumi a perfectione majore vel minore. — *Opusc.* 30. c. 5.

4. Præterea, genus dividitur per duas oppositas differentias, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 42; 6, c. 12; sed gradus perfectionis sumpti ex majore vel minore recessu a potentialitate sunt plures in infinitum; ergo differentiæ in substantiis immaterialibus non sumuntur a gradibus perfectionis, et sic non ab eadem essentia, a qua sumitur genus, sumetur etiam differentia. — 7. *Metaphys.* l. 12; *Opusc* 30, c. 5.

Sed contra est, quod substantiæ immateriales sunt simplices quidditates; sed in simplici quidditate non potest genus sumi ab una parte quidditatis, et differentia ab alia, sed utrumque sumitur ab eadem quidditate : ergo in substantiis immaterialibus genus et differentia sumuntur ab eadem essentia. — *Opusc.* 30, c. 5.

RESPONDEO DICENDUM, quod genus et differentia dupliciter possunt accipi : *uno modo*, secundum considerationem realem, prout considerantur a metaphysico et naturali, et sic oportet, quod genus et differentia super diversis naturis saltem originaliter et remote fundentur, et hoc modo nihil prohibet dicere, quod in substantiis immaterialibus non sint genus et differentia, sed sint formæ tantum et species simplices. Et ideo dixit Avicenna, quod differentiam simplicem non habent nisi species et naturæ compositæ ex materia et forma. *Alio modo* secundum considerationem logicam, et sic non oportet, quod genus et differentia fundentur super naturis diversis, sed super una, in qua possit considerari aliquid proprium et aliquid commune, quæ scilicet habeat esse diversum a quidditate. Ut enim dicit Avicenna in sua *Metaphys.* tract. 8, c. 4. omne id, quod habet esse aliud a sua quidditate, oportet, quod sit in genere, quia omne tale habet naturam determinatam per se, unde comprehendi potest per actum rationis, cujus est intentiones generis et differentiæ formare, quod non fieret, nisi in natura rei esse aliud esset ab essentia; propterea enim hoc non facit intellectus in Deo, quia in illo esse est ipsius quidditas. Et hoc modo potest poni genus et differentia in substantiis separatis, suntque in eodem prædicamento substantiæ, in quo et substantiæ materiales; nam cum habeant esse diversum a quidditate, convenit illis ratio prædicamenti substantiæ secundum Avicennam, quæ est, quod sit res habens quidditatem, cui debetur esse per se, non in alio, quod scilicet aliud est a quidditate. Ex ipsa enim possibilitate quidditatis seu ex potentia essentiæ cujuslibet rei, quæ est in prædicamento substantiæ (quæ potentia importatur, cum dicitur habens esse aliud ab essentia sua), sumitur ratio

generis; ex complemento autem et perfectione quidditatis, per quam appropinquat ad esse actus, sumitur ratio differentiæ. Sed alio modo hoc est in substantiis compositis et in simplicibus. Potentialitas enim totius compositi in rebus materialibus est a materia, et ideo originaliter et remote ab illo sumitur genus, perfectio vero et complementum totius a forma; et ideo originaliter ab illa sumitur differentia, per formam enim compositum attingit esse actu, et propterea aliud et aliud est in essentia substantiæ compositæ, unde sumitur ratio generis et ratio differentiæ. — *Quæst. disp*; *de Anima* a. 7, ad 17; 1a, q. 88, a 2, ad 4; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 1 et a. 3, c; *Opusc.* 30, c. 5; *Opusc.* 41. c. 5; 2, c. *Gent.* c. 95. et Ferrariensis in h. l.

Verum quia materia et forma secundum se sumptæ, quomodo dicuntur materia et forma partis, cum sint partes integrales totius compositi, non possunt prædicari de illo, ideo proxime et immediate non sumitur ratio generis et ratio differentiæ a materia et forma secundum se sumptis, sed ab eo, quod est materiale, et ab eo, quod est formale in composito, seu a materia et forma totius. Animal enim, quod est genus hominis et leonis, sumitur a materia, secundum quod per formam recipit esse quoddam imperfectum et materiale respectu esse specifici, quale est esse animalis respectu esse hominis, quod in homine datur ab eadem forma; rationale vero, quod est differentia hominis, sumitur a forma totius, scilicet ab anima, secundum quod simul cum materia dat esse specificum et determinatum, quod est complementum et perfectio prioris esse; differentia enim adveniens generi non advenit illi ut pars parti, sed ut totum determinatum et signatum toti indeterminato et non signato. Et hoc patet, si consideretur, quomodo corpus sit pars et genus corporis animati, et animatum differentia; semper enim invenitur genus sumptum immediate et proxime a quodam toto, secundum quod induit rationem materialis, et differentia ab eo, quod est formale, quod tamen est totum. Si enim nomine corporis significetur res hujusmodi, ut in ea possint designari tres dimensiones, sub hac conditione, ut superveniat illi alia perfectio, quæ compleat ipsam in ratione nobiliore, sicut est anima, sic corpus est pars animalis et non illius genus, et sic non prædicatur de animali. Si vero nomine corporis significetur res habens talem naturam ex quacumque forma ipsam perficiente, ut possint in ea designari tres dimensiones, tunc corpus est genus et significabit totum, (quia quæcumque forma sumatur specialis, non erit extra hoc, per quod ratio corporis conditionabatur), sed tamen indistincte, eo quod non determinatur, utrum ex tali vel tali forma dictam rationem habeat. Sed cum dicitur animatum, designatur forma, per quam talem rationem recipit, quamvis etiam aliquid plus recipiat ab anima quam rationem corporis. In simplicibus autem substantiis genus et differentia non sumuntur a diversis partibus quidditatis, cujus aliquid sit potentialitas quædam et aliud perfectio, cum in eis non sit nisi una compositio, essentiæ scilicet et esse, sed utrumque fundatur super unum simplex et per essentiam indivisibile, quod quidem habet possibilitatem, secundum quod de se non habet esse, et inde sumitur ratio generis; complementum autem habet, prout est quædam similitudo divini esse, seu quatenus magis vel minus participat actum purum, et consequenter magis vel minus recedit a potentialitate. Quanto enim aliquid est propinquius actui puro et primo, tanto minus potentialitatis habet, et inde sumuntur specificæ differentiæ, quæ in eis multiplicantur juxta multitudinem graduum complementi seu propinquitatis in illis ad actum purum; et hinc patet, quid probent objecta. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c; *de Spirit. Creat.* a. 1, ad 24; *Opusc.* 30 et 42, l. c.; *Opusc.* 70, q. 4, a. 2, c; 10. *Metaphys.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 12; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod species dupliciter sumitur, uno modo pro forma, quomodo sumitur à Philosopho, et sic materia non pertinet ad speciem nec est pars ejus. Alio modo pro universali, ut cum hominem dicimus esse speciem et hoc modo materia per se pertinet ad speciem. — 7. *Metaphys.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus l. c. dubitative loquitur; nam infra (*text.* 39; c. 11) dicit, non esse simile id, quod dictum est, de ære respectu circuli, etiam dato, quod omnis circulus esset æneus, et de carnibus et ossibus respectu hominis, quia circulus non est aliquod sensibile secundum suam rationem, potest enim intelligi sine materia sensibili; unde æs, quod est materia sensibilis, non est pars speciei circuli; sed animal est quoddam sensibile, non enim potest definiri sine motu, ut patet 1. *de Anima text.* 19; c. 2, et ideo nequit definiri sine partibus corporalibus se habentibus aliquo modo determinato ad motum. — 7. *Metaphys.* l. 11.

Ad tertium dicendum, quod genus et differentia non sumuntur immediate et proxime a materia et forma, ut sunt materia et forma partis, sed ut sunt materia et forma totius, quomodo, cum dicant totum compositum, de illo prædicari possunt, licet illud dicant modo diverso. Nam animal significat habens animam sensitivam, rationale verò intellectivam, quarum illa materialiter se habet ad hanc; cum enim compositum denominari possit ab una sola parte, nomen ipsum denominans a parte materiali seu ab eo, quod est materiale in ipso, dicitur genus, quod vero a principio formali, dicitur differentia, licet utrumque significet totum, quod est species. — ll. cit. in fine corp.; 1a 2æ, q. 67, a. 5, c; *de Pot.* q. 8, a. 4, ad 5 et 8.

Ad quartum dicendum, quod licet verum sit, quod de ratione substantiæ est, quod subsistat quasi per se ens, et quod non est de ratione substantiæ, quod hoc subsistens habeat quidditatem compositam ex materia et forma, hæc tamen ratio in substantiis materialibus fluit ex materia, sicut ratio differentiæ ex forma. Nam compositioni ex materia et forma in rebus materialibus respondet compositio intellectus, qua totum universale, puta genus et differentiam prædicat de sua parte, et definitio compositi designat compositionem realem; at in substantiis separatis ratio substantiæ non sumitur a materia vel forma, quibus carent, sed a quidditate illarum, secundum quod habent potentialitatem ad esse, et compositio, quæ est in definitione, non reducitur in aliquam compositionem rei, sed rationis. — ll. cit. in arg. et fine corp.; 1a, q. 85, a. 5, ad 3 et q. 50, a. 2, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod genus substantiæ dupliciter potest considerari, uno modo physice, et hoc modo ejus principia sunt materia et forma, alio modo, logice, et sic ejus principia sunt actus et potentia, commune et proprium, res eadem indeterminate et determinate concepta, quidditas et esse inter se diversa. Si ergo considerentur genus et differentia priori modo, substantiæ separatæ non habent genus et differentiam, et consequenter non sunt in prædicamento substantiæ. Si vero considerentur posteriori modo, habent genus et differentiam, et sunt in genere substantiæ; sed tunc falsum est, quod principia substantiæ, ut est genus logicum commune omnibus substantiis, sint materia et forma. — l. c. in arg.; *Quæst. disp. de Anima*, a. 7, ad 17; 1a, q. 50, a. 2, ad 1 et q. 88, a. 2, ad 4; 2. c. *Gent.* 92; *Opusc.* 30 et 42, l. c.

Ad sextum dicendum, quod genus, sicut et ejus diversitas, non sumitur à materia secundum se sumpta, nam sic est ignota, sed secundum quod est cognoscibilis. Est autem cognoscibilis dupliciter, *uno* modo per analogiam ad artificialia, ut dicit Philosophus (1. *Phys.*); *alio* modo per formam, per quam habet esse actu; unumquodque enim cognoscitur, secundum quod est actu, non secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. *Metaphys.* Et priori modo sumuntur a materia decem summa genera et diversitas eorum inter se; a materia vero posteriori modo cognita sumuntur genus substantiæ et alia genera sub illo contenta. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 2, c.

Ad septimum dicendum, quod partes definitionis dicuntur significare partes rei, quatenus a partibus rei sumuntur, non autem quia sint ipsæ partes rei; non enim animal est pars hominis neque rationale, sed animal sumitur ab una parte et rationale ab alia, ut dictum est. — 7. *Metaphys.* l. 9; 8. *Metaphys.* l. 2.

Ad octavum dicendum, quod differentia non est nobilior genere, sicut una natura vel forma est nobilior altera, quia diffe-

rentia nullam formam dicit, quæ implicite non contineatur in natura generis, ut dicit Avicenna in *Metaphys.* tract. 5, cap. ult. Genus enim non significat partem essentiæ rei, sed totum — sed dicitur genere nobilior, sicut determinatum indeterminato; habere enim intellectum sic vel sensum sic, est nobilius, quam habere intellectum vel sensum simpliciter. — II. cit. in arg.

Ad nonum dicendum, quod in substantiis separatis licet essentia sit ut potentia et esse ut actus, non tamen earum genus sumitur ab essentia et differentia ab esse, quia essentia in angelo est aliud ab esse; illud autem, unde sumitur differentia, non est aliud ab essentia rei constitutæ per differentiam; esse autem cujuslibet rei citra primum ens accidens est, cum quid sit de essentia rei cadat in ejus definitione, esse autem non pertineat ad definitionem rei, cum res definiri possit, etiam si esse non habeat. Unde hæc propositio Socrates est, secundum Commentatorem est de prædicato accidentali. — *Opusc.* 42, c. 4.

Ad decimum dicendum, quod in compositis materialibus composita definitio designat realem compositionem; at in simplicibus compositio definitionis non reducitur in aliquam compositionem rei, sed secundum rationem, quæ fundatur in veritate rei, ut cum dicitur angelus est substantia intellectualis creata, quodlibet horum nominum habet veram significationem in angelo, et significatum unius non est significatum alterius, et tamen diversitas significationum non fundatur super diversitate rei, sed super eadem re diversimode concepta; ratio enim generis in angelis sumitur ab eorum essentia, in quantum concipitur indeterminate, differentia vero ab eadem concepta determinate. — 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2; Cfr. *Soncinas* in 12. *Metaphys.* q. 47; 1a, q. 50, a. 2, ad 1.

Ad undecimum dicendum, quod gradus perfectionis in recipiendo eamdem formam non diversificat speciem, ut magis et minus album in recipiendo albedinem ejusdem rationis; sed diversus gradus in ipsis formis vel naturis participatis, ut contingit in proposito, diversificat speciem, sicut natura procedit per gradus de plantis ad animalia per quædam, quæ sunt media inter animalia et plantas secundum Philosophum in lib. 7. *de Animal.* — *Opusc.* 30, c. 4.

Vel dic, quod magis et minus, secundum quod causantur ex intentione et remissione unius formæ, non diversificant speciem, sed secundum quod causantur ex formis diversorum graduum, sicut si dicamus, quod ignis est perfectior ære; et hoc modo angeli diversificantur secundum magis et minus. — 1a, q. 50, a. 4, ad 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, ad 6.

Ad duodecimum dicendum, quod non est necessarium, ut distinctio substantiarum intellectualium sit semper per duas differentias; quia hoc est impossibile in omnibus rebus accidere, ut dicit Philosophus in lib. 10, *de Animal.* — *Opusc.* 30, c. 4.

ARTICULUS V

UTRUM EX GENERE ET DIFFERENTIA FIAT UNUM PER SE.

Videtur quod ex genere et differentia fiat unum per se.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 42; l. 6, c. 12.), quod ex duobus, quorum unum non inest alteri, non fit unum; album enim, quod non inest homini, et homo, non sunt idem secundum rem; sed genus et differentiæ ex Philosopho ibidem ita se habent; nam differentia non inest generi, alioqui idem participaret contraria, differentiæ enim contrariæ sunt; ergo ex genere et differentia non fit unum. — 7. *Metaphys.* l. 12.

2. Præterea, ex subjecto et accidente non fit unum per se; sed differentia est accidens generis, quidquid enim non pertinet ad essentiam alicujus, est accidens illius; differentia autem est extra essentiam generis, ut dictum est; ergo ex genere et differentia non fit unum per se. — l. c.; 3a, q. 2, a. 6, arg. 3; v. supra art. 3.

3. Præterea, quæcumque sunt unum supposito et multo magis essentia, ubicumque et in quocumque est unum, est aliud; sed genus alicubi reperitur, ubi non aliqua ejus differentia, ut in homine reperitur animal, in quo non reperitur irrationale, quod est differentia animalis;

ergo genus et differentia nec sunt nec faciunt unum per se. — 3. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 2. arg. 2; *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 10.

4. Præterea, si genus et differentia sunt unum, sequitur omnes species, quæ per differentias constituuntur, esse unum cum genere, ac proinde unam esse essentiam omnium specierum inter se; nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed hoc est impossibile : ergo genus et differentia, nec sunt nec faciunt unum per se. — *Opusc.* 30, c. 3; 1. p. q. 28, a. 3. arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Periherm.* c. 5; 7. *Metaphys. text.* 42; l. 6, c. 12.) dicit, quod animal et gressibile non sunt plura, sed unum. — 1. *Periherm.* l. 8; 7. *Metaphys.* l. 12.

RESPONDEO DICENDUM, quod ex genere et differentia fit unum per se; quod manifestum esse potest ex multis. Et *primo* ex significato utriusque; illud enim, quod significant, est substantia rei, substantia autem est unica. *Secundo* ex proportione generis et differentiæ ad materiam et formam; quia differentia advenit generi non per accidens, sed per se, tanquam determinativa ipsius per modum, quo materia determinatur per formam; nam a materia sumitur genus, a forma vero differentia; ex materia vero et forma fit unum per se, quare et fiet ex genere et differentia. *Tertio* ex comparatione generis ad differentias; genus enim non est præter ea, quæ sunt species generis, non enim invenitur animal, quod non sit homo, nec bos, nec aliquid hujusmodi; sed ex hoc animal non potest esse sine speciebus, quia formæ specierum, quæ sunt differentiæ, non sunt aliæ formæ a forma generis, sed sunt forma generis cum determinatione; ergo genus et differentia sunt unum et constituunt unum per se. *Quarto* ex similitudine, quæ est inter genus et differentiam et partes numeri. Ut enim dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3.) definitio, cujus partes sunt genus et differentia, est sicut numerus; sed inter similitudines, quas Philosophus l. c. affert inter definitionem et numerum una est, quod sicut numerus est unum per se, quatenus ultima unitas dat numero speciem et unitatem. — est enim veluti forma cæterarum, — ita definitio constans genere et differentia est unum; unde genus et differentia faciunt unum per se, quia differentia habet rationem formæ et genus materiæ. — 7. *Metaphys.* l. 12; 1. *Periherm.* l. 7; 8. *Metaphys.* l. 3; *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 42, c. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod genus facit unum per se cum differentia, quia hæc non additur illi tanquam diversa essentia, quomodo additur album homini, sed additur tanquam totum determinatum et signatum toti indeterminato et non signato, et consequenter tanquam essentia implicite contenta in genere, eo modo, quo determinatum est in indeterminato; unde sicut nihil prohibet, quod indeterminatum in se contineat diversa determinata, ita et genus poterit continere diversas differentias. — 7. *Metaphys.* l. 12; 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30, c. 3.

Ad secundum dicendum, quod licet differentia sit extra conceptum generis, ut dictum est, quia tamen non significat diversam essentiam ab essentia generis, quomodo significatur ab accidente respectu subjecti, — eadem enim essentia concepta indeterminate fundat conceptum generis, concepta vero determinate fundat conceptum differentiæ — propterea ex genere et differentia fit unum per se, non autem ex subjecto et accidente. — 7. *Metaphys.* l. 12; 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30. et 42. l. c.

Ad tertium dicendum, quod natura generis, ut natura animalis, dupliciter potest considerari. *Uno* modo secundum se, et sic cum ejus unitas non descendat ad inferiora, sed multiplicetur ad multiplicationem illorum, non est in plus quam species et differentia quælibet; unde quot sunt naturæ specificæ, tot etiam sunt naturæ genericæ in ipsis speciebus, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8), specie distinctæ. *Alio* modo potest considerari ut substat intentioni universalitatis, et sic est in plus, quam quælibet differentia et species; est enim id, quo plura animalia specie diversa, ut dicitur l. c., dicuntur unum et idem, et per consequens ab illo ad differentias et species non convertitur subsistendi consequentia;

et ideo potest reperiri genus in aliquo cum una differentia et non cum alia. — Vel dic, quod quæcumque sunt eadem re et ratione, oportet quod in quocumque est unum, sit aliud, non autem oportet hoc de iis, quæ sunt eadem re, sed non ratione, quomodo se habent genus et differentia; nam licet eamdem rem significent, conceptus tamen generis est extra conceptum differentiæ, et contra, ut dictum est. — *Opusc.* 42, c. 9; 10. *Metaphys.* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod quamvis genus significet totam essentiam speciei et per consequens id totum, quod significat differentia, non tamen oportet, ut diversarum specierum, quarum est idem genus, sit una essentia, ut dictum est. — V. supra art. 2, ad 7.

Vel dic, quod secundum Philosophum (3. *Phys. text.* 21; c. 2) argumentum illud tenet, quod quæcumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his, quæ sunt idem re et ratione; unde ibidem (*text.* 22; c. 2), dicit, quod licet actio sit idem motui, similiter et passio, non tamen sequitur, quod actio et passio sint idem, quia in actione importatur respectus, ut a quo est in mobili, in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter licet genus et differentia significent eamdem essentiam, quia non significant illam eodem modo,— nam genus significat illam cum indeterminatione, differentia vero cum determinatione,— ideo ex identitate generis et differentiæ secundum rem, non sequitur identitas realis omnium differentiarum et specierum inter se. — *Opusc.* 30, c. 3; 10. *Metaphys.* l. 10.

ARTICULUS VI

UTRUM GENUS ET DIFFERENTIA DISTINGUANTUR INTER SE REALITER, AN SOLA RATIONE.

Videtur quod genus realiter distinguatur a differentia.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Metaphys. text.* 9; l. 7, c. 3), quod oportet definitionem esse longam orationem, quia aliquid significat de aliquo, et hoc oportet ut materiam, illud vero ut formam; sed ubi est aliquid et aliquid, est compositio et per consequens distinctio realis; ergo genus et differentia distinguuntur realiter. — 8. *Metaphys.* l. 3; *de Pot.* q. 7, a. 1, arg 4.

2. Præterea, id, quod facit distinctionem in speciebus, non est idem cum eo, quod non distinguit; nam idem non potest distinguere et non distinguere, cum affirmatio et negatio non verificentur de eodem; sed in specie differentia distinguit, genus vero non distinguit, cum sit id, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8, quo ambo specie differentia dicuntur unum et idem: ergo genus et differentia non sunt realiter idem. — *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 8; 1. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 1, arg. 2; 10. *Metaphys.* l. 10.

3. Præterea, eorum, quæ sunt realiter idem, ubi est unum, est aliud; sed in una specie est genus, et non est aliqua differentia generis; ut in equo, ubi est animal, quod est genus, non est rationale, quod est differentia animalis; ergo genus et differentia realiter distinguuntur. — Sed dices, quod sunt idem re, sed differunt ratione. — *de Pot.* l. c. arg. 10; 1. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, arg. 2.

4. Contra, aut ista ratio est aliquid in re, aut nihil; si nihil: ergo genus et differentia sunt idem re, unde sequitur, quod supra deducebamus; si est aliquid: ergo genus et differentia etiam re distinguuntur et non tantum ratione. — 1. *Sent.* l. c. arg. 3.

5. Præterea, si genus est realiter idem cum differentia, superflue ponetur genus, in definitione et committetur nugatio; nam bis ponetur, semel in se et semel in differentia, quod reprobat Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12), cum ait, nugationem committi in hac definitione: animal habens pedes bipes; sed non superflue ponitur genus in definitione, ut patet et docet Philosophus ibidem; ergo genus et differentia realiter distinguuntur. — 7. *Metaphys.* l. 12.

6. Præterea, si genus non distingueretur realiter a differentia, nullum esset discrimen inter genus analogum et univocum; nam genus analogum est tale, quia secundum rem inhibitur et est idem cum suo contrahente; at manifestum est, distingui hæc duo genera: ergo non nisi quia genus univocum realiter distinguitur a differentia contrahente, secus vero ge-

nus analogum. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 1, a. 1, c; *Opusc.* 42, c. 1, et 2.

Sed contra est : 1. quod differentia prædicatur de genere, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 6; l. 7, c. 2); sed quod prædicatur de aliquo, necessario debet dicere totum illud, de quo prædicatur; nam pars non prædicatur de toto; ergo differentia dicit idem quod genus, et consequenter non distinguitur ab illo realiter. — 8. *Metaphys.* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 42, c. 9.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12), quod genus non est præter species; sed ideo hoc est, quia formæ specierum, quæ sunt differentiæ, non sunt aliæ formæ realiter a forma generis : ergo genus et differentia non distinguuntur realiter. — 7. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 30, c. 3 : *Opusc.* 42, c. 8.

3. Præterea, genus facit unum per se cum differentia; sed hoc ideo est, quia differentia non additur tanquam diversa essentia ab essentia generis, sed tanquam eadem determinate concepta; ergo genus et differentia non distinguuntur realiter. — 10. *Metaphys.* l. 10; 1a, q. 50, a. 4, ad 1; 7. *Metaphys.* l. 12; 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 42, c. 8.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, genus et differentiam non distingui realiter, sed sola ratione; et quidem *non* distingui *realiter*, manifestum esse potest ex multis. Et *primo* ex comparatione generis et differentiæ ad definitionem, cujus sunt partes, quia licet utrumque ponatur in definitione, ut tamen docet Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12.), definitio est ratio tantum ex differentia ultima, non ex genere; ideo autem definitio est ratio ex differentia, quia genus non est præter differentias, et differentia ultima continet cæteras superiores; unde genus et differentia non significant partes essentiæ, sed significant unum, quod differentiam ultimam constituit. *Secundo* ex comparatione generis et differentiæ ad speciem; quia quidquid prædicatur de aliquo, necessario debet aliquo modo dicere totum illud, de quo prædicatur, quia nulla pars integralis dicitur de toto; genus autem et diffentia prædicantur de specie, quare et idem ambo debent dicere. *Tertio* ex diversitate, quæ est inter genus et differentiam ex una parte, et materiam et formam, quibus illa assimilantur et ex quibus desumuntur, ex altera; nam materia et forma sunt partes reales, et ideo nec dicunt totum compositum, nec de illo prædicantur; sed genus et differentia sunt partes rationis, et ideo dicunt totum compositum et de illo prædicantur. *Quarto* ex diversitate modorum, quibus differentia advenit generi, et accidens subjecto; accidens enim advenit subjecto tanquam diversa essentia ab essentia subjecti, et ideo non potest facere unum per se cum illo; at differentia advenit generi, non quasi diversa essentia et natura a genere, sed quasi aliquid in genere implicite et indistincte contentum, et ideo potest cum genere facere unum per se. *Quinto* ex ipsis rationibus generis et differentiæ; quæ namque distinguuntur secundum diversas rationes vel intentiones logicas consequentes modum intelligendi, non distinguuntur realiter, sed sola ratione, quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Ita vero distinguuntur genus et differentia; quia enim anima rationalis verbi gratia virtute continet id, quod sensitiva habet, et adhuc amplius potest seorsum ratio considerare, quod pertinet ad virtutem sensitivam, quasi quoddam imperfectum et materiale; et quia hoc invenitur commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format; id vero, in quo anima rationalis sensitivam excedit, accipit quasi formale et completum, et ex hoc format differentiam hominis; unde sequitur genus et differentiam non distingui inter se realiter, sed *sola ratione*, quod præter dicta ex mox dicendis constare poterit. — V. ll. cit. in *Sed contra* 3°;5. *Metaphys.* l. 2 et 21; 7. *Metaphys.* l. 9; 8. *Metaphys.* l. 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c.; 1a, q. 76, a. 3, c. et ad 4.

Sciendum enim est ad hujus evidentiam, quod ratio cujuslibet est, quam significat nomen ejus, sicut ratio lapidis, quam significat ejus nomen; nomina autem sunt signa intellectualium conceptuum. Unde ratio cujusque rei significata per nomen est conceptio intellectus, quam significat nomen; hæc autem conceptio intellectus

est quidem in intellectu sicut in subjecto, sed est in re tanquam in repræsentato et tanquam in causante veritatem in conceptione concipientis rem sicut est. Cum igitur intellectus rem aliquam comprehendit, una conceptione rem illam perfecte repræsentat; quando vero non comprehendit, plures conceptiones de illa formal, quibus plures perfectiones repræsentantur, quæ sunt idem re, quia una et eadem res pluribus conceptionibus, licet inadæquatis et imperfecte repræsentatur, sed differunt ratione propter diversas conceptiones de eadem re formatas, ortas tum ex imperfectione intellectus non potentis rem illam unica conceptione comprehendere, tum ex modo cognoscendi nostri intellectus, qui perfectiones illas, quæ sunt in eadem re, cognoscit ex variis operationibus et perfectionibus, quæ in diversis vel in eodem realiter distinguuntur. (*Opusc.* 9, q. 1, 2, 3; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, 3 et dist. 33, q. 1, a. 1, ad 3) Quia ergo intellectus non potest unico conceptu comprehendere essentiam hominis, dividit illam in conceptionem alicujus communis et indeterminati, et in conceptum alicujus proprii et determinati, et illud quidem commune et indeterminatum, quod est in homine, puta animal, atque adeo genus hominis, concipit per hoc, quod videt illud etiam convenire aliis animalibus præter hominem; rationale vero, quod est quid determinatum et proprium et differentia hominis, concipit per hoc, quod talem perfectionem in solo homine videt; quo fit, ut rationale et animal, quæ sunt in homine genus et differentia illius, sint tantum plura ratione propter diversos conceptus, sint autem omnino idem re, quia id omne, quod est in specie, concipitur concipiendo animal et rationale, sed diverso modo. Nam totum, quod est in homine repræsentatur per conceptum animalis, sed indeterminate, et per conceptum differentiæ, sed determinate; nam quidquid est in specie, est etiam in genere, sed ut indeterminatum; et in differentia, sed ut determinatum. Unde manifestum est, genus et differentiam sola ratione distingui. — 1. *Periherm.* l. 10; *Opusc.* 42. c. 2; *Opusc.* 30. c. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod definitio adjungit aliquid alteri, quorum unum est ut materia, alterum ut forma, quia genus sumitur a materia, et differentia a forma in compositis substantialibus originaliter et remote; proxime vero genus sumitur ab eadem entitate et forma cum indeterminatione et communitate accepta, differentia vero sumitur ab illa cum determinatione. — *Opusc.* 30. c. 3; 5. *Metaph.* l. 8. (al. 6.); 8. *Metaph.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod facit distinctionem, potest esse cum eo, quod nec distinguit nec distinguitur, idem re, sed non ratione. Unde ad illam propositionem dicendum, quod de eodem secundum idem est impossibile aliquid idem affirmare et negare; sed si in aliquo distinguuntur affirmationes et negationes pertinentes ad illam distinctionem, de ipso verificari poterunt, quia omnis distinctio, sive rei sive rationis, fundatur super affirmatione et negatione, ut patet in synonymis; tunica enim et vestis rem eamdem significant, tamen nomina sunt diversa. Unde affirmationes et negationes, quæ pertinent ad rem, non possunt verificari, ut dicatur tunica est alba, vestis non est alba; sed affirmationes et negationes, quæ pertinent ad ipsa nomina, possunt verificari, ut dicatur indumentum est neutrius generis, vestis non est neutrius generis. Similiter ergo in proposito; cum genus et differentia sint idem secundum rem, nihil, quod ad naturam rei pertinet, quod prædicatur de genere, potest negari de differentia, ut dicatur, quod genus, puta animal est natura creata et limitata, et quod differentia non est natura creata et limitata; sed quia ratione distinguuntur, quidquid pertinet ad rationem illam, in qua distinguuntur, quod prædicatur de uno, potest de altero negari, ut dicatur, quod genus est quid commune, differentia non item, genus non distinguit, differentia distinguit, et sic de aliis, — ll. cit. in arg; 1. *Periherm.* l. 10.

Ad tertium dicendum, quod genus, ut dicitur 10 *Metaphys. text.* 24; 9, c. 8, ita debet esse unum in speciebus diversis, ut ipsummet in ipsis debeat specie differre, ita ut differentia faciens differre specie, sit diversitas quædam generis, idest ipsum diversificet in ipsis speciebus, ut verbi

gratia, anima sensibilis specie differt in homine et leone, contra Platonem id negantem; et ita animal, quod est in homine, non est idem specie cum animali, quod est in equo. Unde non sequitur, quod ubicumque est animal, sit etiam quæcumque differentia; nam cum hæc diversificet genus, hoc non remanet amplius unum in re, cui debeant identificari omnes differentiæ. Vel dic, ut dictum est supra art. 5, ad 3. — 10. *Metaphys.* l. 10; II. cc. in arg.

Ad quartum dicendum, quod rationi generis et rationi differentiæ, quæ sunt subjective in intellectu, respondet veritas rei, puta natura hominis, in qua prædictæ rationes proinde dicuntur esse tanquam in fundamento veritatis, quæ natura est una re, sed plures ratione, cum possit repræsentari per plures conceptiones. — 1. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, ad 3; *de Pot.* q. 7, a. 6, c.; *Opusc.* 9, q. 1, 2.

Ad quintum dicendum, quod genus dicit quidem totum, quod dicit differentia, sed confuse, indistincte et indeterminate, et ideo præter genus debet poni in definitione differentia; nam definitio, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 5; c. 1), debet distincte ponere principia definiti, quæ sunt genus et differentia; propterea vero reprobatur a Philosopho illa definitio, animal habens pedes bipes, quia bis ponitur distincte, habere pedes. — *Opusc.* 30, l. c.; *Opusc.* 42. c. 10; 1. *Physic.* l. 1; II. cit. in arg.

Ad sextum dicendum, quod valde diversa sunt inter se genus univocum, ut animal, et genus analogum, ut ens; nam si loquamur de utroque secundum rationem, genus univocum dividitur per differentias, quæ sunt extra conceptum generis; nam in suo conceptu non includunt genus, unde illi adduntur quasi natura extranea; sed genus analogum distinguitur secundum diversos modos, in quibus essentialiter includitur, licet expresse non significentur nomine analogi; quælibet enim natura est essentialiter ens (1. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 1, a. 1, c.; *Opusc.* 30, c. 1; 11. *Metaphys.* l. 1). Præterea pluralitas rationum generis et differentiæ reducitur in diversitatem rerum, puta in diversitatem materiæ et formæ, quia genus sumitur a materia et differentia a forma; at ratio analogi et ratio analogati, seu modi contrahentis analogum non reducitur in aliquam pluralitatem vel diversitatem rerum; non enim ratio entis sumitur a materia et ratio substantiæ a forma, sed ab eadem forma habet res, quod sit ens et substantia; unde fit, ut propterea ponatur in definitione rei, sicut ponitur genus univocum (*de Verit.* q. 3, a. 2, ad 3; 8. *Metaphys.* l. 4). Si vero loquamur de utroque genere secundum rem, secundum esse, quod habet a parte rei, licet in re tam ens et modus illius, quam genus et differentia, ut animal et differentia, sint realiter idem, est tamen in re fundamentum distinctionis inter genus et differentiam, et nullum est fundamentum distinguendi analogum a modo contrahente ipsum. Nam, ut dictum est, fundamentum distinctionis rationis inter genus et differentiam est distinctio realis inter materiam et formam; at fundamentum distinctionis inter ens et modos ejus, non est ulla distinctio realis; præterquam quod genus et differentia formantur per hoc, quod intellectus concipit plura convenientia in una operatione sensitiva, et differentia in aliis operationibus realiter inter se diversis; at genus analogum et modus ipsius non sumuntur a diversis operationibus; nam cum ens imbibatur in suis modis, omnis operatio emanans a modo, emanat etiam ab ente. — *de Verit.* q. 3, a. 2, ad 3; *Opusc.* 56; 8. *Metaphys.* l. 4.

ARTICULUS VII

UTRUM GENUS REQUIRAT PLURES SPECIES ACTU.

Videtur quod genus non requirat plures species actu.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster text.* 12; c. 5), quod sub aliquo magis universali potest esse tantum unum singulare seu minus universale; ait enim contingere errorem in acceptione universalis posterioristici, quando existente tantum uno singulari seu minus universali sub universali superiore passio magis universalis demonstratur inesse minus universali, tanquam proprio subjecto; ut si sensibile, quod inest animali per se primo, assignetur homini, tanquam proprio subjecto; sed minus universale est species, magis vero

universale est genus; ergo genus non requirit plures species actu. — 1. *Poster.* l. 12, al. 11.

2. Præterea, universale genericum est semper; sed non semper sunt actu inferiora in mundo, et non repugnat esse in mundo unam tantum speciem animalis, puta hominem; ergo genus non requirit plures species actu. — de *Pot.* q. 5, a. 9, arg. 16; 1a, q. 16, a. 7, arg. 2; *de Verit.* q. 1, a. 5, arg. 14.

3. Præterea, species non exigit plura individua actu, sed optime salvatur in uno; sed eadem est ratio generis, cum utrumque sit universale : ergo. — 1. *Poster.* l. 12; 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2, c.; 1. *Periherm.* l. 10.

4. Præter totum universale tam secundum essentiam quam secundum virtutem adest cuilibet parti, ad differentiam totius integralis, quod non nisi in omnibus partibus simul inesse potest, licet adhuc improprie; sed genus est totum universale; ergo poterit secundum essentiam et virtutem actu reperiri et conservari in una tantum specie. — 1a, q. 77, a. 1, ad 1; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 2.

5. Præterea, si genus requirit plures species actu, cum non sit major ratio unius quam alterius, sequitur, quod actu existant omnes species possibiles quod est falsum; ergo dicendum est genus non requirere plures species actu.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 65; c. 8, et 2. *de Cœl. text.* 18; c. 3), dicit, quod posito uno contrariorum debet poni et alterum; sed, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 42 et 52; l. 6, c. 13, 14, differentiæ, quibus constituuntur species, sunt contrariæ : ergo una posita debet poni altera, et sic ad genus plures species actu requirentur. — 1. *de Generat.* l. 22; 2. *de Cœl.* l. 4; 7. *Metaphys.* l. 12 et 14; 2. *Poster.* l. 12.

2. Præterea, dicit Philosophus 4. Top. c. 3, quod omnis generis necessario sunt plures species; nam si non sint, manifestum est, quod non erit omnino genus : ergo genus necessario requirit plures species actu. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod dupliciter possumus loqui de genere. *Uno modo* secundum rationem, et hoc modo dicendum est secundum Avicennam, quod intelligi et concipi potest universale atque adeo genus, non solum existente una tantum specie, sed etiam destructis omnibus speciebus, quia universale non est illud, quod secundum rem, sed secundum intellectum prædicatur de multis. Si enim sumatur universale, puta animal, sine intentione universalitatis, proprie non est prædicabile, quia sic est prima substantia, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur; potest autem intellectus aliquid de pluribus prædicare, etiam si nullum illorum habeat esse in effectu. *Alio modo* potest considerari secundum rem, idest ut est natura quædam, et tunc dupliciter potest accipi, *uno modo* secundum suam essentiam et virtutem, et sic cum totum universale adsit secundum utrumque cuilibet parti,— secundum essentiam quidem, quia essentia v. gr., animalis, quod est universale, quæ est substantia animata sensibilis, tota descendit ad omnes et ad singulas species, secundum virtutem vero, quia natura fit universalis per hoc, quod abstrahitur a conditionibus individuantibus, sic enim abstracta est communicabilis multis, — poterit genus, quod est totum universale, secundum suam essentiam et virtutem salvari in una tantum specie, et per consequens non requiret plures actu existentes. *Alio modo* potest accipi, ut subest intentioni universalitatis, et sic necessario exigit plures species, quia natura sic sumpta est in plus quam quælibet pars; unde ab illa ad suas partes non convertitur subsistendi consequentia, et per talem intentionem constituitur in ratione totius et communis, quod necessario requirit plura inferiora, ad quæ referatur. — *Opusc.* 55; *Opusc.* 42, c. 7, 8, 9; *de Pot.* q. 9, a. 4, ad 18; ll. cit. in arg. 4; *Opusc.* 30, c. 3; 1. *Periherm.* l. 10.

Quod vero ista plura sint actu, non id exigitur ex parte naturæ sic acceptæ seu ex parte generis, ut est universale; ut patet *primo*, quia sicut intentio universalitatis, per quam natura redditur universalis, seu in plus quam singulæ partes ipsius, ut dicit Avicenna, non convenit illi nisi per intellectum, ita sufficit, quod illa plura, quæ respicit, per intellectum apprehendantur

existere. *Secundo*, quia propterea universale definitur a Philosopho, quod aptum natum est prædicari de multis, non autem quod prædicatur de multis, quia non est de ratione universalis, quod actu sint plura, de quibus prædicetur; natura enim solis vel lunæ specifica est atque adeo universalis, et tamen non habet nisi unum singulare, de quo prædicetur. Exigitur tamen una saltem species actu ad hoc, ut genus habeat esse; nam genus non est præter species, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 42; l. 6, c. 13), non enim invenitur animal, quod nec sit homo, nec bos; et ratio est, quia differentia constituens speciem dat esse generi, faciens illud esse in actu. Præterea aliquando exiguntur plures species actu ex parte differentiarum constituentium inferiora contenta sub genere. Nam cum natura generis descendat ad inferiora per differentias, licet non sit necessarium, ut dicit Philosophus (10. *de Animal.*), semper genus dividi per oppositas differentias, — ut contingit in substantiis spiritualibus, et tunc non sit necesse plures species actu existere, — ubi tamen fit divisio per oppositas differentias, — ut contingit in omnibus substantiis corruptibilibus, — non est possibile invenire genus, cujus una tantum sit species; nam si unum contrarium est in natura, oportet et alterum inveniri, ut dicitur 2. *de Cæl. text.* 18; c. 3). Cujus ratio est, quia, ut dicit Philosophus ibidem, si sit aliquid contrariorum, necesse est, quod sit aliqua natura ei subjecta, ut patet 1. *Phys. text.* 52; c. 6; est autem eadem materia contrariorum, ut ibidem ostenditur, et sic oportet, quod materia unius contrarii habeat potentiam ad aliud contrarium, et sic quod possit esse in rerum natura. Unde cum nihil sit frustra in natura, necesse est, quod si unum contrarium est, quod et reliquum sit; et ideo si una species invenitur, inveniatur et alia. — *Opusc.* 55; 1. *Periherm.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 13 et 12; 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2, c.; 1a 2æ, q. 18, a. 7, ad 3; 1. *c. Gent.* c. 42, n. 6; *Opusc.* 42, c. 10; 2. *Cæl.* l. 4; 1. *Poster.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur ex suppositione, quæ tamen suppositio est impossibilis, spectato naturæ ordine. Nam cum Deus et natura nihil faciant frustra, quotiescumque datur in natura una differentia vel forma habens alteram sibi oppositam, et ponitur in subjecto capacitas et potentia naturalis ad utramque, debet et altera dari, et per consequens duæ species actu existentes unius generis; quamquam quia Deus potest facere præter ordinem naturæ, potest sub uno genere unam tantum speciem creare. — 1a, q. 105, a. 6, c. et q. 106, a. 3, c.

Ad secundum dicendum, quod universale non dicitur esse semper, vel quia habeat in se, unde se extendat ad omne tempus, nam hoc soli Deo competit; vel quia sit de ratione universalis vel ejus, quod est universale, puta hominis vel animalis esse semper, — nam hoc esset intelligere perpetuitatem universalis per viam affirmationis, unde oporteret, quod quodlibet singulare hominis vel animalis esset semper, quia in quolibet singulari reperitur ratio universalis, quod est falsum, — sed dicitur esse perpetuum et semper quinque aliis modis (1a, q. 16, a. 7, ad 2; 1. *Poster.* l. 12; *de Pot.* q. 5, a. 9, ad 16.) — Cum enim natura universalis tripliciter possit considerari vel ut abstrahit a quolibet esse, vel ut habet esse in singularibus, vel ut habet esse in intellectu : si *primo modo* consideretur universale, dicitur esse semper per remotionem causæ determinantis ad aliquod tempus, non per positionem causæ perpetuitatis, quia nimirum universale non habet in se, quo determinetur ad aliquod tempus, sed abstrahit ab omni tempore, sicut et ab omni loco, quomodo materia prima dicitur una per remotionem omnium formarum distinguentium, non autem quia habeat unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ, quod est intelligere perpetuitatem universalis per viam negationis et abstractionis. — Si vero consideretur *secundo modo*, secundum quod scilicet habet esse in singularibus, tribus modis dicitur universale esse semper et perpetuum, *primo*, secundum Avicennam ratione particularium, quæ neque inceperunt neque deficient, secundum tenentes æternitatem mundi; generatio enim ad hoc est secundum philosophos, ut salvetur perpetuum esse in specie, quod in individuo salvari nequit. *Secundo* secundum eumdem, quia

non corrumpitur per se, sicut nec per se generatur, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 27; l. 6, c. 8, sed per accidens ad generationem et corruptionem individuorum. *Tertio* quia est quandocumque est suum singulare; cum tamen multa loca sint, ubi sua singularia non sunt, unde nec ibi est universale. — Si demum *tertio modo* consideretur, dicitur universale esse semper, quia semper est in intellectu divino; quomodocumque tamen universale dicatur esse semper, ejus perpetuitas non impedit, quominus genus modo supradicto exigat plures species actu aliquando ex parte differentiarum contrariarum, et saltem unam ex parte sui ad hoc, ut sit actu, ut dictum est. — *de Verit.* q. 1, a. 5, ad 14; 7. *Metaphys.* l. 7; 1. *Metaphys.* l. 1; *de Pot.* q. 5, a. 9, arg. 16.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio generis et speciei; nam genus ut plurimum dividitur per oppositas differentias, et ideo, cum oporteat, si unum contrariorum est in natura, quod reperiatur et alterum, debent plures species actu existere ejusdem generis; at vero species dividitur in diversa individua per divisionem materiæ; contingit autem totam materiam alicujus speciei ab uno individuo comprehendi, et tunc non est nisi unum individuum sub una specie. — ll. cit. in arg.; 7. *Metaphys.* l. 13; 2. *de Cœl.* l. 4.

Ad quartum dicendum, sicut dictum est in corp. art.

Ad quintum dicendum, quod pluralitas specierum actu exigitur ex parte oppositionis differentiarum et capacitatis et potentiæ naturalis in subjecto ad oppositas differentias, quæ capacitas semper impletur secundum genus singulorum, licet non secundum singula generum, seu secundum quodlibet individuum, ad differentiam capacitatis potentiæ obedientialis, quæ neutro modo impletur; unde fit, ut actu sint omnes species, quæ naturaliter esse possunt et ex his patet ad 6 et 7. — ll. cit. in corp.; 3a, q. 1, a. 3, ad 3; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 29, a. 3, ad 3.

QUÆSTIO IV

DE SPECIE

Deinde considerandum est de specie.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR TRIA

1. Utrum recte definiatur species a Porphyrio, quod sit universale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.
2. Utrum species possit conservari in uno individuo.
3. Utrum recte sit a Porphyrio definitum individuum, quod sit id, quod de uno solo prædicatur.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE A PORPHYRIO DEFINIATUR SPECIES : UNIVERSALE, QUOD PRÆDICATUR DE PLURIBUS DIFFERENTIBUS NUMERO IN EO QUOD QUID.

Videtur quod non recte definiatur a Porphyrio species : universale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

1. Natura enim solis specifica est, et similiter natura Archangeli Gabrielis, cum omnes angeli specie differant; sed neutra natura prædicatur de pluribus individuis; quin etiam natura Gabrielis de pluribus individuis prædicari non potest, quia est forma, quæ non est nata recipi in materia; eatenus enim aliqua forma non est communis, quatenus vel est terminata ad hanc materiam, ut est humanitas Socratis, vel non est nata recipi in materia, ut est natura cujuslibet substantiæ separatæ : ergo species non recte definitur, universale videlicet. — 1. *Periherm.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 13; 1a, q. 13, a. 9 et q. 50, a. 4, c.; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 4 et alibi.

2. Præterea, individuum prædicatur de pluribus differentibus numero; sed individuum non est species, nam hæc est substantia secunda, illud prima; ergo species non recte definitur, cum definitio non conveniat alii a definito.

3. Præterea, partes essentiales ut anima rationalis, et integrales ut manus, prædicantur de pluribus differentibus numero; similiter et genus, puta animal, prædicatur de hoc et illo animali, cum genus tan-

tum descendat, quantum differentiæ, quæ in prædicatione descendunt usque ad individua, cum prima substantia, quæ est individuum, sit ultimum, de quo prædicatur summum genus substantiæ et reliqua alia intermedia ; et demum Deus substantialiter prædicatur de pluribus suppositis numero distinctis, puta de tribus divinis personis; sed neque Deus est species, ut patet, neque genus, quia opponitur relative speciei, neque demum partes ullæ sive essentiales sive integrales, quia de speciebus prædicatur genus, et de partibus nullum genus substantiæ prædicatur : ergo male definitur species, quod prædicatur de pluribus. — *Opusc.* 42, c. 10 et 11 ; *de Pot.* q. 7, a. 3, arg. 1 et ad 1 etc.; 1a, q. 3, a. 5, c.

4. Præterea, intentiones rationis referuntur ad invicem; sed intentio generis refertur ad speciem; ergo et species referetur per se ad genus, non autem ad individua, et sic male erit definita species, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. — *Opusc.* 56.

5. Præterea, quidquid prædicatur de aliquo in quid, dicit totum illud, de quo prædicatur; alioqui non diceret totam ejus quidditatem, et sic non prædicaretur quidditative, ut dictum est; sed species non dicit totum individuum, quia non dicit principia individuantia, sed solum naturam communem : ergo species male definitur, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. — V. supra *q.* 3, a. 6.

Sed contra est auctoritas Porphyrii definientis speciem, quod sit id etc. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte definita est species, quod sit universale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. — Ad cujus manifestationem *duo videnda* sunt; nam cætera patere possunt ex dictis in descriptione generis. *Unum* est, quænam sit illa forma vel natura, quæ est species, cuique convenit prædicari vel posse prædicari de pluribus. *Alterum* est, quomodo distinguatur species a genere in eo, quod est prædicari in quid; nam etiam genus comparari potest ad proprium individuum, ut animal ad hoc et illud animal, sicut comparatur species ad sua.—Quod igitur attinet *ad primum*, sciendum est, quod omnis forma sub se habens multa, idest quæ universaliter sumitur, habet quamdam latitudinem; nam invenitur in pluribus et dicitur de pluribus. Duplex autem potest esse latitudo in formis, una secundum gradus formales, quorum unus secundum se nobilior est et perfectior altero, et hæc est latitudo generis, sub quo sunt diversi gradus formales specifice differentes. Alia latitudo est secundum plurificationem numeralem in eodem gradu; et quia ista latitudo non est secundum rationem formæ absolutam, oportet quod forma, in qua est talis latitudo, importet in sui ratione aliquid, per quod conveniat ipsi talis latitudo, quod sit aliud ab absoluta ratione fomæ; et hoc est potentias in forma ad hoc, ut uniatur materiæ. Nam per talem potentialitatem fit realis pars compositi, et per consequens numero multiplicabilis, ut patet in anima rationali; quia enim in hac reperitur talis potentialitas, per quam nata est esse pars compositi, ideo ab illa recipit latitudinem multiplicationis secundum eumdem gradum, non obstante, quod sit separata et actu non informet materiam ; quia vero talis latitudo et potentialitas non inest naturæ angelicæ, ideo angeli non differunt numero inter se, sed quilibet angelus facit speciem per se. Sciendum tamen, quod licet forma specifica de se sit plurificabilis propter potentialitatem, quam habet, ut materiæ uniatur, aliquando talis plurificatio impediri potest, vel accidentaliter, ut si omnes homines morerentur et unus solus remaneret, vel propter conditionem materiæ, ut patet in sole, qui unus est, quia non est alia materia susceptiva formæ solaris, cum tamen non repugnet formæ solis, esse in pluribus, et sic patet quid sit species. — *Opusc.* 48. trac. 1, c. 3; *Opusc.* 55; 1. *Periherm.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 13; 1. *Poster.* 12; 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2. c.

Quod *ad secundum* vero sciendum est, quod prædicari in quid est significare substantiam illius, de quo aliquid dicitur prædicari in quid; sic animal dicitur prædicari in quid, quia significat substantiam et quidditatem hominis, de quo prædicatur, et homo similiter respectu Socratis. Quia vero impossibile est, partem prædicari de toto,

sed necesse est, quod quidquid vere de alio prædicatur, dicat totum illud, de quo prædicatur, propterea cum genus, differentia et species de eodem composito substantiali prædicentur substantialiter, necesse est quod dicant totam substantiam; distinguuntur autem inter se. Nam cum totum denominari possit ab una sola parte, puta si homo denominetur habens caput vel manus, contingat autem compositum denominari ex materia et forma, ex hoc distinguuntur inter se genus, differentia et species, quod genus et differentia dicunt totum compositum indistincte et implicite, nam denominant tantum a parte; homo enim dicitur animal a natura sensitiva, dicitur vero rationalis a natura rationali; natura vero sensitiva materialiter se habet ad naturam rationalem. Species vero sicut et difinitio significat totum compositum, ut totum, idest explicite et distincte; nam significat genus et differentiam simul composita, ac proinde partem materialem et formalem ut unum constituunt, et ab utraque ipsum denominat; homo enim dicit explicite habens humanitatem, quæ humanitas dicit explicite motum et sensum, quæ dicit animal et rationem, quam dicit rationale, et sic manifestum est, quod recte tradita est definitio speciei. —*Opusc.* 42, c. 5; *Opusc.* 30, c. 3; 7. *Metaphys.* l. 13 et 12; 10. *Metaphys.* l. 10; 8. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod natura Gabrielis et cujuslibet angeli, sicut et quælibet natura specifica, quantum est de ratione speciei, potest esse in pluribus suppositis, ac proinde est prædicabilis de pluribus. — Quod probatur *primo*, quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem a singularibus; unde esse in uno vel in pluribus est præter intellectum naturæ specificæ; unde servato intellectu naturæ speciei potest intelligi ut in pluribus existens. (1a, q. 13, a. 9; 4, *c. Gent.* c. 31, ratione 8, ubi Ferrariensis) *Secundo* quia sicut forma, quæ est in subjecto vel materia, individuatur per hoc, quod est esse in hoc, ita forma separata individuatur per hoc, quod non est nata in aliquo esse; sicut enim esse in hoc excludit communitatem universalis, quod prædicatur de multis, ita et non posse esse in aliquo. Sicut ergo hæc albedo non prohibetur habere sub se plura individua ex hoc, quod est albedo, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc, quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura hujus angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subjecto, quod pertinet ad rationem individui (*de Spirit. creat.* a. 8, ad 4; *Opusc.* 16. c. 7). *Tertio* quia licet de natura intellectus angelici non esset, quod multiplicaretur numero, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, neque ulla esset implicatio contradictionis; quod signum est, naturam substantiæ separatæ, quantum est de ratione speciei, posse esse in pluribus. Nam si de ratione speciei esset incommunicabilitas, neque supernaturaliter id posset fieri in substantiis separatis neque naturaliter id contingeret in substantiis materialibus. *Quarto* quia forma finitur per materiam, ergo quantum est de se, est communis multis, et per consequens, si non potest secundum esse inveniri in pluribus, non est, quia id exigat ratio speciei, sed est aliquid aliud impediens, puta vel aliquid extrinsecus adveniens, vel conditio materiæ, quæ tota imbibitur in uno solo individuo, ut est in sole. Unde est quod Philosophus (1. *Periherm.* c. 5) non definit universale, quod prædicatur, sed quod natum est prædicari de pluribus, vel quod non est necessarium multiplicari secundum numerum specierum, quæ in uno individuo potest esse perpetua, ut contingit in angelis. — 1. *Periherm.* l. 10; 1a, q. 7, a. 1, c. et ll. passim cit.

Ad secundum dicendum, quod ad universale et consequenter ad speciem requiritur, ut secundum esse communicetur et multiplicetur in suis inferioribus, quod de genere ostendit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8); individuum autem secundum esse est incommunicabile, sicut et persona, licet ratio et intentio utriusque sit communis. — 10. *Metaphys.* l. 10; 1. *Sent.* dist. 19, a. 2, ad 1 et dist. 23, q. 1, a. 3, c. et ad 1 et d. 25. q. 1, a. 3, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod nihil prædic-

torum est species, et per consequens nec proprie prædicatur de individuis tanquam species; non quidem nomen Deus, tum quia licet similitudinem aliquam habeat ad speciem in hoc, quod de pluribus numero distinctis substantialiter prædicatur, non tamen species proprie dici potest, quia species non est aliquid secundum esse unum numero commune, sed est tantum unum ratione, substantia vero divina una numero est communis tribus personis; unde Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus, non autem Petrus et Paulus sunt unus homo; — tum quia omne universale est secundum aliud et aliud esse in suis inferioribus, et in illis exigit pluralitatem actu vel potentia secundum numerum fundatam in substantiali distinctione; genus enim et species et quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus et secundum substantiam numero distinctis; at in divinis non est nisi unum esse et una numero substantia. — *de Pot.* q. 7, a. 3, ad 1; 2. *Poster.* l. 20; 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2, c. et dist. 25, q. 1, a. 3 ad 2 et 4; 1a, q. 30, a. 4, c. et ad 3.

Neque partes sive essentiales sive integrales proprie sunt species, ob rationem dictam in argumento; unde nec prædicantur de individuis completis, de quibus tantum fit prædicatio omnium generum et specierum, quæ sunt in recta linea; non enim anima vel corpus, neque similiter manus vel pes ut sunt in toto, sunt individua completa seu primæ substantiæ, sed partes illius, ad quas sicut non descendit prædicatio generis summi nec generum intermediorum, ita nec descendit prædicatio speciei. Animal autem, licet prædicetur de individuis, sive propriis sive non propriis, quia tamen de illis prædicatur eodem modo, quo prædicatur de speciebus, puta in quid incomplete, implicite et indistincte, (sicut enim animal significat totum compositum substantiale, sed non ut totum, quia significat totum sumptum ex una tantum parte, ut dictum est, ita et significat totum individuum, sive proprium sive non proprium, sed non ut totum; nam explicite tantum significat unam ejus partem, materiam scilicet determinatam, species vero significat totum ut totum, nam significat explicite totum ut sumptum ab utraque parte) — propterea non est species; unde nec consequenter de individuis prædicatur eo modo, quo de illis prædicatur species; præterquam quod species immediate prædicatur de individuis, genus vero mediate; nam genus descendit usque ad substantiam primam per differentias, species vero non descendit ad individua per differentias, sed per materiam individuam; per hanc enim fit designatio individui respectu speciei, sicut per differentias fit designatio speciei. — *Opusc.* 42, c. 10; *Opusc.* 30, c. 3.

Ad quartum dicendum, quod licet species ut sic dicatur respectu generis, cum sit ejus correlativum, non autem individui, (cujus ratio est, quia species ut sic dicitur a specificando et designando, species autem non specificat nec determinat individuum, sed genus, unde etiam omnis species est sub assignato genere, ut dicit Porphyrius, non autem omnis species prædicatur de pluribus individuis, ut patet in sole et luna, ut dictum est), sicut tamen una res potest esse species et genus sub diversis respectibus, ita eadem res potest sub diversis respectibus esse subjicibilis et prædicabilis de pluribus individuis, et consequenter vario modo definiri. — *Opusc.* 56; *Opusc.* 30, c. 3.; *Opusc.* 42, c. 5.

Ad quintum dicendum, quod Socrates homo et humanitas idem significant, licet diversimode; humanitas enim significat abstractive et significat tantum id, quo homo est homo et non aliud, quia abstractum est id, quo solo et quo toto aliquid est tale, quale denominatur per concretum; homo autem non solum humanitatem significat, sed etiam principia individuantia, implicite tamen, quia non significat illa determinate. Quia enim significat naturam humanam in concreto sive ut est in supposito, non exprimens hoc aut illud suppositum, ideo implicite et indeterminate significat principia individuantia; sufficit ergo quod species implicite significat individuum ad hoc, quod de ipso quidditative prædicetur. — *Opusc.* 30, c. 3; Soncinas in cap. de specie.

ARTICULUS II.

UTRUM SPECIES POSSIT CONSERVARI IN UNO INDIVIDUO.

Videtur quod species non possit conservari in uno individuo.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster. text.* 27; c. 19; 7. *Metaphys. text.* 57; l. 6, c. 16), quod de essentia universalis est, quod sit unum in multis; sed Deus non potest facere aliquid esse sine eo, quod est de ratione ipsius; ergo species, quæ est universale, necessario debet esse in pluribus, et per consequens non potest conservari in uno tantum individuo. — 2. *Poster.* l. 20; 7. *Metaphys.* l. 16; 1. *c. Gent.* c. 25, n. 4; *de Verit.* q. 21, a. 6, ad 6.

2. Præterea, de ratione totius est, habere partes plures; nam ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 31; l. 4, c. 26, de ratione totius in communi est ex partibus constitui, ut nulla desit; sed species, cum sit universale, est quoddam totum, ut dicitur ibidem : ergo species non potest, etc. — 5. *Metaphys.* l. 21, (al 28).

3. Præterea, se habet species ad individua, sicut genus ad species. Sicut enim natura generis est indeterminata respectu speciei, ita et natura speciei respectu individuorum; et sicut illud, quod est genus, prout prædicatur de specie, implicat in sui significatione, quamvis indistincte, totum illud, quod distincte est in specie, ita etiam illud, quod est species, secundum quod prædicatur de individuo, significat totum, quod essentialiter est in individuo, sed indistincte; sed genus non potest conservari in una specie : ergo neque species in individuo. — *Opusc.* 30, c. 3.

4. Præterea, omne, quod est in potentia, est imperfectum, nisi ad actum reducatur; sed species est in potentia ad plura individua; ut enim dicitur 7. *Metaphys. text.* 45; l. 6, c. 13, universale est, quod aptum natum est esse in pluribus; ergo species non potest perfecte conservari in uno individuo. — 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 55; l. 6, c. 15) dicit errare eos, qui definiunt hunc solem vel lunam; sed ideo errant, quia natura specifica solis, licet in uno individuo existat, potest tamen multis, individuis, quantum est de se, communicari; ergo etc. — 7. *Metaph.* l. 15.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 12; c. 5) errari, quando existente tantum uno singulari alicujus universalis, prædicatum universale attribuitur singulari tanquam proprium; sed hic error supponit dari universale, cujus tantum sit unum singulare : ergo cum hoc verificari non possit de genere, ut dictum est, verificari debet de specie. — 1. *Poster.* l. 12; *Opusc.* 56.

RESPONDEO DICENDUM, quod species potest conservari in uno tantum individuo, ut dictum est. Cujus ratio est, quia species non dividitur per oppositas differentias, sicut dividitur genus, sed per divisionem materiæ; contingit autem materiam adunari in uno individuo, et propterea non definit Aristoteles (1. *Periherm.* c. 5 et 7, et *Metaphys. text.* 55; l. 6, c. 15) universale, quod prædicatur vel inest pluribus, sed quod potest prædicari et natum est inesse multis. Nam licet omne universale exigat pluralitatem in his, quæ sub ipso continentur, — nam omnis forma, quantum est de se, possibilis est inveniri in multis, quia omnis forma de se est communicabilis, — non tamen necessario requirit pluralitatem actu, sed cum distinctione vel actu, ut contingit in genere, propter rationem allatam, vel potentia, ut contingit in aliquibus speciebus, quæ inveniuntur in uno tantum individuo, ut in sole et in luna, in quibus id oritur, non ex natura speciei, sed vel ex conditione materiæ, quia nimirum non est alia materia susceptiva talis formæ, cum sol constet ex tota sua materia, vel ex parte finis, quia unus sol sufficit ad universi perfectionem. — ll. cit.; 2. *de Cœl.* l. 4; 7. *Metaphys.* l. 13 et 15; 1. *Periherm.* l. 10; 1. *Sent.* dist. 19, q. 4, a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut universale, ut dicit Avicenna, prædicatur de multis per intellectum, ita convenit illi esse unum in multis per intellectum, et propterea non est necesse, quod illa multa existant in mundo, sed sufficit in specie præsertim, quod unum iudividuum existat.

— 2. *Poster.* l. 20; *Opusc.* 55 et 56.

Ad secundum dicendum, quod species est totum universale, quod adest cuilibet parti et secundum essentiam et secundum virtutem, ad differentiam totius integralis, quod requirit simultatem omnium partium, ut dictum est, et ideo potest conservari in uno individuo. — V. supra q. 3, art. 7 et c.

Ad tertium dicendum, quod alia est ratio generis, alia speciei, quoad pluralitatem contentorum, ut dictum est; præterquam quod est etiam utriusque diversa ratio in designatione et determinatione; nam designatio vel determinatio individui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus, designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutivam, quæ ex forma rei sumitur, — II. cit. c.; *Opusc.* 30, c.3.

Ad quartum dicendum, quod res non dicitur imperfecta quacumque potentia in ipsa non reducta ad actum, sed tantum quando per reductionem in actum res suum consequitur complementum; non enim homo, qui est in potentia ad hoc, ut sit in India, imperfectus erit, si ibi non fuerit, sed imperfectus dicetur, si scientia vel virtute careat, qua natus est perfici. Species autem non perficitur per individua, hæc enim sunt præter naturam speciei sicut et materia signata, quæ est principium individuationis; at genus perficitur per speciem ratione differentiæ in ipsa contentæ, cum se habeat ad illam sicut materia ad formam, a qua perficitur, et cum differentia faciat ipsum genus esse in actu; in tantum autem est perfectum unumquodque, in quantum est actu. II. cit. in arg.

ARTICULUS III

UTRUM INDIVIDUUM RECTE DEFINIATUR, QUOD PRÆDICATUR DE UNO SOLO.

Videtur quod non recte definiatur individuum, quod prædicatur de uno solo.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3, et in *Prædicamentis*), quod de substantia prima cætera dicuntur, ipsa vero de alio non dicitur; sed substantia prima est individuum : ergo individuum male definitur. — 7. *Metaphys.* l. 2 et 13; *Opusc.* 42, c. 9.

2. Præterea, singulare non potest definiri, sicut nec demonstrari, ut dicitur (7. *Metaphys. text.* 41 et 55; l. 6, c. 13 et 15); sed individuum est singulare : ergo individuum non potest definiri. — 7. *Metaphys.* l. 11.

3. Præterea, quod est commune pluribus, de pluribus prædicari potest, et non tantum de uno; nam prædicari de pluribus est passio universalis, ut dictum est; sed individuum est commune pluribus, ut patet, cum dicimus tria individua : ergo male definitur individuum, quod prædicatur de uno solo. — *Opusc.* 42, c. 9; *de Pot.* q. 9, a. 2, ad 1 et 2; 1a, q. 29, a. 1, ad 1 et q. 30, a. 4, c.; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 3, ad 3.

4. Præterea, hoc nomen Achilles prædicatur de vero Achille et de quocumque homine simili Achilli in fortitudine; sed hoc nomen est nomen individui : ergo individuum potest prædicari de pluribus. — Sed dices, hoc nomen esse communicabile improprie et metaphorice. — 1a, q. 13, a. 9, c.

5. Contra, hoc nomen Achilles potest imponi pluribus hominibus, nihil enim prohibet multos vocari hoc nomine; sed tunc nomen individui prædicatur de pluribus : ergo male definitur individuum, quod prædicatur de uno. — 1. *Periherm.* l. 10.

6. Præterea, aliquis homo est individuum, est enim individuum vagum; sed aliquis homo prædicatur de pluribus : ergo individuum male definitur, quod prædicatur de uno solo. — 1a, q. 30, a. 4.

Sed contra est auctoritas Porphyrii definientis individuum in cap. de specie, quod prædicatur de uno solo.

RESPONDEO DICENDUM, quod in individuo duo est considerare, id, quod est individuum, et rationem individui, quæ est ratio incommunicabilitatis, prout scilicet aliquid unum et idem in pluribus inferioribus non dividitur, nec de pluribus inferioribus prædicatur; ad quam rationem constituendam duo concurrunt, natura generis vel speciei in individuo existens, et modus existendi talis naturæ incommunicabiliter, quia in individuo completo substantiæ existit natura generis vel speciei, ut propria huic individuo et non ut multis com-

munis. (1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 6 et a. 3, ad 4; *de Pot.* q. 9, a. 2, ad 1 et 2; 1a, q. 29, a. 1, ad 1 et q. 30, a. 4, ad 2). Si primum consideretur in individuo, illud est incommunicabile et non prædicatur de alio, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3), quod est intelligendum per se; per accidens enim nil prohibet, Socratem de hoc albo prædicari, vel de animali, vel de homine, quia id, cui inest album, vel animal, vel homo est Socrates; de se ipso autem prædicatur per se, ut cum dicitur Socratse est Socrates, et sic de uno solo prædicari potest individuum, puta de se ipso, ut recte dicit Porphyrius. Si autem consideretur secundum, potest individuum prædicari de multis; nam ratio individui communis est, communis enim est multis ipse modus existendi incommunicabiliter, quem ratio individui præter naturam communem generis vel speciei comprehendit; et idem dicendum de intentione individui, hæc enim communis est sicut et ratio. — 7. *Metaphys.* l. 2; ll. cit.

Ad primum ergo dicendum, quod prima substantia de nullo, quod sit aliud ab ipsa, per se prædicatur; prædicatur tamen per se de uno, quod est ipsa, ut dictum est.— 7. *Metaph.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod licet hoc individuum vel illud definiri non possit, tamen id, quod pertinet ad rationem communem individui, definiri potest, sic enim Philosophus in Prædicamentis definit substantiam primam, quæ est individuum. — 1a, q. 29, a. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod id, quod est individuum, est incommunicabile, et per consequens non potest prædicari de pluribus inferioribus, sed ratio vel intentio individui est communis, et similiter modus existendi incommunicabiliter, et propterea potest individuum et persona prædicari de pluribus. — 1a, q. 30, a. 4, ad 2; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 6 et a. 3, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod omne nomen impositum ad significandum aliquid singulare est incommunicabile re et ratione; non enim potest in apprehensione cadere pluralitas hujus individui; et propterea nullum nomen significans aliquid individuum est communicabile multis inferioribus proprie, et consequenter proprie prædicabile de multis, de qua prædicabilitate est sermo. Potest tamen nomen significans aliquod individuum esse communicabile et prædicabile de multis secundum similitudinem, ut patet in hoc nomine Achilles; potest enim aliquis metaphorice dici Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem. — 1a, q. 13, a. 9.

Ad quintum dicendum, quod si imponitur hoc nomen Achilles pluribus hominibus, non prædicabitur de illis univoce, tamque universale, sed æquivoce. Nam universale non solum dicitur, quando nomen potest de pluribus prædicari, sed etiam quando id, quod significatur per nomen, est natum in pluribus inveniri, quod non contingit in prædicto nomine; nam hoc nomen Achilles significat naturam humanam, secundum quod est in hac natura; unde si imponitur alteri homini, significabit aliud, et sic non erit universale, sed æquivocum. — 1. *Peri herm.* l. 10.

Ad sextum dicendum, quod individuum vagum seu aliquis homo significat naturam communem cum modo existendi incommunicabiliter, sed in communi; non enim significat hunc vel illum modum existendi determinate, sed modum existendi incommunicabiliter, sicut et individuationem in communi, et ideo potest prædicari de multis. — 1a, q. 30, a. 4; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 3, ad 4.

QUÆSTIO V

DE DIFFERENTIA

Deinde considerandum est de differentia.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR TRIA

1. Utrum convenienter dividatur differentia in communem, propriam et propriissimam.
2. Utrum recte sit assignata a Porphyrio definitio differentiæ, quod sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.
3. Utrum differentia superior intrinsece includatur in differentia inferiori.

ARTICULUS I

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR DIFFERENTIA IN COMMUNEM, PROPRIAM ET PROPRIISSIMAM.

Videtur quod differentia non dividatur convenienter in communem, propriam et propriissimam.

1. Quia omnis divisio fit per opposita; sed hæc tria membra non videntur opposita. Nam eadem omnino est differentia propria et communis; album enim et nigrum sunt propriæ differentiæ cigni et corvi, et sunt differentiæ communes respectu hominis : ergo non convenienter dividitur differentia in communem, propriam et propriissimam. — 1a, q. 5, a. 6, arg. 2; 1a 2æ, q. 72, a. 5, c.

2. Præterea, commune non dividitur contra proprium; sed in hac divisione illa duo inter se dividuntur : ergo male dividitur differentia. — 1a, q. 78, a. 4, arg. 1.

3. Præterea, sicut differentia substantialis seu secundum speciem facit differre, ita et differentia individualis seu secundum numerum; sed differentia secundum numerum neque est differentia propriissima, quia non constituit speciem; nec facit aliud, sicut facit differentia propria; neque est differentia propria, quia hæc oritur a forma, differentia vero individualis a materia; neque est differentia communis, ut patet : ergo male dividitur in differentiam communem, propriam et propriissimam. — 1a, q. 62, a. 6, ad 3; *de Spirit. Creat.* a. 10. in c; 1a, q. 30, a.; V. etiam corp. hujus art.

4. Præterea, risibilitas est differentia, secundum quam differunt homines ab equis; sed risibilitas non est ulla prædictarum differentiarum; non enim est differentia propriissima, quia non constituit speciem, sed est extra essentiam; neque est differentia communis, sicut neque est accidens commune, ut patet, nam consequitur speciem humanam; neque est differentia propria, quia hæc, ut dicit Porphyrius, intenditur et remittitur, risibilitas autem nec intenditur nec remittitur : ergo male dividitur differentia. — *de Verit.* q. 21, a. 1. ad 10; *Opusc.* 48. tract. 2. c. 4; 1a, q. 30, a. 4; V. corp. hujus art.

Sed contra est auctoritas Porphyrii, qui cap. de differentia dividit differentiam in communem, propriam et propriissimam.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte et convenienter differentia dividitur in communem, propriam et propriissimam. — Cujus ratio est, quia cum differentia importet distinctionem formæ, sicut datur triplex forma, una substantialis, quæ constituit speciem rei, atque adeo est essentia vel pars essentiæ rei; alia accidentalis consequens et causata ex principiis essentialibus rei, licet nec sit essentia nec pars essentiæ illius, et dicitur accidens proprium; alia demum accidentalis, quæ neque consequitur principia speciei, nec est essentia vel pars essentiæ rei, sed causatur ex principiis individui eique convenit quandoque separabiliter, quando scilicet non habet causam permanentem in subjecto, ut sunt album et nigrum, sedere et ambulare, quandoque vero inseparabiliter, quando nimirum habet causam permanentem, ut sunt masculinum et femininum, et dicitur prædicatum accidentale; ita triplex est differentia, *una* propriissima, quæ scilicet facit propriissime differre, et est differentia substantialis, quæ dividit genus per se, et cum illo constituit speciem, et propriissime facit aliud, ut rationale respectu hominis, quæ propterea a Philosopho (7. *Metaphys. text.* 47; l. 6. c. 12 dicitur tota substantia rei. *Alia* propria, quæ consequitur formam, a qua sumitur differentia propriissima; unde et causari dicitur ex principiis speciei, ut risibile respectu hominis, congregativum vel disgregativum respectu albi et nigri. *Alia* demum communis, quæ convenit individuis diversarum specierum, et non causatur ex principiis speciei, sed individui, ut nigrum et album respectu hominis. Et sic manifestum est, quod convenienter dividitur differentia in communem, propriam et propriissimam. — *de Spirit. Creat.* a. 11, c; *Quæst. disp. de Anima*, a. 12. ad 7; 1a 2æ, q. 72, a. 5. c; *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 42, c. 10; 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc divisio est per oppositas rationes; nam differentia propriissima constituit speciem, propria non constituit speciem, sed

causatur ex principiis speciei; communis vero nec constituit speciem, nec causatur ex principiis speciei, sed individui, aliquando permanenter, aliquando non. — *de Spirit. Creat.* a. 11, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 12. ad 7.

Ad secundum dicendum, quod commune per prædicationem, sicut genus, non dividitur contra proprium, sed commune per prædicationem, sicut accidens, potest dividi contra proprium. Sicut enim recte dividitur accidens in commune et proprium, ita recte dividi potest differentia in communem et propriam. — 1a, q. 78, a. 4, ad 1; *de Spirit. Creat.* et *de Anima* ll. cit,

Ad tertium dicendum, quod differentia individualis potest reduci ad differentiam propriissimam, quia licet non faciat differe specie naturæ, facit tamen differre specie proprietatis individualis, ut patet in divinis relationibus. Paternitas enim et Filiatio faciunt differre Patrem et Filium specie proprietatis personalis, non specie naturæ. Præterea differentia individualis facit etiam suo modo aliud; nam in humanis, cum pater et filius non sint unum in essentia, sicut in divinis, pater est alius et aliud a filio; secus vero in divinis, ubi quia Pater et Filius sunt unum in essentia, Pater non est aliud, sed alius a Filio. — *de Pot.* q. 10, a. 2, ad 12; 1. *Sent.* dist. 21, q. 1, a. 2, c.

Ad quartum dicendum, quod, cum idem dicendum sit de propriis passionibus, quod de formis, ad quas consequuntur, sicut formæ substantiales nullo modo recipiunt magis et minus, quia et agens semper eodem modo se habet in illis, et subjectum, quod est materia prima, est semper æque dispositum; — ita et propriæ passiones formarum substantialium ob eamdem rationem non suscipiunt magis, et minus. Sicut autem formæ accidentales, saltem aliquæ, possunt recipere magis et minus, ut patet in albedine et nigredine, quia et agens se habet diversimode in illis, et subjectum aliquando est magis, aliquando minus dispositum; — ita et propriæ passiones illarum, quæ sunt congregare et disgregare visum ob eamdem rationem suscipiunt magis et minus. Propterea vero Porphyrius dixit differentiam propriam intendi et remitti, quia hoc non repugnat illi, ut sic; nam multæ proprietates vere intenduntur et remittuntur, at nulla differentia propriissima intenditur et remittitur, sive constituat speciem substantiæ — nam hujus proprium est, ut dicit Philosophus in Prædicamentis c. 5, non suscipere magis et minus — sive constituat speciem accidentis; tum quia species omnes sunt sicut numeri, ut dicitur 8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3, et per consequens consistunt in indivisibili, unde non possunt suscipere magis et minus; tum quia ipsa forma accidentis secundum se sumpta non dicitur magis vel minus, sed major vel minor, magna vel parva; sic enim una albedo dicitur magna, alia parva, non autem magis vel minus, sed hoc convenit albo. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 4; 8. *Metaphys.* l. 2.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE TRADITA SIT DEFINITIO DIFFERENTIÆ.

Videtur quod non sit recte tradita definitio differentiæ, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.

1. Quia in omni genere descendendum est ad ultimam differentiam, quæ speciem specialissimam constituit et cum illa proinde convertitur, cum sit tota substantia illius, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12); sed ultima differentia constituens speciem specialissimam, sub qua nihil est nisi individua, non potest prædicari, nisi de pluribus differentibus numero : ergo non recte definitur differentia, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. — *Opusc.* 42, c. 10 et 11; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 5; 7. *Metaph.* l. 12; 2. *Poster.* l. 13.

2. Præterea, de illo prædicatur differentia, ad quod comparatur tanquam actus et forma; sed differentia comparatur tanquam actus et forma ad genus, ut dicit Philosophus 8. *Metaphys. text.* 3; l. 7, c; 1 et 5. *Metaphys. text.* 33; l. 4, c. 28, ubi differentiam vocat actum et qualitatem generis; ergo male definitur differentia, quæ prædicatur de specie. — 8. *Metaphys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 22.

3. Præterea, si differentia prædicatur in

quale quid, maxime quia differentia habet rationem formalis respectu speciei; sed eodem modo genus est formale respectu speciei; ut enim dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 28; c. 3), partes definitionis reducuntur ad causam formalem : ergo vel non sola differentia prædicatur in quale quid, vel genus non debet prædicari in quid. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4; 2. *Phys.* l. 5.

Sed contra est auctoritas Porphyrii in cap. de differentia, ubi differentiam definit, quod sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.

Respondeo dicendum, quod recte describitur differentia, quod sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quale. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod in aliquibus formis potest esse latitudo (in eadem forma) secundum gradus formales, quorum unus secundum se nobilior est et perfectior altero, et hæc est latitudo generis, sub quo sunt diversi gradus formales specie differentes. Pro quo notandum est, quod in entibus sunt diversi gradus essendi, sive gradus substantiales sive accidentales, qui gradus licet in aliquibus entibus sint dispersi, invenitur tamen aliquando unum aliquod plures gradus perfectionis substantiales vel accidentales comprehendens; verbi gratia vegetabile, sensibile, rationale sunt gradus entium substantiales, quorum primus reperitur in planta, secundus in cane, tertius non tamen solus, sed cum cæteris est in homine; homo namque per suam formam substantialem, quæ est una, habet omnes istas tres perfectiones; unde Socrates per unam suam essentiam conformatur plantæ, cani et Platoni. Hæc autem conformitas, quæ est Socratis ad plantam, potest esse una duorum, Socratis, ut subjecti, et plantæ, ut termini; non quod talis conformitas sit relatio secundum esse, sed est relatio secundum dici, estque fundamentum relationis secundum esse; talis autem conformitas, quæ realiter una est, movet intellectum nostrum ad unum conceptum, puta ad conceptum vivi, a quo complete sumitur genus, quod est etiam species respectu superioris gradus. Unde talis conformitas se habet ad genus, ut fundamentum remotum, conceptus vero vivi, ad quem illa movet intellectum, se habet ad genus, ut fundamentum proximum; et sic licet unitas generis sit unitas rationis, tamen aliquo modo habet fundari in uno secundum rem. Differmitas autem, quæ est inter Socratem et plantam, est, quia Socrates sentit, non autem planta, a qua differmitate sumitur differentia, quæ dividit vivum, quod est commune homini et plantæ; unde per hanc differentiam ostenditur, quod vivum invenitur in habente aliquam aliam perfectionem, quæ non est in planta. Et quia in tali perfectione, puta sensibili, convenit Socrates cum cane, similiter inter eos est una conformitas movens ad unum conceptum, a quo, si sumatur in concreto substantive, ita ut tale concretum de suo significato dicat explicite et vivum et sensibile, sumitur aliud genus, scilicet animal. Si vero sumatur in concreto adjective, ita ut de suo significato dicat solam perfectionem sensibilis, explicite sumitur differentia, et sic de aliis usque ad ultimam differentiam specificam, infra quam non est perfectio formalis. Cum ergo de tot possit dici sensibile, de quot dicitur animal, sicut animal, quod est genus, prædicatur de pluribus differentibus specie; ita et sensibile, quod est differentia, prædicatur de pluribus differentibus specie. — *Opusc.* 48, l. c.; *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 42, l. c.

Dupliciter tamen differunt inter se animal et sensibile : *uno modo*, quia animal dicitur a sensibilitate; et quia anima ad sensibilitatem se habet sicut potentia ad actum, ideo differentia est magis actualis, quam id, cujus est differentia, licet ambo sint æqualis ambitus. *Alio modo*, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est, idest substantive secundum grammaticos; (animal enim, quod de homine et equo prædicatur, est substantivum et non adjectivum), sensibile autem prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, id est adjective. Cujus ratio est, quia differentia divisiva alicujus generis sumitur a perfectione, quam non habent omnia, quæ sunt sub genere, quæ perfectio comparata ad illud, unde sumitur genus, se habet ut quoddam perfectum, et per consequens ut quædam

qualitas et forma generis; et quia communiter adjectiva sumuntur a formis, quæ habent adjacere, ideo ad designandum, quod differentia sumitur a solo formali, et illud solum dicit explicite, perfecta est differentia per modum adjectivum in sui prædicatione. — Et sic recte definita est differentia, quod sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie. — *Opusc.* 48, l. c; 5. *Metaphys.* l. 22.

Ad primum ergo dicendum, quod in definitione differentiæ tantum definitur differentia subalterna, non autem ultima; cujus ratio est, quia forma essentialis non est per se nota, et ideo oportet, quod manifestetur per aliqua accidentia, quæ sunt signa illius formæ, ut patet in 7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12. Non autem oportet accipere accidentia propria illius speciei, quia talia oportet per principia speciei demonstrari; sed oportet notificare formam speciei per alia accidentia communiora; et secundum hoc differentiæ sumptæ dicuntur quidem substantiales, in quantum inducuntur ad declarandam formam essentialem, sunt autem communiores specie atque adeo subalternæ, in quantum assumuntur ex aliquibus signis, quæ sequuntur superiora genera. — 2. *Poster.* l. 13.

Ad secundum dicendum, quod differentia dupliciter potest considerari : *uno* modo ut universale vel prædicabile, et sic debet definiri per ordinem ad partes subjectivas, puta ad inferiora, quæ sub se continet, tanquam totum universale ; et hoc modo sumitur, cum definitur, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. *Alio* modo sumitur, ut est prædicatum, seu per ordinem ad subjectum, respectu cujus est actus, et hoc modo prædicatur de genere, cujus est actus; dicimus enim animal, vel esse rationale, vel irrationale, et animal, quod est homo, esse rationale. — 1. *Poster.* l. 12. et ll. cit. in arg.

Ad tertium dicendum, quod partes definitionis, puta genus et differentia comparatæ ad suppositum naturæ habent rationem causæ formalis, sed comparatæ ad naturam speciei, habent rationem causæ materialis; nam omnes partes comparantur ad totum, ut imperfectum ad perfectum, quæ est comparatio materiæ ad formam; si demum comparentur ad invicem, differentia habet rationem causæ formalis, genus vero materialis. — 2. *Phys.* l. 3; 7. *Metaphys.* l. 9, et 12; 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4.

ARTICULUS III

UTRUM DIFFERENTIA SUPERIOR INTRINSECE ET ESSENTIALITER INCLUDATUR IN DIFFERENTIA INFERIORI, UT SENSITIVUM IN RATIONALI.

Videtur quod differentia superior includatur in conceptu inferioris. Quia differentia superior prædicatur in abstracto de inferiori.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12), quod fissipedia est aliqua peditas; sed quod prædicatur in abstracto de aliquo, includitur in conceptu illius; ergo differentia superior includitur in conceptu inferioris. — 7. *Metaphys.* l. 12.

2. Præterea, ultima differentia, ut dicitur *Metaphys.* l. c., est tota substantia rei; sed non nisi quia includit differentias superiores, quæ sunt de essentia rei; ergo differentia superior includitur in inferiori. — l. c.

3. Præterea, genus sicut non est præter species, ut dicitur 3. *Metaphys. text.* 11; l. 2, c. 3, ita nec præter differentias constitutivas specierum ; sed in genere essentialiter includitur superior, cum hæc sit constitutiva illius : ergo et differentia superior non erit præter inferiores, sed includetur in illis, sicut includitur genus. — l. c.

4. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod in definitione ponenda est tantum ultima differentia, quia alioqui, si ponerentur reliquæ differentiæ, superflue ponerentur; at hoc est, quia includuntur in ultima differentia; ergo differentia superior includitur in inferiori. — l. c.

5. Præterea, si differentia superior non includeretur in inferiori, possent in definitione poni differentiæ sine ullo ordine; ut in definitione hominis possemus dicere, quod homo sit animal bipes habens pedes; sed hoc est falsum, nam posito bipede superflue ponitur habens pedes : ergo diffe-

rentia superior includitur in inferiori. — l. c.

6. Præterea, animal, quod est in homine, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8), differt specie ab animali, quod est in leone, et per consequens et sensitivum, quod est differentia superior et constitutiva animalis, differt specie in hoc et illo sensitivo, hominis scilicet et leonis; sed animal ex eo, quod differt specie in speciebus, includitur in illis; ergo et differentia superior, puta sensitivum, ex eo, quod differt specie in sensitivo hominis et leonis, includetur in illis, quæ sunt differentiæ inferiores. — 2. *c. Gent.* c. 89; 10. *Metaphys.* l. 10.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (10. *Metaphys. text.* 12; 9, c. 3) dicit, quod differentiæ sunt primo diversæ, et quod quæ sunt primo diversa, non conveniunt in aliquo, et per aliquid sunt diversa; ergo differentiæ inferiores non includunt superiorem; nam alioqui in aliquo convenirent et per aliquid essent diversæ contra Philosophum. — 10. *Metaph.* l. 4; 1a, q. 3, a. 8, ad 3 et q. 90, a. 1, ad 3; 1. Sent. dist. 8, q. 1, a. 2, ad 3.

2. Præterea, quæ conveniunt in aliquo et per aliquid sunt diversa, ut dicitur *Metaph.* l. c, sunt species; sed differentiæ non sunt species, ut patet: ergo. — *Metaphys.* l. c.; *Opusc.* 42, c. 10; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4.

3. Præterea, genus est extra conceptum differentiarum divisarum, ut dicitur 3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3 et 11. *Metaphys. sum.* 1, c. 1; l. 10, c. 1), ac proinde de illis non prædicatur, ut dicitur 4. *Topic.* et 3. *Metaphys.* l. c.; sed eadem est ratio differentiæ superioris constitutivæ generis; ergo etiam illa est extra conceptum differentiæ inferioris. — 3. *Metaphys.* l. 8; 11. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 30, c. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod differentia inferior constitutiva speciei dupliciter potest considerari: *uno modo*, secundum proprium et principalem conceptum, seu secundum principale significatum, quod ipsa dicit explicite, atque adeo secundum id, a quo sumitur, quomodo est pars speciei; ut sic enim comparatur ad genus, ut actus ad potentiam, et ut forma ad materiam, ex quibus tanquam partibus componitur species; et hoc modo sicut genus est extra conceptum differentiæ, et contra, ut dictum est supra q. 3, a. 3, ita et differentia superior, quæ est constitutiva generis, est extra conceptum proprium et extra principale ac explicitum significatum differentiæ inferioris; hæc enim significat explicite aliquid, quod non significat genus vel differentia superior constitutiva generis, licet idem totum significetur ab his tribus. — 10. *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 48. tract. 1, c. 4.

Alio modo potest considerari differentia inferior, secundum quod nominat totum et secundum implicitum significatum suum, quomodo non est pars speciei, et per consequens non advenit generi tanquam pars parti, sed tanquam totum determinatum et signatum toti indeterminato et non signato, in ipso potestative et implicite inclusum — dicit enim totum, quod dicit species, sed non explicite; nam explicite tantum dicit id, quod est ut formale in specie, implicite vero dicit id, quod est ut materiale; — et hoc modo, sicut differentia inferior continetur in genere, non tanquam in eo, quod includitur in ratione ipsius, sed tanquam determinatum in indeterminato, et contra genus continetur in illa, tanquam indeterminatum in determinato (nam quod est indeterminatum in genere, est determinatum in specie et differentia, unde genus et differentia tantum differunt secundum signatum et non signatum, determinatum et non determinatum); ita differentia inferior continetur in superiori, non tanquam in eo, quod est de ipsius ratione, sed tanquam determinatum in indeterminato, et illud continetur in ipsa tanquam indeterminatum in determinato; omnes namque differentiæ superiores generum dicunt unum, quod determinatur per ultimam differentiam. Et sic manifestum est quomodo differentia superior includatur in inferiori, quomodo non. — ll. cit.; 1a 2æ, q. 67, a. 5, c. 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod cum differentia inferior contineatur sub superiore, sicut differentiæ continentur sub genere, puta tanquam determinatum sub indeterminato, sicut quando prædicatur genus de differentiis sub se contentis, non est prædicatio formalis, quia conceptus

unius est diversus a conceptu alterius, sed tantum identica et materialis, quia scilicet idem est, quod dicitur ab uno et quod ab alio, licet diversimode de illis dicatur; ita quando prædicatur differentia superior de inferiori, non est prædicatio formalis ob eamdem rationem, sed materialis et identica, quia differentia superior dicit illud, quod determinatur per differentiam inferiorem. — Vel dic, quod sicut genus dicitur includi in differentia inferiori, quia genus non est sine differentiis; — nam ista faciunt genus esse in actu, ut dictum est supra quæst. 3, a. 3 et 5, — ita differentia superior dicitur esse in inferiori, quia non est sine illa; nam hæc dat illi determinationem et facit illam in actu, faciendo esse in actu genus, cujus ipsa est constitutiva. — Vel dic, quod quia bipes sicut et gressibile sunt differentiæ accidentales, licet ponantur loco substantialium, fissipedia erit species hujus accidentis, quod est peditas, et sic poterit hæc de illa prædicari, quomodo prædicatur color de albedine. — 7. *Metaphys.* l. 12; *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod ultima differentia dicitur tota substantia rei, non quia illa in suo conceptu includat conceptum reliquarum differentiarum et omnium generum, ut dictum est, sed quia omnes differentiæ dicunt unum, quod determinatur ab ultima differentia; quæcumque enim differentiæ ponantur in definitione, nisi ponatur ultima differentia, nunquam intelligetur substantia rei, ut distinguitur ab aliis. — 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad tertium dicendum, quod sicut genus ideo dicitur non esse præter species, quia formæ specierum, quæ sunt differentiæ, non sunt realiter aliæ formæ a forma generis, sed sunt forma generis, sed cum determinatione; — animal enim est, quod habet animam sensitivam, homo autem est habens animam sensitivam talem, idest cum ratione, unde cum additur differentia generi, non additur quasi diversa essentia a genere, sed quasi in genere implicite contenta; — ita differentia constitutiva generis seu differentia superior dicitur non esse præter differentiam inferiorem, quia hæc non est diversa forma ab illa, sed est forma illius cum determinatione. — 7. *Metaphys.* l. 12; 10. *Metaphys.* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod differentia ultima dupliciter potest significari: *uno* modo, nomine specifico includente et significante explicite aliquid per modum generis, et aliquid per modum differentiæ, ut est bipes respectu habentis pedes; *alio* modo per nomen explicite tantum exprimens aliquid per modum differentiæ, ut est duos vel scissos respectu habentis pedes. Si *priori* modo significetur differentia ultima, tunc illa posita in definitione, superflue ponitur differentia superior; nam inferior habet rationem speciei, et superior habet rationem generis; species autem, cum explicite contineat totum id, quod dicit explicite genus, non potest simul cum illo poni in definitione; nam tunc bis poneretur genus explicite, et sic committeretur nugatio, nam poneretur semel in se et semel in specie; et sic in definitione hominis non debet poni animal habens pedes bipes, nam bipes idem est, quod habens pedes duos, unde bis diceretur habens pedes, sed debet dici animal bipes vel habens pedes duos. Si autem sumatur differentia *posteriori* modo, non committitur nugatio, sed est bona definitio prædicta; bona namque definitio secundum Philosophum (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12), constat ex primo genere et differentiis usque ad ultimam, a qua tamen sola definitio habet unitatem, quia omnes differentiæ superiores significant unum, quod determinatur per ultimam, ut dictum est. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4.

Ad quintum dicendum, quod quando ultima differentia significatur nomine specifico, tunc non potest poni in definitione ante differentiam superiorem significatam per modum generis, dato quod quis vellet conficere definitionem per differentias significatas nomine generis et speciei; ut si quis vellet definire hominem, quod sit animal habens pedes bipes, non deberet in definitione præponere bipes habenti pedes; — nam hoc involvitur in illo, unde superflue poneretur; — sed contra debet habens pedes præponere bipedi, et ita definire hominem, quod sit animal habens pedes bipes; nam ubi dictum est, habens pedes, adhuc restat quærendum, utrum sit bipes, dividendo habens pedes. — 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad sextum dicendum, quod sicut aliter sunt species in genere, aliter differentiæ, — nam species conveniunt in genere tanquam in eo, quod est de essentia illarum, seu quod includitur in ratione et principali significato illarum; sed differentiæ conveniunt in genere, sicut in quodam determinabili secundum rationem per eas, quod est extra intellectum earum — ita aliter genus differt specie in speciebus, et differentia generis in differentiis constitutivis specierum. Nam genus differt specie, quia non est alia essentia generis ab essentia speciei, et differentia specifica immediate facit esse genus in actu; quare ad multiplicationem differentiarum specificarum etiam genus specie multiplicatur in speciebus; differentia vero superior generis constitutiva, licet non sit essentia distincta ab essentia differentiæ inferioris, mediate tamen fit in actu per differentiam inferiorem constitutivam speciei. In hoc tamen conveniunt, quod sicut animal non dicitur differre specie in differentiis specierum, sed in ipsis speciebus, ut animal in equo et homine, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8), et in illis non differt specie per differentiam sibi intrinsecam et essentialem, sed extrinsece, per differentiam constitutivam speciei, — ita et differentia superior dicitur specie differe in speciebus, non in differentiis specierum, et in illis differt, non per essentiales et intrinsecas differentias, sed per extrinsecas specierum. Ad reliqua objecta patet ex dictis. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 4; 7. *Metaphys.* l. 12; 10. *Metaphys.* l. 10.

QUÆSTIO VI

DE PROPRIO

Deinde considerandum est de proprio.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum recte definiatur a Porphyrio proprium, quod omni, soli et semper convenit et conversim de re prædicatur.
2. Utrum subjectum sit causa efficiens propriæ passionis.
3. Utrum propria passio realiter distinguatur a suo subjecto.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE A PORPHYRIO DEFINIATUR PROPRIUM.

Videtur quod non recte a Porphyrio definiatur proprium, quod omni, soli et semper conveniat et conversim de re prædicetur.

1. Dicit enim Philosophus in *Prædicam.* c. 6, quod æqualitas est passio quantitatis propria; sed æqualitas non convenit omni quantitati : ergo proprium non recte definitur, quod omni convenit. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8.

2. Præterea, sensibile est proprium; sed non convenit tantum speciei : ergo non recte definitur quod soli. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 2.

3. Præterea, calor ignis est illius propria passio, et similiter esse est proprium Dei; sed utrumque convenit aliis ab igne et Deo : ergo proprium male definitur, quod soli convenit. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 1; *Opusc.* 48, tract. 1. c. 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 5), quod universale est id, quod aptum natum est prædicari de multis; sed proprium est universale, est enim unum ex quinque prædicabilibus, ut dictum est : ergo non recte definitur, quod soli speciei convenit et conversim de illa prædicatur. — 1. *Periherm.* l. 10; *Opusc.* 48, tract. 1. c. 6.

5. Præterea, in omni re proprium est accidens illius, extra essentiam ejus existens; non ergo recte definitur definitione distincta ab accidente. — 1a 2æ, q. 2, a. 6 et q. 83, a. 2, ad 3; *de Verit.* q. 21, a. 1, ad 10; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 6 et 7.

6. Præterea, omnis definitio « quid rei » convenit omni, soli et semper definito, et conversim de illo prædicatur; est enim idem re cum illo; sed definitio non est proprium, nam hoc est extra essentiam rei et est accidens; at definitio, cum significet quod quid erat esse rei, est illi intrinseca, imo eadem re et ratione cum illa, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 31; l. 6, c. 9); ergo non recte definitur proprium, quod omni, etc. — 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2; 7. *Metaphys.* l. 5 et 11;

3. *c. Gent.* c. 49, arg. 4; *de Verit.* q. 2, a. 1, c., et q. 3, a. 2, ad 4.

Sed contra est, quod Porphyrius definit proprium quarto modo, quod est maxime proprium, quod omni, soli et semper convenit et conversim de re prædicatur.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte definitur proprium, quod inest omni individuo speciei et soli speciei et semper et conversim de illa prædicatur. — Ad cujus definitionis particulas intelligendas, sciendum est, quod ex quinque universalibus, tria sunt essentialia, genus scilicet, species et differentia, quæ ita dicuntur, quia sunt de essentia eorum, de quibus prædicantur. Duo vero sunt accidentalia, proprium et accidens, quia non sunt de essentia subjectorum, de quibus prædicantur. Cæterum accidens dupliciter sumi potest: *uno modo*, ut dividitur contra substantiam, et hoc modo proprium est accidens, et inter accidentia computatur; non enim est de substantia ejus, cujus est proprium, nec potest esse in prædicamento substantiæ. *Alio modo* sumitur accidens, ut est unum de quinque prædicabilibus, et hoc modo proprium non est accidens, sed distinguitur contra illud. — Ad intelligendas ergo particulas definitionis, quia valde necessarium est scire proprium, quod Philosophus propriam passionem vocat, quia in demonstratione nihil aliud concluditur, nisi propria passio de subjecto, — sciendum est, quod aliquid de aliquo prædicari dupliciter contingit, per se et per accidens. Prædicatio per accidens tripliciter fieri contingit, ut dicit Philosophus in *Metaphys.* (l. 4, c. 7): *uno* modo, quando accidens prædicatur de subjecto, ut homo est albus; *alio* modo, quando subjectum prædicatur de accidente; *tertio* modo, quando accidens prædicatur de accidente, ut album est musicum. Prædicatio vero per se, ut dicitur 1. *Poster.* c. 4, fit quatuor modis, quorum secundus est, quando proprium prædicatur de eo, cujus est proprium, ut homo est risibilis. Cum ergo proprium per se prædicetur de subjecto, non per accidens, sicut prædicatur accidens, aliam habitudinem habet ad subjectum, quam ad illud habeat accidens commune; nam hoc nullam aliam habitudinem habet ad suum subjectum, nisi ut ad causam materialem, proprium autem non hanc habitudinem dicit ad suum, ita ut subjectum ejus sit tantum passivum et receptivum illius, (nam, cum illud, quod est receptivum tantum alicujus, non imponat necessitatem essendi ei, respectu cujus est tale, sequitur, quod proprium non necessario sequitur subjectum, nec per consequens per se prædicari potest de illo, quorum utrumque est falsum; nam cum in rebus naturalibus videamus quasdam operationes, quæ conveniunt semper omnibus, quæ sunt ejusdem speciei, sicut attrahere ferrum respectu magnetis, oportet dicere, quod tales operationes sequuntur aliquod principium intrinsecum permanens in illis corporibus, quod dicitur potentia seu virtus, quod principium necessitatem essendi habet a forma specifica illius rei), sed etiam habet habitudinem ad suum subjectum tanquam ad causam efficientem. Quod probatur, quia propriæ qualitates agunt ut instrumenta formarum substantialium ad productionem consimilium formarum in specie, ut calor ignis in ligna ad generandum ignem, quod non possent facere, nisi essent instrumenta formæ substantialis, ab illa in genere causæ efficientis recipientes virtutem agendi, non tamen differentem ab entitate ipsarum qualitatum.

Et sic ex his patent duæ particulæ definitionis proprii, scilicet, quod proprium inest omni et semper; si enim proprium necessariam et naturalem connexionem habet cum forma specifica, ut dictum est, oportet, quod inveniatur in omnibus, in quibus est forma specifica, et ita reperitur in omnibus individuis ejusdem speciei; nam in illis est forma substantialis; et quia necessitatem essendi habet a tali forma, debet semper inesse omnibus individuis, quamdiu inest illis forma specifica. Ut vero intelligantur reliquæ particulæ, quomodo scilicet proprium conveniat soli speciei et conversim de illa prædicetur, sciendum, quod, ut dictum est, diversi sunt gradus perfectionis in entibus, quos Philosophus (8. *Metaphys.* text. 10; l. 7 7, c. 3) comparat numeris ubi dicit, quod species sunt sicut numeri; — sicut ergo numeri respectu unitatis habent diversos gradus formales, nam alius est gradus quaternarii, alius quinarii, ita sunt diversi gradus formales

specierum rerum, per respectum ad quodcumque principium primum incompositum; et sicut non est invenire duos numeros specie differentes in eodem gradu, ita nec duas species in eodem gradu formali. Quoniam vero proprium, ut dictum est, sequitur principia propria speciei, nec stricto modo sumptum potest esse nisi in una specie, propterea dicitur in definitione, quod inest uni. Additur autem ultimo: et conversim de re prædicatur, ut ostendatur modus prædicandi proprii de specie, diversus a modo prædicandi ejusdem de individuis speciei. Nam de illis prædicatur per se, quia necessariam connexionem habet cum illis, de quibus prædicatur, non tamen prædicatur per se primo, quia majoris ambitus est, quam quodlibet singulare; prædicatur autem per se et primo de specie, quod est conversim de illa prædicari, quia et necessariam habitudinem habet ad illam et tanti ambitus est, quanti est illa, et prius respicit speciem, quam ejus individuum. Et sic patet tota definitio proprii. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod proprium alicujus speciei aliquando sumitur simpliciter et sub uno nomine et signato, quomodo risibile est proprium hominis; aliquando vero sumitur sub duobus oppositis cum disjunctione, quomodo proprium est numeri, quod sit par vel impar, et quantitatis, quod sit æqualis vel inæqualis.— 1. c. et tract. 3, c. 8; 1. *Poster.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter sumitur proprium: *uno modo*, proprie et stricte, et sic convenit tantum speciei specialissimæ. Cujus ratio ex dictis est, quia subjectum habet ad proprium habitudinem causæ efficientis; eatenus autem aliquid est agens, quatenus est actu, multo vero magis est actu species specialissima, quam subalterna; nam hæc existit per illam; nam esse determinatum, quod est actualitas rei, sequitur formam, quatenus terminus est. At esse terminum potiori ratione convenit formæ specificæ, quam genericæ; nam, ut dictum est, perfectio generica habet rationem potentiæ, specifica vero actus, quippe quæ determinat genericam. Et quamvis etiam species specialissima non existat nisi in individuis, id tamen non refert; nam individua non addunt aliquam essentiam supra speciem, sicut addit species specialissima supra genus; differentia enim constituens speciem specialissimam est extra conceptum et quidditatem generis, et per consequens speciei subalternæ, ut dictum est supra (q. 3, a. 3, etc.), species vero specialissima determinatur ad individua per materiam signatam. — *Alio modo* sumitur proprium largo modo, et sic nihil prohibet proprium etiam convenire speciei subalternæ; dicimus enim, quod proprium est trianguli, habere tres angulos æquales duobus rectis. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 6 et 7, 1a, q. 4, a. 1, c. et ad 3; 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c; 1a, q. 29, a. 2, ad 4; *de Pot.* q. 9, a. 1, ad 5; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8.

Ad tertium dicendum, quod licet proprium uni tantum speciei competat, nil tamen prohibet, proprium unius speciei participatione multis etiam aliis speciebus convenire; sic ergo in proposito proprium est ignis, quod sit calidus, et tamen multis aliis speciebus hoc convenit, in quantum hoc participant ab igne. Quælibet enim qualitas specialiter tribuitur uni elemento, in quo est perfecte et per concomitantiam vel per derivationem atque adeo imperfecte alteri; unde fit, ut cum ex aere fit ignis, calor maneat idem specie, sed auctus. — Ad illud de esse Dei dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid proprium alicui: *uno* modo, ut per proprietatem excludatur omne extraneum a natura subjecti, sicut cum dicimus, proprium hominis esse risibile; sensus enim est, quod nulla res alia ab homine est risibilis, et sic loquitur Porphyrius de proprio; et hoc modo esse non est proprium Dei. *Alio* modo, ut per proprietatem excludatur omne extraneum a natura prædicati, sicut cum dicimus, hoc est proprium aurum, idest, non habet aliam naturam admixtam, et hoc modo esse dicitur proprium Dei, quia divinum esse non habet admixtum aliquid privationis vel potentialitatis, sicut esse creatum. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 7; *Opusc.* 9, q. 7; *de Spirit. Creat.* a. 3. ad 19; 1. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod proprium dupliciter potest considerari, sicut et quodlibet universale. *Uno* modo respectu

subjecti, de quo immediate prædicatur et quod immediate ex natura sua respicit, et hoc modo proprium non est prædicabile, sed prædicatum, et ita sumitur a Porphyrio, cum ipsum definit; quod patet. Nam de eodem proprio asserit, quod prius convenit speciei quam individuis, quod falsum, est si sumitur proprium ut universale; nam ut sic immediate respicit plura inferiora. *Alio* ergo modo sumitur ut universale et prædicabile, et hoc modo proprium non respicit speciem, sed individua speciei; et secundum hanc rationem non definitur a Porphyrio; potest tamen illius definitio colligi ex definitione Porphyrii, si dicas, proprium esse, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quale accidentaliter et necessario. Nam cum proprium stricto modo sumptum soli speciei specialissimæ conveniat, ut est universale, tantum prædicabitur de individuis illius, et cum sit prædicabile accidentale (nam proprium est extra essentiam rei, ut dictum est), non nisi in quale accidentali prædicabitur; et cum in secundo modo dicendi per se, ut dicit Philosophus (1. *Poster text* 9; c. 4), prædicetur de subjecto, necessario de individuis speciei specialissimæ prædicabitur. — 1. *Poster.* l. 11; 4. *Metaphys.* l. 7; ll. cit. in arg. 5 et 6.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter sumi potest accidens : *uno* modo, ut dividitur contra substantiam, et sic, cum nihil dari possit medium inter substantiam et accidens (quia dividuntur secundum affirmationem et negationem, scilicet, secundum esse et non esse in subjecto), proprium, quia non est de essentia rei, oportet quod sit accidens. *Alio* modo sumitur accidens, secundum quod ponitur unum ex quinque prædicabilibus, et hoc modo, cum detur medium inter substantiam et accidens, proprium erit ab accidente distinctum. — 1a, q. 77, a. 1, ad 5; *de Spirit Creat* a. 11, c. et ad 4 et 5; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 6; 1a, q. 76, a. 4, ad 4 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 10; *Opusc.* 37.

Ad sextum dicendum, quod in illis, in quibus est aliquid perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his, quæ deficiunt a perfectissimo; ipsi autem perfectissimo adaptatur aliud nomen speciale, ut patet in nomine scientiæ. Quia enim hoc nomen importat certitudinem judicii, quando hæc fit per altissimam causam illius generis, per quam potest quis de omnibus judicare, habet speciale nomen, quod est sapientia; quando vero est per causas secundas, retinet nomen scientiæ, et ideo scientia ponitur habitus distinctus a sapientia. Sic in proposito, quia in genere convertibilium illud, quod significat quod quid est, speciali nomine vocatur definitio; quæ autem deficiunt in hoc, convertibilia existentia, nomen commune sibi retinent et sunt propriæ passiones, ideo hæc propria dicuntur. — Vel dic, quod proprium, quod est quartum prædicabile, est terminus simplex et incomplexus, sicut et reliqua prædicabilia, et definitio est terminus complexus et compositus. — 2a 2æ, q. 9, a. 2, c,; 1. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM SUBJECTUM SIT CAUSA EFFICIENS PROPRIÆ PASSIONIS.

Videtur quod subjectum non sit causa efficiens propriæ passionis.

1. Quia causa efficiens necessario debet realiter distingui ab effectu, quia impossibile est, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius; sed aliquæ passiones non distinguuntur realiter a subjecto, ut attributa Dei ab ejus essentia, et passiones entis ab ente; et in particulari de uno respectu entis dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 3; l. 3. c. 2) : ergo subjectum non est causa efficiens suarum passionum. — 1a, q. 2, a. 3, c; 1. *Sent.* prol. q. 1, a. 2, ad 2; 4. *Metaphys.* l. 3.

2. Præterea, idem non potest esse agens et patiens; sed si subjectum esset activum principium suarum passionum, cum etiam sit earumdem receptivum, esset agens et patiens : ergo. — 1a, q. 77, a. 6, arg. 3.

3. Præterea, de ratione entis causati non est habitudo ad causam efficientem; sed de ratione propriæ passionis est habitudo ad subjectum; nam propterea per se prædicatur de illo, et illud necessario consequitur, unde et ipsum habet in sui definitione : ergo subjectum non est causa efficiens passionum. — 1a, q. 44,

a. 1, ad 1; *Opusc.* 48. tract. 1. c. 6; 1. *Poster.* l. 10 et 13.

4. Præterea, efficiens et materia non coincidunt in idem numero, ut dicitur, sed subjectum est causa materialis propriæ passionis, nam est susceptivum illius: ergo non est causa efficiens propriæ passionis. — 2. *Phys.* l. 11; 7. *Metaphys.* l. 6; 1a, q. 77. a. 6 et 7.

5. Præterea, potentiæ sensitivæ, quæ sunt proprietates naturales animæ rationalis, subjectantur in composito; sed non causantur efficienter ab illo; ergo idem, quod prius. — 1a, q. 76, a. 6. c. et a. 8. arg. 2; *Opusc.* 2, c. 89.

6. Præterea, substantia non est immediate activa; sed subjectum aliquarum passionum est subtantia, ut anima respectu potentiarum, quæ sunt illius naturales proprietates: ergo subjectum non est causa efficiens suarum passionum. — *Quaest. disp. de Anima* a. 12, c. et ad 9.

Sed contra est auctoritas Philosophi (1. *Poster. text.* 10 c.; 4), ubi dicit, quod in conclusionibus demonstrationum, in quibus propriæ passiones prædicantur de suis subjectis, passiones habent duplicem habitudinem ad subjectum, unam tanquam ad causam materialem sibi communem cum omnibus accidentibus, alteram propriam, tanquam ad causam efficientem. — 1. *Poster.* l. 10 et 13; *Opusc.* 48, tr. 8. c. 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod subjectum est causa propriæ passionis in triplici genere causæ, materialis, finalis et efficientis. Est enim causa *materialis*, quia recipit illam in se; cum enim in omni re proprietas sit accidens, necessario exigit subjectum, quod sit illius receptivum. Est causa *finalis*, quia propria passio est propter subjectum, tanquam minus principale propter principalius, non contra. Quod vero sit etiam causa *efficiens*, multipliciter probatur; et *primo*, quia quod est primum in quolibet genere, est causa cæterorum; sed actualitas prius est in subjecto quam in propria passione: ergo causalitas hujus causatur a causalitate illius, ita quod subjectum in quantum est in potentia, sit proprium susceptivum passionis, in quantum autem est in actu, sit productivum illius (1. *Poster.* l. 2 et 14; 2. *Poster.* l. 1). — *Secundo*, quia in omni demonstratione propriæ passionis de subjecto, debet fieri resolutio in definitionem subjecti tanquam in causam primam; nam ideo dicit Philosophus, quod de subjecto debet præcognosci quid est, quod non oporteret, nisi definitio formalis passionis concludetur de subjecto per definitionem subjecti et tanquam in causam necessariam, quia conclusio debet procedere ex medio necessario, ut dicitur 1. *Poster. text.* 18; c. 6. Et ratio est, quia cum passio insit ex necessitate et semper subjecto, debet habere causam, qua posita non possit non inesse; sed definitio seu essentia subjecti non est causa necessaria propriæ passionis, si sit tantum causa materialis, est autem, si sit causa efficiens illius (*Opusc.* 48. tr. 1, c. 6); quia quod est receptivum tantum alicujus, non imponit ei necessitatem essendi, respectu cujus est tale. Nam omnis potentia passiva ut sic, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 17, l. 8. c. 8, est potentia contradictionis, seu habet se ad esse et non esse; at propria passio necessario et semper inest proprio subjecto, et per se de illo prædicatur, unde subjectum non est in potentia contradictionis respectu illius. — *Tertio* habitudo alicujus ad subjectum tanquam ad causam materialem non sufficit, ut aliquid per se prædicetur de illo, et ut sit scibile; nam hoc est commune omnibus accidentibus communibus, quæ non prædicantur de subjecto per se, sed per accidens, et per consequens non sunt scibilia de illo; ergo necessario debet propria passio habere aliam habitudinem ad subjectum proprium, nimirum tanquam ad principium activum. — *Quarto* propriæ qualitates, quæ sunt naturales proprietates formarum substantialium, agunt ut instrumenta illarum, alioqui non inducerent agendo formam substantialem; sed ideo agunt ut instrumenta, quia virtutem agendi recipiunt a formis substantialibus, licet talis virtus non sit distincta ab essentia qualitatis: ergo dicendum est, quod forma substantialis subjecti est causa efficiens suarum passionum. — 1a. q. 77, a. 6, c. et ad 2, a. 7 c.; *Opusc.* 70. q. 5. a. 4, ad 4; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1. a. 2. ad 2; *Quaest. disp. de Anima* a. 12, c.; 9. *Metaphys.* l. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod propriæ passiones sunt in duplici differentia. Aliæ proprie dictæ, quæ nimirum sunt formæ accidentales realiter distinctæ ab essentia subjecti, et sunt illius virtutes et instrumenta ad operandum, et de hujusmodi passionibus verum est, quod subjectum est principium activum reale illarum, ut dictum est. Aliæ sunt passiones improprie dictæ, quæ potius sunt loco passionum, quæ nimirum non consequuntur realiter seu secundum rem, sed secundum nostrum modum intelligendi seu secundum rationem essentiam subjectis vel superiorem rationem in subjecto, quomodo tempus dicitur passio motus, et ratio æternitatis consequitur in Deo rationem immutabilitatis: et simili modo se habent cætera attributa divina respectu substantiæ Dei, et passiones entis respectu entis; nam sicut illa sola ratione differunt ab essentia Dei, ita hæ ab ente. — 1a, q. 77, a. 6; *de Spirit. Creat.* a. 11, c.; 1. *Sent.* dist. 2. q. 1. a. 2, c.; 1a, q. 10, a. 2, c. et ad 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.

Ad secundum dicendum, quod aliquid potest esse effectus alicujus dupliciter; *uno* modo proprie, quatenus scilicet causatur ab illo per veram actionem et transmutationem, et hoc modo idem non potest esse agens et patiens; et ideo subjectum hoc modo non est causa propriæ passionis, sed generans. *Alio* modo non ita proprie per naturalem resultantiam, quomodo ex uno naturaliter resultat aliud, ut ex luce color, quia scilicet quando utrumque fit, ita fiunt simul, quod unum necessaria connexione intelligitur esse post aliud, quomodo sensus dicitur causa activa imaginationis, et una potentia alterius potentiæ et actio passionis; et hoc modo subjectum dicitur principium activum propriæ passionis. Nam posito subjecto ponitur statim passio; et actio originantis prius intelligitur terminari ad subjectum, quam ad ejus passiones; neque absurdum est, quod secundum hunc modum agendi idem sit agens et patiens, seu agens in se ipsum. — 1a, q. 77, a. 6, c. et ad 1, a. 7, c. et ad 1; *Opusc.* 48, tr. 1. c. 6, tr. 5, c. 7 et 10.

Ad tertium dicendum, quod licet habitudo ad causam efficientem non intret definitionem entis causati, sequitur tamen ad ea, quæ sunt de ejus ratione, quia ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequitur quod sit causatum ab alio; unde hujusmodi ens non potest esse, quin sit causatum, sicut nec homo, quin sit risibilis; sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc invenitur aliquod ens non causatum. — 1a, q. 44, a. 1, ad 1; *Quodl.* 7, a. 10, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod efficiens est duplex, *unum* per realem transmutationem et veram actionem, et hoc non potest coincidere cum materia in idem specie vel numero; *alterum* per naturalem quamdam resultantiam, et hoc potest coincidere cum materia in idem numero, ut dictum est in c. art. et ad 2. — ll. cit. in corp. hujus art. et ad 2.

Ad quintum dicendum, quod accidens proprium causatur a subjecto secundum quod est actu, et recipitur in eo, in quantum est in potentia; est autem compositum, quod est subjectum potentiarum materialium, in actu per animam, et ideo necesse est, quod omnes potentiæ fluant ab anima, licet illarum aliquæ sint in sola anima tanquam in subjecto, aliquæ vero in composito. — 1a, q. 77, a. 6, c.

ARTICULUS III

UTRUM PROPRIA PASSIO REALITER DISTINGUATUR A SUO SUBJECTO.

Videtur quod propria passio realiter non distinguatur a suo subjecto.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 3; l. 3, c. 2) quod unum non distinguitur realiter ab ente; sed unum est propria passio entis : ergo propria passio non distinguitur realiter a suo subjecto. Sed dices, quod licet id verum sit de passionibus entis, non tamen de propriis passionibus, quæ sunt virtutes agendi ipsis subjectis, quorum sunt propriæ passiones. — *de Verit.* q. 1, a. 1, c. et ad 6; 4. *Metaphys.* l. 1.

2. Sed contra forma substantialis est simplicior, quam accidentalis; sed hæc est realiter sua virtus; ergo et illa, et sic propria passio non distinguetur realiter a suo subjecto. — 1a, q. 77, a. 1. arg. 3;

1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 9; *de Spirit Creat.* a. 11, arg. 9.

3. Præterea, idem est principium essendi et operandi; sed forma substantialis est principium essendi : ergo et operandi, et sic propria passio, quæ est virtus, erit principium operandi, et consequenter propria passio, quæ est virtus et principium operandi, non erit realiter distincta a subjecto. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 2.

4. Præterea, accidens est, quod potest adesse et abesse præter subjecti corruptionem; sed propriæ passiones non possunt abesse, quia, ut dictum est art. 1, necessario consequuntur et semper insunt suis subjectis, et per se de illis prædicantur : ergo non sunt accidentia subjecti, sed idem realiter cum subjecto. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 7.

5. Præterea, Deus non potest separare propriam passionem a subjecto; nam hanc impossibile est, inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 11; c. 3), separari a substantia, cujus est passio; sed possunt separari divina virtute accidentia a subjecto : ergo propriæ passiones non sunt accidentia subjecti, et consequenter non distinguuntur realiter ab illo. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12. ad 7; *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 7; *Quodl.* 1, a. 22, c.; *Quodl.* 3, a. 1, c.; *Quodl.* 7, a. 10, c; *Quodl.* 9, a. 5, c.; 1a, q. 77, a. 1; 1. *Sent.* dist. 47, q. 1, a. 4. c.

Sed contra est : 1. quod nulla qualitas est substantia realiter; sed propria passio, quæ præsertim est virtus agendi et naturalis potentia substantiæ, est qualitas : ergo realiter distinguitur ab illa, atque adeo a subjecto. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 2 sed contra.

2. Præterea, agens principale et instrumentale non sunt unum realiter; sed proprietates naturales rerum sunt illarum virtutes et instrumenta, ut dictum est art. 2, et patet in agentibus naturalibus : ergo non possunt realiter identificari cum illis. — *de Spirit. Creat.* a. 11, arg. 5, « Sed contra »; V. art. præced. in corp.

3. Præterea, potentiæ animæ sunt ejus propriæ passiones; sed potentiæ animæ realiter distinguuntur ab anima, ut infra ostendetur : ergo et proprietates naturales distinguentur realiter a propriis subjectis. — 1a, q. 77, a. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 12 et 19; *de Spirit. Creat.* a. 11; *Quodl.* 10, a. 5; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2.

Respondeo dicendum, quod propriæ passiones sunt in duplici differentia, ut dictum est art. 2, ad 1. *Aliæ* consequuntur subjectum secundum nostrum modum intelligendi, seu secundum rationem et non secundum rem, ut tempus respectu motus et attributa respectu Dei; et hæ non distinguuntur realiter a subjecto, sed tantum ratione, et dicuntur potius loco passionum, quam vere et proprie passiones. *Aliæ* sunt passiones proprie dictæ, quæ realiter consequuntur essentiam subjecti et ab illa realiter emanant, et sunt in *duplici differentia;* nam *aliæ* non sunt virtutes agendi ipsi substantiæ, ut relatio creaturæ ad creatorem, et effectus ad causam efficientem, et potentia subjecti vel materiæ ad formas accidentales, et potentia animæ ad formas intelligibiles; *vel* sunt virtutes agendi et instrumenta ad aliquid producendum; et utraque sunt realiter distincta ab essentia subjecti. — Et de *prioribus* quidem constat *primo* ex ratione generica accidentis. Quia cum omnia accidentia sint formæ quædam substantiæ superadditæ et a principiis substantiæ causatæ, oportet, quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiæ, et ab ipso dependens, et consequenter ab illo realiter distinctum. *Secundo* ex ratione propria. Nam relatio realis creaturæ et quæcumque alia habet esse dependens tum a substantia, quia ejus esse est aliud ab esse substantiæ, cum realiter illi superaddatur, tum ab aliquo exteriori, quia ejus esse est postremum et imperfectissimum; et quatenus postremum non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio; quatenus vero imperfectissimum, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod sit ad alterum, esse ejus proprium, quod substantiæ superaddit, non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicujus exterioris; eadem autem res non potest realiter dependere a se ipsa, nec potest realiter dependere et non dependere ab aliquo exteriori secun-

dum suum esse (4. *c. Gent.* c. 14, n. 9; *Quæst. disp. de Anima* a. 12; c. et ad 11). Quod vero potentia passiva respectu formarum accidentalium realiter distinguatur a materia, et potentia ad formas intelligibiles realiter itidem distinguatur ab anima, probatur; quia cum actus et potentia dividant ens et quodlibet genus entis, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 1 et 2; l. 8. c. 1 et 12. *Metaphys. text.* 26 et 28; l. 11, c. 5, et intelligat Philosophus nomine potentiæ potentiam passivam, puta materiam, et nomine actus formam (nam loquitur de principiis rerum), et ibidem asserat potentiam et actum coincidere cum materia et forma, — oportet quod ad idem genus referantur potentia et actus; et ideo si actus non est in genere substantiæ, nec potentia, quæ est ad illum actum, possit esse in genere substantiae. Cum ergo formæ accidentales omnes sint accidentia, necesse est, potentiam subjecti vel materiæ vel animæ ad illas etiam esse accidentia, et consequenter realiter distingui a proprio subjecto.

Quod vero *posteriores* passiones realiter distinguantur a propriis subjectis, multipliciter etiam manifestum est; et *primo* quidem ratione mox facta, quia solum in Deo operatio est ejus essentia, unde cum in creaturis sit accidens, etiam potentia ad hunc actum debet esse accidens. *Secundo* quia in his, quæ secundum ordinem naturalem ab uno procedunt, primum est causa omnium; sed a generante procedit subjectum et propria passio, cum hoc ordine, quod prius natura existit subjectum, quam passio : ergo subjectum est causa passionis; sed omnis causa est realiter distincta a suo effectu, quia impossibile est idem causare seipsum, ut dictum est : ergo passio realiter distinguitur a subjecto. *Tertio* unumquodque agit, secundum quod actu est illud, quod agit; ignis enim, agit non in quantum est actu lucidus, sed in quantum est actu calidus; et inde est, quod omne agens agit sibi simile, et omnis effectus proprius et immediatus proportionatur suæ causæ. Ergo oportet, quod ex eo, quod agitur, consideretur principium, quo agitur; oportet enim utrumque esse conforme, unde in 2. *Phys. text.* 70; c. 7, dicitur, quod forma et generans sunt idem specie; sed id, quo immediate agitur, est accidens realiter distinctum a substantia, ut manifeste patet in agentibus naturalibus, quæ materiam prius transmutant ad formam accidentalem, quam ad substantialem : ergo et principium talis actionis debet esse realiter distinctum ab illa; tale autem principium est proprietas naturalis : ergo realiter distinguitur a subjecto. *Quarto* eadem est ratio omnium agentium naturalium in eo, quod sunt agentia; sed proprietates naturales elementorum, quæ sunt virtutes agendi et instrumenta illorum, sunt realiter distinctæ ab illorum essentia, ut patet : ergo et virtutes agendi cæterorum agentium naturalium erunt realiter distinctæ ab eorum essentiis. *Quinto* operationes genere diversæ, quarum scilicet aliquæ sunt passiones, aliquæ actiones, non possunt reduci ad unum principium immediatum; sed unius formæ substantialis, ut animæ, plures sunt operationes, quarum aliquæ sunt passiones, aliquæ actiones : ergo anima non erit immediatum principium talium operationum, sed habebit plures et diversas potentias diversitati actuum correspondentes; ergo cum potentiæ animæ sint illius proprietates naturales et essentiales, cum ab essentia causentur, propriæ passiones realiter a suis subjectis distinguentur; et de hujusmodi passionibus loquuntur objecta secundo loco posita, quæ propterea concedimus. — 1a, q. 77, a. 1, 6, 7; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4; *de Spirit. Creat.* a. 11; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.

Ad primum ergo dicendum, quod passiones entis sunt passiones secundum rationem, et non secundum rem, quæ solæ realiter distinguuntur a suis subjectis. — ll. cit. in corp.

Ad secundum dicendum, quod forma accidentalis, quæ est principium actionis, est ipsamet potentia et virtus substantiæ agentis; operatur enim virtute formæ substantialis; unde hæc est principium primum operandi, illa vero proximum; non autem proceditur in infinitum, ut cujuslibet virtutis sit alia virtus. — Vel dic, quod forma accidentalis est virtus alterius, per quam producitur operatio, quæ est effectus proportionatus illi tanquam causæ proximæ; forma autem substantialis non est

hoc modo proportionata operationi; nam hæc est accidens, illa substantia, cum tamen in eodem genere entis licet non in eodem prædicamento debeant esse ambæ, ut videre est in Deo, in quo quia operationis principium immediatum et proximum est substantia, et ipsa operatio est substantia; in agentibus vero naturalibus contra est; quia enim operatio ignis est accidens, etiam virtus agendi proxima et immediata est accidens, qualitas scilicet activa ipsius. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, c.; 1a, q. 77, a. 1, c.; *Quæst. disp. de Anima*, a. 12; Pet. Bergom. Concord. n. 51.

Ad tertium dicendum, quod essentia formæ substantialis est etiam principium operandi, sed mediante virtute; est autem ipsa principium immediatum essendi, quia esse non est accidens; in eodem autem genere debet esse potentia et actus, ad quem illa per se et essentialiter est ordinata. — Il. cit. in arg. et in corp.

Ad quartum dicendum, quod tria sunt genera accidentium; quædam enim causantur ex principiis speciei et dicuntur propria, sicut risibile respectu hominis; quædam vero causantur ex principiis individui, et hæc sunt in duplici differentia. Nam quædam habent causam permanentem in subjecto, et hæc sunt accidentia inseparabilia, sicut masculinum et femininum et similia; quædam vero non habent causam permanentem in subjecto, et hæc sunt accidentia separabilia, ut ambulare, sedere. Est autem commune omni accidenti, quod non sit de essentia rei, et ita non cadit in definitionem rei; unde intelligimus de re quod quid est, absque hoc quod intelligamus aliquod accidentium ipsius; sed species non potest per secundam operationem intellectus intelligi esse sine accidentibus, quæ consequuntur principium ipsius : potest tamen intelligi sine accidentibus individui etiam inseparabilibus; sine separabilibus autem esse potest non solum species, sed etiam individuum. Quia ergo propriæ passiones rerum, ut sunt potentiæ respectu animæ, sunt accidentia primi generis, ideo sine illis subjectum esse neque est possibile, neque intelligibile. — *de Spirit. Creat.* a. 11, c. et ad 7; *Quæst. disp. de Anima*, a. 12, ad 7; 1a, q. 77, a. 1, ad 5.

Ad quintum dicendum, quod accidens proprium est duplex, aliud individuale, quod scilicet convenit soli particulari, et hoc accidens potest Deus separare a suo subjecto. Aliud est specificum, quod fluit ex principiis speciei, et hoc non potest Deus separare a proprio subjecto, et consequenter nec potentias ab anima, nec relationem creaturæ a creatura, nec ullam naturalem proprietatem a proprio subjecto, cui necessario convenit, et ex cujus principiis specificis emanat. Quod probatur *primo*, quia eo modo subjectum pendet a propria passione, quo corpus a figura, et linea a rectitudine vel curvitate, quæ a suis subjectis separari nullo modo possunt. *Secundo* quia omne illud, sine quo aliquid potest esse, prædicatur de eo per accidens; sed propria passio, ut dicitur 1. *Poster.*, non prædicatur per accidens, sed per se de proprio subjecto : ergo hoc non potest esse et per consequens nec separari ab illo. *Tertio* quia, cum propriæ passiones naturaliter resultent ex positione naturæ specificæ, quandiu hæc existit in rerum natura et conservatur a Deo, etiam necesse est illas existere et conservari; sicut quandiu est lux, resultat color, quia posterius conservatur per prioris conservationem, sicut per hoc, quod conservatur lux conservatur et color. — 1a 2æ, q. 51, a. 1, c.; 1. *Poster.* l. 14; 1a 2æ, q. 110, a. 4, ad 4; 1. *de Generat.* l. 6; *Quodl.* 9, a. 5, c. et ad 1; 4. *Sent.* dist. 10, a. 2, solut. 3, ad 3; Tabula aurea voce « Deus » n. 396; *Quæst. disp. de Anima*, a. 12, ad 7; *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 7; 18. *Phys.* l. 21.

Circa responsionem ad hoc argumentum notandum, quod Cajetanus (1. q. 54, a. 3); Capreolus (1. *Sent.* dist. 3, q. 3); Petrus Bergomensis (Concord. n. 500) negant, quæcumque realiter distincta posse a Deo separari, quia nec definitum a partibus definientibus separari potest, a quibus tamen singulis realiter distinguitur; nec materia a forma, quia hæc est illi ratio existendi in tali specie; nec propria passio a suo subjecto; nec relatio a subjecto, quia ut ait Capreolus (l. c. dist. 33, q. 1, ad 2 tertio loco contra secundam), ejus esse est ad alterum. Unde colligit Cajetanus, quod Deus potest supplere vicem agentis per veram actionem, non autem per natu-

ralem resultantiam; oppositum sentiunt Sotus (*Logica* q. 2 *de proprio*), et Ferrariensis, in l. 4, *c. Gent.* c. 65).

QUÆSTIO VII

DE ACCIDENTE

Deinde considerandum est de accidente.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR DUO

1. Utrum definitio accidentis sit recte tradita.
2. Utrum omne accidens sit proprium, seu habeat subjectum proprium quarto modo.

ARTICULUS I

UTRUM SIT RECTE TRADITA DEFINITIO ACCIDENTIS, QUOD SIT ID, QUOD ADEST ET ABEST PRÆTER SUBJECTI CORRUPTIONEM.

Videtur quod non sit recte tradita definitio accidentis, quod sit id, quod adest et abest præter subjecti corruptionem.

1. Quia universale, ut definit Philosophus (1. *Periherm.* c. 5) est id, quod prædicatur de multis; sed accidens est universale : ergo debet definiri per prædicari, non autem per adesse et abesse. — 1. *Periherm.* l. 10; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 1 et 2.

2. Præterea, quod est inseparabile ab aliquo, non potest ab illo abesse; sed, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 3; l. 6, c. 1, nullum accidens est per se natura aptum, neque possibile est a substantia separari, quia nimirum accidentis esse est inesse, et inter accidentia quædam peculiari ratione dicuntur inseparabilia, quia non possunt abesse a subjecto præter ejus corruptionem, ut masculinum et femininum : ergo male definitur accidens quod adest et abest. — *Quæst. disp., de Anima* a. 12, ad 7; *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 7; 7. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, humanitas Christi potest adesse et abesse a divina persona sine ejus corruptione; similiter et anima rationalis a corpore, et vestis a vestito; sed humanitas, anima rationalis et vestes non sunt accidentia, sed substantiæ : ergo idem quod prius. — 3. *Sent.* dist. 6, q. 3, a. 2, arg. 4; 3a, q. 2, a. 6, ad 2; 2. *c. Gent.* c. 80.

Sed contra est : 1. auctoritas Porphyrii in cap. de accidente, ubi definit accidens, quod adest et abest præter subjecti corruptionem. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 8.

2. Præterea, Philosophus (1. *Phys. text.* 28; c. 3) definit accidens, quod potest inesse et non inesse; sed hoc nihil aliud est, quam adesse et abesse a subjecto præter ejus corruptionem : ergo. — 1. *Phys.*, l. 6.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte tradita est definitio accidentis, quod sit id, quod potest adesse et abesse præter subjecti corruptionem. — Ad cujus intelligentiam sciendum est *primo*, quod accidens a philosophis dupliciter sumitur : *uno* modo, secundum quod dividitur contra substantiam et continet sub se novem genera rerum. *Alio* modo, secundum quod ponitur ab Aristotele unum de quatuor prædicatis 1. *Topic.* c. 4, et secundum quod ponitur a Porphyrio unum quinque universalium, quomodo accidens non significat id, quod est commune novem generibus accidentium, sed habitudinem accidentalem prædicati ad subjectum, vel communis ad ea, quæ sub communi continentur. — Sciendum est *secundo*, quod unum potest ab altero dependere dupliciter : *uno* modo, sicut ab eo, quod est prius illo saltem natura; et hoc modo una res dependet ab alia quatuor modis, secundum quod sunt quatuor causæ; dependet enim in homine corpus ab anima, sicut a forma, et anima a corpore, sicut a materia; et homo a Deo, sicut a causa efficiente, et a beatitudine, sicut a causa finali. *Alio* modo, sicut ab eo, quod se habet ad ipsum consecutive, sicut corpus dependet a figura, et linea a curvitate vel rectitudine; non enim inveniri potest corpus, in quo non sit figura, et linea, in qua non sit rectitudo vel curvitas; et hoc modo dependet omne subjectum a propria passione. Quæcumque autem causaliter vel consecutive ab aliquo dependent, si unum ita dependet ab altero, quod esse suum nec actu nec aptitudine sine tali re conservari potest, certum est, quod illud sine eo, a quo sic dependet, intelligi non potest. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 8; *de Spirit. Creat.* a. 11, c. et ad 7;

1. *Phys.* l. 6; ll. cit. in art. præced. ad 5. Cf. ll. cit. in *Tabula aurea* sub voce « proprium » n. 7 et 8.

Verum, quia dupliciter contingit unam rem sine alia intelligere : uno modo per *primam* operationem intellectus, per quam intellectus solum intelligit significatum termini; alio modo per *secundam* operationem, per quam intellectus intelligit componendo vel dividendo per esse vel non esse, sicut cum intelligit, Petrum esse vel non esse album, — per *primam* operationem possumus intelligere corpus sine figura, et subjectum sine propria passione; non enim figura est de essentia corporis, cum corpus sit in genere quantitatis, figura vero sit in genere qualitatis; et ideo potest intellectus intelligere corpus, non intellecta figura, non tamen posset intellectus intelligere isto modo corpus, non intellecto continuo, quia continuum est de ratione corporis. Per *secundam* autem operationem non possumus intelligere corpus esse sine figura, nec subjectum sine propria passione, ut dictum est. Quoniam vero subjectum non habet talem dependentiam ab accidente communi, — non enim necessario sequitur subjectum, sicut figura sequitur principia essentialia corporis; nam si corpus est, necessario habet positionem partium in toto; nam hæc est differentia quantitatis, ad illam autem necessario sequitur figura, quod non contingit in accidente communi respectu sui subjecti, — propterea subjectum non potest intelligi esse sine proprio accidente, cum sine illo esse non possit; nam ablata figura non erit situatio partium, et per consequens nec erit corpus; potest autem intelligi esse sine accidente communi, quia esse subjecti non dependet aliquo modo ab esse illius, et consequenter potest accidens inesse et non inesse, seu adesse et abesse præter subjecti corruptionem; et sic patet descriptio accidentis.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dupliciter potest accipi accidens : *uno* modo, ut est quoddam prædicatum dicens habitudinem ad subjectum; *altero* modo, ut est quoddam commune et universale dicens habitudinem ad ea, quæ sub tali communi et universali continentur; — ita et dupliciter possunt accipi illa verba posita in definitione accidentis, adesse et abesse : *uno* modo realiter seu primo intentionaliter; *altero*, secundum intellectum seu secundo intentionaliter, et significant affirmari vel negari per intellectum. Si *priori* modo sumatur accidens, convenit illi definitio et verba prædicta definitionis priori modo sumpta; si vero *posteriori* modo sumatur, posteriori itidem modo illi conveniunt prædicta verba et ipsa definitio, ut melius patebit ex responsione ad sequens argumentum. — 1. *Poster.* l. 11; 4. *Metaphys.* l. 7; 2. *c. Gent.* c. 80 et 81, n. 4; 3a, q. 2, a. 6, arg. 2; *de Spirit. Creat.* a. 11, c. et ad 7; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 8.

Ad secundum dicendum, quod cum dupliciter accipi possint verba illa (adesse et abesse in definitione accidentis), si sumantur *secundo* intentionaliter, competunt omnibus accidentibus tam separabilibus quam inseparabilibus; nam species potest intelligi sine illis per primam et secundam operationem, absque eo quod intelligatur destrui natura specifica, ut species corvi vel corvus sine nigredine vel etiam cum albedine; et ratio est, quia hujusmodi accidentia non consequuntur principia speciei, sed principia individui, puta materiam signatam, quæ est extra intellectum speciei.—Si vero sumantur *primo* intentionaliter, possunt etiam convenire accidenti inseparabili; nam cum accidens dicatur inseparabile ratione individui, non ratione speciei, quippe quæ intelligi potest sine omni accidente communi, dicitur posse adesse et abesse a subjecto sumpto pro specie, quia quantum est de se, licet non possit separari ab individuo, cum ejus principia sequatur et se habeat ad illud, sicut proprium ad speciem; potest tamen abesse a subjecto secundum speciem sumpto, absque eo, quod natura specifica intelligatur corrumpi (ll. cit. ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 11, c. et ad 7; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 7; 10. *Metaphys.* l. 11; *Opusc.* — 48, tract. 1, c. 8). — Vel dic, quod accidens inseparabile dicitur posse abesse præter subjecti corruptionem, quantum est ex parte subjecti, non quantum ex parte sui. Notandum tamen hic est, quod inesse accidentis non dicit esse illius absolute, sed magis modum essendi illi competentem per ordinem ad causam proximam, et quia

remoto tali ordine, potest remanere ordo illius ad causam primam, secundum quem modus essendi illius non est inesse, sed ab alio esse, — ideo licet agens naturale non possit separare accidens a substantia, potest tamen agens supernaturale; in quo non facit contra definitionem accidentis. Nam sicut definitio substantiæ non est esse per se seu per se existere, nam cum ens non sit genus, hoc, quod est esse, non potest esse essentia substantiæ vel accidentis, sed est habens quidditatem, cui debetur esse non in alio; ita definitio accidentis non est : esse in alio, sed esse rem cui debetur esse in alio. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, ad 1 et 2; 3a, q. 77, a. 1, ad 1; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 8.

Ad tertium dicendum, quod humanitas Christi trahitur ad esse personale Verbi, et corpus ad esse vitale animæ, et ideo nec humanitas Christi nec corpus sunt accidentia. Ad hoc enim, ut aliquid, quod potest adesse et abesse ab aliquo, sit illi accidens, requiritur, ut non trahatur in communionem esse completi illius, cui advenit; quomodo albedo dicitur accidens hominis, quia non trahitur in communionem esse hominis, aliud enim est esse hominis, aliud est esse albi; idem autem est esse personale humanitatis et Verbi, animæ et corporis. — 3a, q. 2, a. 6, ad 2; 3. *Sent.* dist. 6, q. 3, a. 2, c. et ad 2 et dist. 7, q. 2, a. 1, ad 5; *de Spirit. Creat.* a. 2, ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 1, ad 1; 2. *c. Gent.* c. 81, n. 4; 1a, q. 77, a. 1, ad 4 et 5; *Tabula aurea* sub voce « accidens » n. 19.

Ad illud de veste dicendum, quod licet impossibile sit, quod id, quod est substantia, sit accidens alicui, et per consequens quod id, quod est forma substantialis in uno, sit forma accidentalis in alio; unde Philosophus (1. *Phys. text.* 27; c. 3) dicit, quod id, quod vere est primum, quod est substantia, fit accidens nulli; cujus ratio est, quia formæ substantiali per se convenit constituere in specie, unde semper et in omnibus adest ei; — conjunctio tamen unius substantiæ ad aliam, quæ est per contactum, potest esse accidens, et ratione illius dicitur quod una substantia potest alteri accidentaliter advenire, ut vestis homini. Contactus enim seu conjunctio terminorum quantitatis hominis et vestimenti est quoddam accidens; significat enim contactus vel conjunctio actionem, vel passionem, vel relationem, ut patet in simili in conjunctione partium ad aliquod totum faciendum; non tamen vestis dicitur accidens hominis, quia licet adveniat homini accidentaliter, non tamen advenit illi ut forma inhærens. — 3. *Sent.* dist. 6, q. 3, a. 2, arg. 2 *Sed contra* et c.; 1a, q. 67, a. 3; 2. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 2, c.; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 4, sol. 1 et dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 2; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2.

ARTICULUS II

UTRUM OMNE ACCIDENS SIT PROPRIUM, SEU HABEAT SUBJECTUM PROPRIUM QUARTO MODO.

Videtur quod omne accidens sit proprium, et proinde habeat subjectum proprium quarto modo.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Phys. text.* 28; c. 4) quod susceptivum accidentis non est quodlibet, sed unum unius; sed hoc est quodlibet accidens habere subjectum quarto modo : ergo. — 7. *Phys.* l. 7.

2. Præterea, omne accidens comparatur ad subjectum, sicut actus ad potentiam; sed cuilibet actui respondet propria potentia; nam, ut dictum est, actus et potentia dividunt quodlibet genus entis; unde Philosophus (3. *Phys. text.* 3; c. 1) dicit, quod posse valere et posse ægrotare diversa sunt : ergo omne accidens habet proprium subjectum. — 1a, q. 3, a. 6, c. et q. 54, a. 3; *de Virtute* in com. a. 3, c.; *de Spirit. Creat.* a. 1, ad 1; 3. *Phys.* l. 2; 5. *Phys.* l. 3; 5. *Metaphys.* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 4.

3. Præterea, omne, quod est de genere accidentium, oportet, quod ex principiis alicujus substantiæ causetur et sit illi naturale; nam illud, quod dicitur maxime et verissime in quolibet genere, est causa eorum, quæ sunt post in illo genere. sicut ignis, qui est in fine caloris in rebus calidis, est causa caliditatis, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4; l. 1, min. c. 1, substantia autem est primum in genere entis verissime et maxime essentiam habens; sed quidquid est causatum ex principiis substantiæ, est proprium, ut dictum est : ergo

omne accidens est proprium. — 1a. q. 77, a. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 1; 3. c. *Gent.* c. 7, n. 5; *Opusc.* 30, c. 7; supra q. 6, a. 3 et q. 7, a. 1.

4. Præterea, ex diversitate materiarum et formarum substantialium sequitur diversitas proprietatum et accidentium; sed materia et forma sunt principia speciei: ergo omnis diversitas accidentium oritur ex diversitate principiorum speciei; sed quidquid oritur ex talibus principiis, est proprium: ergo. — 2. *c. Gent.* c. 16, n. 8; 1a, q. 54, a. 3, ad 2; supra q. 6, a. 3 et q. 7, a. 1.

5. Præterea, cum omne, quod est per accidens, reducatur ad per se, necessario debet omne accidens habere aliquod subjectum, cujus per se accidens sit; sed omne accidens per se respiciens subjectum, est proprium, ut dicitur 1. *Poster. text.* 9; c. 4: ergo omne accidens est proprium. — 2. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 2, arg. 2; 1a 2æ q. 75, a. 1, c; 7. *Metaphys.* l. 1.

6. Præterea, proprium est illud, ut dicitur l. c., quod ita inest subjecto, ut subjectum sit de definitione illius; sed omne accidens definitur per subjectum: ergo omne accidens est proprium. — 1. *Poster.* l. 10; 1a 2æ q. 53; a. 2, ad 3; 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, c.; 4. *c. Gent.* c. 14, n. 8; *Quodl.* 9, a. 3, ad 1.

Sed contra est auctoritas Porphyrii distinguentis proprium ab accidente.

Respondeo dicendum, quod non omne accidens est proprium, et per consequens non habet subjectum proprium quarto modo. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod accidens a philosophis dupliciter accipitur. *Uno* modo, ut dividitur contra substantiam et continet sub se novem genera rerum; sic autem sumendo accidens, non contradistinguitur proprium ab accidente, nisi tanquam species a genere analogo; nam omne proprium est accidens hoc modo acceptum. Cum enim inter substantiam et accidens non possit esse aliquod medium, — cum substantia et accidens dividant ens per affirmationem et negationem, quia proprium substantiæ est non esse in subjecto, accidentis vero est in subjecto esse, — si proprium non est substantia, cum sit extra essentiam illius, manifestum est, quod debet esse accidens in aliquo novem generum contentum. *Alio* modo accipitur accidens, secundum quod ponitur ab Aristotele unum de quatuor prædicatis, et a Porphyrio unum ex quinque prædicabilibus, et sic sumptum accidens non significat id, quod commune est novem generibus, sed habitudinem accidentalem prædicati ad subjectum, vel communis ad ea, quæ sub communi continentur. Si enim hæc acceptio esset eadem cum prima, cum accidens sic acceptum dividatur contra genus et speciem, sequitur, quod nihil, quod sit in novem generibus, possit dici vel genus vel species, quod patet esse falsum, cum color sit genus albedinis, et numerus binarii. (*de Spirit. Creat.* a. 11, c.; ll. cit. in *Tabula aurea* sub voce « proprium » n. 1, 4, 7.) — Sic igitur accipiendo accidens distinguitur a proprio, et datur quid medium inter substantiam et accidens, id est inter substantiale prædicatum et accidentale, puta proprium, quod quidem convenit cum substantiali prædicato, in quantum causatur ex principiis essentialibus speciei, et ideo per definitionem significantem essentiam demonstratur proprietas de subjecto; cum accidentali vero prædicato convenit in hoc, quod nec est essentia rei, nec pars essentiæ, sed aliquid præter ipsam. — Differt autem ab accidentali prædicato *primo*, quia accidentale prædicatum non causatur ex principiis essentialibus speciei, sed accidit individuo, sicut proprium speciei, quandoque tamen separabiliter, quandoque inseparabiliter. *Secundo* quia accidentale prædicatum non prædicatur per se, sed per accidens, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 9 et 18; c. 4 et 6). *Tertio*, quia subjectum potest intelligi sine accidente tam per primam, quam per secundam operationem intellectus; at proprium efficienter causatur ex principiis speciei, per se prædicatur de subjecto, et sine illo intelligi non potest subjectum per secundam operationem intellectus, licet possit intelligi sine illo per primam. Et sic patet, quod non omne accidens est proprium. — 1. *Poster.* l. 10 et 14; *de Spirit. Creat.* a. 11; *Quæst. disp., de Anima* a. 12, ad 7; ll. cit. in Tab. aur. sub voce « proprium » n. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod sub-

jectum tribus modis comparatur ad accidens : *uno* modo, sicut præbens ei sustentamentum ; nam accidens per se non subsistit, fulcitur vero per subjectum. *Alio* modo, sicut potentia ad actum ; nam subjectum secundum accidens est aliquo modo in actu, et illi subjicitur, sicut quædam potentia actui, unde etiam accidens forma dicitur. *Tertio* modo, sicut causa ad effectum ; nam principia subjecti sunt per se principia accidentis. Verum sicut principia subjecti sunt duplicia — nam quædam sunt principia speciei, quædam individui — ita duplicia sunt accidentia ; nam alia consequuntur principia speciei, puta materiam et formam in communi ; alia vero consequuntur principia individui, puta materiam signatam. — *de Virtute* a. 3, c. ; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2, ad 2 ; 2. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 2, ad 2 ; 1a, q. 3, a. 6, c. et q. 77, a. 6 et 7.

Si ergo loquamur de subjecto primis duobus modis comparato ad accidens, non omne accidens est proprium ; quod patet, quia subjectum in ratione sustentantis et in ratione potentiæ consideratum habet tantum rationem causæ materialis et potentiæ receptivæ ; at potentia receptiva seu passiva ut sic, ut dictum est, non imponit necessitatem essendi ei, respectu cujus est tale. Nam potentia passiva vel receptiva ut sic, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 17 ; l. 8, c. 8, est potentia contradictionis ; de ratione enim ejus est, quod se habeat ad esse et non esse ; unde est causa mutabilitatis, sicut causa immutabilitatis est actus. (*Opusc.* 48, tract. 1, c. 6 ; 9. *Metaphys.* l. 9 ; *Com. in Job* c. 4, l. 3). Unde cum proprium sit illud, quod necessario sequitur subjectum, et per se de illo prædicatur, debet alio modo comparari ad subjectum quam ad causam materialem, nimirum etiam tanquam ad causam efficientem, ut dictum est supra q. 6, a. 2, et consequenter non cuilibet accidenti respondet proprium sustentans specificum, ut manifeste constat ; nam albedo inest subjectis specie et genere distinctis, et sic de similibus, quæ consequuntur materiam secundum ordinem ad formam generalem (*Opusc.* 30, c. 5). Et licet de facto cuilibet accidenti respondeat propria potentia, quia, ut dictum est supra q. 6, a. 3, actus et potentia dividunt quodlibet genus entis, non tamen quodlibet accidens est proprium ob rationem allatam, et per consequens nec habet subjectum proprium quarto modo, cujusmodi est subjectum proprii. Si demum loquamur de subjecto tertio modo comparato ad accidens, nullum accidens consequens principia individui, puta materiam signatam, est proprium ; nam proprium per se prædicatur de specie, quippe cujus principia consequitur, et sine illo species esse non potest, ut dictum est ; at accidens consequens principia individui per accidens prædicatur de specie, cum ejus principia, quæ sunt materia signata, sint extra intellectum speciei, et species potest intelligi esse sine illo. — *Opusc.* 48, tract. 1, c. 6 ; *de Spirit. Creat.* a. 11 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 7.

Hinc sequitur, cum accidentia consequentia principia individui sint duplicia, — *quædam* separabilia a subjecto, quæ scilicet non habent causam permanentem in subjecto, *quædam* inseparabilia, quæ habent causam permanentem, — neutrum horum accidentium esse proprium, vel habere subjectum proprium quarto modo ; inter accidentia vero consequentia principia speciei aliqua esse propria, aliqua non ; nam cum species componatur ex genere et differentia, tanquam ex principiis essentialibus, et ad quodlibet esse generis vel speciei consequantur propria genera illius generis vel speciei, ut quantitas consequitur materiam perfectam secundum rationem generis, quod est corpus. Accidentia consequentia genus stricto modo sumpto nomine proprii non sunt propria, ut dictum est supra q. 6, a. 1, ad 2 ; sunt autem, quæ consequuntur rationem speciei, et ex his patet ad *prima quatuor objecta*. — *Opusc.* 30. c. 1 ; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2 ; *de Spir. Creat.* a. 3, ad 19 ; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 7.

Ad quintum dicendum, quod omne accidens convenit alicui substantiæ per se, non tamen ratione differentiæ specificæ ; nam quædam conveniunt ratione generis, quædam ratione individui, quædam ratione differentiæ specificæ, seu ratione speciei, et hoc aliquando quantum ad actum et habilitatem, aliquando vero quantum ad habilitatem tantum, et hoc tertium ge-

nus accidentium est proprium, non reliqua duo. — 1. *Sent.* dist. 17. q. 1, a. 1, ad 2; 2. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 2, ad 2; II. cit. ad 1 et 4.

Ad sextum dicendum, quod quia commune est omnibus accidentibus, quod subjectum sit causa illorum, in quantum illa sustentat, et habet potentiam ad illa, subjectum secundum hanc duplicem habitudinem ponitur in definitione accidentis; sed hoc non sufficit ad hoc, ut accidens sit proprium. Nam præterea requiritur, ut subjectum ponatur in definitione accidentis tanquam causa efficiens; nam ut sic imponit necessitatem accidenti et facit, ut accidens per se de specie prædicetur, quæ duo requiruntur ad rationem proprii, ut dictum est. — Vel dic, quod de ratione proprii est, definiri per subjectum determinatum, sicut habet subjectum determinatum, cujus principia consequitur; at non omnia accidentia sunt hujusmodi; nam ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 17; l. 6, c. 5, accidentia sunt duplicia, quædam simplicia, et hæc non habent subjectum determinatum, per quod definiantur, et hæc non sunt propria; quædam copulata, et hæc habent determinatum subjectum, et horum aliqua possunt esse propria, puta illa, quæ in triplici genere causæ respiciunt suum subjectum, ut dictum est, — II. cit. ad 1, 4, 6. et in corp. et supra q. 6, a. 2; *Opusc.* 48, tract. 1, c. 7; 7. *Metaphys*, l. 5.

QUÆSTIO VIII.

DE QUIBUSDAM SUPPOSITIS AD PRÆDICAMENTA.

Deinde considerandum est de prædicamentis.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR TRIA :

1 De quibusdam suppositis ad prædicamentorum cognitionem.
2. De ipsis prædicamentis.
3. De nonnullis consequentibus ad prædicamenta.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR OCTO :

1. Utrum recte definiantur æquivoca.
2. Utrum recte definiantur univoca.
3. Utrum recte definiantur analoga.
4. Utrum recte definiantur denominativa.
5. Utrum nomen denominativum principalius significet formam, quam subjectum.
6. Utrum recte ea, quæ sunt, dividantur in quatuor membra.
7. Utrum prior regula anteprædicamentalis sit vera.
8. Utrum posterior regula anteprædicamentalis sit vera.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE DEFINIANTUR ÆQUIVOCA.

Videtur quod non recte definiantur æquivoca : quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiæ ratio diversa.

1. Ubi enim est multiplex significatio, ibi est multiplicitas, non autem unitas nominis, hæc enim sumitur ex unitate significationis, non ex unitate vocis; sed ubi est æquivocatio, est multiplex significatio : ergo et multiplicitas nominis; non ergo recte dicitur in definitione æquivocorum, quorum nomen, sed dicendum esset, quorum nomina. — 1a, q. 13, a 10. ad 1; 1. *Periherm.* l. 4; *Quodl.* 4, a. 17.

2. Præterea, dicunt Philosophus et Commentator (10, *Metaphys. text.* 26; l. 9, c. 10), quod æterno et corruptibili nihil potest esse commune, nisi secundum nomen; sed scientia dicitur analogice de æterna et corruptibili : ergo etiam analogum potest dici de suis analogis tantum secundum nomen; et sic male ponuntur illæ particulæ, quorum solum nomen commune, ut propriæ tantum æquivocorum. — 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4, arg. 5; *de Pot.* q. 7, a. 1, arg. 1; *Opusc.* 42, c. 5; 7. *Phys.* l. 8.

3. Præterea, nomen Deus, ut dicitur de Deo vero et falso, puta de idolo, est nomen æquivocum; sed tali nomini, ut dicitur de illis, respondet una ratio; nam catholicus cum dicit, unum esse Deum, nomine Dei intelligit rem omnipotentem et super omnia venerandam, quod idem intelligit gentilis, cum dicit : idolum est Deus : ergo nomen æquivocum potest habere unam rationem tali nomine significatam, et sic non recte ponitur in definitione æquivocorum secundum illud nomen substantiæ ratio diversa. — 1a q 13, a. 10, arg. 2 et 3.

4. Præterea, ubi est diversa ratio seu significatio, ibi non est contradictio affirmantis et negantis, nam æquivocatio impedit contradictionem; sed quolibet nomine sumpto, potest affirmans illud de aliqua re contradicere alteri idem nomen de illa eadem re neganti, ut si unus dicat quod tale sidus cœleste non est canis, et alter affirmet : ergo nec nomen canis, quod inter æquivoca numeratur, nec ullum consimile est æquivocum, sed omnia vel sunt univoca vel analogua. — Il. cit. arg. 1.

5. Præterea, dici de multis secundum diversas rationes significatas per nomen, convenit etiam analogis; sed analoga contra distinguuntur æquivocis : ergo non recte definiuntur æquivoca, quorum etc. — 1. *Ethic.* l. 7.

Sed contra est auctoritas Philosophi in *Prædicam.* c. 1, ubi definit æquivoca, quorum nomen solum commune est, et secundum illud nomen substantiæ ratio diversa.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere tribus modis aliquid de pluribus prædicari, nimirum æquivoce, univoce et analogice; quod potest esse manifestum ex multis. — Et *primo* quidem ex parte eorum, quæ prædicamus. Vel enim id, quod prædicatur de pluribus, est tantum nomen, vel aliquid præter nomen; si primum, talis prædicatio est æquivoci de æquivocatis; si secundum, vel id quod prædicatur de pluribus, æqualiter seu eodem ordine prædicatur de illis, ut cum prædicatur animal de homine et leone, et hæc est prædicatio univoci de univocatis; vel prædicatur de illis secundum prius et posterius, et est prædicatio analogici de analogatis. — *Secundo* ex parte rationis significatæ per nomen. Tribus enim modis aliquid prædicatur de pluribus : primo secundum rationem omnino eamdem, et tunc quod prædicatur, dicitur univoce prædicari, sicut cum prædicatur animal de homine et leone. Secundo secundum rationem totaliter diversam, et quod sic prædicatur, dicitur æquivoce prædicari, ut patet in nomine canis, cum dicitur de cœlesti, terrestri et aquatili. Tertio secundum rationem partim eamdem, partim diversam, diversam quidem quantum ad diversas habitudines ad unum, eamdem vero quantum ad id, ad quod diversæ habitudines referuntur, ut est in nomine « sanum »dicto de medicina et urina; esse enim effectivum sanitatis in medicina et significativum in urina diversa sunt, sed sanitas una est, et quod sic prædicatur, dicitur analogice prædicari (1. *c. Gent.* c. 32. et 33; 1a, q. 77, a. 4, ad 1; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, ad 3; 1. *Periherm* l. 8). — *Tertio* ex parte modorum, quibus aliquod commune in plura dividitur. Vel enim dividitur commune in plura secundum res significatas, ut canis in sidus cœleste et in quoddam animal, et hoc est commune æquivocum; vel dividitur secundum differentias, ut animal in hominem et leonem, et hoc est commune univocum; vel dividitur secundum modos, quomodo dividitur ens in decem prædicamenta, et hoc est commune analogum (1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 1, a. 1, c.). — *Quarto* ex ordine rerum, quem habent inter se causæ et causata. Vel enim inter res nullus invenitur ordo, nulla similitudo, et tunc nomen commune rebus sic diversis est æquivocum, ut nomen canis dictum de stella, pisce et animali terrestri; vel est ordo causalitatis et similitudo, et tunc vel effectus adæquat virtutem causæ efficientis, seu recipit formam secundum speciem similem ei, per quam agens agit, et tunc nomen commune causæ et effectui est univocum; univoce enim dicitur calidus ignis generatus ab igne; vel effectus non adæquat virtutem causæ, nec recipit formam similem secundum speciem formæ agentis, et tunc nomen dictum de causa et effectu est analogum; non enim dicitur univoce calidus ignis genitus à sole et sol ipse, dicitur tamen analogice, quia inter ignem et solem est aliqua similitudo et ordo; ubi enim hæc reperiuntur, ibi necesse est esse analogiam, — (1. *c. Gent.* c. 32, 33, 34; *de Pot.* q. 7, a. 7, c.; 1a, q. 13, a. 9; 2. *Metaphys.* l. 2). — *Quinto* ex mutua cognitione rerum. Cum enim rerum cognitio non dependeat ex vocibus, sed ex ratione nominis, vel uno eorum, de quibus nomen aliquod prædicatur, non possumus venire in cognitionem alterius, et tunc tale nomen æqui-

voce de illis prædicatur; — nam ubi est analogia, ibi est similitudo aliqua; ubi vero est univocatio, est maxima similitudo, omne autem simile, cum sit simili simile, ducit nos in cognitionem consimilis; — vel uno eorum ducimur in cognitionem alterius secundum eamdem omnino rationem, quæ est in altero, et tunc nomen de illis univoce prædicatur; — vel ducimur in cognitionem alterius secundum rationem partim eamdem partim diversam, et tunc nomen de illis dicitur analogice; et sic patet dari æquivoca. — 1. *c. Gent.* c. 33; 1a. q. 13, a. 5; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4; 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.*, l. 3.

Quod autem recte definiantur, quod sint ea, quorum solum nomen commune est et substantiæ ratio diversa, patet. Nam verba illa, quorum nomen est commune, habent locum generis; nam in illis conveniunt æquivoca cum univocis et analogis, ut patet ex eorum definitionibus; reliqua vero habent locum differentiæ. Nam per particulam « solum » differunt æquivoca ab univocis et analogis, nam hæc præter nomen aliquid aliud commune habent, ut dictum est; per reliquas vero particulas « substantiæ ratio diversa » melius explicatur, quid sit habere solum nomen commune; nomine autem rationis substantiæ intelligitur definitio, vel aliquid loco definitionis. Nam æquivoca non habent præter unum nomen unam aliquam communem definitionem significatam per tale nomen, sed plures; nomini enim canis, ut dicitur de stella et animali, non respondet una definitio communis utrique, sed duæ. Definiuntur autem æquivoca æquivocata; nam hæc sunt, quæ habent commune nomen et rationes diversas secundum tale nomen.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen æquivocum est unum unitate vocis, sed est multiplex secundum significationem, ut si per nomen « homo » unus intenderet significare id, quod vere est homo, et alius intenderet significare lapidem vel aliquid aliud, tale nomen esset multiplex in ratione significationis, sed unum ratione vocis. — Il. cit. in arg.

Ad secundum dicendum, quod dictum illud Philosophi et Commentatoris intelligendum est de communitate physica, non autem de communitate logica; seu de communitate quantum ad esse, non autem quantum ad intentionem rei, quæ communiter prædicatur. Ea enim, quæ habent diversum modum essendi, non communicant in aliquo secundum esse, quod considerat physicus, possunt tamen communicare in aliqua communi intentione quam considerat logicus. Et propterea corpus physice dicitur æquivoce de corruptibili et in corruptibili, quæ tamen logice in ratione corporis univoce conveniunt; nam ratio corporis est eadem in utroque, si secundum communem intentionem considerentur. Nihilominus tamen Philosophus non intendit excludere analogicam communitatem, sed solam univocam; vult enim ostendere, quod corruptibile et incorruptibile non communicant in genere physico. — 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4, ad 5; *de Pot.* q. 7, a. 7, ad 1; *Opusc.* 42, *c.* 5; 7. *Phys.* l. 8; 1. *Sent.* dist 19, q. 5, a. 2, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen « Deus », ut dicitur de Deo vero et falso, seu de Deo secundum opinionem vel participationem, neque univocum est, neque æquivocum, sed analogum; quod ex hoc patet, quia univocorum est omnino eadem ratio, æquivocorum vero omnino diversa; in analogis autem oportet, quod nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione nominis ejusdem secundum alias significationes accepti, sicut ens de substantia dictum ponitur in definitione entis secundum quod de accidente dicitur; et sanum de animali dictum ponitur in definitione sani, quod est medicina; sic autem accidit in proposito, nam hoc nomen « Deus », secundum quod dicitur de Deo vero, ponitur in definitione Dei, ut dicitur de Deo secundum opinionem vel secundum participationem. Cum enim aliquem nominamus Deum secundum participationem, intelligimus nomine Dei aliquid habens similitudinem veri Dei; similiter cum idolum nominamus Deum, nomine Dei intelligimus significari aliquid, de quo homines opinantur, quod sit Deus; et sic manifestum est, quod alia et alia est significatio nominis, sed una illarum significationum clauditur in

aliis, unde manifestum est, quod analogice dicitur. — 1a, q. 13, a. 10, c.

Ad quartum dicendum, quod ubi est diversa significatio, potest aliquando contingere contradictio, ut patet in nomine « Deus », quod dicitur analogice de Deo vero et de Deo secundum opinionem; nam catholicus dicens idolum non esse Deum, contradicit pagano hoc asserenti, quia uterque utitur hoc nomine Deus ad significandum Deum verum. Cum enim paganus dicit idolum esse Deum, non utitur hoc nomine, secundum quod significat Deum opinatum; sic enim verum diceret, cum etiam catholici interdum hoc nomine utantur, ut cum dicitur « omnes dii gentium dæmonia ». Sic etiam in proposito utens quis nomine canis, secundum quod significat quoddam animal, contradicere potest neganti de tali animali, quod sit canis. Ratio autem hujus est, quia nominum multiplicitas non attenditur secundum prædicationem nominis, sed secundum significationem, secundum quam potest esse contradictio. — 1a, q. 13, a. 10, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod aliquid dici de multis secundum diversas rationes contingit dupliciter. *Uno* modo, secundum rationes omnino diversas non habentes respectum ad unum, et ista dicuntur æquivoca a casu, quia scilicet casu accidit, quod unum nomen unus homo imposuit uni rei, et alius alii, ut patet in diversis hominibus uno nomine nominatis. *Altero* modo secundum rationes non diversas totaliter, sed in aliquo uno convenientes, quandoque quidem in hoc, quod referuntur ad unum principium, sicut res aliqua dicitur militaris, vel quia est instrumentum militis, sicut gladius, vel quia est tegumentum ejus, sicut lorica, vel quia est vehiculum ejus, sicut equus; quandoque vero in hoc, quod referuntur ad unum finem, sicut medicina dicitur sana, eo quod est factiva sanitatis, diæta vero, eo quod est conservativa sanitatis, urina vero, eo quod est significativa sanitatis. Quandoque demum vel secundum proportiones diversas ad idem subjectum, sicut qualitas dicitur esse ens, quia est dispositio per se entis, idest substantiæ, quantitas vero, eo quod est mensura ejusdem, et sic de aliis; vel secundum unam proportionem ad diversa subjecta; eamdem enim proportionem habet visus ad corpus, quam intellectus ad animam; sicut enim visus est potentia corporalis organi, ita intellectus est potentia animæ absque participatione corporis, et hujusmodi dicuntur analoga. — 1. *Ethic.* l. 1; 1a, q. 13, a. 10, c.; 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIANTUR UNIVOCA.

Videtur quod non recte definiantur univoca, quorum nomen est commune, et secundum nomen substantiæ ratio eadem.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Phys. text.* 32; c. 4; 2. *Poster. text,* 22; c. 13), quod in genere latent æquivocationes; sed genus est commune univocum, ut dicitur 4. *Top.* c. 3 : ergo univocum est æquivocum, et per consequens definitio univocorum non est recte tradita, cum æquivocis conveniat. — 7. *Phys.* l. 8; 2. *Poster.* l. 16.

2. Præterea, omne nomen significat substantiam cum qualitate ; sed ratio substantiæ et ratio qualitatis sunt diversæ : ergo non recte dicitur in definitione univocorum, secundum illud nomen substantiæ ratio eadem. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 1, arg. 3; 11. *Metaphys.* l. 3.

3. Præterea, ubi est diversum esse, ibi est analogia; sed plura convenientia in aliquo nomine univoco habent secundum tale nomen esse diversum, ut patet in corpore, ut dicitur de corruptibili et incorruptibili : ergo multa univoca sunt analoga, et sic prædicta definitio cum non conveniat analogis, nec conveniet omnibus univocis. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 2, ad 1.

4. Præterea, omne univocum est unum ex quinque universalibus; sed inter universalia accidens non dicitur de pluribus subjectis secundum unum nomen et secundum unam rationem eamdem, ut dicitur *de Prædicam.* c. 5; cujus ratio est, quia essentia subjecti est diversa ab essentia accidentis, aliud enim est esse hominis, aliud esse albi, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 12; l. 3, c. 4; 7. *Metaphys. text.* 12; l. 6, c. 4 : ergo non recte definiuntur

univoca, quorum ratio secundum nomen commune eadem. — *c. Gent.* l. 1, c. 32; 4. *Metaphys.* l. 7; 7. *Metaphys.* l. 3, et 12.

5. Præterea, quod prædicatur de aliquibus secundum prius et posterius, non prædicatur univoce; sed multa prædicantur de aliquibus secundum idem nomen et secundum eamdem rationem importatam per nomen illud, quæ prædicantur de illis secundum prius et posterius, ut patet in numeris et figuris; prius enim dicitur numerus de binario, quam de ternario, cum hic ex illo constet, et similiter in figuris : ergo idem quod prius. — 1a, q. 77, a. 4, ad 1; 2. *Sent.* dist. 3. q. 1, a, 5, ad 3; *de Malo* q. 2, a. 9, ad 16; 1. *Periherm.* l. 8.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 1 definit univoca, quorum nomen est commune, et secundum illud nomen substantiæ ratio eadem. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1; 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod recte definita sunt a Philosopho univoca, quorum nomen est commune, et secundum illud nomen substantiæ ratio eadem; quod manifestum esse potest discurrendo per singulas definitionis partes. Loco enim generis ponuntur illa verba, quorum nomen est commune; nam in illis conveniunt univoca cum æquivocis et analogis; reliqua vero ponuntur loco differentiæ, ex quibus duobus constare debet omnis bona definitio (6. *Top.* loc. 8, c. 6). Per substantiæ vero rationem intelligitur definitio, vel quidquid sumitur loco definitionis; ideo enim animal dicitur univoce prædicari de homine et leone, quia non solum nomen animal convenit homini et leoni, sed etiam definitio ejus essentialis, quæ est : corpus animatum sensibile; non solum enim vere dicimus, quod homo est animal, sed etiam quod est corpus animatum sensibile, et similiter de leone. Per hanc autem differentiam sufficienter distinguuntur univoca ab æquivocis et analogis; nam hæc non conveniunt in una ratione totaliter et absolute eadem, sed habent partim eamdem, partim diversam; illa vero habent rationes totaliter diversas. Definiuntur autem in hac definitione univoca univocata; nam istis proprie convenit habere nomen idem, et eamdem rationem importatam per tale nomen, et Philosophus dat exemplum de univocatis; nam post allatam definitionem univocorum statim subdit, ut animal et homo, atque bos; communi enim nomine horum utrumque animal nuncupatur, et est substantiæ ratio eadem. Si quis enim assignaverit utriusque rationem, quid utrumque est, quo animal est, eamdem assignabit rationem, et sic patet definitio univocorum. — Il. cit.

Ad primum ergo dicendum, quod quia genus non est quid unum physice, sed tantum logice, et propterea quodammodo est unum, et non simpliciter; species vero et est quid unum physice et logice, et per consequens est quid unum simpliciter; quia nimirum species sumitur ab ultima forma, quæ simpliciter una est in rerum natura; genus autem non sumitur a forma aliqua, quæ sit una in rerum natura, sed secundum rationem tantum; — propterea sub unitate generis dicuntur latere multæ æquivocationes; quorum verborum sensus non est, quod unitas generis sit logice æquivoca, sed quod per similitudinem et propinquitatem ad unitatem non simpliciter generis multorum æquivocatio latet. Sunt enim quædam æquivocationes multum distantes, in quibus sola communitas nominum attenditur; sicut si canis dicatur sidus cœleste et animal latrabile. Quædam vero sunt, quæ habent quamdam similitudinem, sicut si hoc nomen homo dicatur de vero homine et de homine picto, in quantum similitudinem quamdam habet hominis veri. Quædam vero sunt æquivocationes proximæ, aut propter convenientiam in genere, sicut si corpus dicatur de cœlesti et de corruptibili, æquivoce dicitur, naturaliter loquendo, quia eorum non est materia una, conveniunt tamen in genere logico; et propter hanc generis convenientiam videntur omnino non æquivoca esse; aut etiam sunt propinqua secundum similitudinem aliquam, sicut ille, qui docet in scholis, dicitur magister, et similiter ille, qui præest domui, dicitur magister domus æquivoce, et tamen propinqua æquivocatione propter similitudinem; uterque enim est rector, hic quidem scholarium, ille vero domus. Unde propter hanc propinquitatem vel generis vel similitudinis non vi-

dentur esse æquivoca, cum tamen sint. — 7. *Phys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, quod nomen significat substantiam cum qualitate, non intelligitur substantia et qualitas proprie, secundum quod logicus accipit prædicamenta distinguens, sed secundum quod accipitur a grammatico; hic autem accipit substantiam quantum ad modum significandi, et similiter qualitatem; et quia illud, quod significatur per nomen, significatur ut aliquid subsistens, secundum quod de eo aliquid potest prædicari, quamvis secundum rem non sit substens, sicut albedo secundum grammaticos significat substantiam ad differentiam verbi, quod non significat ut aliquid subsistens, ideo omne nomen secundum grammaticos dicitur significare substantiam. Quia vero in quolibet nomine non solum est considerare id, ad quod significandum imponitur, quod est grammatice loquendo substantia, sed etiam id, a quo nomen imponitur, quod est quasi principium innotescendi; ideo quantum ad hoc omne nomen dicitur habere modum qualitatis, secundum quod qualitas vel forma est principium cognoscendi rem. Unde secundum Philosophum (5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14) uno modo forma substantialis dicitur qualitas; nec refert quantum ad significationem nominis, utrum principium innotescendi sit idem re cum eo, quod nomine significatur, ut in abstractis, vel diversum, ut in hoc nomine homo. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 1, ad 3; 3. *Sent.* dist. 6, q. 1, a. 3, c; 1a, q. 13, a. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod aliquid secundum analogiam dicitur tripliciter, *vel* secundum intentionem tantum et non secundum esse, et hoc est, quando una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quæ tamen non habet esse nisi in uno, sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam et diætam diversimode secundum prius et posterius, non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali. *Vel* secundum esse et non secundum intentionem, et hoc contingit, quando plura parificantur in intentione alicujus communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur in intentione corporis. Unde logicus, qui tantum considerat intentiones, dicit, hoc nomen corpus de omnibus corporibus univoce prædicari, sed esse hujus naturæ non est ejusdem rationis in omnibus corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus, ut docent Philosophus et Commentator (5. *Metaphys. text.* 33; l. 4, c. 28). *Vel* secundum intentionem et esse, et hoc est, quando plura neque parificantur in intentione communi, neque in esse, sicut ens dicitur de substantia et accidente. Ex his analogis primum et tertium genus proprie est analogum, secundum vero est improprie analogum, cum possit esse univocum atque adeo genus logice loquendo. — Vel dic, quod ubi est diversum esse, si tamen sit una intentio, est univocatio logica, non autem physica; definitio autem univocorum allata ab Aristotele in Logica est definitio univocorum logice sumptorum, logicus enim tantum considerat intentiones et abstrahit a materia, unde fit, ut multa logice loquendo sint univoca, quæ non sunt physice loquendo, cum physicus consideret res applicando ad materiam; ut quantitas dicta de quantitate cœlesti et sublunari, logice loquendo, est univoca, non autem physice, quia aliud est subjectum quantitatis in cœlo et in sublunaribus. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 2, ad 1; 5. *Metaphys.* l. 22.

Ad quartum dicendum, quod duplex est univocatio, una physica, quando nimirum una natura recipitur in diversis secundum unum primum subjectum, et hoc modo accidens et proprium sunt univoca suis subjectis; sic album univoce dicitur secundum Philosophum (7. *Phys. text.* 27 c. 4); de equo albo et cane albo. Altera logica, et hæc est duplex : una secundum essentiam, quando nimirum ratio significata per nomen univocum est eadem essentialiter cum ratione et definitione univocatorum, et hæc convenit generi, speciei et differentiæ; unde Philosophus (*de Prædicam.* c. 5) ait, proprium illorum esse univoce prædicari. Altera per participationem, quando scilicet univocata conveniunt in nomine univoco et in ratione significata per tale nomen, sed talis ratio non est eadem cum ratione et definitione propria illorum, et hæc univocatio convenit proprio et accidenti; et de hoc loquitur Philosophus (2.

Metaphys. text. 4; l. 1. *min.* c. 11, cum ait, calorem univoce prædicari de igne et aliis elementatis calidis, et ignem esse calidissimum, quia est causa univocationis caloris in corporibus; dici enim univoce seu secundum idem nomen et secundum eamdem rem significatam per nomen de subjecto seu de re existente extra animam, convenit tam substantiæ secundæ, quam accidenti. Nam id convenit rei, ut substat intentioni universalitatis, cui potest subesse accidens, ut dicitur tanquam universale de pluribus subjectis, nisi quod ratio accidentis non est ratio subjectorum, et ideo non dicitur de subjecto essentialiter, quomodo genus et species dicuntur de subjecto, et ideo Philosophus (*de Prædicam.* c. 5) negat accidens dici de subjecto; potest tamen dici de subjecto participative, quia licet ejus ratio non sit ratio subjecti, participatur tamen simul cum nomine a pluribus subjectis. — 7. *Phys.* l. 7; 2. *Metaphys.* l. 2; *de Pot.* q. 7, a. 7, ad 2; 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42, c. 7; 1. *c. Gent.* c. 32.

Ad quintum dicendum, quod unum dividentium vel suscipientium prædicationem alicujus communis potest esse prius altero dupliciter : uno modo secundum proprias rationes et naturas; alio modo secundum participationem rationis illius communis, quod de illis prædicatur, vel in ea dividitur. *Primum* non tollit univocationem generis, ut patet manifeste in numeris, in quibus binarius secundum propriam rationem prior est ternario, sed tamen æqualiter participant rationem generis sui, scilicet numeri, ita enim ternarius est multitudo mensurata per unum, sicut binarius; sed *secundum* impedit univocationem generis, et propterea ens non potest esse genus substantiæ et accidentis, quia in ipsa ratione entis substantia, quæ est ens per se, habet prioritatem respectu accidentis, quod est ens in alio. Similiter affirmatio, licet sit prior negatione secundum propriam rationem, æqualiter tamen participat rationem enuntiationis.—Vel dic, quod una species potest esse prior alia secundum esse, non secundum rationem communis, ut est in numeris. — ll. cit. in arg; 1. *Phys.* l. 8; 1. *Ethic.* l. 6; *de Verit.* q. 2, a. 11, c.

ARTICULUS III

UTRUM RECTE DEFINIANTUR ANALOGA.

Videtur quod non recte definiantur analoga : quorum nomen est commune, et secundum illud nomen substantiæ ratio partim eadem, partim diversa.

1. Quidquid enim dicitur de Deo et creaturis, dicitur analogice; sed Deus et creatura non participant aliquid idem, quia illud esset simplicius utroque, quod est impossibile : ergo non recte definiuntur analoga : quorum substantiæ ratio est secundum nomen partim eadem. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 2, arg. 2; *de Verit.* q. 2, a. 11. arg. 3.

2. Præterea, analogum est tantum in uno analogato secundum propriam rationem, ad differentiam univoci, cujus ratio est in quolibet univocato, ut patet in nomine analogo sanum; sanitas enim formaliter tantum est in animali; sed quod tantum est in uno, non est in pluribus : ergo male definiuntur analoga : quorum nomen etc. — 1a, q. 16, a. 6, c; 1a 2æ, q. 20, a. 3, c. et ad 9.

3. Præterea, illa dicuntur habere rationes partim diversas, partim eamdem, quæ habent diversas habitudines ad unum aliquid et idem; sed non omnia analogata habent has diversas habitudines ad aliquod unum, ut patet in Deo et creatura; nam hoc unum, esset prius Deo quod dici non potest, cum nihil possit esse prius Deo, nec secundum rem, nec secundum rationem : ergo non recte definiuntur analoga : quorum substantiæ ratio partim est eadem, partim diversa. — Sed dices, analoga esse duplicia, alia duorum ad unum, et hæc non esse in Deo, alia unius ad unum, et hæc esse in Deo. — 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3; 1a, q. 3, a. 5, *Sed contra;* 1. *c. Gent.* c. 34; *de Verit.* q. 2, a. 11, c. et ad 6.

4. Sed contra, analogia unius ad alterum est analogia proportionis; sed hæc non est in Deo : ergo si est analogia in Deo, est illa, quæ est definita, quæ tamen illi non convenit, ut probatum est; ergo dicendum est, non recte fuisse definita analoga. — *De Verit.* q. 2, a. 11, c. et ad 6.

1. *Sed contra est :* quod analoga definiuntur, ut potest colligi ex his, quæ de æquivocis et univocis dicuntur a Philosopho in Prædicam. c. 1 : quorum nomen est commune, et secundum illud nomen substantiæ ratio partim eadem, partim diversa.

2. Præterea, analoga sunt media inter univoca et æquivoca; sed medium dicitur tale, quia participat naturam extremorum : ergo cum univoca sint, quorum ratio est totaliter eadem; æquivoca vero, quorum ratio est totaliter diversa; analoga erunt, quorum ratio partim est eadem, partim diversa. — 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3; 1. c. *Gent.* c. 32, 33, 34; 1a, q. 108, a. 5, ad. 4.

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter, ut dictum est : *vel* secundum esse, et non secundum intentionem; *vel* secundum intentionem tantum, et non secundum esse; *vel* secundum esse et secundum intentionem; de quibus oportet, quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum, de quibus dicitur, sed differens secundum rationem majoris vel minoris perfectionis. — Analoga *primi generis* non sunt proprie analoga; nam licet eorum analogia tollat univocationem physicam vel metaphysicam, non tamen tollit logicam, quæ est propria univocatio; unde vere sunt univoca, ut patet in exemplis allatis supra de corpore respectu sublunaris et cœlestis; unde non mirum, si illis non competit definitio analogorum a Philosopho allata art. præced.

Analoga vero *secundi generis*, quæ sicut et tertii sunt proprie analoga, dicuntur analoga proportionis seu convenientiæ et a Philosopho (1. *Ethic.* c. 6, al. 4) appellantur ab uno ad unum, et (3. *Phys. text.* 78; c. 11) secundum prius et posterius, et sunt duplicia. Nam quædam dicuntur analoga unius ad unum, quomodo ens dicitur analogice de substantia et accidente propter convenientiam et habitudinem, quam habent ad invicem; et similiter sanum de medicina et animali. Quædam vero dicuntur ad unum tertium, quomodo ens dicitur de substantia, quantitate et qualitate; et sanum de animali, medicina et urina; nam quantitas et qualitas dicuntur ens per habitudinem ad substantiam, et medicina et urina dicuntur sana per ordinem ad sanitatem animalis. (1a, q. 13, a. 5, c.; *de Pot.* q. 7, a. 7, c. 1; *c. Gent.* c. 34; 1. *Ethic.* l. 7; 3. *Phys.* l. 12). — Utraque vero analoga definiuntur definitione prædicta; nam habent unum nomen et rationem aliquam secundum illud nomen, in quo tanquam in genere conveniunt cum univocis et æquivocis; sed hanc rationem habent nec omnino et totaliter unam, sicut habent univoca, neque totaliter diversam, sicut æquivoca, per quod tanquam per differentiam distinguuntur ab utrisque; sed partim eamdem, partim diversam, eâmdem ratione termini, diversam ratione diversorum respectuum ad unum terminum. (1a, q. 13, a. 5, c.; 4. *Metaphys.* l. 1; 3. *Ethic.* l. 7). Quibus etiam tria communia sunt; *primum* est, quod analogum absolute et simpliciter dictum intelligitur de principali analogato, ad quod alia minus principalia dicuntur talia per habitudinem ad illud, ut patet in ente dicto de substantia et accidentibus, et sano dicto de animali, medicina et urina. *Secundum* est, quod principale analogatum, seu id, ad quod unum vel plura dicunt habitudinem, ponitur in definitione cæterorum, sicut substantia ponitur in definitione accidentis, et animal sanum in definitione medicinæ et urinæ. *Tertium* est, quod nomen analogum per prius dicitur, quantum ad rem formaliter significatam, de eo, quod ponitur in definitione aliorum, seu de principali analogato, in quo formaliter est ratio significata per nomen. Quorum trium dictorum ratio est, quia cum in analogis secundi generis sit unum respectum a cæteris, illud unum debet necessario poni in definitione aliorum; res enim ita definitur, prout habet esse, hæc autem habent suum esse in ordine ad principale analogatum. Sic sanum, quod dicitur de animali, cadit in definitionem sani, ut dicitur de medicina et urina; et rursus illud est prius cæteris secundum rationem illius analogi; nam ratio, quam significat nomen, est definitio, et ideo prius secundum definitionem nominis est etiam prius secundum rationem illius, et per consequens absolute dictum nomen analogum intelligitur de principali analogato. — 1a, q. 13, a. 6, c.; 1. *Sent.* dist. 9, q. 1, a. 1, ad 2; 3.

Sent. dist. 33, q. 1, a. 1, quæst. 2. ad 1; 1. *c. Gent.* c. 32.

Analoga demum *tertii generis* dicuntur analoga proportionalitatis, et a Philosopho (12. *Metaphys. text.* 22 et 23; l. 11, c. 4) proportionis, et (1. *Poster.* c 12 et 24 et 2 *Poster. text.* 23 et 25; c. 13 et 14) secundum similitudinem rationum, quando nimirum attenditur convenientia duorum ad invicem, inter quæ non est proportio, sed magis similitudo duarum ad invicem proportionum, sicut senarius convenit cum quaternario in hoc, quod sicut senarius est duplum ternarii, ita et quaternarius binarii. Et hujusmodi sunt analoga dicta de Deo et creaturis, et omnia illa, quorum ratio est in omnibus analogatis, sive sit in uno metaphorice, in alio proprie, sive sit in omnibus proprie, sed vel secundum proportiones diversas ad idem subjectum, quomodo qualitas dicitur ens, quia est dispositio per se entis, id est substantiæ; quantitas vero, quia est mensura ejusdem, et sic de aliis; vel secundum proportionem unam ad diversa subjecta, ut est in visu respectu oculi corporalis, et in intellectu respectu animæ; eamdem enim proportionem habent visus ad corpus et intellectus ad animam. Vel demum hæc ratio proportionaliter una æqualiter participatur ab omnibus analogatis, et non ab uno per ordinem ad aliud; vel inæqualiter, quia scilicet in uno est perfecte et in alio imperfecte, ut est in prædicatis transcendentibus, ente, bono, vero, ut dicitur de Deo et creaturis; et his etiam omnibus convenit definitio allata analogorum, quia habent commune nomen et rationem nec omnino eamdem nec totaliter diversam, sed proportionaliter eamdem. Nam rationes analogorum sunt quidem diversæ, sed tamen sunt proportionaliter una; quod enim est spina pisci, est os animali; et sicut creaturæ habent bonitatem, ita Deus habet bonitatem, nisi quod in Deo est infinite perfecta, in creatura vero imperfecta. — *De Verit.* q. 2, a. 11, c.; 12. *Metaphys.* l. 4; 1. *Poster.* l. 12 et 18; 1a, q. 13, a. 5 et 6; 1. *Ethic.* l. 7; 2. *Poster.* l. 17 et 19.

Est tamen inter analoga hujus tertii generis hoc discrimen, quod nomina analoga, quæ metaphorice dicuntur de uno vel pluribus, et proprie de alio, per prius dicuntur de eo, de quo proprie dicuntur, et illud ponitur in definitione cæterorum; cujus ratio est, quia dicta de aliis, quibus metaphorice conveniunt, nihil aliud significant, quam similitudines ad illud, de quo proprie dicuntur. Sicut ridere dictum de prato nihil aliud significat, quam quod pratum similiter se habet in decore, cum floret, sicut homo, cum ridet, secundum similitudinem proportionis; et ideo ridere dictum de homine ingreditur definitionem ridere dicti de prato; et idem dico de nomine leonis dicto de Deo; significat enim, quod Deus similiter se habet, ut fortiter operetur in suis operibus sicut leo in suis; et ideo in definitione leonis dicti de Deo ponitur nomen leonis dictum de animali. — Analoga vero, quæ proprie dicuntur, aliquando per prius dicuntur de uno, et illud ingreditur definitionem aliorum, aliquando non; nam, quando ratio analogi æqualiter participatur ab omnibus analogis, non dicitur prius de uno quam de alio, neque unum ingreditur definitionem aliorum, ut patet in nomine ossis dicto de spina et osse animalis; quando vero inæqualiter participatur, tunc quantum ad rem significatam formaliter analogum prius dicitur de eo, in quo talis ratio perfecte participatur. Sic enim bonitas, sapientia et similia, quantum ad rem significatam per nomen, prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia a Deo in creaturas hujusmodi perfectiones manant; sed quantum ad impositionem nominis prius dicuntur de illis analogatis, quæ prius cognoscimus; et ideo prædicta nomina prius dicuntur de creaturis, sicut et illis imponuntur, quia prius creaturas cognoscimus; unde et modum significandi habent, qui competit creaturis. — Et hinc est, quod in talibus analogis, licet prius dicantur secundum rem significatam de principali analogato, hoc tamen non ponitur in definitione minus principalium, ut bonitas divina nón ponitur in definitione bonitatis creatæ, quia nimirum cum definitio detur cognitionis gratia, illa tantum debent poni in definitione, quæ sunt notiora ipso definito; bonitas autem divina est ignotior bonitate creata, cum per bonitatem creatam deveniamus in cognitionem increatæ.

— Et sic patet definitio analogorum, quæ non ipsis nominibus, sed ipsis analogatis convenit; nam illis competit habere nomen et secundum illud rationem partim eamdem, partim diversam. — 1a, l. c.; *de Verit.* l. c.; 1. *c. Gent. c.* 34.

Ad primum ergo dicendum, quod communitas analogica potest esse dupliciter: vel ex eo, quod aliqua participant aliquod unum secundum prius et posterius, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens; vel ex eo, quod unum esse et rationem ab altero recipit, et talis est analogia creaturæ ad Creatorem. Creatura enim non habet esse, nisi secundum quod a primo ente descendit et ipsum imitatur, et sic non sequitur, quod sit aliquid simplicius Deo. — Vel dic quod, quia ubicumque est communitas analogiæ, ibi est aliqua similitudo, sicut dupliciter est modus similitudinis, ut ponit Philosophus (1. *Top.* c. 15), unus, qui invenitur in diversis generibus et attenditur secundum proportionem vel proportionalitatem, ut quando alterum se habet ad alterum, sicut aliud ad aliud, ut ipse ibidem dicit; alius vero in his, quæ sunt ejusdem generis, ut quando idem diversis inest; — ita est duplex analogia, *una*, quæ involvit priorem similitudinis modum, et hæc est inter Deum et creaturas, nec ex illa sequitur, aliquid esse simplicius Deo; *altera*, quæ involvit posteriorem similitudinis modum, et hæc non est in Deo, cum ex illa sequatur aliquid esse prius Deo, quod est falsum. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 2, ad 2; *de Verit.* q. 2, a. 11, arg. 1. et ad 2, 3 et 4.

Ad secundum dicendum, quod analogia unius vel duorum ad unum tertium est duplex: *una*, in qua, quæ ordinantur ad aliud, dicuntur talia solum ex hoc quod ordinantur ad aliud, ut medicina amara dicitur amara vel sana ex hoc solum, quod est causativa sanitatis, et in hujusmodi analogis verum est, quod ratio significata per nomen analogum est tantum in uno formaliter; sanitas enim formaliter est tantum in animali, ad quod ordinantur medicina, urina, diæta. *Altera* est, in qua, quæ ordinantur ad aliud, participant rationem analogi formaliter, licet inæqualiter, et in his ratio analogi non est tantum in uno, sed etiam est in pluribus, ut cum dicitur ens de substantia et accidentibus; hæc enim dicuntur entia, quia ordinantur ad substantiam, ipsa tamen formaliter in se participant rationem entis, licet modo imperfecto, — et utrisque analogis competit definitio analogorum. Nam analoga *prioris* generis dicuntur habere vel participare eamdem rationem secundum terminum, et habere diversas rationes secundum diversos respectus, ut dictum est; analoga vero *posterioris* generis dicuntur habere rationem partim eamdem, partim diversam, quia ratio analogi non est omnino et totaliter eadem, sed proportionaliter participatur ab omnibus, ut dictum est. — 1a 2æ, q. 20, a. 3, c. et ad 3; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 2, ad 1; ll. cit. in c.; 4. *Metaphys.* l. 1.

Ad tertium dicendum sicut in objectione, quod analoga sunt in duplici differentia, quædam duorum ad unum tertium, et ad hujusmodi analoga non pertinent Deus et creaturæ; quædam unius ad unum, et hujus generis possunt esse Deus et creatura; unde non sequitur, quod aliquid sit prius Deo. — 1. *c. Gent.* c. 34; 1a, q. 13, a. 5, c.; *de Pot.* q. 7, a. 7, c.

Ad quartum dicendum, quod analoga unius ad unum sunt duplicia: *quædam*, quæ participant rationem analogi secundum prius et posterius, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens, et hæc analogia non est inter Deum et creaturas. *Quædam* vero, quorum unum esse et rationem ab altero recipit, et hujusmodi est analogia inter Deum et creaturas; creatura enim non habet esse, nisi secundum quod descendit a primo ente et illud imitatur.—Vel dic, quod proportio dupliciter sumitur: *uno* modo proprie, et significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem determinatum excessum vel adæquationem, et hæc non est inter Deum et creaturas, quia inter illa est infinita distantia. *Alio* modo prout per translationem a quantitate significat habitudinem cujuslibet rei ad alteram, ut materiæ ad formam, intellectus ad intellectum, effectus ad causam, et hæc proportio est inter Deum et creaturas; nam creaturæ, ut dictum est, cum sint effectus Dei, illum quantum possunt

imitantur, licet imperfecte ipsum assequantur. — 1. *Sent. Prolog.* q. 1, a. 2, ad 2 et dist 35, q. 1, a. 4, c.; *de Verit.* q. 8, a. 1, ad 6; 3. *c. Gent.* c. 54, arg. 6 et ad 6.

ARTICULUS IV

UTRUM RECTE DEFINIANTUR DENOMINATIVA.

Videtur quod non recte definiantur denominativa : quæ differentia casu secundum nomen habent appellationem.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Periherm.* c. 2), quod eadem est ratio, quam significat nomen in omnibus, unde idem est nomen per omnes casus et numeros; sed nomen denominativum patiens sumptum in plurali non differt casu a nomine abstracto, quod est patientia : ergo nomen denominativum male definitur, quod casu differt ab abstracto, unde derivatur. — *Quodl.* 4, a. 17, *Sed contra*, 1. *Periherm.* l. 4.

2. Præterea, nomen dilectus derivatur a dilectione, et casu ab illo differt; sed nomen dilectus non est nomen denominativum a dilectione, quia nulla res denominat seipsam, dilectio autem diligitur : ergo nomen denominativum male definitur. — Sed dices, quod dilectus non est nomen proprie denominativum; nam denominatio proprie est secundum habitudinem accidentis et formæ ad subjectum, sic autem dilectum non denominatur a dilectione, sed magis sicut objectum, et ideo ratio non procedit. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, arg. 2 et ad 2.

3. Sed contra, ligneum et ferreum, ut dicitur 7. *Phys. text.* 14; c. 3 sunt nomina proprie denominativa; sed hæc non derivantur a forma vel accidente subjecto inhærente; nam lignum vel ferrum non est forma vel accidens arcæ, quæ dicitur lignea vel ferrea, sed est ejus materia : ergo nomen denominativum non habet derivationem ab accidente vel forma inhærente. — *Tabula aurea* voce « denominatio » n. 1; 7. *Phys.* l. 5.

4. Præterea, locatum, temporale et sanum sunt nomina denominativa; sed hæc non derivantur a forma adjacente subjecto, quod denominatur; sanitas enim non est in medicina, quæ dicitur sana, ut dictum est, et tempus et locus non denominant subjectum, in quo sunt : ergo nomen denominativum non derivatur a forma inhærente. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

5. Præterea, homo derivatur ab humanitate, tanquam concretum a suo abstracto, et similiter animal ab animalitate, et casu ab illa differt; sed neutrum illorum est nomen denominativum, nam prædicantur de suis inferioribus univoce et essentialiter, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* c. 5 : ergo male definitur nomen denominativum id, quod casu differens ab aliquo secundum nomen habet appellationem. — *Opusc.* 30, c. 3; *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1; 3. *Sent.* dist. 7. q. 1, a. 1.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 1 definit denominativa : quæcumque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod denominative dicuntur prædicari, quæ concreta sunt adjective, et ab aliquibus accidentibus abstractis denominantur seu derivantur, ut album de homine et equo denominative prædicatur, quia album derivatur ab hoc abstracto, quod est albedo, quæ est in homine et ab illo terminative differt; albedo enim abstracte sumpta de homine prædicari non potest, quia nulla pars de toto prædicari potest, albedo autem est pars quædam accidentalis hominis albi; concernitur autem et dicitur album, quod idem est, quod habens albedinem, et tale potest de homine prædicari. Et sic patet definitio denominativorum, quæ proprie solis nominibus convenire videtur, quia nominis est derivari ab alio nomine et casu ab illo differre, non autem rei significatæ per nomen; hoc enim nomen album derivatur a nomine albedo, et nomen fortis a fortitudine, ut Philosophi exemplo utar, et concretum ab abstracto, non autem paries albus vel homo fortis; et similiter terminatio non est rei albæ, sed nominis albi. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod casus obliqui secundum Philosophum non sunt nomina, quia licet sit eadem ratio in omnibus, non tamen adjuncto « est » vel « non est » significant verum vel falsum, sicut significat nomen. Dicuntur tamen unum nomen, non simpliciter, sed in quantum

conveniunt in uno ordine declinationis; nomen autem denominativum est proprie nomen. — *Quodl.* 4, a. 17, ad 3; 1. *Periherm.* l. 4.

Ad secundum dicendum, sicut dictum est in objectione.

Ad tertium dicendum, quod illud, a quo aliquid denominatur, non oportet, quod semper sit forma secundum rei naturam, sed sufficit, quod significetur per modum formæ, grammatice loquendo; denominatur enim homo agens ab actione, et indutus ab indumento, et similiter circulus ferreus vel ligneus a ferro et ligno, quæ realiter non sunt formæ. — *de Pot.* q. 7, a. 10, ad 8; *Tab. aur.* v. denom. n. 1.

Ad quartum dicendum, quod omnis denominatio debet quidem fieri a forma, quæ habet rationem accidentis ad subjectum modo dicto, non tamen ita, ut hoc subjectum debeat respectu talis accidentis seu habentis modum accidentis esse subjectum inhæsionis, sed sufficit, quod sit subjectum denominationis; nam accidentia sunt in duplici differentia, quædam quæ denominant subjectum, in quo sunt, ut albedo; quædam vero, quæ non tantum denominant subjectum, in quo sunt, sed etiam in quo non sunt ut in subjecto inhæsionis, ut locus et tempus. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

Vel dic, quod in his, quæ denominant per respectum ad alterum, potest aliquando denominatio fieri a forma non inhærente; nam dupliciter denominatur aliquid per respectum ad alterum : *uno* modo, quando ipse respectus est ratio denominationis, sicut urina dicitur sana per respectum ad sanitatem animalis; ratio enim sani, secundum quod de urina dicitur, est esse signum sanitatis animalis. Et in talibus, quod denominatur per respectum ad alterum, non denominatur ab aliqua forma sibi inhærente, sed ab aliquo extrinseco, ad quod refertur; et idem dico de locato, quod dicitur tale per respectum ad locum; et de temporali, quod dicit ordinem ad tempus. *Alio* modo denominatur aliquid per respectum ad alterum, quando respectus non est ratio denominationis, sed causa, sicut si aer dicatur lucens a sole, non quod ipsum aerem referri ad solem sit lucere aeris, sed quia directa oppositio aeris ad solem est causa, quod luceat. — *De Verit.* q. 21, a. 4, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod denominativa sunt, quæ concreta sunt adjective, cujusmodi non sunt homo et animal; nam humanitas et animalitas nullo modo sunt accidentalia, sive secundum rem sive secundum modum; unde homo et animal inter univoca a Philosopho numerantur. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1; *Opusc.* 30, c. 1.

ARTICULUS V

UTRUM NOMEN DENOMINATIVUM PRINCIPALITER SIGNIFICET FORMAM, AN SUBJECTUM.

Videtur quod nomen denominativum principaliter significet subjectum.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 3; l. 6, c. 1), quod sedens, et sanum, et similia nomina denominativa sunt magis entia, quam eorum abstracta, et quod unumquodque talium nominum videtur importare prædicamentum substantiæ; sed non alia ratione prædicta nomina sunt magis entia, et important prædicamentum substantiæ, quam quia principaliter significant subjectum, quod est substantia : ergo nomen denominativum principaliter significat subjectum. — 7. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, nomen multiplicatur multiplicato suo significato; sic enim nomen homo multipliciter dicitur, si imponatur ad significandas diversas res, ut id, quod vere est homo, et lapidem; sed nomina denominativa seu concreta accidentalia non multiplicantur ex forma, sed ex subjecto : ergo nomen denominativum principaliter signat subjectum. — 1a, q. 13, a. 10, ad 1; 1. *Periherm.* l. 4; 3a, q. 3, a. 7, ad 2; 1a, q. 36, a. 4, ad 7.

3. Præterea, nomina supponunt pro eo, ad quod significandum principaliter imponuntur; sed nomina denominativa supponunt pro subjectis : ergo illa principaliter significant. — 3. *Sent.* dist. 6, q. 1, a. 3, c.

4. Præterea, ratio nominis est, quam significat definitio, ut dicitur 3. *Metaphys. text.* 11; l. 3, c. 4; sed denominativorum definitio datur per subjectum : ergo denominativa principaliter illud significant. — Sed dices, datur per subjectum, tanquam

per additum essentiæ talis nominis. — *de Unione Verbi* a. 2, ad 4; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2; *de Pot.* q. 9, a. 4, c.; 7. *Metaphys.* l. 4; *de Sensu* l. 6; 1. *Periherm.* l. 4.

3. Sed contra, denominativa sicut et alia accidentia in concreto definiuntur per subjectum, tanquam per genus; sed genus est de essentia rei et primo ponitur in ejus definitione : ergo etiam erit essentiale nomini denominativo, et per consequens erit primo per illud significatum. — *de Verit.* q. 3, a. 7, arg. 2 ; ll. cit.

Sed contra est, 1. quod Philosophus in *Prædicam.* c. 5, dicit, quod album nihil aliud significat, quam qualitatem. — 5. *Metaphys.* l. 7; 7. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 21 ; l. 6, c. 6), quod licet non sit idem quod quid est albi hominis cum homine albo, ratione subjecti, idem tamen sunt, ratione passionis ; nam idem est quod quid erat albo, et album; ergo nomen denominativum album essentialiter tantum significat, et per consequens principaliter qualitatem. — 7. *Metaphys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod nomen denominativum, ut album, significat formam et subjectum. Propterea enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 21 ; l. 6, c. 16) dicit, quod musicum et album, quæ sunt denominativa, dicuntur secundum accidens propter duplex significare ipsorum ; etenim significant id, cui accidit album et musicum, puta subjectum, et ipsum accidens, puta albedinem et musicam, non tamen significant utrumque eodem modo. Nam proprium, essentiale et principale significatum nominis denominativi non est subjectum, ut vult Avicenna l. 6, *Naturalium part.* 1, c. 2, sed est accidens seu forma; subjectum vero tantum ex consequenti significatur, et tanquam additum essentiali significato (*de Unione Verbi* a. 3, ad 5; 7. *Metaphys.* l. 5; 1. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2, ad 3); quod multipliciter potest esse manifestum. Et *primo* quidem, quia si denominativa adjectiva atque adeo prædicata, quæ sunt in generibus accidentium, principaliter significant subjectum atque adeo substantiam, et per posterius accidens, sicut hoc quod dico album et musicum, non ponerentur a Philosopho sub ente secundum se, sed sub ente secundum accidens; nam hoc totum, quod est homo albus, est ens secundum accidens; ponuntur autem inter entia secundum se (5. *Metaphys. text.* 14 ; l. 4, c. 7 et ideo, quia, cum diverso modo dicantur de substantia, debent significare aliquod esse distinctum et diversum ab esse substantiæ, puta esse quantitatis vel qualitatis, licet ex consequenti significent subjectum, quia cum significent formam, puta quantitatem vel qualitatem per modum accidentis, oportet, quod ex consequenti includant in sui ratione subjectum; nam accidentis esse est inesse (5. *Metaphys.* l. 9). *Secundo*, quia cum in omni definitione poni possit loco nominis definitio, ut si dicamus, quod homo est animal rationale, loco nominis animal, poni potest ejus definitio, nimirum substantia animata vel sensibilis, ut dicatur : homo est substantia animata, sensibilis, rationalis — si nomine denominativo principaliter significatur subjectum, cum dicimus nasus simus, loco hujus nominis simus posset poni definitio ipsius, puta nasus concavus, quod tamen dici non potest; nam inde sequeretur, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 18 ; l. 6, c. 5, manifesta nugatio; nam idem erit dicere nasus simus, atque nasus nasus concavus, quæ omnino vitanda est. — *Tertio*, quia album, ut dicitur l. c. *text.* 12 ; c. 4, non significat aliquid, sed aliquale, et definitur per additamentum, cum tamen si significaret principaliter subjectum, quia hoc est substantia, significaret aliquid, non aliquale, et non definiretur per additamentum. — 7. *Metaphys.* l. 3 et 4.

Quarto, quia proprium significatum alicujus nominis est id, quod per nomen determinate intelligitur; at nomen denominativum, ut album, determinate significat albedinem seu formam, et indeterminate subjectum; nam cum dicimus album, intelligimus aliquid albedine informatum, non autem determinatur, quod sit illud, sicut determinatur forma, quam propterea principaliter significat (*de Unione Verbi* a. 3, ad 5). — *Quinto*, in quolibet nomine est duo considerare, id a quo imponitur nomen, quod dicitur qualitas nominis, et id, cui imponitur, quod dicitur substantia nominis; et nomen proprie loquendo dici-

tur significare formam seu qualitatem, a qua imponitur nomen, sicut dicitur supponere pro eo, cui imponitur; sed in nomine denominativo id, a quo imponitur nomen, est forma et accidens; cui vero imponitur, est subjectum : ergo nomen denominativum proprie et principaliter significabit formam, et non subjectum. — *Postremo* aliud est in nomine denominativo id, quod significatur seu significatum, et id, quod copulatur seu copulatum; sed in tali nomine id, quod copulatur, non est forma, sed subjectum; id enim copulari dicitur, quod directe sumi non potest sub significato nominis, cujusmodi est solum subjectum : ergo dicendum est, quod nomen denominativum principaliter solam formam significat.. — 3. *Sent.* dist. 6, q. 1, a. 3; 1a, q. 39, a. 5, ad 5; *de Pot.* q. 9, a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod nomina concreta accidentium seu denominativa videntur importare prædicamentum substantiæ, non quia hoc sit pars significationis talium nominum — nam, ut dicitur in Prædicamentis, album solam qualitatem significat, — sed quia hujusmodi nomina significant accidentia ut inhærentia substantiæ; ob quam etiam rationem dicuntur magis entia, quam nomina abstracta, quæ significant accidentia, non ut inhærentia, quomodo videntur non entia. — 7. *Metaphys.* l. 1, 3, 4, 5; 5. *Metaphys.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod alio modo plurificatur terminus substantivus seu nomen concretum substantiale, atque terminus adjectivus seu nomen denominativum. Nam ille plurificatur ex forma significata; unde si tres personæ divinæ unam naturam humanam assumerent, dicerentur unus homo, non autem plures homines; si vero una persona divina assumeret duas naturas humanas, diceretur duo homines; hic vero multiplicatur per subjectum; sic unum pomum dicitur unum quale, licet in eo sint plures qualitates, ut albedo, odor et sapor. Cujus ratio est, quia concreta substantialia significant per modum substantiæ, concreta vero accidentalia seu denominativa adjectiva significant per modum accidentis, quod individuatur et multiplicatur per subjectum, substantia vero per se ipsam. — 3. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 4, ad 6 et a. 5, ad 2; 1a, q. 36, a. 4, ad 7 et q. 39, a. 3, c.; 1. *Sent.* dist. 9, q. 1, a. 2, c.; *de Pot.* q. 9, a. 6; *Quodl.* 1, a. 2.

Ad tertium dicendum, quod supponere est proprium nominum concretorum substantialium, sicut accidentalium seu denominativorum adjectivorum proprium est copulare. Unde, sicut quod supponitur in concretis substantialibus, non est proprium et principale significatum, sed hoc est forma vel natura substantialis, ita quod copulatur in nominibus adjectivis et denominativis, quod est subjectum, ut dictum est, non est proprie nec principale significatum, sed hoc est forma accidentalis, et subjectum est significatum ex consequenti et additum essentiæ; et sic patet *ad quartum.* — 1a, q. 39, a. 5, ad 5; *de Pot.* q. 9, a. 4, c.; 7. *Metaphys.* l. 4 et 5.

Ad quintum dicendum, quod accidens dupliciter potest accipi, uno modo in abstracto, quomodo consideratur secundum propriam rationem, et sic habet proprie genus et speciem; et hoc modo subjectum non ponitur loco generis in ejus definitione, sed loco differentiæ, ut cum dicitur, simitas est curvitas nasi. Alio modo potest accipi in concreto, quomodo accipitur secundum quod est unum per accidens cum subjecto, et sic non habet proprie genus, nec speciem, quomodo intelligitur Philosophus (2. *Top. c.* 2) cum ait, quod coloratum non est genus albi; improprie tamen loco generis ponitur subjectum in ejus definitione, et ita non sequitur, quod subjectum sit essentiale vel principale significatum nominis denominativi adjectivi. — *De Verit.* q. 3, a. 7, ad 2.

ARTICULUS VI

UTRUM RECTE DIVIDANTUR EA, QUÆ SUNT, IN QUATUOR MEMBRA.

Videtur quod non recte dividantur ea, quæ sunt, in quatuor membra, puta in ea, quæ de subjecto dicuntur, et in subjecto non sunt; quæ in subjecto sunt, sed de subjecto non dicuntur; quæ de subjecto dicuntur, et in subjecto sunt; quæ

neque in subjecto sunt, neque de subjecto dicuntur.

1. Quia per id, quod de subjecto dicitur, et in subjecto non est, intelligit Philosophus substantiam secundam; sed secunda substantia, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 46; l. 6, c. 13, non dicitur de subjecto : ergo male describit secundam substantiam per id, quod de subjecto dicitur et in subjecto non est. — 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42, c. 7 et 9.

2. Præterea, per id, quod est in subjecto et de subjecto non dicitur, intelligit Philosophus accidens singulare; sed hoc potest dici de subjecto, quia nomine subjecti intelligit Philosophus substantiam primam; at de substantia prima, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3, cætera omnia dicuntur, et per consequens etiam hoc album. — 7. *Metaphys.* l. 2.

3. Præterea, nihil prohibet substantiam primam, puta Socratem, de hoc albo prædicari, vel de animali, vel de homine; sed hoc est primam substantiam de subjecto dici : ergo male describit Philosophus substantiam primam per id, quod neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur. — l. c.

4. Præterea, differentia sub nullo prædictorum membrorum continetur; neque enim est accidens quomodocumque consideratum, neque est substantia prima vel secunda, cum non ponatur in recta linea; sed differentia est inter ea, quæ sunt, nam de illa potest dici nomen « substantia »; unde Philosophus « inter quatuor modos acceptionis nominis substantia » unum ponit, quo dicitur de differentia : ergo prædicta divisio non est sufficienter tradita. — l. c.

5. Præterea, potentia Dei non se extendit ad impossibilia, ut ad separationem definitionis a definito; sed Deus potest separare accidens a subjecto, ut patet in Sacramento Eucharistiæ : ergo accidens male definitur a Philosopho, quod sit id, quod in subjecto est, tanquam pars ejus, et impossibile est esse sine illo. — *De Pot.* q. 1, a. 3; 3a, q. 77, a. 1; 1. *Sent.* dist. 47, q. 1, a. 4; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* dividit ea, quæ sunt, in quatuor genera, quorum quædam in subjecto non sunt, sed de subjecto dicuntur; quædam in subjecto sunt, et de subjecto non dicuntur; quædam neque in subjecto sunt, neque de subjecto dicuntur : quædam in subjecto sunt, et de subjecto dicuntur.

RESPONDEO DICENDUM, quod sufficiens est divisio eorum, quæ sunt, in quatuor membra prædicta. Cujus numeri sufficientia ex hoc potest colligi, quod cum non possit dari medium inter substantiam et accidens; — nam dividuntur per affirmationem et negationem, idest secundum esse in subjecto, et non esse in subjecto; — necesse est dicere, quod quidquid est, vel est substantia vel accidens. Quoniam vero natura quælibet dupliciter considerari potest : vel secundum se seu quatenus est ens in se, vel ut subest actui intellectus prædicantis unum de altero, et prior consideratio spectat ad philosophum, qui rerum naturas considerat, posterior vero ad logicum, qui non naturas rerum considerat, sed modum prædicandi; ideo ea, quæ sunt, seu substantia et accidens, secundum quod ad logicum spectant, in quatuor tantum membra possunt dividi. Quod patet; nam cum omnis prædicatio superioris de inferiori terminetur ad individua, dupliciter possunt a logico substantia et accidens considerari : vel ut quædam universalia, vel ut quædam singularia terminantia prædicationem universalium. — Unde consurgunt quatuor tantum genera eorum, quæ sunt, quorum *primum* a Philosopho describitur per id, quod de subjecto dicitur tanquam superius de inferiori, ut homo de quodam homine, et in subjecto non est sicut accidens, et hoc est substantia secunda. *Secundum* est id, quod neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur, et hoc est substantia prima. *Tertium* est id, quod est in subjecto, et de subjecto dicitur, et hoc est accidens universale, ut scientia, quæ est in homine, tanquam in subjecto, et dicitur de hac et illa scientia. *Quartum* est id, quod est in subjecto, et de subjecto non dicitur, et hoc est accidens singulare, ut hoc album; et sic manifestum est, quod recte fuit a Philosopho tradita divisio eorum, quæ sunt. — 1a, q. 76, a. 4, ad 4 et q. 77, a. 1, ad 5; *Opusc.* 30, c. 2; 2. *de Anima* l. 12; 7. *Metaphys.* l. 13 et 17; *Opusc.* 42, c. 7, 9 et 10.

Ad primum ergo dicendum, quod secunda substantia dupliciter considerari potest: uno modo, secundum quod est ens in se seu secundum se, sine intentione universalitatis, et hoc modo non prædicatur de subjecto; nam ut sic est prima substantia, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur, et hoc modo a philosopho consideratur, qui rerum naturas considerat, et apud illum propterea idem est dici de subjecto, et esse in subjecto. Alio modo potest considerari ut est in intellectu, seu ut subest intentioni universalitatis, quomodo consideratur a logico, qui non naturas rerum secundum se, sed ut substant actui rationis considerat, et hoc modo secunda substantia dicitur de subjecto, et in subjecto non est. — 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42. c. 7 et 9.

Ad secundum dicendum, quod dici de subjecto aliquid dupliciter contingit: vel tanquam superius de inferiori, vel tanquam accidens de subjecto. Quando Philosophus in *Prædicam.* c. 2. asserit accidens singulare non dici de subjecto, sumit dici de subjecto priori modo, et propterea ibidem ait, quod substantia prima de nullo subjecto dicitur, quia nimirum non habet partem subjectivam, de qua dicatur; quando vero in Metaphysica dicit, quod de substantia prima cætera omnia dicuntur, sumit indifferenter « dici de subjecto », vel tanquam superius de inferiori, vel tanquam accidens de subjecto. — 7. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 42, c. 10.

Ad tertium dicendum, quod dictum Philosophi debet intelligi per se, non autem per accidens, quomodo procedit objectio. — 7. *Metaphs.* l. 2.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus propterea non posuit differentiam in numero eorum, quæ sunt, quia tantum dividit ea, quæ sunt per se in ordine prædicamentorum; differentia enim non cadit in talem ordinem, nisi sicut principium. — l. c.

Ad quintum dicendum, quod Deus non se extendit ad impossibile secundum seipsum, quod scilicet est tale ratione discohærentiæ terminorum; nam in omni tali impossibili implicatur affirmationem et negationem esse simul, quod nulli activæ potentiæ attribui potest. Potest autem se extendere ad illud impossibile, quod dicitur tale vel propter defectum activæ potentiæ causæ creatæ, vel propter aliquod resistens vel impediens, quia ejus potentia, cum sit infinita, in nullo defectum patitur, nec est aliqua materia, quam transmutare non possit ad libitum; ejus enim potentiæ resisti non potest. Et in hoc secundo genere est impossibilitas separationis accidentis a subjecto; nam cum inesse non dicat esse accidentis absolute, sed dicat modum essendi, qui sibi convenit ex ordine ad causam proximam sui esse, quæ est substantia, — nam accidentia ex principiis substantiæ causantur, et cum remoto ordine accidentis ad causam proximam adhuc possit remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quam modus essendi ipsius non est inesse, sed ab alio esse ideo Deus potest facere, quod sit accidens et non insit, nec tamen esse accidentis ab accidente removebitur, sed modus essendi. (*de Pot.* q. 1, a, 3; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 1 et ad 1). — Quoad id vero, quod dicitur in objectione, Deum non posse separare definitionem a definito, dicendum cum Avicenna, quod sicut per se esse non est definitio substantiæ, quia per hoc non demonstratur quidditas ejus, sed ejus esse, et sua quidditas non est suum esse, (alias non posset esse genus, quia esse non potest esse commune per modum generis, cum singula contenta in genere differant secundum esse), sed definitio vel quasi definitio substantiæ est: res habens quidditatem, cui acquiritur esse vel debetur, ut non in alio; et similiter esse in subjecto non est definitio accidentis, sed quod sit res, cui debetur esse in alio, et hoc nunquam separatur ab ullo accidente nec separari potest, quia illi rei, quæ est accidens, secundum rationem suæ quidditatis semper debetur esse in alio; sed potest esse, quod illud, quod debetur alicui secundum rationem suæ quidditatis, ei virtute divina agente non conveniat; et sic patet, quod facere accidens sine substantia non est separare definitionem a definito. — 4 *Sent.* l. c. ad 2 et 3; ll. cit. in arg.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

ARTICULUS VII

UTRUM VERA SIT PRIOR REGULA ANTEPRÆDICAMENTALIS.

Videtur quod non sit vera prior regula antepræ dicamentalis : quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcumque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subjecto dicentur.

1. Quia ex illa sequitur, quod in divinis vere concludi potest, quod filiatio sit paternitas, et contra; nam cum filiatio prædicetur de essentia divina, debet etiam secundum prædictam regulam posse vere prædicari de eo, de quo vere prædicatur essentia, quod est paternitas; at falsa est hæc prædicatio : paternitas est filiatio, et contra : ergo dicendum est regulam esse falsam. — *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 6.

2. Præterea, si vera est prædicta regula, sequitur, quod vere etiam dici possit, quod homo est trinitas; nam cum hæc dicatur de Deo, et Deus de homine, debet etiam vi hujus regulæ vere dici de homine; sed constat talem propositionem esse falsam : ergo et falsa erit prædicta regula. — 3a, q. 16, a. 2, arg. 2; *Opusc.* 42, c. 9.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 3. ponit prædictam regulam.

RESPONDEO DICENDUM, quod prædicta regula vera est in prædicabilibus per se; per se autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundum propriam rationem; quod vero non secundum propriam rationem prædicatur, sed propter identitatem rei, non prædicatur per se. Ratio autem hujus regulæ est, quia quando aliquid prædicatur de aliquo, secundum quod est idem alteri, tunc necesse est, quod etiam prædicetur de illo; et inde sumuntur argumenta dialectica a genere et specie, sive ab inferiori et superiori. Quando vero aliquid prædicatur de aliquo, secundum quod differt ab altero, non oportet de altero vere prædicari; tunc enim est variatio medii et fallacia accidentis; sed tunc dicitur aliquid idem alteri, quando ratio unius est ratio alterius; dicitur autem aliquid ab aliquo differre, quando ratio unius non est ratio alterius. Unde manifestum est, quod quoties aliquid prædicatur de aliquo, ut de subjecto, id est tanquam superius de inferiori, quidquid per se dicitur de prædicato seu de superiori, dicitur etiam de subjecto, idest de inferiori; ut si homo dicitur de quodam homine, etiam animal, quod dicitur de homine, de quodam homine dicetur, et sic patet veritas regulæ. — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 6; *Opusc.* 39, c. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod regula Philosophi tenet in prædicabilibus per se. Cum ergo dicitur : essentia divina est paternitas, non prædicatur paternitas de essentia divina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei; et idem dico de hac propositione : filiatio est essentia divina, quia alia est ratio essentiæ, alia filiationis, et ideo in prædicto processu non servatur regula Philosophi, sed committitur fallacia accidentis. — *de Pot.* l. c.

Ad secundum dicendum, quod trinitas prædicatur de Deo, secundum quod supponitur pro tribus personis, atque adeo non secundum quod Deus est idem homini, et homo supponit pro persona filii, et ideo non sequitur, quod homo sit trinitas. — 3a, q. 16, a. 2, ad 2.

ARTICULUS VIII

UTRUM VERA SIT POSTERIOR REGULA ANTEPRÆDICAMENTALIS.

Videtur quod non sit vera posterior regula antepræ dicamentalis, quod diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ sunt differentiæ; subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias.

1. Quia sicut corpus pertinet ad substantiam et ad quantitatem, ita et corporeum; sed substantia et quantitas sunt genera diversa : ergo falsum est, quod dicitur in regula, quod diversorum generum non subalternatim positorum sunt semper differentiæ specie diversæ. — *Opusc.* 30, c. 3.

2. Præterea, ordo partium pertinet ad quantitatem, ad ubi et ad situm; sed hæc sunt genera diversa non subalternatim posita : ergo generum non subalter-

natim positorum possunt esse eædem differentiæ. — *Opusc.* 48, tract. 5, c. 17.

3. Præterea, acutum est differentia magnitudinis, dicitur enim angulus acutus vel stilus acutus; et est differentia saporis, dicitur enim sapor acutus; et vocis, dicitur enim vox acuta; sed magnitudo, sapor et vox spectant ad genera diversa non subalternatim posita: ergo generum non subalternorum possunt esse eædem differentiæ. — 7. *Phys.* l. 7.

4. Præterea, quæ conveniunt in differentia, conveniunt in specie, nam differentia cum genere constituit speciem, sicut forma cum materia constituit compositum; sed genus subalternum, cum respectu superioris habeat rationem speciei, non est idem specie cum illo, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8): ergo generum subalternorum non possunt esse eædem differentiæ. — 10. *Metaphys.* l. 10.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 3, 6. *Top.* c. 6, tradit prædictam regulam.

RESPONDEO DICENDUM, quod regula Philosophi vera est, si recte intelligatur. Cum enim Philosophus (6. *Top.* l. c.) doceat, quod genus aliquod dicitur subalternum alteri dupliciter: vel quia est sub illo contentum, vel quia utrumque est sub tertio, sensus regulæ est, quod generum neutro modo subalternorum non possunt esse eædem differentiæ; nam alioqui possunt esse eædem differentiæ divisivæ duorum generum sub uno genere contentorum; nam bipes est differentia animalis volatilis et animalis gressibilis, et ideo non omnis differentia proprium genus infert. Possunt autem duorum generum subalternorum esse eædem differentiæ, *primo* quia, quæ sunt differentiæ divisivæ generis superioris, eædem sunt constitutivæ inferioris. *Secundo* quia, quæ sunt divisivæ inferioris, saltem mediate dividunt superius; nam genus inferius nihil est aliud, quam genus superius cum differentiis additis. Unde Philosophus (7. *Metaphys. text.* 42; l. 6, c. 12), dicit, quod vera definitio explicans essentiam et substantiam rei est ex genere primo et differentiis. *Tertio* quia, quæ sunt constitutivæ superioris mediate, sunt etiam constitutivæ inferioris; sicut enim genus superius prædicatur essentialiter de inferiori, ita et prædicatur essentialiter differentia constitutiva talis generis; nam prædicatio generis tantum descendit, quantum descendunt differentiæ constituentes; et sic patet veritas regulæ prædictæ. — *Opusc.* 42, c. 8 et 9.

Ad primum ergo dicendum, quod aliter accipitur corpus, cum dicitur esse species quantitatis, et aliter, cum dicitur pars animalis; si enim accipitur corpus pro trina dimensione, est in genere quantitatis, si vero accipiatur pro subjecto ipsius quantitatis, sic est pars animalis. Potest etiam accipi pro composito ex anima et corpore, quod est subjectum trinæ dimensionis, et sic est species substantiæ. — l. c. in arg.

Ad secundum dicendum, quod non est idem ordo partium pertinens ad quantitatem, ad ubi et ad situm; nam ordo partium ad quantitatem spectans est ordo partium in toto, et dicitur positio, quæ est differentia quantitatis; unde talis ordo non est relatio de prædicamento relationis, quia differentia quantitatis non potest esse in alio prædicamento a quantitate, sed est relatio secundum dici; sicut dicimus, quod scientia est relatio vel relatum secundum dici. Ordo vero partium spectans ad prædicamentum situs est ordo partium locati diversarum ad diversas partes loci, manente eodem toto locato et toto loco; ordo vero partium spectans ad prædicamentum ubi, est ordo partium totius locati ad totum locum. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod acutum æquivoce dicitur de voce, magnitudine et sapore, ut dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 24; c. 4) et ideo non est eadem differentia generum diversorum non subalternorum. — l. c. in arg.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc, quod aliqua duo sint eadem specie, requiritur, ut immediate constituantur et adæquate per unam et eamdem differentiam, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 24; l. 9, c. 8, quomodo se habere non possunt duo genera subalterna; nam differentia inferioris, ut dicitur ibidem, est extra rationem generis superioris, sed alio modo, ut dictum est, dicuntur esse eædem differentiæ duorum generum subalternorum. — l. c. in arg.

QUÆSTIO IX

DE PRÆDICAMENTIS IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de prædicamentis, et primum de prædicamentis in communi, deinde de iisdem in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR NOVEM :

1. Utrum tractatio prædicamentorum pertineat ad logicum.
2. Utrum ens sit genus ad decem prædicamenta.
3. Utrum prædicamenta sint decem.
4. Utrum prædicamenta inter se distinguantur realiter.
5. Utrum Deus sit in aliquo genere, puta in prædicamento substantiæ.
6. Utrum Angeli sint in prædicamento substantiæ.
7. Utrum cœli sint in prædicamento substantiæ.
8. Utrum partes substantiarum sive essentiales sive integrales, sint in prædicamento substantiæ.
9. Utrum accidentia ponantur in prædicamentis in concreto, an in abstracto.

ARTICULUS I

UTRUM TRACTATIO PRÆDICAMENTORUM PERTINEAT AD LOGICUM.

Videtur quod tractatio prædicamentorum non pertineat ad logicum.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 2 et 3 ; l. 3, c. 2), quod metaphysici est agere de omnibus entibus et de speciebus entis ; at entia et species entium decem prædicamentis comprehenduntur; unde a Philosopho (6. *Metaphys. text.* 4 ; l. 5, c. 2) ens in illa dividitur tanquam in membra adæquate ipsum continentia : ergo tractatio prædicamentorum non spectat ad logicum. — Sed dices, quod ad logicum spectant prædicamenta, secundum quod substant entibus rationis, quomodo non spectant ad metaphysicum, cum hic illa consideret, ut sunt entia naturæ. — 4. *Metaphys.* l. 1 ; 6. *Metaphys.* l. 2.

2. Sed contra, agere de entibus naturæ seu de prædicamentis, ut substant entibus rationis pertinet ad Sophisticam et Dialecticam, ut dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 5 ; l. 3, c. 2) ; sed Dialectica et Sophistica sunt scientiæ distinctæ a Logica, ut dictum est : ergo doctrina prædicamentorum non spectat ad logicum. — 4. *Metaphys.* l. 4 ; *Opusc.* 42, c. 4 ; v. supra, *q.* 1, a. 2 et 3.

3. Præterea, prædicamenta sunt simplices termini ; sed de his sufficienter agitur in libris Perihermenias et Priorum : ergo tractatio illorum saltem non pertinebit ad peculiarem partem Logicæ. — 1. *Periherm.* l. 1 ; 1. *Poster.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus inter alia opera logica composuit etiam librum Prædicamentorum.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, tractationem prædicamentorum ad Logicam pertinere. Cujus ratio manifesta est ex dictis ; nam cum Logica dicatur rationalis scientia non solum ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod est circa actus rationis, sicut circa propriam materiam, necesse est, quod ejus consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres operationes intellectus dirigendas, et præcipue ad primam, quippe quæ supponitur cæteris et ad illas ordinatur. Hujusmodi autem sunt ea, quæ simplici intellectu concipiuntur, quæ prædicamenta dicuntur; sicut ob eamdem rationem versatur circa enuntiationem et syllogismum, quæ pertinent ad directionem secundæ et tertiæ operationis. — l. c.

Ad primum ergo dicendum, quod quia logicus non coniderat naturas rerum, sed modum prædicandi, atque adeo res, ut sunt in ratione; contra metaphysicus considerat naturas rerum secundum se, ut entia naturæ sunt, unde in Metaphysica dicit Philosophus, quod substantia non prædicatur de subjecto, cujus oppositum dixerat in *Prædicam.* c. 5, quia nimirum in Logica considerat substantiam, ut est in ratione, seu ut substat intentioni rationis ; quomodo sumptæ una proprietas inter alias est, prædicari de multis ; in Metaphysica vero considerat substantiam secundum se, quomodo proprie non est prædicabilis, quia ut sic eadem est, quod substantia prima, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur ; — propterea prædicamenta vario modo considerata ad logicum et ad metaphysicum spectant; nam spectant ad logicum, ut substant en-

tibus rationis, ad metaphysicum vero, ut sunt entia naturæ. — 4. *Metaphys.* l. 4; 7. *Metaphys.* l. 13, et 17; *Opusc.* 42, c. 7 et 9.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter considerari possunt entia naturæ, ut substant secundis intentionibus, seu ipsæ secundæ intentiones: uno modo, ut de illis demonstrative instituitur modus arguendi scientifice seu gignendi scientiam, et hoc modo spectant ad partem Logicæ demonstrativam seu ad Logicam. Alio modo, in quantum de illis instituitur modus arguendi sophistice et topice, seu gignendi opinionem et errorem, et hoc modo spectant ad scientiam topicam et sophisticam. — 4. *Metaphys.* l. 4; 1. *Poster.* l. 4.

Ad tertium dicendum, quod simplices termini tripliciter considerari possunt: *primo* secundum quod absolute significant simplices intellectus, et sic eorum consideratio pertinet ad librum Prædicamentorum. *Alio* modo secundum rationem, prout sunt partes enuntiationis, et sic determinatur de illis in lib. Periherm. Et ideo traduntur sub ratione nominis et verbi, de quorum ratione est, quod significent aliquid cum tempore vel sine tempore, et alia hujusmodi, quæ pertinent ad rationem dictionum, secundum quod constituunt enuntiationem. *Tertio* secundum quod ex eis constituitur ordo syllogisticus, et sic determinatur de illis sub ratione terminorum in lib. Priorum. — 1. *Periherm.* l. 1.

ARTICULUS II

UTRUM ENS SIT GENUS AD OMNIA PRÆDICAMENTA.

Videtur quod ens sit genus ad omnia prædicamenta.

1. Quia, ut argumentatur Philosophus (11. *Metaphys. sum.* 1, c. 1; l. 10, c. 1,) illud est genus, quod est naturaliter primum, quo scilicet interempto cætera interimuntur; sed interempto ente interimuntur omnes naturæ rerum: ergo ens est genus ad omnia prædicamenta. — 11. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 3, l. 3; c. 2), quod omnia entia sunt unius generis; sed hoc non est verum, nisi ens sit genus: ergo. — 4. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, una scientia est unius generis (1. *Poster. text.* 43; c. 32); sed Metaphysica, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2; 6. *Metaphys. text.* 4; l. 5, c. 2; 11. *Metaphys. sum.* 2, c. 1; l. 10, c. 3, est una scientia: ergo erit unius generis, et per consequens ens, quod est ejus objectum, ut dicitur ibidem, erit genus. — 1. *Poster.* l. 41; 4. *Metaphys.* l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3.

4. Præterea, illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, est genus, ut dictum est supra q. 3. a. 1; sed ens prædicatur in quod quid est de pluribus differentibus specie, ut patet: ergo ens est genus. — *de Verit.* q. 1, a. 1, c.

5. Præterea, dicit Avicenna, quod quia omnes conceptiones entium resolvuntur ad ens in communi, ut ad quid notissimum, necesse est, quod omnes aliæ conceptiones accipiantur ex additione ad ens; sed quidquid additur alteri, vel additur tanquam accidens subjecto, vel tanquam differentia generi: ergo cum entia particularia non addant enti primo modo, ut patet, addent secundo modo, et sic ens erit genus. — *de Verit.* q. 1, a. 1, c.

6. Præterea, si ens non est genus, vel est *primo*, quia non dicit unam naturam absolute, sicut dicit animal, quod est genus; vel *secundo*, quia genus dicit quidditatem distinctam ab esse, ut dicit Avicenna; vel *tertio*, quia genus habet differentias, quæ sunt extra rationem ipsius, ens autem involvitur in omnibus differentiis, ut dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3); sed nullum horum impedit. Non *primum*, quia genus, ut dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 32; c. 4), non est unum simpliciter, sed dicit immediate plures naturas, quod præsertim verum est in substantia, prout est communis spirituali et corporeæ, et corpori, prout est genus ad corpora sublunaria et cœlestia; neque *secundum*, quia Deus est in genere substantiæ, ut patet ex Philosopho (4. *Top.* c. 3, et 12, *Metaphys. text.* 50; l. 11, c. 8), ubi deos vocat primas substantias, et tamen non habet quidditatem distinctam ab esse, ut infra dicendum est; neque *tertium*, quia differentiæ substantiæ, quæ est genus,

sunt substantiæ, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3) : ergo ens est genus. — *Opusc.* 42, c. 7, et 5; 1a, q. 3, a. 3, 4, 5; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2; 3. *Metaphys.* l. 8; 7. *Phys.* l. 8; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4, arg. 5; *de Pot.* q. 7, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

Sed contra est, quod Philosophus pluribus in locis docet et probat impossibile esse, quod ens sit genus entium, ut 3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3; 8. *Metaphys. text.* 15; l. 7, c. 6; 11. *Metaphys. sum.* 1, c. 1; l. 10, c. 2; 2. *Poster. text.* 7; c. 7.

RESPONDEO DICENDUM, quod impossibile est, quod ens sit genus ad decem prædicamenta, ut locis citatis multipliciter probat Philosophus. Et *primo* quidem, quia omne genus contrahitur ad speciem per differentias, quæ non participant genus, sed sunt extra essentiam illius; nihil autem potest esse extra essentiam entis, quod per additionem ad ens aliquam speciem entis constituat; nam quod est extra ens, nihil est, et non ens; non ens autem non potest esse differentia. — *Secundo* quia, cum genus ingrediatur definitionem rei, si ens esset genus, deberet poni in definitione cujuslibet rei definibilis; non autem ponitur, sicut nec ullum transcendens, quia sequeretur ens bis poni in definitione; nam ponetur semel in se, et semel in differentia, quia nulla differentia potest esse non ens. — 1a, q. 2, a. 5, c.; 1. *c. Gent.* c. 25; *Opusc.* 42, c. 1; 5. *Metaphys.* l. 22 et 9; 8, *Metaphys.* l. 5.

Tertio quia de ratione generis est, ut sit quid univocum illis, de quibus prædicatur ut dicitur 4. *Top.* c. 3, et in *Prædicam.* c. 5; ens autem non est univocum, sed analogum decem prædicamentis, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2, et 11. *Metaphys. sum.* 2. c. 1; l. 10, c. 3, multipliciter enim dicitur et non secundum unam rationem. Et ob eamdem rationem ens non est universale, de cujus ratione est univocatio, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 6; l. 3. c. 2; 1. *Ethic.* c. 6; 1. *Poster. text.* 25; c. 10. *Quarto*, ens per prius dicitur de substantia quam de accidente; nam de accidente prædicatur per ordinem ad substantiam, quatenus scilicet, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2, est passio substantiæ; non est ergo ens genus; nam hoc æqualiter dicitur de suis speciebus. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1. a. 5, arg. 3; *Quodl.* 2, a. 3; 1. *Periherm.* l. 8; *Opusc.* 42, c. 9; 4. *Metaphys.* l. 1 et 4; 11. *Metaphys.* l. 3; 1. *Poster.* l. 19.

Quinto probatur ab Avicenna (*Metaphys.* tract. 5, c. 4 et tract. 9, c. 1), quia cum genus prædicetur in eo quod quid, necessario debet de illis, de quibus prædicatur, dicere quidditatem, de cujus intellectu non est esse; nam quidditas generis non communicatur secundum unum esse omnibus, cum unicuique sit suum esse distinctum ab esse alterius, sed solum secundum unam communem rationem; ens autem non dicit quidditatem, significat enim esse, quod nulli potest esse substantia, ut dicit Philosophus (2. *Poster. text.* 7; c. 7), unde et sumitur ab actu essendi, ut dicit Avicenna (*Metaphys.* tract. 1) : ergo dicendum est, quod ens non est genus. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2, arg. 2 *Sed contra* et ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc argumentum affertur a Philosopho pro ratione dubitandi; nam immediate subdit rationem veram in contrarium, qua etiam usus est alibi, ut 3. *Metaphys.* ad probandum ens non esse genus ex qua potest solvi ratio facta. Nam major propositio vera est, si alia, quæ dicunt ordinem ad primum, illi addantur eo modo, quo differentiæ adduntur generi, secus autem, si addantur ut exprimentia modum specialem entis, qui non exprimitur nomine entis, ut contingit in proposito. — l. c. in arg.; *de Verit.* q. 1, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod omnia entia dicuntur esse unius generis, quia resolvuntur in ens, quod est aliquo modo genus, non quidem univocum, ut expresse docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 33; l. 4. c. 28), sed analogum, ut dicit 11. *Metaphys. sum.* 2, c. 1, l. 10, c. 3. — Vel dic, quod duplex est genus, unum est subjectum scibile, aliud est genus prædicamentale; et illud quidem potest esse analogum. Nam ens est subjectum Metaphysicæ, ut dicitur 4. *Metaphys.*, et tamen est analogum, ut dicitur ibidem; et præterea docet Philosophus, quod subjectum et medium demonstrationis potest esse analogum (2. *Poster. text.* 23, 25, 26; c. 14. sq.) :

hoc vero debet esse univocum, ut dicitur 4. *Top.* c. 3. Cum ergo dicit Philosophus, quod omnia entia sunt unius generis, sumit genus primo modo. — 4. *Metaphys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 22; 11. *Metaphys.* l. 3; 1. *Poster.* l. 15, 17, etc.

Ad tertium dicendum, quod ad unitatem scientiæ requiritur unitas generis scibilis, ut dicitur 1. *Poster. text.* 43, c. 32 et 2. *Poster.* l. c.; non autem semper generis prædicabilis. — Il. proxime cit.

Ad quartum dicendum, quod de ratione generis prædicabilis est, ut sit quid univocum, ut dicit Philosophus 4. *Top.;* ens autem non est univocum, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter potest aliquid alteri addi. *Uno* modo, tanquam extranea natura, et hoc dupliciter contingit, vel eo modo, quo differentia additur generi, vel quo accidens subjecto, et hoc modo non potest fieri additio enti; nam quælibet natura est essentialiter ens. *Alio* modo, quatenus id, quod additur, exprimit specialem modum ejus, cui additur, qui non explicatur nomine illius, et hoc modo entia particularia addunt enti; nam exprimunt specialem modum entis, qui non exprimitur nomine entis. Sunt enim diversi gradus entitatis, secundum quos accipiuntur diversi modi essendi; et juxta hos modos accipiuntur diversa genera rerum; substantia enim non addit supra ens aliquam differentiam, quæ significet aliquam naturam superadditam enti, sed nomine substantiæ exprimitur quidam specialis modus essendi, scilicet per se, et ita est in aliis generibus. — *de Verit.* q. 1, a. 1.

Ad sextum dicendum, quod ens non est genus propter illas rationes adductas etiam in objectione. Unde ad instantiam contra *primam rationem* dicendum, quod genus est duplex, physicum et logicum, et illud quidem debet firmari in natura aliquo modo una, puta in una materia, ex qua sumitur; ad hoc vero sufficit, quod fundetur in natura una per rationem, ut dictum est; ens vero neutro modo dicit unam naturam. Nam sub se comprehendit naturas æternas et corruptibiles, quibus non datur aliquod genus physicum commune, ut dictum est; et cum non possit habere differentias, per quas contrahatur, non potest esse genus logicum, ut dictum est. — Ad instantiam contra *secundam rationem* dicendum, quod Philosophus loquitur ex sententia antiquorum, quam sententiam refert et reputat tanquam fabulam. — Ad *tertiam instantiam* dicendum, quod nomen substantiæ dupliciter potest sumi, *uno* modo late, ut dicitur de substantiis secundis, puta de genere et specie, et de substantia prima, seu de subjecto, et de differentia, et hoc modo sumitur nomen substantiæ 3. *Metaphys. Alio* modo potest sumi presse, ut dicitur tantum de contentis in recta linea prædicamentali, quomodo sumitur in divisione prædicamentali, et hoc modo differentia non est substantia, ut dicit Philosophus 8. *Metaphys. text.* 6; l. 7, c. 2, sed tantum proportionaliter substantia, quia nimirum non cadit in ordine prædicamentali, nisi sicut principium formale generis, speciei et individui, non autem sicut unum horum trium. — V. s. q. 2, a. 3, ad 2 et q. 8, a. 3, arg. 1; 12. *Metaphys.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 2; 8. *Metaphys.* l. 2.

ARTICULUS III

UTRUM PRÆDICAMENTA SINT TANTUM DECEM.

Videtur quod prædicamenta sint plura, quam decem.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Top.* c. 15), quod quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et alterum; sed substantia et accidens opponuntur; nam opponuntur secundum affirmationem et negationem, idest secundum esse in subjecto, et non esse in subjecto : ergo quot modis dicitur accidens, tot modis dicetur et substantia, et per consequens sicut accidens dividitur in novem prædicamenta, ita et substantia, et sic prædicamenta erunt plura quam decem. — 2a 2æ, q. 92, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, ita se habet agere ad pati, sicut habere ad haberi; sed agere et pati constituunt duo prædicamenta : ergo et habere et haberi, et sic erunt prædicamenta plura quam decem. — 5. *Metaphys.* l. 20; 1a 2æ, q. 49, a. 1, c.

3. Præterea, sicut homo dicitur habere vestimentum, ita dicitur habere quantitatem, qualitatem et alia accidentia, ut dicit

Philosophus (5. *Metaphys. text.* 28; l. 4, c. 23); sed habere vestimentum constituit unum prædicamentum : ergo et habere quantitatem constituet aliud, et sic erunt plura prædicamenta quam decem. — Il. cit.

4. Præterea, cum habitus sit medius inter habentem et vestimentum, quod habetur, multo magis et verius habens dicitur habere habitum, quam vestimentum; sed ex eo, quod habet vestimentum, constituitur unum prædicamentum : ergo et constituetur aliud ex eo, quod habet habitum, et sic prædicamenta erunt plura. — 5. *Metaphys.* l. 20.

5. Præterea, ordo ad locum constituit duo prædicamenta, ubi et situs; sed eadem videtur ratio esse ordinis ad tempus : ergo et hic ordo constituet duo alia prædicamenta. — 3. *Phys.* l. 5.

6. Præterea, causalitas agentis constituit unum prædicamentum; sed non minus id possunt causalitates aliarum causarum : ergo juxta numerum causarum erunt plura prædicamenta, et sic erunt plura quam decem. — l. c.

7. Præterea, sicut homo dicitur vestitus, calceatus, armatus, ita et alia animalia dicuntur armata, ut equus phaleratus, vel sellatus; sed esse vestitum respectu hominis constituit prædicamentum habitus : ergo et esse vestitum respectu animalium constituet aliud prædicamentum. — l. c.

8. Videtur quod prædicamenta sint pauciora quam decem. Quia Philosophus (5. *Metaphys. text.* 13; l. 4, c. 7) dividit ens in duo membra tantum, in ens secundum se et secundum accidens : ergo duo tantum sunt prædicamenta. — 5. *Metaphys.* l. 9; *Opusc.* 42, c. 3.

9. Præterea, actio et passio conveniunt in una substantia motus et sunt unus motus numero; sed motus non constituit ullum prædicamentum, nam reducitur ad prædicamentum termini : ergo nec actio nec passio constituent prædicamentum distinctum, et sic erunt pauciora quam decem. — Sed dices, quod licet idem realiter sint actio et passio et motus, differunt tamen inter se ratione, et hoc sufficit ad diversitatem prædicamentorum. — 1a, q. 28, a. 3, ad 1 et q. 41, a. 1, ad 2 et, q. 45, a. 2, ad 2, a. 3, c.; 2a 2æ, q. 30, a. 3, c.; 11. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 5.

10. Contra, quæ differunt ratione, non sunt genera diversa rerum; sed prædicamenta sunt diversa genera rerum : ergo actio et passio vel plus quam ratione differunt, vel non constituunt duo prædicamenta, et sic erunt pauciora quam decem. — 3. *Phys.* l. 5.

11. Præterea, ubi, quando, situs et habitus non distinguuntur a relatione; nam quando consistit in relatione ad tempus; ubi vero ad locum; positio autem ordinem partium importat; et habitus relationem habentis ad habitum; sed relatio unum tantum prædicamentum constituit, : ergo et illa erunt unum prædicamentum. — 5. *Metaphys.* l. 17; 11. *Metaphys.* l. 12; 5. *Phys.* l. 3.

12. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 5; c. 1), quod mutatio non est nisi ad substantiam, quantitatem, et qualitatem, et locum, quia motus non est præter res; nihil autem est in rerum natura præter prædicta quatuor; unde subdit : tot ergo erunt species mutationis, quot entis; sed si dantur decem prædicamenta, species entis erunt plures, quam quatuor prædictæ : ergo prædicamenta sunt pauciora decem. — 3. *Phys.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7) enumerat tantum decem prædicamenta. — 5. *Metaphys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod prædicamenta sunt tantum decem. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod aliter dividitur æquivocum et univocum et analogum. Æquivocum enim dividitur secundum res significatas; univocum vero dividitur secundum differentias, quæ sunt extra rationem ejus, quod per illas dividitur; sed analogum dividitur secundum diversos modos. Quoniam ergo ens, ut dictum est, non est genus ad omnia entia, sed est analogum, ideo non potest in illa dividi nisi secundum modos. Dividitur autem proxime et immediate secundum diversos modos essendi, remote vero et mediate secundum diversos modos prædicandi; nam hi consequuntur illos, quia ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7), quot modis aliquid prædicatur, tot etiam modis significatur aliquid esse. Prædicando enim aliquid de aliquo dicimus, esse hoc illud; unicuique

enim modo prædicandi respondet proprium esse significatum; unde et genera entis dicuntur prædicamenta; quia ergo decem tantum modis potest aliquid prædicari de aliquo, decem tantum sunt prædicamenta. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, ad 2; 3. *Phys.* l. 5; 11. *Metaphys.* l. 9; *de Verit.* q. 21, a. 1, c.; *Opusc.* 42, c. 3 et 22.

Quod autem decem tantum sint prædicandi modi, nec plures, nec pauciores, ex hoc manifestari potest, quod prædicatum ad subjectum tripliciter se habere potest. *Uno* modo, cum est id, quod est subjectum, seu quando de aliquo subjecto prædicatur id, quod pertinet ad essentiam ejus, ut cum dico, Socrates est homo, Socrates est animal; nam vere Socrates est id, quod est homo, et quod est animal; et secundum hoc accipitur prædicamentum substantiæ. *Secundo* modo, ut prædicatum sumatur secundum quod inest subjecto, seu secundum quod non est de essentia illius; quod quidem prædicatum vel inest subjecto per se et absolute, ut consequens materiam, et sic est quantitas; nam quantitas consequitur materiam, unde et Plato posuit magnum ex parte materiæ; vel ut consequens formam, et sic est qualitas, unde et qualitates fundantur super quantitate, sicut color in superficie, et figura in lineis; vel inest ei non absolute, sed in respectu ad aliud, et sic est ad aliquid seu relatio. *Tertio* modo, ut prædicatum sumatur ab eo, quod est extra subjectum, et hoc dupliciter: *uno* modo, quando est omnino extra subjectum, et tunc — vel hoc non est mensura subjecti, et est prædicamentum habere; nam prædicatur de subjecto per modum habitus, ut cum dicitur: Socrates est calceatus vel vestitus; hoc enim prædicamentum specialiter respicit solos homines, et alia animalia solum secundum quod veniunt in usum hominum; — vel est mensura, et sic, si est mensura quantitatis subjecti, est ubi; si est mensura corporis secundum ordinem partium, est situs; si est mensura durationis rei, est quando. *Alio* modo, quando id, a quo sumitur prædicatum, secundum aliquid est in subjecto, et sic, si est principium, est actio; nam principium actionis est in subjecto; si secundum finem et terminum, est passio; nam hæc terminatur ad subjectum. Unde manifestum est, quod decem tantum sunt prædicamenta. — 3. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod regula illa tenet tantum in oppositis, in quibus est eadem ratio multiplicationis, quo modo non sunt substantia et accidens.

Ad secundum dicendum, quod habitus non constituit unum prædicamentum, quatenus est actio vel passio; nam licet posset significari per modum actionis et passionis, non tamen est actio vel passio; sed quatenus est quoddam medium inter habentem et id, quod habetur, prout unum est ornans et tegens, et aliud ornatum et tectum, quomodocumque significetur tale medium, vel ut actio, cum dicitur habere, procedendo scilicet ab homine ad vestem; vel ut passio, procedendo e contra, cum dicitur haberi; et sic non est simile de habere et haberi ad agere et pati. — 5. *Metaphys.* l. 20; 1a 2æ, q. 49, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod habere multipliciter sumitur, sed duobus præcipue modis, ut patet ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 28; l. 4, c. 23). *Uno* modo, secundum quod dicitur respectu cujuscumque, quod habetur, sive illud sit quantitas sive qualitas, et hoc modo non constituit peculiare prædicamentum, sed est commune ad diversa prædicamenta; unde Philosophus ponit illud inter postprædicamenta, quæ scilicet diversa genera consequuntur, ut sunt opposita, prius et posterius et similia. *Alio* modo sumitur habere magis proprie, secundum quod constituit prædicamentum habitus, et hoc modo non se extendit ad quantitatem, qualitatem et similia accidentia intrinseca inhærentia subjecto, sed solum ad indumentum extrinsecus adjacens homini; nam habere sic sumptum est medium inter habentem et id, quod habetur, non quidem ut actio vel passio, sed per modum actionis vel passionis, prout scilicet unum est, ut dictum est, ornans et tegens, et aliud ornatum et tectum. At inter habentem quantitatem vel qualitatem, et ipsam quantitatem vel qualitatem et similia accidentia nihil datur medium; et propterea habere ista non constituit prædicamentum distinctum a prædicamentis habentis et habiti; secus vero habere in-

dumentum, quia est medium inter hominem et indumentum, constituit prædicamentum distinctum ab aliis. — II. cit.

Ad quartum dicendum, quod quamvis habitus intelligatur medius esse inter hominem et vestem, non tamen, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 25; l. 4. c. 20) contingit inter ipsum habitum et habentem esse aliud medium, quasi adhuc sit alius habitus medius inter habentem et ipsum medium habitum; nam sic procederetur in infinitum, sed illum habitum rei habitæ non habet homo alio habitu, sicut homo faciens facit factum factione media. Et propter hoc relationes, quibus subjectum refertur ad aliud, non referuntur ad subjectum aliqua alia relatione media, nec etiam ad oppositum; sicut paternitas neque ad patrem, neque ad filium refertur aliqua alia relatione media, et si aliquæ aliæ relationes mediæ dicantur, sunt rationis tantum et non rei. — 5. *Metaphys.* l. 20.

Ad quintum dicendum, quod non fuit necessarium addi aliud prædicamentum ex parte temporis; nam ordo partium in tempore in ratione temporis importatur; est enim tempus numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — 3. *Phys.* l. 5.

Ad sextum dicendum, quod ex quatuor causarum generibus duo sunt, quæ sunt partes essentiæ, materia scilicet et forma; inde prædicatio, quæ posset fieri secundum hæc duo, pertinet ad prædicamentum substantiæ, ut si dicamus, quod homo est rationalis, et quod est corporeus. Causa autem finalis non causat seorsum aliquid ab agente; in tantum enim finis habet rationem causæ, in quantum movet agens; quare relinquitur sola causa agens, a qua potest aliquid denominari sicut ab exteriori, et ideo ab illa sumitur prædicamentum passionis. Nam pati nihil est aliud, quam suscipere aliquid ab agente; secundum quod autem contra denominatur causa agens ab effectu, est prædicamentum actionis; nam actio est actus ab agente in aliud. — l. c.

Ad septimum dicendum, quod prædicamentum habitus significat aliquid speciale tantum in hominibus; nam in aliis animalibus natura dedit sufficienter ea, quæ ad conservationem vitæ pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum et pilosum ad tegendum, ungulas vel aliquid hujusmodi ad incedendum sine læsione. Unde cum alia animalia dicuntur armata, vel vestita, vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus; unde hoc refertur in his ad prædicamentum substantiæ, ut puta, si dicatur, quod homo est manuatus vel pedatus; sed hujusmodi non poterant dari homini a natura, tum quia non conveniebant subtilitati complexionis ejus, tum propter multiformitatem operum, quæ conveniunt homini in quantum habet rationem, quibus aliqua determinata instrumenta accommodari non poterant a natura; sed loco omnium inest homini ratio, qua sibi exteriora præparat loco horum, quæ aliis animalibus intrinseca sunt. Unde cum homo dicitur armatus, vel vestitus, vel calceatus, denominatur ab aliquo externo, quod non habet rationem causæ neque mensuræ, unde est speciale prædicamentum, et dicitur habitus. Sed attendendum est, quod etiam aliis animalibus hoc prædicamentum attribuitur, non secundum quod in sua natura considerantur, sed secundum quod in hominis usum veniunt, ut si dicamus equum phaleratum, vel sellatum, vel armatum, et propterea non nisi unum prædicamentum habitus datur. — l. c.

Ad octavum dicendum, quod divisio entis in secundum se et secundum accidens non est eadem cum divisione entis in substantiam et accidens, seu in decem prædicamenta. Quod patet dupliciter, tum quia Philosophus postea ens secundum se dividit in decem prædicamenta, quorum novem sunt de genere accidentis; tum quia divisio entis in secundum se et secundum accidens attenditur, secundum quod aliquid prædicatur de aliquo per se vel per accidens, seu secundum comparationem accidentis ad substantiam; divisio vero entis in substantiam et accidens attenditur secundum hoc, quod aliquid in natura sua est substantia vel accidens, seu secundum absolutam considerationem entis. — II. cit. in arg.

Ad nonum dicendum, quod prædicamenta diversificantur secundum diversos

modos prædicandi; unde idem secundum quod diversimode de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet. Locus enim secundum quod prædicatur de locante, pertinet ad genus quantitatis; secundum quod vero prædicatur de locato, constituit prædicamentum ubi, et similiter est in motu; nam secundum quod prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis; secundum quod vero prædicatur de eo, a quo est, constituit prædicamentum actionis.— 11. *Metaphys.* l. 9.

Ad decimum dicendum, quod licet motus sit unus, tamen prædicamenta, quæ sumuntur secundum motum, sunt duo, secundum quod a diversis rebus exterioribus fiunt prædicabiles denominationes; nam alia res est agens, a qua sicut ab exteriori sumitur per modum denominationis prædicamentum passionis, et alia res est patiens, a qua denominatur agens; pati enim nihil est aliud quam suscipere aliquid ab agente, agere vero est actus ab agente in aliud. — 3. *Phys.* l. 5.

Ad undecimum dicendum, quod cum prædicamenta ubi, situs et habitus sumantur a rebus exterioribus, ut dictum est, dicuntur consistere in relatione, non quia formaliter sint relationes; nam « quando » formaliter nihil est aliud quam tempus, ut denominat extrinsece res motui subjectas, et ubi et situs sunt locus, ut extrinsece denominant locatum et ejus partes; — sed quia vel tales relationes supponuntur, ut est in ubi, vel importantur in ratione prædicamenti, ut in tempore, tempus enim est numerus secundum prius et posterius, et in habitu, habitus enim importat habitudinem indumenti ad indutum, et in situ, hic enim supra ubi non addit nisi relationem partium ad invicem. — 11. *Metaphys.* l. 9 et 12; 2. *c. Gent.* c. 13, n. 2.

Ad duodecimum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod quatuor sunt tantum species mutationis per se acquisitivæ termini; nam ad relationem non est per se motus, sicut nec ad alia prædicamenta, præter prædicta quatuor, sicut et illa sunt entia per se intenta a natura; et hoc patet manifeste ex eo, quod Philosophus in 3. *Phys. text.* 21; c. 2 concedit, motum esse in prædicamento actionis et passionis, licet ad illa non terminetur per se, ut docet idem Philosophus 5. *Phys. text.* 10; c. 3. 5. *Phys.* l. 3.

ARTICULUS IV

UTRUM PRÆDICAMENTA INTER SE REALITER DISTINGUANTUR.

Videtur quod prædicamenta inter se realiter distinguantur.

1. Quia prædicamenta sunt diversa genera rerum; sed diversæ res realiter distinguuntur : ergo prædicamenta realiter inter se distinguuntur. — 3. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, diversitas rationis, si non habet sibi respondentem diversitatem in re, non causat nisi diversitatem nominum synonymorum; sed nomina significantia diversa prædicamenta non sunt synonyma, ut patet : ergo. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 3, arg. 4.

Sed contra est, quod Philosophus) 3. *Phys. text.* 22; c. 2 et 11. *Metaphys. sum.* 4, c. 1; l. 10, c. 9) dicit, quod actio et passio sunt idem motus; ergo non omnia prædicamenta saltem realiter inter se distinguuntur. — 3. *Phys.* l. 5; 11. *Metaphys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod non est necesse ponere omnia prædicamenta distincta realiter inter se. — Cujus ratio patet ex dictis; nam cum prædicamenta diversificentur secundum diversos modos prædicandi, ut patet ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7), potest idem, secundum quod diversimode de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinere; sic locus, secundum quod de locante prædicatur, pertinet ad genus quantitatis; secundum quod autem prædicatur denominative de locato, constituit prædicamentum ubi. Et ex his patet ad argumenta. — Il. cit. et 5. *Metaphys.* l. 9.

Circa secundum et tertium articulum nota, quod distinctio prædicamentorum, licet immediate sumatur a modis prædicandi, mediate tamen sumitur a modis intelligendi, et hi sumuntur a modis essendi, ut ait S. Doctor. Cum enim prædicari sit actus intellectus componentis et tribuentis prædicatum subjecto per secundam operationem, necessario supponit primam, per quam intelliguntur significata simplicium

terminorum, et ideo modi prædicandi supponunt modos intelligendi, et in eis fundantur, quia sicut intellectus apprehendit, ita enuntiat vel affirmative vel negative. Modi autem intelligendi sumuntur a modis essendi, non ita tamen, quod diversis modis prædicandi semper et necessario respondeant diversæ res habentes diversos modos essendi (nam actio et passio ex parte motus, quem dicunt, non sunt res distinctæ), sed vel quia oportet esse plures modos essendi in natura ad hoc, quod habeantur distincta prædicamenta (nisi enim esset substantia distincta ab accidente, non haberetur tanta diversitas prædicamentorum); vel quia oportet illam entitatem, quæ habet diversos modos intelligendi et prædicandi, esse talem, ut secundum se possit correspondere pluribus conceptibus, qui de ea fiunt, ita ut plures modi intelligendi et prædicandi fundati in ea non sint vani et cassi; et hoc modo dicuntur modi prædicandi sumi a modis essendi, quia scilicet est fundamentum in re talium modorum. Vide Soncinatem, *Metaphys.* l. 5, q. 3; Ferrariensem, *Phys.* l. 3, q. 5; Javellum, *Metaphys.* l. 5, q. 18; Herveum, *Quodl.* 1, q. 9, ubi addit posse dici prædicamenta realiter distingui, et consequenter significare res realiter distinctas, quia nimirum vel significant res realiter distinctas, ut substantia, quantitas, qualitas, vel important res realiter distinctas, ut actio, passio, ubi.

ARTICULUS V

UTRUM DEUS SIT IN GENERE.

Videtur quod Deus sit in aliquo genere.

1. Cum enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 15 et 31; l. 4, c. 8 et 26; 7. *Metaphys. text.* 2; l. 6, c. 1; 1. *Ethic.* c. 6, al. 4) distinxisset ens in decem prædicamenta, inter exempla contentorum sub prædicamento substantiæ ponit hominem et Deum: ergo Deus est in aliquo genere. — 5. *Metaphys.* l. 10 et 21; 7. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, unumquodque mensuratur per aliquid sui generis, ut dicit Philosophus 10. (*Metaphys. text.* 7; l. 9, c. 2); sed Deus est mensura omnium substantiarum, ut dicit Commentator ibidem: ergo. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2, arg. 3; 1a, q. 3, a. 5, arg. 2; *de Pot.* q. 7, a. 3, arg. 7.

3. Præterea, cui convenit ratio generis substantiæ, est in genere substantiæ; sed Deo maxime convenit ratio substantiæ, quæ est non esse in subjecto, sed esse ens per se: ergo Deus est in genere substantiæ. — *de Pot.* q. 7, a. 3, arg. 4.

4. Præterea, de quo dicitur species, dicitur et genus; sed de Deo dicitur species qualitatis, puta cognitio et scientia, et sapientia et similia: ergo et eorum genus, et consequenter Deus secundum sua attributa erit in aliquo genere. — Sed dices, quod prædicta in Deo remanent secundum rationem speciei, non autem secundum rationem generis. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 3, arg. 1.

5. Sed contra, hæc propositio est immediata: nulla substantia est qualitas; ergo et hæc: nulla substantia est scientia, et contra; ergo si scientia est in Deo secundum rationem speciei, est etiam secundum rationem generis, et sic Deus erit in aliquo genere. — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 1; 1. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, ad 5.

6. Præterea omne, quod prædicatur de aliquo in eo quod quid, et est in plus, vel se habet ad ipsum sicut species, vel sicut genus; sed omnia, quæ prædicantur de Deo, prædicantur in eo quod quid; nam omnia prædicamenta cum in divinam prædicationem venerint, in substantiam vertuntur, ut dicit Boethius in lib. *de Trinit.*; patet etiam, quod non soli Deo conveniunt sed etiam aliis, et ita sunt in plus: ergo. — *de Pot.* q. 7, a. 3, arg. 6.

7. Præterea, Christus est in prædicamento substantiæ, cum sit sub specie hominis sicut Petrus; sed Christus, cum sit persona increata, est Deus: ergo Deus est in prædicamento substantiæ. — 3a, q. 2, a. 3, arg. 3; 3. *Sent.* dist. 6, q. 1, a. 1, arg. 2.

Sed contra, 1. genus est prius secundum intellectum eo, quod in genere continetur; sed nihil est prius Deo, nec secundum rem, nec secundum intellectum: ergo Deus non est in ullo genere. — 1a p. q. 3, a. 5, *Sed contra*.

2. Præterea, unumquodque collocatur in genere per rationem suæ quidditatis; genus

enim prædicatur in quid; sed quidditas Dei est ipsum suum esse, secundum quod aliquid non collocatur in genere, quia sic ens, quod significat ipsum esse, genus esset contra Philosophum (3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 3): ergo. — 1. *c. Gent.* c. 25, n. 4.

3. Præterea, si Deus est in genere, aut est in genere accidentis, aut substantiæ; in genere accidentis non est, quia accidens non potest esse primum ens et prima causa; in genere etiam substantiæ esse non potest, quia substantia, quæ est genus, non est ipsum esse; alias omnis substantia esset suum esse, et sic non esset quid causatum ab alio, cum ratio generis salvetur in omnibus, quæ sub genere continentur, et sic nulla substantia esset causata ab alio, quod esse non potest; Deus autem est ipsum esse: ergo Deus non est in aliquo genere. — l. c. n. 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod aliquid est in genere tripliciter, *vel* sicut generalissimum, *vel* simpliciter et proprie, sicut species, quæ sub genere continetur, *vel* per reductionem, sicut principia et privationes, quomodo punctum et unitas reducuntur ad genus quantitatis sicut principia, cæcitas autem et omnis privatio reducitur ad genus sui habitus; nullo autem dictorum modorum Deus est in genere. Non enim est in genere substantiæ vel ullo alio sicut generalissimum, quia prædicaretur de omnibus substantiis et de omnibus aliis contentis sub aliis generibus; neque est in genere tanquam species illius generis. Cujus rei triplex ratio assignari potest. *Prima* est, quia cum esse Dei sit ejus essentia, si Deus esset in aliquo genere, oporteret, quod genus ejus esset ens, nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in quid; ostendit autem Philosophus in 3. *Metaphys.* quod ens non potest esse genus alicujus; nam omne genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia inveniri potest, quæ sit extra ens, quia non ens non potest esse differentia; unde relinquitur, quod Deus non sit in genere. *Secunda*, quia omnia, quæ sunt in genere uno, communicant in quidditate vel essentia generis, quod prædicatur de illis in quid, differunt autem secundum esse; non enim idem est esse hominis et equi, nec hujus hominis et illius hominis, et sic oportet, quod quæcumque sunt in genere, differat in eis esse et quod quid est, idest essentia; in Deo autem hæc inter se non differunt; manifestum ergo est, quod Deus non est in genere sicut species. *Tertia*, quia quod est in aliquo genere, habet suum esse determinatum ad illud genus; esse vero divinum nullo modo terminatum est ad aliquod genus; nam cum Deus sit simpliciter perfectus, comprehendit in se perfectiones et nobilitates omnium generum, ut dicit Philosophus et Commentator in 5. *Metaphys. text.* 21; l. 4, c. 16; ergo Deus non est in aliquo genere tanquam species. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2; 1a, q. 3, a. 5; *de Pot.* q. 7, a. 3; 1. *c. Gent.* c. 24, 25; *Opusc.* 30, c. 6.

Quod autem neque sit in genere per reductionem ut principium, manifestum est, quia principium, quod reducitur in aliquod genus, non se extendit ultra illud genus, sicut punctum non est principium nisi quantitatis continuæ, et unitas quantitatis discretæ; Deus autem est principium totius esse; unde non continetur in aliquo genere sicut principium determinatum ad illud genus, ut est unitas, quæ est principium solius numeri. Est tamen in omnibus generibus sicut principium omnis generis, et sicut habens perfectiones omnium generum, unde est mensura omnium substantiarum et omnium accidentium, et propterea potest esse inter Deum et creaturas relatio, sicut inter principiata et principium. — *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 2; 1. *Sent.* d. 8, q. 4, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus nomine Dei vel intelligit aliquod corpus cœleste, puta solem et lunam, quæ antiqui animata corpora esse dicebant, et colebant pro diis; vel animalia quædam aerea, quæ Platonici dicebant esse dæmones, et pro diis colebantur a gentilibus. — 5. *Metaphys.* l. 10 et 21.

Ad secundum dicendum, quod mensura proprie dicitur in quantitatibus; dicitur enim mensura illud, per quod innotescit quantitas rei, et hoc est minimum in genere quantitatis, vel simpliciter, ut in numeris, qui mensurantur unitate, quæ est minimum simpliciter, aut minimum secundum positionem nostram, sicut in continuis, in qui-

bus non est minimum simpliciter; unde ponimus palmum loco minimi ad mensurandum pannos, vel stadium ad mensurandam viam. Et inde transumptum est nomen mensuræ ad omnia genera, ut illud, quod est primum in quolibet genere, et simplicissimum et perfectissimum, dicatur mensura omnium, quæ sunt in illo genere, eo quod unumquodque cognoscitur habere de veritate generis plus et minus, secundum quod magis accedit ad ipsum vel recedit. Ut album in genere colorum, ita etiam in genere substantiæ illud, quod habet esse perfectissimum et simplicissimum, dicitur esse mensura omnium substantiarum, sicut Deus; unde non oportet, quod sit in genere substantiæ sicut contentum, sed solum sicut principium habens in se omnem perfectionem generis, sicut unitas in numeris, nisi quod unitate non mensurantur nisi numeri, et ut dictum est, ratione suæ imperfectionis non continetur in prædicamento nisi reductive. Sed Deus non tantum est mensura substantialium perfectionum, sed etiam omnium, quæ sunt in aliis generibus, et ideo non est in prædicamento substantiæ sicut contentum reductive, sed ut principium omnium prædicamentorum. — 1. *Sent.* l. c.; 1a, q. 4, a. 3, ad 2 et q. 6, a. 2, ad 3 et q. 3, a. 5, c.

Ad tertium dicendum, quod ens per se non est definitio substantiæ, ut dicit Avicenna; nam ens non potest esse genus alicujus, ut probat Philosophus 3. *Metaphys.*, cum nihil possit addi enti, quod non participet ipsum; differentia vero non debet participare genus. Sed si substantia potest habere definitionem, non obstante, quod est genus generalissimum, erit ejus definitio, quod substantia est res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo, sed per se; et sic non conveniet Deo substantiæ definitio, qui non habet quidditatem suam præter suum esse, et sic Deus non est in genere substantiæ, sed est supra omnem substantiam. — Ad instantiam vero dicendum, quod Deus simpliciter non est accidens, neque proprie substantia, tum quia nomen substantia dicitur a substando, tum quia substantia quidditatem nominat, quæ est aliud ab ejus esse; unde illa est divisio entis creati. Si tamen non fieret in hoc vis, largo modo potest dici substantia, quæ tamen intelligitur supra omnem substantiam creatam, quantum ad id, quod est perfectionis in substantia, ut non esse in alio et hujusmodi, et tunc est idem in prædicato et in subjecto, sicut in omnibus, quæ de Deo prædicantur; et ideo non sequitur, quod omne, quod est substantia, sit Deus, quia nihil aliud ab ipso recipit prædicationem substantiæ sic acceptæ, secundum quod dicitur de ipso, et ita propter diversum modum prædicandi non dicitur substantia de Deo et creaturis univoce, sed analogice, cum tamen genus debeat univoce prædicari de suis contentis, ut sæpe dictum est. — *de Pot.* q. 7, a. 3, ad 4; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2, ad 1 et 2; 1. *c. Gent.* c. 25.

Ad quartum dicendum, quod licet sapientiæ, cognitionis et virtutis humanæ qualitas sit genus, non tamen est genus cognitionis, sapientiæ et virtutis, secundum quod prædicantur de Deo, eo quod qualitas, in quantum hujusmodi, dicitur ens, eo quod inhæret aliqualiter subjecto. Sapientia vero et virtus non ex hoc nominantur, sed magis ex aliqua perfectione vel ex aliquo actu, unde talia veniunt in divinam prædicationem secundum rationem differentiæ seu speciei, non secundum rationem generis; et propter hoc D. Augustinus in lib. 5. *de Trinitate* c. 1, loquens de Deo: intelligamus, inquit, quantum, possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum. — *de Pot.* q. 7, a. 4, ad 2; 1. *Sent.* l. c. a. 3, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod scientia non dividitur contra substantiam, nisi ex genere suo, prout est qualitas; unde dicitur, quod hæc est immediata: nulla qualitas est substantia; sed hæc est mediata: nulla scientia est substantia, et sic est in omnibus aliis generibus. Verum quia, ut dictum est, nulla ratio communis alicujus prædicamenti manet in divinis, nisi relationis, ideo quod dicitur ad aliquid in divinis, habet aliam rationem et modum prædicandi a ratione et modo prædicandi substantiæ. Scientia vero, virtus et hujusmodi, quæ sunt in aliis generibus et de Deo dicuntur, non habent rationem communis generis, per quam dividantur contra substantiam, sed loco rationis communis qualitatis vel quantitatis venit ratio sub-

stantiæ; unde dicitur esse alia ratio scientiæ et substantiæ in divinis, non quia sit quasi condivisa rationi substantiæ, sed sicut ratio speciei est alia a ratione generis, in quantum addit rationem differentiæ supra rationem generis; nam in divinis ita se habet scientia ad substantiam, sicut in humanis scientia ad qualitatem. Et sic manifestum est, quod potest ratio specifica scientiæ esse in Deo, non autem ratio qualitatis. — 1. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, ad 5.

Ad sextum dicendum, quod ad rationem generis, ut dictum est, requiritur, quod univoce prædicetur; nihil autem de Deo et creaturis potest univoce prædicari; unde licet ea, quæ de Deo dicuntur, prædicentur de ipso substantialiter, nihilominus tamen non prædicantur de ipso ut genus. — *de Pot.* q. 7, a. 3, ad 6; ll. cit.; V. supra, q. 3, a. 1, arg. 6 et ad 7.

Ad septimum dicendum, quod in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione ejus, quod pertinet ad individuationem, sed ratione naturæ, quæ secundum formam determinatur, cum individuatio magis sit secundum materias in rebus compositis. Sic ergo dicendum est, quod Christus est in specie humana ratione naturæ assumptæ, non ratione ipsius hypostasis. — 3a, q. 2, a. 3, ad 3.

ARTICULUS VI

UTRUM INTELLIGENTIÆ SINT IN PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Videtur quod intelligentiæ non sint in prædicamento substantiæ.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Metaphys. text.* 16, l. 7, c. 6) quod si qua substantia est sine materia, statim est ens, et unum, et non est ei alia causa, ut sit ens et unum; sed Angeli ex Philosopho (12. [11]. *Metaphys.*) sunt sine materia: ergo non habent causam, per quam sint ens et unum; sed quidquid continetur in genere substantiæ, habet causam sui esse; nam divisio entis in substantiam et accidens est entis creati, ut dictum est; omne autem creatum habet causam sui esse et unitatis: ergo Angeli non sunt in genere substantiæ. — *de Spirit. Creat.* a. 1, arg. 5; *Opusc.* 30, c. 3 et 4; art. præced. ad 3.

2. Præterea, quidquid est in aliquo genere, participat rationem et principia illius generis; sed ratio substantiæ, secundum quod est prædicamentum, est, quod sit composita ex materia et forma, et consequenter hæc sunt illius principia. Dicit enim Boethius in Comment. Prædicam., quod Aristoteles relictis extremis, scilicet materia et forma, agit de medio, idest composito, cum de substantia determinat; Angeli autem, ut docet Philosophus l. c., sunt immateriales: ergo non sunt in genere substantiæ. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, arg. 1 et 2; *de Spirit. Creat.* a. 1, arg. 23.

3. Præterea, quidquid continetur in genere substantiæ, componitur ex genere et differentia, quæ adveniens generi constituit speciem; sed Angeli non componuntur ex genere et differentia, ut patet *primo*, quia genus sumitur a materia, differentia vero a forma, ut dicunt Avicenna in sua Metaphysica et Philosophus 8. *Metaphys. text.* 6, l. 7, c. 3, quæ non inveniuntur in Angelis. *Secundo*, quia compositio ex genere et differentia oritur ex compositione ex actu et potentia; at Angeli sunt actus puri, omni potentia carentes, ut dicitur 12. *Metaphys. text.* 30, l. 11, c. 6, ubi Philosophus substantias spirituales cœlorum motrices vocat secundum substantiam actus et sine omni materia, idest potentia, ut possint perpetuo movere, quia potentia est ratio deficiendi, et 9. *Metaphys. text.* 22, l. 8, c. 10 vocat easdem substantias non compositas. *Tertio*, quia genus et differentia in diversis fundantur, sicut genus hominis, quod est animal, in natura sensitiva, et differentia ejus, quæ est rationale, in natura intellectiva; sed in Angelis non sunt aliqua diversa, super quibus genus et differentia fundari possint; nam essentia eorum est simplex forma, et esse eorum non potest esse genus vel differentia, ut probat Philosophus (3. *Metaphys.*). *Quarto*, quia quæcumque differunt specie, differunt per contrarias differentias; sed in substantiis spiritualibus non est ulla contrarietas, quia contrarietas est principium corruptionis: ergo Angeli non sunt compositi ex genere et differentia, et per consequens non continentur in prædica-

mento substantiæ. — Sed dices, quod differentia Angeli non sumitur a forma, sed a formali, quod est ejus esse. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, arg. 4; 1a, q. 50, a. 2, arg. 1; *Quodl.* 9, a. 6, arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, arg. 17 et 18.

4. Sed contra, differentia cujuslibet rei est de essentia et definitione ipsius; sed in omni creatura esse est aliud ab essentia, nec intrat definitionem illius, ut dicit Avicenna: ergo differentia Angeli non potest sumi ab esse, et consequenter Angelus non est in prædicamento substantiæ. — *Quodl.* 9, a. 6, arg. 4; *Opusc.* 42, c. 4.

5. Præterea, quando aliquod commune convenit pluribus, sed uni divisim, et aliis unite, non potest esse illis univocum, ut patet in sapientia dicta de Deo et creatura, quæ propterea non potest esse illis univoca; sed esse substantiam convenit unite intelligentiæ, quia per formam simplicem, divisim vero substantiæ corporeæ quia per materiam et formam, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 16, l. 7, c. 6): ergo substantia non dicitur univoce de intelligentiis et substantiis corporalibus, et consequenter illæ non continentur in genere substantiæ, quod est univocum suis inferioribus. — 1a, q. 13, a. 5, c. et q. 50, a. 2, arg. 1 et ad 1; 1. *c. Gent.* c. 32, n. 1.

**Sed contra*, differentia addita generi constituit speciem; sed incorporeum, secundum Porphyrium, est differentia substantiæ: ergo substantia incorporea, cujusmodi est Angelus, est species substantiæ, et sic continetur sub illa. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, arg. 2 *Sed contra*.

RESPONDEO DICENDUM, quod Angeli sunt in prædicamento substantiæ tanquam species illius. Cujus ratio duplex afferri potest: *una* quidem, quia id omne est in genere substantiæ, in quo est potentia et actus. Id enim in genere est, quod determinatum est et limitatum ad aliquem specialem modum entis; determinari autem est potentiæ per actum; omne enim quod est in genere, natum est habere aliud prius se, respectu cujus est potentia, quia in diversis actus necessario est prior potentia, in eodem vero potentia præcedit actum; et ubi reperitur potentia et actus, necessario ibi est genus et differentia, propterea enim Deus non est in genere, quia in eo non est potentia et actus; sed citra Deum in omnibus substantiis creatis est potentia et actus. Nam cum participent ens et deficiant a primo vero et primo bono, quod oportet esse actum purum, necesse est, quod aliquam permixtionem potentiæ habeant, seu quod sint compositæ ex actu et potentia. — *Opusc.* 42, c. 3, 4 et 5; 1a, q. 50, a. 2, ad 1; q. 88, a. 2, ad 4.

Altera est, quia in Angelis esse est aliud a quidditate ipsorum; secundum Avicennam autem omne id, quod habet esse aliud a sua quidditate, oportet, quod sit in genere, atque adeo in genere substantiæ. Hæc enim est ratio substantiæ, prout est prædicamentum, ut dicit Avicenna, quod sit res quidditatem habens, cui debetur esse per se, non in alio, quod scilicet sit aliud a quidditate ipsa; et ideo ex ipsa possibilitate quidditatis trahitur ratio generis, ex complemento autem quidditatis trahitur ratio differentiæ, secundum quod appropinquat ad esse in actu; sed hoc differenter contingit in substantiis compositis et simplicibus, quales sunt Angeli, quia possibilitas in compositis est ex parte materiæ, sed complementum ex parte formæ. Et ideo ex parte materiæ sumitur genus et ex parte formæ differentia, non autem ita, quod materia sit genus, aut forma differentia, cum utrumque sit pars et neutrum prædicetur; sed quia materia est materia totius et non solum formæ, et forma est perfectio totius, et non solum materiæ, ideo totum potest assignari ex materia et forma, et ex utroque. Nomen autem designans totum ex materia est nomen generis, et nomen designans totum ex forma est nomen differentiæ, et nomen designans totum ex utroque est nomen speciei. In simplicibus autem naturis non sumitur genus et differentia ab aliquibus partibus, eo quod complementum in eis et possibilitas non fundantur super diversis partibus quidditatis, sed super illo simplici, quod quidem habet possibilitatem, secundum quod de se non habet esse, et complementum, prout est quædam similitudo divini esse secundum hoc, quod appropinquabilis est magis et minus ad participandum divinum esse. — Et ideo quot sunt gradus complementi, tot sunt diffe-

rentiæ specificæ. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c.; *Opusc.* 30, c. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus ibi loquitur de causa formali, non de causa, agente. Illa enim, quæ sunt composita ex materia et forma, statim sunt ens et unum, quia materia est ens in potentia et fit ens actu per adventum formæ, quæ est ei causa essendi; sed forma non sic habet esse per aliam formam; unde si sit aliqua forma subsistens, statim est ens et unum, nec habet causam formalem sui esse, habet tamen causam influentem ei esse, non autem causam moventem, quæ reducat ipsam de potentia præexistente ad actum. — *de Spirit. Creat.* a. 1, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod de ratione substantiæ est, quod subsistat quasi per se ens; et ideo forma et materia, quæ sunt partes compositi, cum non subsistant, non sunt in prædicamento substantiæ, sicut species, sed solum sicut principia. Quod autem hoc subsistens habeat quidditatem compositam, non est de ratione substantiæ; unde non oportet illud, quod est in prædicamento substantiæ, habere quidditatem compositam, sed oportet, quod habeat compositionem quidditatis et esse; quidquid enim est in genere, habet quidditatem, quæ non est esse ipsius, ut dicit Avicenna, et ideo Deus, ut dictum est, non potest poni in prædicamento substantiæ. Unde Boethius intendit dicere, quod inter tria hæc, materiam, formam et compositum, solum compositum est in genere substantiæ, sicut species; non autem intendit dicere, quod omne, quod est in genere substantiæ, sit compositum ex materia et forma. — Ad illud vero de principiis dicendum, quod aliqua sunt unius generis, logice loquendo, quæ naturaliter et physice loquendo non sunt unius generis, sicut illa, quæ communicant in intentione generis, quam considerat logicus, et habent diversum modum essendi. Unde 10. *Metaphys. text.* 26, l. 9. c. 10 dicitur, quod de corruptibilibus et incorruptibilibus nihil commune dicitur nisi communitate nominis, et ideo non oportet Angelos cum corporibus eadem principia participare nisi secundum intentionem tantum, prout in omnibus invenitur potentia et actus analogice tamen ut dicitur. 12. *Metaphys. text.* 26, l. 11, c. 5. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 2; 1a, q. 88, a. 2, ad 4; 7. *Phys.* l. 8; *de Pot.* q. 7, a. 7, ad 1 in contr.; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 4, ad. 5.

Ad tertium dicendum, quod in rebus compositis ex materia et forma genus sumitur a materia, differentia a forma, ita tamen, quod per materiam non intelligitur materia prima, sed tantum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum et materiale respectu esse specifici, sicut esse animalis est imperfectum et materiale respectu hominis; tamen illud duplex esse non est secundum aliam vel aliam formam, sed secundum unam formam, quæ homini dat non solum hoc, quod est esse animal, sed etiam hoc, quod est esse hominem; anima autem alterius animalis dat ei solum esse animal, unde animal commune non est unum numero, sed ratione tantum, quia non ab una et eadem forma homo est animal et equus. Subtracta ergo materia a substantiis spiritualibus remanebit ibi genus et differentia, non secundum materiam et formam, sed secundum quod consideratur in substantia spirituali tam id, quod est commune sibi et imperfectioribus substantiis, seu secundum quod indeterminate accipitur, nam inde sumitur genus, quam id, quod est sibi proprium, seu secundum quod eadem entitas accipitur determinate, nam inde sumitur differentia. Et ex his patet ad *primam* et *secundam* probationem. — Ad *tertiam* dicendum, quod genus et differentia dupliciter possunt considerari, *uno* modo secundum realem considerationem, quomodo considerantur a metaphysico et naturali, et sic oportet, quod genus et differentia fundentur super diversis rebus et naturis; et hoc modo nihil prohibet dicere, quod in substantiis spiritualibus non sint genus et differentia, sed sint forma tantum et species simplices. *Alio* modo secundum considerationem logicam, et sic genus et differentia non oportet, quod fundentur super diversis naturis, sed super una natura, in qua consideratur aliquid proprium et aliquid commune; et sic nihil prohibet ponere genus et differentiam in Angelis. — Ad *quartam* dicendum, quod

naturaliter loquendo oportet differentias esse contrarias; nam materia, super quam fundatur natura generis, est susceptiva contrariarum formarum; secundum considerationem autem logicam sufficit qualiscumque oppositio in differentiis, sicut patet in differentiis numerorum, in quibus non est contrarietas, et similiter in Angelis. — 1a, q. 50, a. 2, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 1, ad 24; ll. cit. in arg.

Ad quartum dicendum, quod differentia non sumitur ab ipso esse, sed magis ex habitudine ipsius substantiæ ad esse; ut enim dictum est, ex ipsa possibilitate quidditatis trahitur in substantiis spiritualibus ratio generis, ex complemento autem quidditatis ratio differentiæ, secundum quod appropinquat ad esse in actu. — *Quodl.* 9, a. 6, ad 4; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c; V. supra q. 3, a. 4.

Ad quintum dicendum, quod duplex est univocatio, una logica vel secundum rationem et intentionem, quam considerat logicus; altera physica vel secundum esse, cujus consideratio pertinet ad metaphysicum et naturalem. Quando ergo aliquid commune est habens esse in uno simpliciter et unite, in alio multipliciter et divisim, dummodo eadem omnino ratio talis communis æqualiter utrique conveniat, non tollitur univocatio logica, sed tantum physica; sed utraque tollitur, quando ratio talis communis non participatur æqualiter, sed per prius et posterius, ut contingit in quocumque communi dicto de Deo et creatura. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. ad 1 et dist. 35, q. 1, a. 4, ad 1; *de Pot.* q.7, a. 7, c.; 1. *c. Gent.* c. 32, n. 6.

ARTICULUS VII

UTRUM CŒLI SINT IN PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Videtur quod cœli non sint in prædicamento substantiæ. Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys. text.* 26, l. 9, c. 10), quod corruptibile et incorruptibile sunt genere diversa; sed cœli sunt incorruptibiles : ergo non sunt in genere substantiæ, sub quo continentur substantiæ corruptibiles. — 10. *Metaphys.* l. 12.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 33, l. 3, c. 28 et 10. *Metaphys. text.* 12, l. 9. c. 3), quod genere diversa sunt, quorum non est eadem materia, neque mutua generatio; sed cœli et sublunaria non conveniunt in eadem materia, neque mutuo generantur, ut patet : ergo idem quod prius. — 3. *Metaphys.* l. 22; 10. *Metaphys.* l. 4.

3. Præterea, corruptibile et incorruptibile per se dividunt ens, quia corruptibile est, quod potest non esse, incorruptibile vero, quod non potest non esse; sed esse non potest esse genus : ergo nec corruptibile et incorruptibile possunt in genere convenire. — 10. *Metaphys* l. 12.

4. Præterea, quiquid est in genere, debet esse compositum ex actu et potentia, quia ratio generis, ut dictum est, sumitur ex possibilitate, ratio vero differentiæ sumitur per ordinem ad actum; sed æterna, ut cœli, carent potentia, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 17; l. 8, c. 7 : ergo cœli non sunt in genere substantiæ. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, c.; ll. cit. art. præced. in c.; 9. *Metaphys.* l. 4.

5. Præterea, quod prædicatur de aliquibus secundum prius et posterius, non prædicatur de illis tanquam genus, ut dictum est; sed substantia prædicatur secundum prius et posterius de corporibus cœlestibus et sublunaribus; nam illa, ut dicit Philosophus (l. c. et 8. *Phys. text.* 75, c. 13), sunt priora istis natura, tempore, definitione, et illa sunt causa horum : ergo cœli non possunt contineri sub genere substantiæ, sub quo continentur sublunaria. — 1. *c. Gent.* c. 32. n. 6; 9. *Metaphys.* l. 4; 8. *Phys.* l. 19.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 5; l. 6, c. 2), cum divisisset ens in decem prædicamenta, postea sumit substantiam prædicamentalem, et eam dividit in animalia plantas et cœlum. — 7. *Metaphys* l. 1.

2. Præterea, Philosophus (12. *Metaphys.*) initio cum divisisset substantiam sensibilem in sempiternam et corruptibilem, et utramque dixisset esse mutationi subjectam, et propterea omnium prædicamentorum eadem principia proportionaliter statuisset, claudit illam tractationem in text. 29, c. 5. dicens : quod itaque

sensibilium principia sunt, et quot, et quomodo eadem et diversa, dictum est; at in sensibilibus supra clauserat cœlum : ergo cœlum continetur sub prædicamento substantiæ. — 12. *Metaphys* l. 1 et 4.

3. Præterea, dicit Philosophus 2. *de Anima text.* 68; c. 7., quod perspicuitas, quæ est in aere et aqua, non consequuntur aerem et aquam, secundum quod talia corpora sunt, sed secundum quod habent naturam quamdam communem cum cœlo, in quo similiter est perspicuitas; sed talis natura communis non est alia, quam substantia prædicamentalis, quam participant sublunaria : ergo cœli sunt in genere substantiæ. — 2. *de Anima* l. 14.

RESPONDEO DICENDUM, quod duplex est genus, *unum* naturale seu physicum, quod sumitur a materia, et hoc non potest esse unum et idem commune corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus; dicit enim Philosophus, quod quæ non communicant in materia, sunt genere diversa. Præterquam quod genus sic sumptum involvit modum essendi, qui cum sit diversus in utrisque corporibus, oportet, ut et diversum sit genus physicum in illis. — *Aliud* est genus logicum, quod sumitur ab intentione et ratione, et hoc est omnino unum et commune corporibus cœlestibus et sublunaribus; nam, ut dictum est, quæcumque habent esse diversum a quidditate et constant ex potentia et actu, possunt in una ratione et intentione logice convenire; citra Deum autem in omnibus substantiis creatis est potentia et actus, et esse est aliud a quidditate. Unde manifestum est, quod cœli sunt in prædicamento substantiæ. — 10. *Metaphys.* l. 12; 1a, q. 66, a. 2, ad 2 et q. 88, a. 2, ad 4; *de Pot.* q. 7, a. 7, ad 1 *in contrar.*; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 2, ad 1; *Opusc.* 42, c. 3, 4, 5; 7. *Phys.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas Philosophi intelligenda est de genere physico, quod sumitur a materia; nam de illo verificatur ratio, qua Philosophus ibidem probat suam propositionem, quia secundum materiam dicitur unumquodque corruptibile. Et de eodem etiam intelligitur, quod ibidem asserunt idem Philosophus et Commentator, quod æterno et corruptibili nihil est commune, nisi secundum nomen, quia nihil est commune physice, sed tantum logice; nomina enim sunt notæ intellectuum, ut dicitur 1. *Periherm.* — 10. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 42, c. 4 et 5;

Ad secundum dicendum, quod Philosophus loco citato loquitur de duplici genere physico et logico, nam distinguit duos modos, quibus aliqua dicuntur diversa genere, respondentes duobus modis postremis, quibus immediate ante docuerat dici genus, quorum *unus* est, quo genus sumitur pro subjecto, quomodo superficies dicitur genus figurarum superficialium et corpus solidum solidarum, id est corporearum, cui respondet prior modus, quo aliqua dicuntur diversa genere, quorum primum subjectum est diversum, quomodo color et sapor dicuntur genere diversa, quia differunt subjecto; nam subjectum colorum est superficies, saporum vero humor; et similiter corpora cœlestia et inferiora dicuntur genere diversa, quia non habent materiam communem, et hoc genus est physicum. — *Alter* est, quo genus dicitur id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, quod dicitur genus logicum, cui respondet posterior modus, quo aliqua sunt diversa genere, quæ differunt prædicamento, quorum scilicet alia significant quid, alia quale quid, alia aliud. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod objectio procedit de genere physico et naturali, quod involvit modum essendi seu ipsum esse, a quo abstrahit genus logicum et prædicamentale. — ll. cit. in corp art.

Ad quartum dicendum, quod potentia est duplex : *alia* quæ est potentia contradictionis ad esse simpliciter et quæ est causa corruptibilitatis , et hæc non est in cœlis, et de hac loquitur Philosophus 9. *Metaphys. text.* 17, l. 8, c. 7., et non est necessaria ad hoc, ut aliquid constituatur in prædicamento. — *Alia* est potentia ad esse, non tamen contradictionis, quæ scilicet respondet possibili, quod sequitur ad necesse esse; et hæc est in cœlo et potest esse fundamentum generis logici, quia ut dictum est, omne, quod habet esse aliud a sua quidditate, est in genere; quidditas autem respectu esse habet rationem potentiæ et materiæ, esse vero habet

rationem actus et formæ. — 9. *Metaphys.* l. 9; *Quodl.* 9, a. 6, ad 3 et 4.

Ad quintum dicendum, quod inæqualitas secundum esse, in quo scilicet una res dependet ab alia, quatenus ab illa producitur, non tollit æqualitatem et univocationem generis logici, et propterea potest substantia, ut est supremum genus, per prius prædicari de cœlis, quam de corporibus sublunaribus secundum esse, univoce vero et aqualiter de utrisque secundum propriam rationem; sic enim et numerus et figura dicuntur secundum prius et posterius de suis speciebus quantum ad esse, et tamen respectu illorum sunt genera univoca, quia æqualiter dicuntur de illis secundum propriam rationem generis. — 1a, q. 77, a. 4, ad 1; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 5, ad 3; 1. *Periherm.* l. 8.

ARTICULUS VIII

UTRUM PARTES SIVE ESSENTIALES SIVE INTEGRALES SUBSTANTIÆ COMPOSITÆ SINT PER SE IN PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Videtur quod partes substantiæ compositæ sive essentiales sive integrales sint in prædicamento substantiæ.

1. Cui enim convenit ratio generis substantiæ, illud est in genere substantiæ; sed omnibus partibus substantiæ compositæ convenit ratio substantiæ, nam sunt entia per se et non in alio : ergo per se sunt in genere substantiæ. — *de Pot.* q. 7, a. 3, arg. 4; *Opusc.* 42, c. 10, 11, 12.

2. Præterea, de illis prædicatur substantia, secundum quod est genus, quæ sunt in illo unum et non duo, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 10, l. 4, c. 6; 10. *Metaphys. text.* 24, l. 9, c. 8); sed plures partes integrales ejusdem substantiæ compositæ sunt unum in substantia: non enim duæ manus dicuntur duæ substantiæ, sed una : ergo de illis prædicabitur substantia secundum quod est genus. — 5. *Metaphys.* l. 7; 10 *Metaphys.* l. 10; *Opusc.* 42, c. 10.

3. Præterea, partes integrales, ut manus et pes sunt compositæ ex materia et forma; sed de quocumque composito ex materia et forma potest prædicari substantia, ut etiam prædicatur corpus, quod est species substantiæ : ergo. — *Opusc.* 42, c. 10 et 11.

4. Præterea, de quo prædicatur genus intermedium, prædicatur et genus supremum; sed de corporibus duorum hominum per se prædicatur corpus : ergo et prædicabitur substantia, et sic erunt per se in prædicamento substantiæ. — Sed dices, quod de corpore hominis non prædicatur corpus quod est genus. — *ibid.*

5. Contra, idem est corpus vivum et mortuum, non enim sunt duo corpora, sed unum; sed de corpore mortuo prædicatur corpus, secundum quod est genus, et consequenter substantia, quæ est supremum genus : ergo et hæc duo prædicata dicentur de corpore vivo, quod est pars substantiæ compositæ completæ. — *ibid.* c. 11 et 12.

6. Præterea, de quocumque prædicatur differentia, prædicatur et genus, sed prædicatur de manu, quod est animata sensibilis; et de anima humana, quod est rationalis : ergo et prædicabitur substantia, cujus differentiæ sunt animatum, sensibile et rationale. — *ibid.* c. 10.

7. Præterea, anima rationalis est hoc aliquid et per se subsistens, cum per se operetur; sed quod est hoc aliquid, est prima substantia, de qua per se prædicatur genus substantiæ; ut enim dicit Philosophus in lib. Prædicam. : substantia prima significat hoc aliquid ad differentiam secundæ, quæ verius significare videtur quale quid : ergo anima rationalis est prima substantia, et sic est per se in genere substantiæ. — *Quæst disp. de Anima* a. 1, ad 3; *Opusc.* 42, c. 10.

Sed contra est, quod illud per se reducitur ad genus, quod recipit prædicationem illius generis et generum intermediorum; sed partes sive essentiales sive integrales non suscipiunt prædicationem generis summi et intermediorum; non enim manus vel anima est animal, ac proinde nec substantia, cujus species est animal : ergo partes non sunt per se in genere substantiæ. — 1. *Sent.* dist. 28, q. 1, a. 1, ad 3; *Opusc.* 42, c. 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod partes sive essentiales sive integrales non sunt per se in prædicamento substantiæ, sed tantum reductive. — Quod enim non sint per se, probatur, quia cum substantia secundum quod est genus, implicite contineat sua

inferiora potestate, debet continere differentias, per quarum additionem efficiuntur et constituuntur talia inferiora, et sic debet tantum descendere secundum prædicationem, quantum differentiæ constituentes; divisio autem differentiarum stat ad species specialissimas, quia sub eis nihil est præter individua, quæ dicunt privationem divisionis per partes subjectivas, cum a prima substantia nulla sit prædicatio, ut dicitur in Prædicam. Quare ultimum, de quo prædicatur substantia in linea prædicamentali, erit aliquis homo vel aliquod suppositum completum, ut hic equus vel hic homo; de nulla vero parte sive essentiali physica sive integrali dici potest, quod sit hic homo, sicut nec dici potest, quod sit animal; unde nec dici poterit, quod sit substantia, quæ est supremum genus. Præterea, quia cum genus supremum descendat ad inferiora per differentias divisivas, sicut hæ non prædicantur de partibus (non enim sensitivum vel rationale, ut sunt differentiæ dividentes substantiam et constituentes animal et hominem, dicuntur de anima humana, licet sumantur ab anima sensitiva et intellectiva; nam sicut, cum quis moritur, desinit esse homo, ita desinit esse rationalis, et tamen anima humana, cum sit immortalis, remanet rationalis, sicut antea), ita de illis non dicitur genus supremum nec intermedia, quia differentiæ non prædicantur de aliquo, de quo non prædicatur genus ipsum. — 3. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 1, sol. 3 et ad 4 et 5; *Quæst. disp. de Anima* a. 1, c. et ad 13 et a. 2 ad 10; 3. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 1, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 2, ad 12 et a. 11, ad 3; *Opusc.* 42, c. 10, 12.

Quod autem reductive pertineant partes substantiarum compositarum ad genus substantiæ, probatur, quia reductive pertinent ad genus substantiæ, quæ ratione suæ imperfectionis non recipiunt prædicationem illius, quippe quæ non participant complete naturam alicujus speciei vel generis substantiæ, sed sunt quid imperfectum in illo genere. Hujusmodi autem sunt partes physicæ compositi substantialis sive essentiales sive integrales, ut manifestum est materia enim et forma sunt principia substantiæ compositæ completæ, et materia est ens in potentia, forma vero est actus imperfectus in genere substantiæ. Et sic constat tales partes reductive tantum pertinere ad genus, et consequenter tantum dici substantias, quatenus substantia dividitur contra accidens, non autem quatenus est genus. — 1. *Sent.* dist. 28. q. 1, a. 1, ad 3; *Opusc.* 42, c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia dupliciter sumi potest : *uno* modo, secundum quod est genus summum, quomodo sumpta definitur, quod sit ens per se existens, implicite continens in se sua inferiora, et hoc modo substantia non prædicatur de partibus, quia sicut differentia generis summi, ut dictum est, non prædicatur de illis, ita nec genus summum. — *Alio* modo sumitur, ut dividitur contra accidens, quomodo sumptæ ratio est per se esse et non in alio, quod est proprium accidentis; et hoc modo prædicatur substantia de partibus sive essentialibus sive integralibus; manus enim et pes licet sint in toto, non tamen sunt in illo sicut accidens (hoc enim inest in aliquo tanquam in subjecto, et tanquam impossibile sit ipsum esse sine eo), sed ut pars est in toto, quæ quia non est in illo, ut in subjecto, potest sine illo esse. — *Opusc.* 42, c. 10; 3. *Sent.* dist. 6, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod licet substantia prædicetur de duabus manibus hominis, non tamen dicendum est, quod duæ manus sint duæ substantiæ, cum potius sint partes unius substantiæ, quam duæ substantiæ; et ratio hujus est, quia in partibus in toto manentibus non multiplicatur substantia, cum non prædicetur de illis, ut natura in inferioribus, quæ sunt partes subjectivæ, recepta et consequenter multiplicata, seu ut est genus, sed ut contra accidens dividitur, ut dictum est. — *Opusc.* 42, c. 10.

Vel dic, quod sicut sub differentia communi non numeratur genus, sed tantum sub differentiis ultimis — isosceles, isopleuros et scalenum non sunt tres figuræ, sed una figura, sunt tamen tres trianguli — ita substantia secundum quod dividitur contra accidens, quæ est communis differentia illius, licet nulla differentia substantiam constituat, cum substantia genus non habeat, non multiplicabitur in partibus, de quibus prædicatur. — *ibid.*

Ad tertium dicendum, quod duplex est compositum ex materia et forma : *aliud*, quod est actu separatum a toto completo, ut manus vel pes separata, et de hoc prædicatur substantia secundum quod est genus, et similiter corpus, quod est species substantiæ. *Aliud* autem est conjunctum toti composito completo et per se existenti, ut manus vel pes conjuncta eidem, et tunc si consideretur istud compositum quatenus est pars compositi completi, quod habet a forma totius, de illo prædicatur substantia, secundum quod dividitur contra accidens ; si vero consideretur non ut est pars, sed ut est entitas quædam composita ex materia et forma, de hoc composito etiam sic considerato non prædicabitur substantia ut est genus, ut patet. Nam substantia, ut est genus, tantum prædicatur de individuo completo et per se existenti, neque prædicatur substantia, ut dividitur contra accidens; nam tale compositum neque est per se existens ut totum, neque est in toto ut pars, quæ participat esse a toto, sed est in toto in potentia propinqua ad esse debitum sibi secundum essentiam formæ, quæ in eo est sine esse. Unde ad genus substantiæ non spectat per se ut suppositum, vel per reductionem ut pars, quandiu est in toto isto modo, in essentia scilicet sine esse, vel per se, ut contingit in composito completo, vel participative, ut contingit in composito incompleto, ut est pars completi, sed pertinet ad genus ut principium materiale compositi nondum per se existentis, sed futuri per resolutionem. — *ibid.*

Ad quartum dicendum, quod corpus, secundum quod est genus, non prædicatur de corpore hominis, dum est pars ejus, quia si corpus hominis esset corpus, quod est genus, cum secundum quod de homine prædicatur, sit animatum, sensibile, sequeretur, quod corpus hominis esset animal, quod constat esse falsum ; nam homo est animal, idem autem numero non prædicatur de toto et parte in heterogeneis; prædicatur ergo corpus de corpore hominis, secundum quod dividitur contra incorporeum; et quia hoc est maxime commune corpori, ideo non numeratur, quando prædicatur de diversis corporibus, secundum quod sunt partes. Quando autem mortuis hominibus per se sunt corpora, tunc cum habeant rationem partium subjectivarum, prædicatur de illis corpus numerose et secundum quod est genus. — *ibid.* c. 11 et 12.

Ad quintum dicendum, quod licet corpus per aliam et aliam formam fuerit in actu in vivente et mortuo, et non per eamdem, non tamen corpus vivum et mortuum dicuntur duo corpora, quia de illis non prædicatur corpus secundum quod est genus, sed secundum quod dividitur contra incorporeum, seu secundum differentiam communem corporis, secundum quam non numeratur corpus, sicut nec substantia, ut dictum est. — *ibid.*

Ad sextum dicendum, quod cum dicitur manus hominis animata, sensibilis, non prædicantur hæc de illa, secundum quod sunt differentiæ generis summi, quia differentia non potest prædicari de re, de qua non prædicatur genus, de manu autem non prædicatur animal, ut dictum est, sed secundum quod dividuntur contra inanimatum et insensibile. Et similiter cum anima humana dicitur rationalis, non prædicatur de illa rationale, ut est differentia animalis, cum anima non sit animal, licet talis differentia sumatur ab anima, sicut et sensitivum ab anima sensitiva, sed secundum quod designant potentiam animæ. — *Opusc.* 42, c. 11; 3. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 1, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 2, ad 12, et a. 11, ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 8.

Ad septimum dicendum, quod dupliciter sumitur hoc aliquid, *uno modo* proprie, quomodo convenit soli substantiæ primæ; unde Philosophus dicit in Prædicamentis, quod substantia prima significat hoc aliquid ad distinctionem secundæ, quæ etsi videtur significare hoc aliquid, magis tamen significat quale quid. Duo sunt autem de ratione hoc aliquid sic sumpti, *unum* est, quod possit per se subsistere ; *alterum* est, quod sit aliquid completum in aliqua specie et genere substantiæ, et hoc modo sumptum hoc aliquid non potest prædicari de anima, nec de quacumque parte hominis; unde Philosophus in Prædicamentis manum et pedem et hujusmodi nominat partes substantiarum magis, quam substantias primas vel secundas, quia licet

non sint in alio sicut in subjecto, quod est proprium substantiæ, non tamen participant complete naturam alicujus speciei; unde non sunt in aliqua specie, neque in aliquo genere, nisi per reductionem. *Alio modo* sumitur hoc aliquid minus proprie pro omni eo, quod non est in alio tanquam in subjecto et positive per se subsistit, et hoc modo potest prædicari de anima rationali; hæc enim est hoc aliquid, ut per se potens existere, non autem quasi habens in se completam speciem. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, c.

ARTICULUS IX

UTRUM ACCIDENTIA PONANTUR IN PRÆDICAMENTIS IN CONCRETO AN IN ABSTRACTO.

Videtur quod accidentia ponantur in prædicamentis in concreto, non autem in abstracto.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 3, l. 6, c. 1), quod abstracta accidentium non videntur significare ens, quia nil ipsorum natum est secundum se esse, sed cujuslibet eorum esse est alteri inesse, et non est possibile aliquid eorum separari a substantia; sed prædicamenta vere significant decem entia, in nullo enim prædicamento ponitur aliquid, nisi res extra animam existens; nam ens rationis dividitur contra ens divisum per decem prædicamenta, ut patet 5. (4.) *Metaphys.* : ergo abstracta accidentium non ponuntur per se in prædicamentis, sed eorum concreta, cum vere significent entia realia, ut dicit Philosophus ibidem. — 7. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 42, c. 19; *Opusc.* 30, c. 6; *de Pot.* q. 7, a. 9, c.

2. Præterea, abstracta substantiarum non sunt in prædicamento substantiæ per se, sed tantum concreta; sed eadem videtur esse ratio substantiæ et cæterorum prædicamentorum : ergo similiter sola concreta accidentium erunt per se in prædicamento. — Sed dices, ideo concreta accidentium non esse per se in prædicamento, quia significant unum per accidens, secus vero concreta substantiarum. — *Opusc.* 30, c. 6.

3. Contra Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14, l. 4, c. 7) album et musicum et similia concreta accidentium ponit inter entia per se; sed entia per se sunt illa ex Philosopho ibidem, quæ significant prædicationis figuras : ergo concreta accidentium ponuntur in prædicamentis accidentium, non autem earum abstracta. — 5. *Metaphys.* l. 9.

4. Præterea, in omni eo, quod est in genere, oportet esse compositionem ex materia et forma, vel ex actu et potentia; nam genus sumitur a materia vel potentia, et differentia a forma vel actu; sed accidentia abstracte sumpta carent compositione materiæ et formæ, potentiæ et actus, cum sint simplices quædam entitates actuantes substantiam, quæ propterea dicuntur entis entia : ergo idem, quod prius. — *de Pot.* q. 7, a. 3, c.; *Opusc.* 30, l. c.

Sed contra est, quod Philosophus 3. *Top.* c. 1 dicit, justitiam esse in genere, non justum, et 7. *Metaphys. text.* 21, l. 6, c. 6 docet, musicum et album esse entia per accidens, quia significant res diversorum prædicamentorum. — 7. *Metaphys.* l. 5.

RESPONDEO DICENDUM, quod abstracta accidentium per se ponuntur in prædicamento, concreta vero reductive. — Cujus ratio manifesta est. Quia enim in substantiis ex forma substantiali et materia efficitur unum per se, una quadam natura completa ex eorum conjunctione resultante, quæ proprie in prædicamento collocatur, ideo nomina concreta, quæ in substantiis talem naturam seu compositum significant, proprie in prædicamento esse dicuntur, sicut genera et species, ut homo vel animal; forma vero vel materia non hoc modo sunt in prædicamento, sed tantum per reductionem, sicut principia dicuntur esse in genere, cujus sunt principia, reductive. Quia vero ex substantia et accidente non fit unum per se, non enim resultat ex eorum conjunctione aliqua natura, cui intentio generis vel speciei attribui possit, ideo concreta accidentium non ponuntur in prædicamento sicut species et genera, atque adeo proprie et per se, ut album, nigrum, musicum et similia, sed tantum per reductionem; abstracta vero accidentium sive significata per modum actionis, ut est vadere, sedere, sanare et similia; sive non, ut albedo, nigredo, musica et similia, quæ significant simplices

entitates, quibus proinde intellectus attribuit intentiones generum et specierum, proprie et per se ponuntur in prædicamentis accidentium. — *Opusc.* 30, c. 5 et 6.

Ad primum ergo dicendum, quod modus significandi vocum non consequitur immediate modum essendi rerum, sed mediante modo intelligendi, quia intellectus seu conceptus sunt similitudines rerum, voces vero intellectuum seu conceptuum, ut dicitur 1. *Periherm.* — Licet autem modus essendi accidentium non sit, ut per se sint, sed solum, ut insint, intellectus tamen potest ea per se intelligere, cum sit natus dividere ea, quæ sunt secundum naturam conjuncta, et ideo nomina abstracta accidentium significant entia, quæ quidem inhærent, licet non significent ea per modum inhærentium; essent autem significata per hujusmodi nomina non entia, si non essent in re. — 7. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 42, c. 12.

Ad secundum dicendum, quod abstracta substantiarum non sunt in prædicamento, quia significant essentiam rei per modum partis, non autem per modum totius. Animalitas enim vel humanitas est forma totius hominis, non autem homo, essentiæ vero significatæ per modum partis non convenit ratio generis vel speciei, quod tamen requiritur ad hoc, ut aliquid sit in genere; quod enim est tale, necessario vel est sicut genus generalissimum, vel sicut contentum sub illo tanquam species, debet enim habere aliquid in se, per quod natura generis designetur ad speciem, cum nihil sit in genere, quod non sit in aliqua ejus specie. Et propterea dicit Avicenna, quod rationalitas non est differentia, sed principium differentiæ, et eadem ratione humanitas non est species, nec animalitas est genus, sed principia speciei et generis; concreta vero substantiæ significant, ut dictum est, essentiam completam, quæ directe ponitur in prædicamento. E contra abstracta accidentium significant entitatem per se unam, cui per se convenit habere genus et differentiam; concreta vero significant ens et unum per accidens, et ideo abstracta accidentium sunt per se in prædicamento, non autem concreta, nisi reductive. — *Opusc.* 30, c. 3; 1a, q. 13, a. 1, ad 2 et q. 32, a. 2, c.; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 2, arg. 1 *Sed contra*; 1. *c. Gent.* c. 25, n. 1; *de Verit.* q. 3, a. 7, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod, ut dictum est, quandoque Philosophus posuit denominativa accidentaliter inter entia per accidens ut 7. *Metaphys. text.* 21, l. 6, c. 6, propter duplex significare ipsorum; quandoque vero illa posuit inter entia per se, ut 5. *Metaphys. text.* 14, l. 4, c. 7, quia licet duo significent, subjectum scilicet, puta substantiam, et qualitatem, ut album, principaliter tamen et proprie tantum unum significant, scilicet qualitatem; significant enim aliquod esse distinctum ab esse substantiæ, de qua prædicantur. — V. supra q. 8, a. 5.

Ad quartum dicendum, quod quia accidentia non componuntur ex materia et forma, ideo non potest sumi in eis genus a materia et differentia a forma, sicut in substantiis compositis, sed oportet ut genus primum sumatur ab eo, quod prius in illis reperitur, differentia vero ab eo, quod posterius. Primum autem, quod invenitur in quolibet accidente, est specialis modus entis includens diversitatem quamdam ad alios ejus modos, ratione cujus ens diversimode secundum prius et posterius de decem generibus prædicamentorum prædicatur; sicut in quantitate est specialis modus entis, puta quod sit mensura substantiæ; et in qualitate, quod sit dispositio, et sic de singulis. Differentiæ vero sumuntur in illis ex illo, quod in modo, a quo genus acceptum est, implicite continetur, nimirum ex diversitate principiorum, ex quibus accidentia causantur; sicut verbi gratia in quantitate a ratione mensuræ, quæ in illa reperitur, quia est communis omni speciei quantitatis, acceptum est nomen generis; sed quia constat, quod successiva habent diversa principia in natura sua a permanentibus, et per consequens diversas mensuras, ideo ex talibus principiis sumuntur differentiæ talium mensurarum. Et inde est, quod cum definiuntur accidentia propria in abstracto, subjectum, ex cujus principiis causantur, ponitur in eorum definitione in obliquo et secundo loco, quod est proprium differentiæ; ut cum dicitur: simitas est curvitas nasi, per quod differt simitas a curvi-

tate, quæ est in ligno. Sed contra cum definiuntur in concreto, subjectum ponitur in eorum definitione sicut genus; cujus ratio est, quia tunc definiuntur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur a materia; sic dicitur, quod simum est nasus curvus; et similiter est, quando unum accidens est alterius principium, sicut principium relationis est actio et passio et quantitas, et ideo secundum hoc Philosophus (5. *Metaphys.*) relationem dividit. Verum quia propria principia accidentium non sunt semper manifesta, ideo quandoque differentiæ accidentium sumuntur ex effectibus, sicut congregativum et disgregativum dicuntur differentiæ coloris, quæ causantur abundantia vel paucitate lucis. — *Opusc.* 30, c. 6.

QUÆSTIO X

DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Deinde considerandum est de prædicamentis in particulari, et primo de prædicamento substantiæ, secundo de reliquis.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum convenienter dividatur substantia in primam et secundam.
2. Utrum recte definiatur substantia, secundum quod est genus summum.
3. Utrum recte sint assignatæ proprietates substantiæ.

ARTICULUS I

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR SUBSTANTIA IN PRIMAM ET SECUNDAM.

Videtur quod non convenienter dividatur substantia in primam et secundam.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 46, l. 6, c. 13), quod universale non est substantia; sed per secundam substantiam Philosophus intelligit universale : ergo male dividitur substantia in primam et secundam. — 7. *Metaphys.* l. 13.

2. Præterea dicit Philosophus (*Metaphys. text.* 50, l. 6, c. 13.), quod nulla substantia componitur ex substantiis; sed secundæ substantiæ sunt in primis, ut ingredientes illarum compositionem, ut dicit Philosophus in Prædicamentis : ergo secundæ substantiæ non sunt substantiæ. — l. c.; *de Pot.* q. 9, a. 1, arg. 5.

3. Præterea, substantia, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 7, significat quid; sed secunda substantia, cum sit universale, significat quale quid, ut dicitur in *Prædicam.* c. 5 et 7. *Metaphys. text.* 47, l. 6, c. 13) : ergo secundæ substantiæ non sunt substantiæ. — 5. *Metaphys.* l. 10; 7. *Metaphys.* l. 13.

4. Præterea, de ratione substantiæ est, quod subsistat quasi ens per se; sed subsistere non convenit secundæ substantiæ sed tantum primæ, quia non subsistit nisi id quod habet in se esse completum, quod non invenitur nisi in particulari : ergo. —2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 1; *de Pot.* q. 9, a. 1, arg. 4. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, arg. 2.

5. Præterea, substantia dicitur pluribus modis, quam duobus, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 44 et 45; l. 6, c. 13 : ergo non convenienter dividitur substantia in primam et secundam. — 7. *Metaphys.* l. 13; 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 7.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 5, dividit substantiam in primam et secundam.

RESPONDEO DICENDUM, quod quadrupliciter sumitur substantia. Nam *primo* substantia idem est, quod essentia, et sic substantia invenitur in omnibus generibus, sicut essentia, et hoc significatur, cum quæritur : quid est albedo, quid color? *Secundo* significat individuum in genere substantiæ, quod dicitur substantia prima vel hypostasis. *Tertio* dicitur substantia secunda. *Quarto* dicitur substantia communiter, prout abstrahit a prima et secunda, quomodo sumpta nihil est aliud quam compositum ex materia et forma in substantiis materialibus abstrahens ab esse a parte rei in hoc et illo singulari, et ab esse in intellectu sub intentione universalitatis. (1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 7; 3. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 2, c). Dupliciter autem hoc quarto modo sumpta substantia potest dividi in primam et secundam. *Uno modo*, tanquam subjectum in acci-

dentia; sicut enim humana natura ex eo, quod illi accidit esse in plus, quam sit Petrus, et esse in intellectu sub intentione universalitatis sine conditionibus individuantibus, dicitur secunda substantia; ex eo vero, quod non est in pluribus, quam Petrus, seu est a parte rei cum conditionibus individuantibus, dicitur prima substantia; — ita composito substantiali ex materia et forma utrumque accidit, et per consequens potest tale compositum dividi in primam et secundam substantiam divisione subjecti in accidentia, quomodo dividitur in album et nigrum. (*de Pot.* q. 9. a. 2, ad 6, 7, 8; *Opusc.* 30, c. 7; *Opusc.* 42. c. 9). *Alio* modo potest dividi divisione generis, non quidem univoci in suas species, quia nihil continetur sub secunda substantia, quod non sit in prima, sed analogi in analogata; et hoc dupliciter, *vel* secundum diversos modos essendi; nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolute, prima vero substantia significat illam, ut individualiter subsistentem; *vel* secundum diversos participandi actus substantiæ, qui sunt substare accidentibus et subsistere; nam cum hi duo actus per prius et posterius conveniant utrique substantiæ, necesse est, quod substantia, secundum quod dicitur ab illis, etiam de illis dicatur analogice; quidquid enim prædicatur de aliquibus secundum prius et posterius, analogice de illis prædicatur. (*de Pot.* q. 9, a. 2, ad 6; 1. *Sent.* dist. 23, q. 1. a. 1. c; 1. *c. Gent.* c. 32.) Si enim accipiatur subsistere, cum duo dicat, et actum subsistendi seu esse, et determinationem essendi; esse per prius convenit individuis et primis substantiis, secundis vero per posterius, nam hæc non subsistunt nisi in individuis; determinatio vero essendi est ex natura seu quidditate generis vel speciei, et ideo hæc proprie et per prius dicuntur subsistere et subsistentiæ, substantiæ vero primæ per posterius. (1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c. et ad 2.) — Si vero accipiatur alter actus, qui est substare, hic prius convenit substantiis primis, quam secundis, nam primæ secundum se omnibus aliis substant, scilicet generibus, speciebus et accidentibus; substantiæ vero secundæ, idest genera et species substant solis accidentibus, et hoc etiam habent non nisi ratione primarum; homo enim est albus, in quantum hic homo est albus; et primæ substantiæ dicuntur a Philosopho proprie et principaliter et maxime substantiæ; genera vero et species dicuntur secundæ substantiæ, quia secundo substant. Et quia nomen substantiæ proprie a substando, sicut subsistentia dicitur a subsistendo, propterea tale nomen absolute sumptum primo et principaliter convenit particularibus substantiis secundum Philosophum in Prædicam c. 5. et Boethium in lib. *de Duabus Naturis.* Unde manifestum est, quod convenienter dividitur substantia in primam et secundam. — 7. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 48, tract. 2, c. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod universale dupliciter potest accipi, *uno modo* pro ipsa natura, cui intellectus tribuit intentionem universalitatis, et sic universalia, ut genera et species, substantias rerum significant, et prædicantur in quid; animal enim significat substantiam ejus, de quo prædicatur, et similiter homo. *Alio modo* potest accipi universale formaliter, quatenus est universale, secundum quod natura prædicta subest intentioni universalitatis, idest secundum quod consideratur animal vel homo, ut unum in multis, et sic posuerunt Platonici, animal et hominem in sua universalitate esse substantias, quod Aristoteles 7. *Metaphys. text.* 46, l. 6, c. 13, reprobat, ostendens, quod animal commune non est aliqua substantia in rerum natura, sed quod hanc communitatem habet natura animalis, secundum quod est in intellectu, qui illam accipit, ut multis communem, inquantum abstrahit illam ab omnibus conditionibus individuantibus. — 7. *Metaphys.* l. 13.

Ad secundum dicendum, quod sicut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 56, l. 6, c. 16), substantia partim est ex substantiis, partim non; componitur enim substantia ex substantiis existentibus potentia, non actu. — 7. *Metaphys.* l. 13 et 14.

Ad tertium dicendum, quod in universali duo considerantur, et natura et intentio universalitatis, et ratione utriusque dicitur universale significare quale quid, sed diversa ratione. Nam ratione naturæ

dicitur significare quale essentiale. Non enim significat quale, sicut passiones, quæ significant qualitatem accidentalem, sed significat qualitatem substantialem, vel quia natura significata per genus, puta animal, est forma quædam essentialis hominis, sicut natura humana est forma totius individui, vel quia genus, ut est pars definitionis speciei, et species individui pertinent ad genus causæ formalis, ut dicitur 2. *Phys. text.* 28, c. 3, et consequenter significant qualitatem essentialem. Ratione vero intentionis dicitur secunda substantia significare quale quid, quia significat qualitatem rationis. Dicitur autem a Philosopho (5. *Metaphys.*) substantia significare quid ad distinctionem aliorum prædicamentorum, quæ non significant quid, quia non significant quid substantiale et essentiale rei, sicut significat substantia. — l. c.; *Opusc.* 30. c. 4; 2. *Phys.* l. 5; *Opuc.* 42, c. 9.

Ad quartum dicendum, quod subsistere cum dicat duo, esse et determinationem esse, ratione prioris prius competit substantiæ primæ, quam secundæ, ratione posterioris contra, ut dictum est. — Vel dicendum, quod subsistere tribuitur generibus et speciebus, non quia subsistant, sed quia individua in eorum naturis subsistunt, etiam omnibus accidentibus remotis. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c; *de Pot.* q. 9, a. 1, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus l. c. in *Metaphys.* latius sumit nomen substantiæ, quatenus nimirum competit individuis, et eorum partibus sive physicis sive metaphysicis; in Prædicamentis vero sumit nomen substantiæ pressius, ut dicit tantum quid commune substantiæ primæ et secundæ.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIATUR SUBSTANTIA, UT EST GENUS SUMMUM.

Videtur quod non recte definiatur substantia, ut est genus summum, quod sit ens per se existens implicite continens sua inferiora.

1. Quia ens significat esse, sicut res quidditatem; sed esse non potest esse genus : ergo nec potest esse de definitione ejus, quod est genus, et sic non erit convenienter definita substantia per ens. — 1. *Sent.* dist. 25. q. 1, a. 4, c.: 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 3, c.

2. Præterea, subsistere est actus subsistentiæ, sicut substare est actus substantiæ; sed quælibet res definiri debet per id, quod est sibi proprium : ergo male definitur substantia per actum subsistendi. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1; 1a, q. 29, a. 2, arg. 4.

3. Præterea, fieri non potest etiam miraculose, ut uni rei conveniat definitio alterius; sed esse ens per se existens convenit accidentibus in Sacramento Eucharistiæ : ergo esse ens per se existens non convenit substantiæ et sic male per illud definitur. — 3a, q. 77, a. 1, arg. 1; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, arg. 3.

4. Præterea, quod est pars alicujus, non continet ipsum, sed contra totum continet partes, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 31, l. 4, c. 26); sed substantia, ut est genus summum, est pars omnium generum inferiorum, nam ponitur in definitione illorum; unde Philosophus loco citato dicit, quod partes dicuntur, quæ ponuntur in definitione cujuslibet rei, ut genus dicitur pars speciei : ergo substantia, ut est genus summum, non recte definitur, quod sit ens continens implicite inferiora. — 5. *Metaphys.* l. 21.

Sed contra est, quod substantia, ut est genus summum, involvit substantiam, ut dividitur contra accidens, et addit illi relationem uniformitatis ad omnia, quæ sub illa continentur; sed ratio substantiæ ut dividitur contra accidens, consistit in eo, quod sit ens per se et non in alio; relatio vero uniformitatis est, per quam substantia dicitur implicite continere omnia inferiora : ergo substantia recte describitur per hoc, quod sit ens per se existens implicite continens inferiora. — *Opusc.* 42, c. 9 et 10.

Respondeo dicendum, quod cum genus summum substantiæ non componatur ex genere et differentia, non potest proprie habere definitionem, quæ propterea soli speciei vel generi, ut est species, convenit; nam hæc componitur ex genere et differentia, ex quibus constat omnis definitio. Potest tamen describi, et recte describitur,

quod sit ens per se existens, implicite continens inferiora, ita tamen, quod primo nomen entis sumatur, ut significat quidditatem et essentiam rei, non autem veritatem propositionis seu esse rei, quia nulla res est in genere secundum suum esse, sed ratione suæ quidditatis. — Cujus ratio est, quia esse cujuslibet est ei proprium et distinctum ab esse alterius; sed ratio rei, cui debetur esse, potest esse communis; propter quod etiam Philosophus dicit, quod ens non potest esse genus. Et hinc est secundo, quod per se existens neque sumitur in actu secundo, nam sicut esse non est de essentia rei, ita nec est de essentia substantiæ, et consequenter nec de ipsius definitione, neque ostendit aliquod universale esse separatum, ut Plato posuit, sed sumitur secundum quod *per se* opponitur ei, quod est *esse in alio*, quod est proprium accidentis, et secundum quod per se existens dicit actum primum seu essentiam completam, cui debetur esse per se. — 1. c.; 5. *Metaphys.* l. 5 et 8; 1a. q. 48, a. 2, ad 2; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, ad 1; 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 1, c. et dist. 40, q. 1, a. 4; *de Pot.* q. 7, a. 3, c.; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 2; 1a, q. 3, a. 5, arg. 1 et ad 1; 3a, q. 77, a. 1, ad 2.

Additur præterea, quod sit continens implicite inferiora, quia cum hoc sit de ratione cujuscumque generis, ut est universale, (universale enim est quoddam totum, ut dicitur 1. *Phys. text.* 5, c. 1, totum autem, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 31, l. 4, c. 26) necessario debet continere partes, quæ respectu generis sunt species et differentiæ in speciebus contentæ), multo magis debet hoc competere substantiæ, ut est genus summum. Debet autem continere inferiora implicite seu potestate, quia genus est quoddam totum confusum, indeterminatum et non signatum, ut dictum est, quod non nisi implicite partes continet. Et sic patet descriptio substantiæ. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicitur 5. *Metaphys. text.* 14, l. 4, c. 7, ens dupliciter dicitur, uno modo, secundum quod significat entitatem rei, prout dividitur in decem prædicamenta, et sic convertitur cum re. Alio modo dicitur ens, quod significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cujus nota est hoc verbum « est » et hoc est ens, quod respondetur ad quæstionem : an est, et non convertitur cum re, nec in decem prædicamenta dividitur. — 1a, q. 48, a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod subsistentia et substantia non sunt duæ res, sed una a duobus actibus denominata; subsistere enim et substare dicunt id, quod est proprium primo prædicamento secundum duo, quæ ipsi conveniunt, nimirum quod sit ens in se completum, et quod substernatur omnibus accidentibus, quæ sunt in ipso; quæ duo cum, ut manifestum est, tam primæ substantiæ quam secundæ conveniant, iisdem etiam convenient prædicti actus, ut dictum est. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ; quare non est definitio substantiæ, quod sit ens per se existens, sumendo ens, ut significat esse, atque adeo in actu secundo, ut dictum est, sed sumendo in actu primo, quod idem est atque essentia completa, cui debetur esse per se. In Sacramento autem Eucharistiæ non datur accidentibus, quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, seu per se, sed ex divina virtute sustentante, et ideo non competit illis definitio substantiæ. — 3a, q. 77, a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod genus, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 30, l. 4, c. 25, est totum et pars speciei; est enim totum, in quantum prædicatur de pluribus speciebus, est autem pars, in quantum ex genere et differentia constituitur species. — 5. *Metaphys.* l. 21; 7. *Metaphys.* l. 13.

ARTICULUS III

UTRUM RECTE SINT ASSIGNATÆ PROPRIETATES SUBSTANTIÆ.

Videtur quod non recte sit assignata prima proprietas substantiæ, quod non sit in subjecto.

1. Quia manus, pes et cæteræ partes integrales substantiæ compositæ non sunt in subjecto, cum non sint accidentia; sed

de partibus integralibus non prædicatur summum genus, ut dictum est : ergo male assignatur tanquam proprietas substantiæ non esse in subjecto. — *Opus.* 42, c. 10.

2. Præterea, omnis proprietas ponit aliquid in eo, cujus est proprietas ; sed non esse in subjecto est pura negatio : ergo non potest esse proprietas substantiæ. — 1a, q. 33, a. 4, arg. 1.

Videtur quod non sit recte assignata secunda proprietas secundæ substantiæ, quæ est univoce prædicari.

1. Quia de ratione generis, ut dicit Philosophus (4. *Top.* c. 3, et *in Prædicam.* c. 5), est univoce prædicari ; sed etiam accidens potest esse genus, unde decem prædicamenta, quorum novem sunt accidentia, dicuntur decem genera : ergo univoce prædicari non est proprium substantiæ. V. supra q. 3, a. 1, arg. 7 et q. 9, a. 2.

2. Præterea, prima substantia vere prædicatur de seipsa; sed non prædicatur æquivoce vel analogice : ergo univoce, et sic prædicari univoce non erit proprietas substantiæ secundæ. — 7. *Metaphys.* l. 2.

Videtur quod non recte sit assignata tertia proprietas substantiæ, quod prima substantia significet hoc aliquid, et secunda qualequid.

1. Quia anima rationalis est hoc aliquid, cum per se subsistat et per se operetur; sed anima rationalis non est prima substantia, ut dictum est, sed pars illius : ergo significare hoc aliquid non est proprium primæ substantiæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. 1 *Sed contra*; V. supra q. 9, a. 8.

2. Præterea, quod prædicatur substantive, prædicatur in quid, et non in qualequid, nam hoc est adjectivorum sive eorum, quæ prædicantur adjective ; sed secundæ substantiæ, puta genera et species, prædicantur substantive, et consequenter in quid, ut dictum est : ergo non prædicantur in qualequid. — V. supra q. 3 et 4, a. 1.

Videtur quod non recte sit assignata quarta proprietas, quod substantiæ nihil est contrarium.

1. Probat enim Philosophus (1. *de Cœl. text.* 20, c. 3), quod cœlum non est corruptibile, quia non habet contrarium; unde videtur supponere, quod ea, quæ corrumpuntur, vel sunt contraria vel ex eis composita; sed substantiæ sublunares corrumpuntur : ergo illis est aliquid contrarium. — 1. *de Cœl.* l. 6; 11. *Metaphys.* l. 12; 5. *Phys.* l. 3.

2. Præterea dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 50, c. 8), quod ignis est contrarius aquæ, et terra aeri; sed ignis et aqua sunt substantiæ, ut patet : ergo substantiæ est aliquid contrarium. — Sed dices, quod ignis et aqua sunt contraria ratione qualitatum, puta caloris, frigoris, humiditatis et siccitatis, per quas agunt et patiuntur. — 11. *Metaphys.* l. 12; 5. *Phys.* l. 3 ; 2. *de Generat.* l. 8.

3. Contra, propriæ passiones causantur ex principiis subjecti, quæ sunt materia et forma, et præsertim a forma, ut dictumest ; sed contrariorum contrariæ sunt causæ, et effectus per se, cujusmodi sunt propriæ passiones, ut dictum est, ex causis contrariis sunt effectus contrarii : ergo formæ substantiales sunt contrariæ et consequenter substantiæ est aliquid contrarium. — V. supra q. 6, a. 2; 5. *Phys.* l. 3.

4. Præterea probat Philosophus (10. *Metaphys. text.* 23, l. 9, c. 7), quod omne genus dividitur per contrarias differentias ; sed differentiæ sumuntur a formis, ut dicitur 8. *Metaphys. text.* 8, l. 7, c. 2 : ergo contrarietas est in formis substantialibus. — 5. *Phys.* l. 3.

5. Præterea, prima principia sunt contraria, ut dicitur 1. *Phys. text.* 41, sq ; c. 5); sed prima principia non sunt accidentia, sed substantiæ, unde Philosophus l. c. *text.* 50; c. 6. dicit, quod in substantiis est una contrarietas prima, et quia alioqui daretur principium principii : ergo substantiæ potest esse aliquid contrarium. — 1. *Phys.* l. 8 et 9.

Videtur quod non sit recte assignata quinta proprietas substantiæ, quæ est non suscipere magis et minus.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Metaphys. text.* 2; l. 7, c. 1), quod genus est magis substantia, quam species; sed genus et species substantiæ sunt substantiæ : ergo substantia recipit magis et minus. — 8. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 3, c. 1), quod substantiæ cor-

poreæ sunt maxime substantiæ, et inter has corpora naturalia sunt magis substantia, quam artificialia : ergo secundum Philosophum substantia recipit magis et minus. — 2. *de Anima* l. 1.

3. Præterea, 1. *de Generat. text.* 18; c. 3, dicitur, quod cujus differentia magis significat hoc aliquid, magis est substantia, ut contingit in igne respectu terræ; at hoc est substantiam suscipere magis et minus : ergo vere suscipit. — 1. *de Generat.* l. 8.

4. Præterea, Angelus est magis ad imaginem Dei, quam homo, et consequenter est magis intellectualis, quam homo; nam est ad imaginem Dei, quatenus est intellectualis naturæ; ergo natura intellectualis recipit magis et minus. — 1a, q. 93, a. 3, arg. 3 et c.; 2. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, ad 4.

Videtur quod non sit recte assignata sexta proprietas substantiæ, quod eadem numero manens sit susceptiva contrariorum.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Partibus Animal.* c. 2), quod ignis non potest fieri frigidus; sed ignis est substantia : ergo non potest eadem substantia numero saltem quæcumque esse susceptiva contrariorum. — 2. *de Anima* l. 23.

2. Præterea, cœli sunt substantiæ, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 5; l. 6, c. 2; sed cœli non habent contrarium, nam (1. *de Cœl. text.* 20; c. 3) dicit Philosophus, quod recte videtur natura cœlum, quod futurum erat ingenerabile et incorruptibile, exemisse a contrariis, quia in contrariis est generatio et corruptio : ergo saltem aliqua substantia non est susceptiva contrariorum. — 7. *Metaphys.* l. 1; 1. *de Cœl.* l. 6.

3. Præterea, linea est subjectum curvitatis et rectitudinis, et superficies albedinis et nigredinis, et similiter oratio vel opinio veritatis vel falsitatis; sed prædicta non sunt substantiæ : ergo suscipere contrarium non est proprietas solius substantiæ etiam corruptibilis. — *Opusc.* 48. tract. 2, c. 4.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 5 dicit, quod esse susceptivum contrariorum ita est proprium substantiæ, ut nulli alii conveniat.

RESPONDEO DICENDUM *ad primam quæstionem*, quod recte traditæ sunt omnes proprietates substantiæ, et præsertim prima, quæ est, non esse in subjecto, si recte intelligatur. Nam cum hæc sit proprietas omnium substantiarum, puta tam primarum, quam secundarum, et præterea differentiarum substantiæ, et partium ejusdem, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* c. 5, per illam datur intelligi specialis modus entis, per quem oportet accipere naturam substantiæ, ut dividitur contra accidens, qui est per se esse; per se enim opponitur ei, quod est esse in alio, quod est proprium accidentis. Verum quia simplicia melius intelliguntur per negationem, ut in puncto patet, quod propter ea definitur, cujus pars non est, ideo modus prædictus explicatur a Philosopho negative, per non esse in subjecto. Dicitur autem talis modus etiam convenire partibus substantiarum, quia licet hæ sint in alio, ut manus in homine, et similiter anima vel corpus in composito, non tamen sunt in alio, tanquam in toto, quod non impedit, quominus eadem pars, quæ sic dicitur esse in alio, sit per se et non in alio, eo modo, quo accidens. — Et sic patet *ad primum* objectum. — 7. *Metaphys.* l. 13; 11. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 42, c. 10; *Quæst. disp. de Anima* a. 1, ad 9; 3a, q. 77, a. 1, arg. 2.

Ad secundum dicendum, quod non esse in subjecto est negatio denotans specialem modum essendi substantiæ, per quem positive dividitur contra accidens, ut dictum est.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod cum prima substantia sit illa, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3, de qua omnia dicuntur, non potest intelligi, quod accidentia, quibus omnibus, ut dictum est, illa substat, univoce prædicentur de illa. Nam accidentia denominative prædicantur de substantia; dicitur enim, quod homo est albus, non autem, quod homo est albedo; denominativa vero prædicatio satis aperte ostendit, quod substantia prima est aliud per essentiam ab accidentibus; at quod univoce prædicatur de alio, ut dicit Philosophus in Prædicam., debet secundum nomen et rationem, seu essentialiter prædicari; ratio autem accidentis, ut albi, est extra essentiam substantiæ.

Unde relinquitur, quod prædicari univoce de substantia prima non potest competere nisi secundis substantiis et differentiis, quia prima substantia suscipit rationem istorum omnium; et propterea Philosophus loco citato dicit, quod univoce prædicari inest secundis substantiis et differentiis; a prima namque substantia nulla est prædicatio, cum de nullo subjecto dicatur. Unde manifestum est, quod recte tradita est secunda proprietas secundæ substantiæ. — 7. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 42, c. 9; v. supra a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens dupliciter potest considerari, uno modo per comparationem ad sua inferiora, ut color per ordinem ad albedinem et nigredinem, et hoc modo color est genus albedinis, et consequenter univoce de illa prædicatur; nam hoc est de ratione generis, ut dictum est. Alio modo per comparationem ad substantiam primam, et hoc modo non potest prædicari univoce, sed denominative, ut dictum est. — *de Spirit. Creat.* a. 11, c.

Ad secundum dicendum, quod licet prima substantia possit prædicari de seipsa prædicatione vera, cum sit identica, non tamen prædicatione univoca et artificiali, nam hæc requirit partes subjectivas, quibus caret substantia prima. Unde Philosophus in *Prædicam.* c. 5 dicit, quod a prima substantia nulla est prædicatio, quia de nullo subjecto dicitur. — *Opusc.* 42, c. 10.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod verissime dictum est a Philosopho, quod prima substantia significat hoc aliquid, et quod secundæ substantiæ licet videantur significare hoc aliquid, magis tamen significant quale quid. Nam duo sunt de ratione ejus, quod est hoc aliquid, nimirum quod possit per se subsistere, et quod sit quid completum in aliqua specie vel genere substantiæ, quorum utrumque quia convenit primo et per se individuo in genere substantiæ, ideo sola prima substantia significans tale individuum significat hoc aliquid. Secundæ vero substantiæ licet significent id, quod est realiter prima substantia; homo enim in re non distinguitur realiter a Petro; quia tamen non significant naturam coarctatam conditionibus individuantibus, sed sine illis, — ideo dicuntur significare quale quid. Natura enim humana significata per nomen homo, quod est nomen secundæ substantiæ, se habet ad individuum per modum cujusdam qualitatis, non tamen accidentalis, sed essentialis, quia non significatur ut separata ab individuo, ut volunt Platonici, sed ut existens in illo, ab eodem non distincta realiter, quia non est homo in mundo, qui non sit hic homo; quamquam et alia ratione secundæ substantiæ dicuntur significare quale quid, et non hoc aliquid secundum rei veritatem, licet per quamdam nominis similitudinem significent hoc aliquid. Si enim secundæ substantiæ sumantur materialiter, quomodo significantur nominibus primæ intentionis, puta hominis et animalis, significare dicuntur secundum nominis similitudinem hoc aliquid, sicut Petrus, quia nimirum cum sint nomina substantiva, debent significare rem per se existentem, atque adeo hoc aliquid, sicut significant nomina substantiva primæ substantiæ, ut Petrus, Paulus. Si vero sumantur secundæ substantiæ formaliter, quod habent ab intentione universalitatis attributa per intellectum naturæ reali, seu secundum quod sunt nomina secundæ intentionis, ut sunt genus, species et similia, dicuntur significare secundum veritatem quale quid, quia qualitatem, id est uniformitatem rationis, per quam fiunt universalia per actum rationis, circa substantias particulares determinant, quæ proprie sunt quid. Et sic patet tertia proprietas et *ad secundum* argumentum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, c; 7. *Metaphys.* l. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod anima non est proprie hoc aliquid; nam licet conveniat illi unum ex duobus, quæ sunt de ratione ejus, quod est hoc aliquid, puta esse ens per se subsistens, deest tamen alterum, scilicet, quod sit ens completum in aliqua specie vel genere substantiæ. — *de Anima*, l. c.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod substantiæ nihil est contrarium. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod hac de re varii varia senserunt. Dixerunt enim quidam, quod substantiæ compositæ est aliquid contrarium, non quidem ratione to-

tius compositionis, quia oportet unum subjectum esse contrariorum, sed ratione formæ substantialis, quam dicunt in igne esse ipsum calorem, et in aliis elementis eorum qualitates; sed hoc non potest esse verum. *Primo*, quia forma substantialis non est sensibilis per se, et per consequens non percipitur sensu, sed intellectu; nam « quod-quid » est objectum proprium intellectus, ut dicitur 3. *de Anima;* unde cum calidum sit sensibile per se, non potest esse forma substantialis alicujus corporis. *Secundo*, quia calor et frigus in aliis corporibus sunt accidentia, quod autem est in genere substantiæ; nulli potest esse accidens (11. *Metaphys.* l. 12; 5. *Phys.* l. 3; *de Sensu* l. 10; 1. *de Cœlo* l. 6). Unde alii dixerunt, quod calor et frigus non sunt formæ substantiales ignis et aquæ, sed tamen eorum formæ substantiales sunt contrariæ, et recipiunt magis et minus, et sunt quasi mediæ inter substantiam et accidens; sed hæc opinio irrationabilior dicitur. Nam *primo*, cum forma sit principium speciei, si forma ignis et aquæ non sunt vere substantiales, neque ignis et aqua sunt vere species in genere substantiæ; quare non est possibile inter substantiam et accidens esse aliquod medium; quod confirmatur, quia substantia et accidens sunt diversorum generum, inter quæ non cadit medium, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 13; l. 9, c. 4, quia definitiones substantiæ et accidentis sunt immediatæ (11. *Metaphys.* l. 12). *Secundo*, quia in formis substantialibus non attenditur maxima distantia inter aliquas duas formas, ita quod ab una earum non veniatur ordinatim nisi per media; sed materia dum exuitur una forma, potest indifferenter accipere diversas formas absque ordine; unde Philosophus in 2. *de Generat. text.* 24; c. 4 dicit, quod cum ex terra fit ignis, non oportet quod fiat transitus per media elementa (5. *Phys.* l. 3). *Tertio*, quia esse substantiale cujuslibet rei consistit in indivisibili, et omnis additio et subtractio variat speciem, sicut patet in numeris, ut dicitur 8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3. Unde impossibile est, quod aliqua continuitas attendatur in formis substantialibus, ut motus continuus possit esse de una forma in aliam secundum intensionem unius formæ, et remissionem alterius. — Il. cit.; 1a, q. 76, a. 4, ad 4 et q. 118, a. 2, ad 2.

Dicendum ergo est, quod nullo modo substantiæ potest esse aliquid contrarium, nisi ratione dispositionis subjecti. Nam neque potest esse contrarium ratione materiæ, quia eadem abjiciens unam formam potest, ut dictum est, recipere quamcumque indifferenter; neque ratione formæ substantialis, ob rationes allatas; neque ratione differentiarum, quarum principia sunt formæ. Nam hæ non dicuntur contrariæ proprie sumpta contrarietate, quæ duo involvit, nimirum maximam distantiam inter aliqua duo in eodem genere, et quod possit ab uno ad aliud continue perveniri, quæ duæ conditiones desunt formæ substantiali, ut dictum est, et per consequens et differentiis, quarum sunt principia, et ipsi substantiæ completæ; sed dicuntur et sunt contrariæ contrarietate improprie sumpta, quæ dicitur differentia perfecti et imperfecti, seu oppositio secundum excellentiam et defectum, quæ oppositio reperitur in quolibet genere; omnes enim differentiæ dividentes aliquod genus hoc modo se habent, quod una earum est ut abundans, et alia ut deficiens respectu alterius. Sed potest substantiæ esse aliquid contrarium ratione dispositionis subjecti; ignis enim est contrarius aquæ secundum qualitates activas et passivas, non secundum formas substantiales. Et sic patet quarta proprietas substantiæ, quæ licet omni substantiæ conveniat, non tamen soli, convenit enim etiam quantitati et relationi. — Il. cit.

Ad primum ergo dicendum, quod sublunaria dicuntur habere contrarium, non ratione formarum substantialium, nec ratione differentiarum, sed ratione qualitatum, quæ sunt invicem contrariæ, et per consequens principium alterationis corruptivæ, quibus qualitatibus caret cœlum. — Il. cit.

Ad secundum dicendum, quod ignis et aqua sunt contraria ratione qualitatum contrariarum, ut dicitur *de Sensu* c. 4. Nam secundum has agunt et patiuntur; agunt autem et patiuntur hæ non secundum se, sed secundum quod contrariæ sunt; et l c. *de Generat.* dicitur aquam esse contra riam igni eo modo, quo substantia es

contraria substantiæ, puta ratione qualitatum. — *de Sensu* l. 10; 2. *de Generat.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod formæ substantiales dupliciter possunt considerari, uno modo, secundum se, et sic constituunt species in genere substantiæ. Alio modo, secundum quod una forma habet adjunctam privationem alterius formæ, et sic diversæ formæ sunt principia contrariarum differentiarum; nam privatio quodammodo contrarium est, et per consequens sunt principia propriarum passionum; nam hæ consequuntur differentias constituentes quodlibet genus vel speciem. Verum quia, ut dictum est, differentiæ non sunt proprie contrariæ, propterea non est necessarium, quod eo modo sit contrarietas in causa, quo est in effectu; unde fit, ut passiones possint dici proprie contrariæ inter se, non earum principia. — 11. *Metaphys.* l. 12; *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 18.

Ad quartum et *quintum* dicendum, quod tam prima principia sunt contraria quam differentiæ inter se contrarietate improprie dicta, quæ est secundum excellentiam et defectum, perfectum et imperfectum. — l. c. in arg.; 5. *Phys.* l. 3.

Ad quintam quæstionem dicendum, quod substantia non intenditur nec remittitur, et per consequens non suscipit magis et minus; non tamen hoc illi soli convenit, sed etiam aliis, ut quantitati, numeris et figuris, et aliis qualitatibus. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod dupliciter potest considerari forma, *uno* modo secundum rationem speciei, *alio* modo, secundum quod participatur a subjecto. — *Si primo modo consideretur*, licet diversæ formæ secundum speciem sint inæquales, non tamen formæ unius speciei, nec eadem numero forma. Considerandum enim est, quod illud, secundum quod aliquid sortitur speciem, oportet esse fixum et stans, et quasi indivisibile: quæcumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur, quæcumque autem recedunt ab illo, vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam speciem, vel perfectiorem vel imperfectiorem; unde Philosophus dicit in 8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3, quod species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem. Si igitur aliqua forma vel quæcumque res secundum se ipsam vel aliquid sui sortitur speciem, necesse est, quod hujusmodi formæ nec intendantur nec remittantur, et non recipiant magis vel minus. Hujusmodi autem sunt omnes formæ absolutæ accidentales, ut albedo, calor et similes, et multo magis formæ substantiales; nam esse harum consistit in indivisibili, non enim una albedo secundum se considerata est magis albedo, quam alia, et multo minus unus homo est magis homo, quam alter, cum substantia sit ens per se, ratione cujus minus illi convenit intensio et remissio, quam accidenti. Illa vero, quæ recipiunt speciem ex aliquo extrinseco, ad quod ordinantur, possunt secundum se ipsa diversificari in plus vel minus, et nihilominus sunt eadem specie propter unitatem ejus, ad quod ordinantur, ex quo recipiunt speciem. Sicut motus secundum se est intensior et remissior, et tamen remanet eadem species propter unitatem termini, ex quo specificatur; et idem contingit in sanitate; nam corpus pertingit ad rationem sanitatis, secundum quod habet dispositionem convenientem naturæ animalis, cui possunt dispositiones diversæ convenientes esse; unde potest variari dispositio in plus vel minus, et tamen semper remanet sanitatis ratio. Unde Philosophus dicit in 10. *Ethic.* c. 3, quod sanitas ipsa recipit magis et minus; non enim eadem est commensuratio in omnibus, neque in uno et eodem semper, sed remissa permanet sanitas usque ad aliquid. Hujusmodi autem diversæ dispositiones et commensurationes sanitatis se habent secundum excedens et excessum; unde si nomen sanitatis esset impositum soli perfectissimæ commensurationi, tunc sanitas non diceretur major vel minor. — 1a 2æ, q. 52, a. 1, c.; *de Virt. in com.* a. 11; *de Virt. Card.* a. 3; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 3.

Si vero consideretur forma secundum participationem subjecti, sic invenimus quasdam formas recipere magis et minus, quasdam non. Hujus autem diversitatis causam assignat Simplicius in Prædicamento « qualitatis » ex hoc, quod substantia secundum se ipsam non potest suscipere magis et minus, quia est ens per se;

et ideo omnis forma, quæ substantialiter participatur a subjecto, caret intensione et remissione; unde in genere substantiæ nihil dicitur secundum magis et minus; et quia quantitas est propinqua substantiæ, et figura consequitur quantitatem, inde est, quod neque etiam in istis dicitur aliquid magis et minus. Unde Philosophus in 7. *Phys.* dicit, quod cum aliquid accipit formam et figuram, non dicitur alterari, sed magis fieri; aliæ vero formæ, quæ sunt magis distantes a substantia et conjunguntur actionibus et passionibus, recipiunt magis et minus secundum participationem subjecti. Potest autem et magis explicari hujus diversitatis ratio. Ut enim dictum est, id, a quo aliquid habet speciem, oportet manere fixum et stans in indivisibili. Duobus autem modis potest contingere, quod forma non participetur secundum magis et minus, *uno* modo, quia participans habet speciem secundum ipsam, et inde est, quod nulla forma substantialis participatur secundum magis et minus. Et propter hoc Philosophus dicit in 8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3 quod sicut numerus non habet magis et minus, sic neque substantia, quæ est secundum speciem, idest quantum ad participationem formæ specificæ, sed siquidem quæ cum materia, idest secundum materiales dispositiones invenitur magis et minus in substantia. *Alio* modo potest contingere ex hoc, quod ipsa indivisibilitas est de ratione formæ; unde oportet, quod si aliquid participat illam formam, illam participet secundum rationem indivisibilitatis, et inde est, quod species numeri non dicuntur secundum magis et minus, quia unaquæque species in eis constituitur per indivisibilem unitatem. Et eadem ratio est de speciebus quantitatis continuæ, quæ secundum numeros accipiuntur, ut bicubitum, tricubitum; et de relationibus, ut duplum, triplum, et de figuris, ut trigonum et tetragonum; et hanc rationem ponit Philosophus in prædicamento qualitatis, ubi assignans rationem, quare figuræ non recipiant magis et minus, dicit : quæ quidem recipiunt trigoni rationem et circuli, et similiter trigona vel circuli sunt, — quia indivisibilitas est de ipsa earum ratione; unde quæcumque participant rationem eorum, oportet quod indivisibiliter participent. Quia vero dantur plures formæ, secundum quas subjectum illas participans non habet speciem, ut sunt primæ et secundæ qualitates, ut calor, frigus, odor, color, et quædam præterea sunt, de quarum ratione non est indivisibilitas, neque dant speciem subjecto, ut sunt habitus et dispositiones, ideo hæ participantur secundum magis et minus, subjectum vero nullo modo. Et sic manifesta est quinta proprietas substantiæ, illi tamen cum multis aliis formis communis. — II. cit.

Ad primum ergo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur magis substantia alio. *Primo*, quia plura continet, et hoc modo magis substantia dicitur genus, quam species, et universale, quam particulare. (8. *Metaphys.* l. 1). — *Secundo*, quia una substantia magis substat accidentibus et naturæ communi, quam alia; et hoc modo a Philosopho prima substantia dicitur magis substantia, quia substat primo et per se omnibus accidentibus, et omnibus substantiis secundis, et inter secundas species dicuntur magis substantiæ, quia magis substant utroque modo, quam genera. (*Opusc.* 48, tract. 3, c. 3; 1. *de Generat.* l. 8). — *Tertio*, quia unum est perfectius et nobilius alio; et hoc modo dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 18; c. 3) quod ignis est magis substantia quam terra, quia ille est perfectior ratione perfectioris differentiæ. *Quarto*, quia est notius nobis, et hoc modo substantiæ corporeæ dicuntur a Philosopho (2. *de Anima text.* 3; c. 1) magis substantiæ, quam incorporeæ. Et ex his patet ad *secundum* et *tertium* argumentum. — 2. *de Anima* l. 1.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, quod substantia non recipit magis et minus, non est sensus, quod una species substantiæ non sit perfectior, quam alia, sed quod unum et idem individuum non participat suam speciem quandoque magis, quandoque minus, nec etiam a diversis individuis participatur species substantiæ secundum magis et minus. — Vel dic, quod dupliciter potest dici aliquid magis et minus, vel quantum ad naturam participatam, quæ secundum se intenditur et remittitur secundum accessum ad terminum vel recessum, et hoc non est nisi in

accidentibus; vel quantum ad modum participandi, et sic etiam in essentialibus dicitur magis et minus secundum diversum modum participandi. Et sic angelus dicitur magis intellectualis, quam homo. — 1a, q. 93, a. 3, ad 3; 1. *Sent.* dist. 8, expositio 2. part. textus.

Ad sextam quæstionem dicendum, quod proprium substantiæ primæ tanquam illi soli conveniens est, quod eadem manens numero sit susceptiva contrariorum. — Cujus ratio est, quia si aliqua dicuntur suscipere contraria, ut linea curvitatem et rectitudinem, superficies albedinem et nigredinem, non hoc illis convenit nisi ratione substantiæ primæ, quia nimirum hæc sola est subjectum primum quod sustentans omnia accidentia, et de qua, ut dicitur 7. (6) *Metaphs.* omnia accidentia denominative dicuntur. Cum enim subjectum tripliciter comparetur ad accidens, nimirum, ut præbens ei sustentamentum, ut potentia ad actum, et ut causa ejus, solis duobus modis postremis potest accidens esse subjectum alterius, et sola substantia prima potest esse subjectum primo modo accidentium, quia sola per se subsistit. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 4; 7. *Metaphys.* l. 2; *de Virt. in com.* a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis dicitur a Philosopho numquam frigidus fieri, non quia nihil frigoris recipere possit (nam cum ibidem dicat, quod aqua citius magisque refrigescit quam exiguus ignis, aperte ostendit, ignem posse in se recipere frigus), sed quia non potest ignis licet exiguus manens ignis amittere omnem calorem et fieri totaliter frigidus, cum tamen omnis aqua refrigerari possit et omne frigus amittere; ita Philosophus ibidem. Et ratio hujus est, quia ignis cæteris elementis formalior est, et ideo non potest alterari amittendo suam naturalem qualitatem, sicut contingit in aere et aqua. — V. supra q. 6, a. 1, ad 3; 2. *de Anima* l. 23; *de Verit.* q. 21, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod in cœlis non est contrarietas proprie dicta, quæ est corruptiva, et hanc intendit Philosophus amovere a cœlo, ut est contrarietas calidi et frigidi; potest tamen in illo esse contrarietas communiter dicta, quæ est secundum differentias alicujus generis, puta secundum quod par et impar dicuntur contraria; unde fit, ut cum Philosophus dicit in Prædicamentis esse susceptivum contrariorum esse maxime proprium substantiæ, vel loquitur de substantia generabili et corruptibili, vel de substantia composita simpliciter; ita tamen ut hæc proprietas dicatur maxime propria substantiæ, quia soli substantiæ inest, licet non omni. — 1. *de Cœl.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod linea est susceptiva curvitatis et rectitudinis, et superficies albedinis et nigredinis ratione substantiæ; nam hæc sola est subjectum quod illorum, linea vero et superficies sunt subjectum quo. Ad illud de oratione et opinione, quæ eadem manens aliquando est vera, aliquando falsa, respondet Philosophus, quod hoc non fit per mutationem orationis vel opinionis; non enim mutatur oratio vel opinio, cum Socrates sedet, eo surgente, sed mutatur res; non enim per sui mutationem oratio vel opinio dicitur esse susceptibilis contrariorum, sed per mutationem rei significatæ; quare id soli substantiæ convenit, et aliis ratione substantiæ. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 4; 3. *Sent.* dist. 33, q. 2, a. 4, sol. 1.

QUÆSTIO XI

DE PRÆDICAMENTO QUANTITATIS.

Deinde considerandum est de prædicamento quantitatis.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR QUINQUE:

1. Utrum ratio quantitatis consistat in divisibilitate.
2. Utrum quantitas realiter distinguatur a substantia.
3. Utrum recte sint assignatæ species quantitatis.
4. Utrum recte sint assignatæ proprietates quantitatis.
5. Utrum recte sint assignatæ divisiones quantitatis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM RATIO QUANTITATIS CONSISTAT IN DIVISIBILITATE.

Videtur quod ratio quantitatis non consistat in divisibilitate, sed vel in mensura vel in extensione.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster.*

text. 3 et 4; c. 4), quod ipsius quid est non potest esse demonstratio; sed idem Philosophus (6. *Phys. text.* 1 sq.; c. 1) probat, continuum esse divisibile in infinitum : ergo divisibilitas non est ratio formalis quantitatis. — 2. *Poster.* l. 3 et 4; 6. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, definitio unius rei non potest alteri convenire, nam definitio et definitum sunt idem re, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 21; l. 6, c. 6; sed divisibilitas in partes convenit substantiæ; mixtum enim dividitur in miscibilia, et substantia composita dividitur in partes essentiales, puta in materiam et formam, et in partes integrales, ut in os, nervum, carnem, ut dicitur 1. *Phys. text.* 36, c. 4, et in partes ejusdem rationis; quia cum substantia non possit esse tota sub tota quantitate, et sub qualibet parte ejus, quia alioqui sequeretur, quod infinities esset sub determinata quantitate, quia quantitas est divisibilis in infinitum, debet esse substantia tota sub tota quantitate, et pars sub parte, et per consequens divisibilitas debet illi competere ratione sui, et sic non erit ratio quantitatis. — 7. *Metaphys.* l. 5; 5. *Metaphys* l. 15; *Opusc.* 42, c. 20; 1. *Phys.* l. 9; 3a, q. 76, a 3, c. et arg 1; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, arg. 1.

3. Præterea, cum quæcumque uni et eidem sunt simul, sibi invicem sint simul, si sub qualibet parte quantitatis esset tota aliqua substantia, puta corporis Petri, et consequenter ubi esset una ejus pars, esset alia, ubicumque est pars corporis Petri, esset totum corpus Petri, et consequenter ubi esset una ejus pars, esset alia; sed hoc repugnat distinctioni partium, quæ requiritur in corpore organico : ergo non potest tota substantia corporis Petri, quantum ex se, esse sub qualibet parte quantitatis, et consequenter necesse est, quod divisibilitas in partes conveniat etiam substantiæ; unde non erit ratio formalis quantitatis. — 3a, l. c.; l. 4. *Sent.* c. arg. 2.

4. Præterea, potentia ad actionem est in prædicamento qualitatis, ut dicemus, et dicitur naturalis potentia; sed divisibilitas nihil est aliud, quam potentia ad actionem divisionis : ergo divisiblitas non est ratio formalis quantitatis. — V. infra q. 12, a. 2.

5. Præterea, illud non est ratio formalis quantitatis, cujus oppositum convenit uni ex speciebus ipsius; sed indivisibilitas, quæ opponitur divisibilitati, convenit continuo, quod est species quantitatis; definit enim Philosophus continuum (5. *Metaphys. text.* 8; l. 4, c. 6, cujus motus est indivisibilis : ergo divisibilitas non est ratio formalis quantitatis.— 5. *Metaphys.* l. 7.

6. Præterea, ratio generis debet æqualiter convenire speciebus; sed divisibilitas non convenit æqualiter continuo et numero; nam divisibilitas prius convenit continuo, quia numerus sequitur et causatur ex divisione continui, et divisibilitas continui est in partes potentia, divisibilitas vero numeri est in partes actu; nam oritur ex divisione actuali : ergo divisibilitas non est ratio quantitatis. — *de Malo*, a. 9, arg. 16; 3a, q. 76, a. 3, ad 1; *de Pot.* q. 9, a. 7, c. et ad 15; 7. *Metaphys* l. 13.

7. Præterea, ratio formalis quantitatis est illa, secundum quam distinguuntur species quantitatis; sed hæ distinguuntur a Philosopho ex diversa ratione mensuræ; nam superficies et locus, quæ ponuntur a Philosopho diversæ species quantitatis, non distinguuntur secundum rationem divisibilitatis, sed mensuræ : ergo hæc est ratio formalis quantitatis. — 5. *Metaphys.* l. 15; *Opusc.* 52.

8. Præterea, multitudo est posterior uno, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 9; l. 9, c. 3; sed divisibilitas spectat ad multitudinem, sicut mensura ad unum, ut dicitur ibidem *text.* 2 et 3; c. 1 : ergo divisibilitas non est ratio formalis quantitatis, sed mensura; nam ratio formalis est radix omnium rationum, quæ sunt in re. — 10. *Metaphys.* l. 4, 1 et 2.

9. Præterea, ideo linea est divisibilis, quia est in se extensa; nam ratio ad se prior est ratione ad aliud, quia hæc fundatur in illa; ergo extensio, quæ est ratio formalis partium, est prior divisibilitate, et consequenter divisibilitas non est ratio formalis quantitatis, sed extensio.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13) definit quantum, quod in ea, quæ insunt, divisibile est, et 1. *Phys. text.* 16; c. 3; 3. *Phys. text.* 2; c. 1; 6. *Phys. text.* 3; c. 1; 1. *de Coel. text.* 2; c. 1 et 5. *Metaphys. text.* 12;

l. 4, c. 6] definit continuum, quod est species quantitatis, quod est divisibile in infinitum, et 5. *Metaphys. text.* 12 et 18; l. 4, c. 6 et 13 definit primas species quantitatis, puta magnitudinem et multitudinem; et similiter species quantitatis continuæ seu magnitudinis per divisibilitatem, dicens magnitudinem esse quid divisibile in partes continuas, multitudinem vero in non continuas, et quod est divisibile in duo, esse superficiem, quod in unum, lineam, quod in tria, corpus. — 5. *Metaphys.* l. 6; *de Pot.* q. 9, a. 7, *Sed contra* arg. 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod de ratione formali quantitatis multiplex est philosophorum opinio. *Quidam* enim dicunt rationem formalem quantitatis esse rationem formalem partium; sed hæc opinio non videtur vera, quia ratio formalis partium supponit secundum rem et rationem divisibilitatem, quod patet, quia ut se habet pluralitas actualis partium ejusdem rationis, et ratio formalis talis pluralitatis ad divisionem, ita pluralitas potentialis, et ratio talis pluralitatis ad divisibilitatem; ut enim se habet actus et ratio talis actus ad actum, ita potentia et ratio talis potentiæ ad potentiam; sed pluralitas actualis partium ejusdem rationis necessario supponit secundum rem et rationem divisionem, ut constat tum ex Philosopho, 1. *Phys. text.* 16; c. 3, ubi dicit, quod ideo continuum est quoddammodo multa, quia est divisibile, et 10. *Metaphys. text.* 9; l. 9, c. 3, ubi dicit, quod plura dicuntur aliquid ex eo, quod est divisibile, vel divisum; tum ratione, quia omnis pluralitas oritur ex distinctione, omnis vero distinctio vel est per essentiam, vel per relationem, vel per quantitatem, distinctio autem per quantitatem est per divisionem vel divisibilitatem: ergo ratio plurium partium causaliter supponit. divisibilitatem (*de Pot.* q. 9, a. 7, c. et ad 15; *Opusc.* 70, q. 4, a. 1, *Sed contra* et c.; 3a, q. 76, a. 3, ad 1 et q. 90, a. 1, c; 1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 2, c.). — *Confirmatur primo*, quia pluralitas actualis seu multitudo est aggregatio unitatum; unitas autem dicit indivisionem, eatenus enim aliquid dicitur unum, quia est indivisum, ut ‖ docet Philosophus (5. et 10. *Metaphys.*), indivisio vero supponit secundum rationem divisionem, cum sit negatio illius, quare et pluralitas actualis supponit secundum intellectum divisionem; ergo similiter et pluralitas potentialis supponit secundum rem et rationem divisibilitatem, et utroque modo causabitur ex divisibilitate; sicut enimduo corpora facit actualis divisio, ita duas partes unius corporis facit divisibilitas potentialis. Sed rursus ratio formalis pluralitatis actualis supponit similiter secundum intellectum divisionem; nam ratio formalis rei non distinguitur realiter a re, ut ratio hominis ab homine; ergo et ratio pluralitatis possibilis supponet secundum rem et rationem divisibilitatem, et per consequens cum secundum auctores hujus opinionis ratio formalis partium, quae constituit rationem formalem quantitatis, vel sit ratio formalis partium actualium vel potentialium, ratio formalis partium supponet secundum rem et rationem divisibilitatem, unde non poterit esse ratio formalis quantitatis. — Confirmatur *secundo*, quia vel per rationem partium intelligitur definitio partium seu pluralitatis partium ejusdem rationis, vel causa et ratio immediata, unde profluit pluralitas, quomodo admirativum dicitur causa risibilitatis; si dicatur primum, quod est causa virtualis definiti, est causa virtualis definitionis, nam definitio et definitum realiter identificantur; sed divisio et divisibilitas sunt causæ immediatæ, ut dictum est, pluralitatis actualis et potentialis; ergo erunt causæ rationis formalis partium actualium et potentialium. Si secundum, immediata causa pluralitatis actualis vel potentialis est divisibilitas; sed immediata causa ejusdem pluralitatis est secundum prædictos auctores ratio partium: ergo ratio partium est divisibilitas. — Confirmatur *tertio*, quia ita se habet ratio partium quantitativarum ad divisibilitatem, sicut ratio plurium entium formalium ad divisibilitatem formalem; sed ideo sunt aliqua plura formaliter, quia sunt divisa formaliter, et ideo aliquid est unum formaliter, quia est indivisum vel indivisibile formaliter, et rursus ideo aliqua sub uno sunt plura actualiter vel potentialiter, ut differentiæ plures sub uno genere potestate contentæ, quia illud genus unum est

divisum vel divisibile in illas, sicut ideo sub aliquo uno non continetur ulla pluralitas, quia illud unum non est in illa divisibile : ergo divisibilitas est ratio cujuscumque pluralitatis et consequenter est ratio virtualis partium. — *Quodl.* 1, a. 21; *de Pot.* q. 9, a. 7, c.; 1a, q. 30, a. 3.

Et ideo *alii* dicunt rationem formalem quantitatis in eo consistere, quod sit occupativa spatii cum exclusione alterius. — Sed ista opinio minus rationabilis videtur, quod multipliciter constare potest; nam *primo*, prius est considerare rem in se, quam in ordine ad aliud, nam illud est considerare rem simpliciter, hoc vero secundum quid, et per consequens secundum id, quod non est in ipsa essentia rei seu ratio formalis illius ; sed esse occupativum spatii cum exclusione alterius convenit quantitati per ordinem ad aliud, esse vero divisibilem convenit quantitati secundum se et in se : ergo esse occupativum spatii cum exclusione alterius non est ratio formalis quantitatis. *Secundo*, quia replere locum vel spatium non est proprium quantitatis, sed substantiæ sensibilis ; nam cum plenum opponatur vacuo, illud solum non replet locum, quo posito in loco, locus nihilominus remanet vacuus; vacuum autem definitur (4. *Phys. text.* 57; c. 7). quod est locus non plenus corpore sensibili ; dicitur autem corpus aliquod esse sensibile ex materia et forma, et naturalibus accidentibus, unde fit, ut si ponantur dimensiones esse separatæ sine materia, non replebunt locum, et tamen impedient coexistentiam alterius corporis in eodem loco, quia impedire coexistentiam corporis in eodem loco est plus, quam replere locum. *Tertio*, quia eatenus unum corpus non penetrat cum alio, vel una pars cum altera ejusdem corporis, quatenus sunt distinctæ secundum situm, unde et partes substantiæ ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subjectæ dimensioni; situs autem cum sit ordo partium in toto, necessario supponit et ipsam pluralitatem partium potentialem et rationem illam causalem, unde talis pluralitas potentialis oritur, ut dictum est. — 3. *Sent.* dist. 13, q. 3, a. 2, sol. 3 et ad 1 ; 1a, q. 82, a. 3, c. ; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, solutio 2; 1. *de Generat.* l. 12.

Alia ergo opinio est dicentium, rationem formalem quantitatis esse mensuram, quæ positio propius accedit ad veritatem. Nam de quantitate duo potissimum artifices tractant, logicus nimirum et philosophus; et logicus quidem quia non considerat naturas rerum secundum se vel secundum suum esse sed tantum secundum quod dicunt ordinem ad intellectum seu secundum quod sunt in anima, et secundum modum prædicandi, non alio modo considerare potest quantitatem, quam sub ratione mensuræ. Nam hæc convenit quantitati per ordinem ad intellectum; consistit enim in eo, quod sit id, quo intellectus de quantitate rei certificatur; et ideo verum est, quod ratio formalis quantitatis, secundum quam logicus considerat quantitatem, est ratio mensuræ; sic enim potest logicas intentiones formare in quantitate; et propterea Philosophus in Prædicamentis secundum diversos modos mensuræ distinguit species quantitatis, et inter illas aliquas ponit, quas rejicit in Metaphysica, ubi quantitatem considerat, quatenus est ens et secundum suum esse, ut tempus et locum; et si hoc tantum vult tertia opinio, vera est. — 7. *Metaphys.* l. 13 et 17; *Opusc.* 42, c. 7, 9 et 20; 5. *Metaphys.* l. 15; 10. *Metaphys.* l. 2.

Si vero loquamur de ratione formali quantitatis secundum se et secundum suum esse sumptæ, non est vera, quod ex his constare potest. *Primo*, quia ratio formalis quantitatis sic sumptæ non debet dependere ab actu animæ, cum quantitati conveniat secundum se et independenter ab anima. *Secundo*, quia locus et tempus non sunt species quantitatis secundum se et philosophice sumptæ, et tamen in ratione mensuræ, ut dictum est, sunt species distinctæ ab aliis, et ut tales ponuntur a Philosopho in Prædicamentis. *Tertio*, quia ratio mensuræ proprie vel soli quantitati discretæ convenit, vel per se primo videtur illi competere. Dupliciter enim sumi potest mensurare vel mensura, *uno* modo pro eo, quod est facere tot res formaliter, sicut proprium albedinis est facere album, et hoc est proprium unius, quod est principium numeri, vel ipsius numeri. *Alio* modo, pro eo, quod est deducere in cognitionem quantitatis

alicujus, et hoc pertinet quidem ad quantitatem, sed non tanquam ratio formalis, sed ut propria ejus passio, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 2; l. 9, c. 1; consequitur enim rationem unius, quod est principium numeri, ut dicitur ibidem et 5. *Metaphys. text.* 12; l. 4 c. 6; et ratione illius proprie et primo respicit quantitatem discretam seu numerum. Quia enim mensura debet esse unigenea mensurato, ut dicitur 10 *Metaphys. text.* 4 9; l. c. 1, proprie et primo respicit unitates, ex quibus constituitur numerus, unde non respicit æqualiter omnes species quantitatis, quod est contra rationem generis, ut dictum est. Et ideo alii dicunt et vere, quod ratio formalis quantitatis est divisibilitas, quæ positio est Philosophi, qui definit quantitatem in communi, et species tum illius tum quantitatis, continuæ per divisibilitatem, ut dictum est. Nam si aliquando, ut in *Prædicam.* c. 6, definit continuum aliter, quam per divisibilitatem, puta cum illud definit, cujus partes copulantur termino communi, talem definitionem tradit ut logicus; nam tradit illam per ordinem ad intellectum, seu per ordinem ad partes componentes secundum eum modum, quo a nobis intelligitur quantitas continua ex illis componi, non autem secundum rem (*Opusc.* 42, c. 20; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 1; *Metaphys.* ll. cit.).—Ad intelligendum enim continuum imaginari debemus punctum indivisibile moveri, et suo motu causare lineam, et lineam motam causare superficiem, et hanc motam causare corpus, sicut nunc motum causat tempus; his enim imaginatis et causatis, licet non ita sit realiter, intelligimus quid sit continuum; si enim punctum motum causat lineam, omnes partes lineæ per punctum copulantur. Et quia in qualibet parte lineæ est imaginari punctum, ad quod continue se habent aliæ partes lineæ sine alia divisione, ideo linea dicitur continua; et idem dicitur de superficie respectu corporis. Neque vero dici potest Philosophum assignasse rationem formalem quantitatis a posteriori per passionem, *primo*, quia nec in Logica, nec in Metaphysica, ubi Philosophus ex professo agit de quantitate et exacte numerat ejus passiones, inter illas ponit divisibilitatem, sed alias, puta æqualitatem et inæqualitatem, et similes, *Secundo*, quia in Physica et Metaphysica non aliter definit quantitatem, quam per divisibilitatem, cum tamen alia prædicamenta per propriam rationem formalem descripserit. *Tertio*, quia satis expresse multis in locis docet divisibilitatem esse rationem quantitatis, puta cum 6. *Phys. text.* 3; c. 1 ad probandum inter duo puncta mediam debere esse lineam, docet rationem continui in divisibilitate consistere; et cum locis supracitatis docet, causam pluralitatis partium potentialis seu rationis formalis partium esse divisibilitatem. Quæ positio potest probari ex dictis, quia divisibilitas est ratio prior quacumque alia inventa in quantitate et radix illarum omnium, et per illam probari possunt omnes passiones quantitatis de quantitate, sicut per illam probavit Philosophus 3. *Phys. text.* 36 et 37; c. 6 finitum vel infinitum, quod similiter probavit 1. *Phys. text.* 15; c. 3; nec ulla alia ratio formalis quantitatis potest præter hanc assignari. Et sic manifestum est quod ratio formalis quantitatis est divisibilitas.—1. *de Coel.* l. 2; 3. *Phys.* l. 1; ll. cit; 6. *Phys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 3; 3. *Phys.* l. 7.

Nota, ex divisibilitate oriri hos quatuor effectus formales: *primus* est pluralitas potentialis partium; *secundus* est incompossibilitas partium secundum indistantiam; *tertius*, quod una pars excludit aliam et est extra illam in toto; *quartus*, ratio partium extra partes in ordine ad totum; valet enim hæc consequentia: quantitas habet partes extra partes in ordine ad locum; ergo et in ordine ad totum, non contra, ut patet in Sanctissimo Sacramento. Præterea, ideo una pars est extra aliam vel excludit aliam in toto, quia est incompossibilis cum illa secundum situm; rursum ideo est incompossibilis cum illa, quia est talis pluralitas partium, puta potentialis quantitatis. Demum ideo est talis pluralitas partium, quia quantitate est divisibilis; sic enim Philosophus docet ll. supra cit., continuum esse quodammodo multa, quia est divisibile.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus non demonstrat simpliciter continuum esse divisibile, sed non esse divi-

sibile in indivisibilia, quod etiam probat tantum a posteriori, quia non componitur ex indivisibilibus, et ex multis absurdis. — 6 *Phys.* l. 1

Ad secundum dicendum, quod substantia sublata quantitate est indivisibilis, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 15; c. 3 et 3. *Phys. text.* 35; c. 3). Cujus ratio est, quia forma substantialis non consequitur quantitatem, nec fundatur in illa, sicut formæ accidentales, et ideo non recipit totalitatem quantitatis, sicut illæ recipiunt, unde necessario debet tota substantia verbi gratia ligni, per se esse sub tota quantitate ligni, et sub qualibet ejus parte; nam per accidens tota substantia ligni est sub tota quantitate et pars sub parte, ad distinctionem animæ rationalis et animæ perfectorum animalium, quæ neque per se, neque per accidens sunt divisibiles. Et ideo communiter a theologis dicitur, quod Christ corpus est totum sub tota quantitate hostiæ, et totum sub qualibet ejus parte, non autem pars sub parte, quomodo quantitas ligni dimensiva est sub quantitate dimensiva loci; nam alioqui corpus Christi esset situaliter in Sacramento et circumscriptive, quod est falsum. Quare omnis ratio partium, et extensio, et consequenter divisio vel divisibilitas convenit substantiæ ratione quantitatis, quæ proinde a Philosopho definitur in 5. (4) *Metaphys.*, quod est divisibilis in ea, quæ insunt, quod non ideo dictum est, quasi partes, in quas quantum divisibile est, sint actu in toto, in quo sunt, divisæ, sed hoc est dictum ad differentiam mixti, quod non est divisibile in miscibilia nisi per alterationem, per quam altera forma inducitur; sed hic sine alteratione aliqua sola divisione fit pars actu; unde quando est in toto, actu esse dicitur, quia quod prope est ad esse, nihil ab esse differre videtur; et ideo statim subjungit, quod quælibet pars nata est esse unum aliquid, et hoc aliquid demonstrabile, quod non convenit partibus essentialibus, ut materiæ et formæ, quia post divisionem neutrum manet per se existens, nisi forte fuerit forma et hoc aliquid simul, sicut est anima humana. — 1. *Sent.* dist. 8, 9. 5, a. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 10; 3. *Phys* l. 7; 1a, q. 50, a. 2, c. et q. 76, a. 8; *Opusc.* 70, q. 4, a. 2, ad 3; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 3 et ad 1; 3a, q. 76, a. 1 et 3; 4. c. *Gent.* c. 67; 5. *Metaphys.* l. 13; Expos. in 1. Cor. c. 11, l. 3; *Opusc.* 32, c. 3; *Opusc.* 42, c. 20.

Excluduntur etiam a prædicta definitione partes integrales; nam hæ sunt actu perfecto in toto, et eorum divisibilitas est actualis, partes autem continui sunt in potentia, non actu, sicut et divisibilitas non est actualis, sed potentialis; sic duo dimidia ejusdem lineæ sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est una in actu, et hoc, quia actus habet virtutem separandi et dividendi; præterquam quod divisibilitas quantitatis est in partes ejusdem rationis, cujusmodi non sunt partes integrales. Neque sequitur ex eo, quod substantia est tota sub tota quantitate, et tota sub qualibet ejus parte, quod substantia sit infinities sub determinata quantitate, quia cum numerus sequatur divisionem, sicut et quæcumque pluralitas, quamdiu quantitas manet indivisa actu, substantia rei non est pluries sub propriis dimensionibus, et consequenter nec infinities, sed toties, in quot partes dividitur. Quamquam dici aliter potest, quod unitas rei consequitur esse ipsius, partes autem alicujus homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum, et ideo nulla illarum habet unitatem propriam in actu; unde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum; et propter hoc forma, quæ est in toto tali et tota in partibus ejus, non dicitur ante divisionem continui esse ibi pluries actu, sed solum potentia, sed post divisionem multiplicatur secundum actum, ut patet in animabus animalium annulosorum. — 1. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 70. l. c; 3a, q. 76, a. 3 ad 1; 1a, q. 30; a. 3 c; 4. *Sent.* l. c. ad 1; *Quodl.* 1, a. 21.

Ad tertium dicendum, quod ordo et distantia atque adeo situs partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensiva, ipsa autem natura substantiæ præcedit quantitatem, et ideo non sequitur, quod partes organicæ sint simul, licet tota substantia sit sub qualibet parte dimensionis. — 3a, l. c. ad 2; 4. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad quartum dicendum, quod duplex

est potentia, una quæ consequitur formam, et est modus substantiæ, et hæc est species qualitatis; altera consequitur materiam, et est mensura substantiæ, et hæc constituit genus prædicamenti distinctum habens sub se varias species. — V. supra q. 9, a. 3; infra q. 12. a. 2.

Ad quintum dicendum, quod hæc duo simul stare possunt, quod continuum habeat motum indivisibilem, ut dicit Philosophus, et tamen, quod sit secundum se quoddam divisibile; nam idem Philosophus (6. *Phys.*) dicit, quod tempus motus dividitur secundum partes mobilis. Ratio autem hujus est, quia continuum dupliciter potest comparari: vel ad motum absolute sumptum, et hoc modo dicitur continuum, cujus motus est indivisibilis, quia non ante una pars ejus quam alia movetur, sed cum movetur una, moventur et aliæ; vel ad aliquod signum magnitudinis, super quod continuum moveatur, et tunc continuum dicitur, cujus motus est divisibilis, et similiter et tempus motus, sicut est ipsum continuum; nam illud signum prius pertransitur a parte priore continui quam a posteriore. — 5. *Metaphys.* l. 7.

Ad sextum dicendum, quod aliquod genus potest convenire prius uni speciei, quam alteri dupliciter : vel secundum esse, et hæc prioritas non tollit univocationem, et hoc modo se habet in proposito quantitas respectu continuæ et discretæ; vel secundum rationem propriam, et hæc prioritas tollit univocationem, ut patet in ente respectu substantiæ et accidentis. Cæterum sicut in continuo partes non sunt actu, sed in potentia, et ideo faciunt unum actu, ita et in numero unitates non sunt actu, sed potentia; dualitas enim non est duæ unitates actu, sed est aliquid ex duabus unitatibus compositum, alioqui numerus non esset unum per se et vere, sed per accidens, sicut quæ coacervantur. — 1. *Periherm.* l. 8; 7. *Metaphys.* l. 13.

Ad septimum dicendum, quod quantitas consideratur a logico secundum rationem mensuræ; sic enim potest formare intentiones logicas in quantitate, et propterea secundum diversas rationes mensuræ distinguit species quantitatis, et inter illas ponit locum et tempus, quia habent peculiarem rationem mensuræ. Sed a philosopho consideratur quantitas secundum suum esse, atque adeo secundum rationem divisibilitatis, secundum quam quia non distinguitur locus a superficie, ideo non ponitur inter species illius, sicut nec ponitur tempus, quia habet divisibilitatem ab alio, non autem ex se, sicut habent species omnes quantitatis secundum se consideratæ. — *Opusc.* 42, c. 20; 5. *Metaphys.* l. 15.

Ad octavum dicendum, quod in multitudine considerari potest, et quod est multitudo, et ipsa divisio. Ratione igitur divisionis prior est secundum rationem multitudo, quam unum, nam unum est, quod non dividitur; secundum quod autem est multitudo, est posterior uno secundum rationem, cum multitudo dicatur aggregatio unitatum. Simpliciter tamen divisio præcedit et unum et multitudinem; nam ea, quæ divisa sunt, non habent rationem multorum, nisi postquam huic et illi attribuitur, quod sit unum, multitudo enim constituitur ex unitatibus; unum autem, cum neget divisionem, necessario supponit divisionem. Unde primo debet concipi ens, tum divisio, postea unitas, ultimo multitudo seu numerus. — 10. *Metaphys.* l. 4.

Ad nonum dicendum, quod particula « quia » non designat causam prædicati, sed rationem formalem illius modo absoluto conceptam, quomodo etiam dicitur, quod res est intelligibilis, quia vera, cum tamen veritas non distinguatur ab intelligibilitate, non nisi quia eadem passio potest et nomine absoluto et relativo significari, eodem autem modo se habet divisibilitas respectu extensionis. Quod si dicas actus divisionis non est essentialis quantitati : ergo nec divisibilitati; — respondeo negando consequentiam; nam divisibilitas non est ratio formalis quantitatis, ut dicit ordinem ad divisionem, sed ut est causa pluralitatis potentialis, ex qua oritur ordo divisibilitatis ad actualem divisionem, et hoc est, quod quidam dicunt divisibilitatem, quæ est ratio formalis quantitatis, non esse illam, quæ est potentia proxima ad divisionem, sed quæ est principium hujus

potentiæ, ita Niphus *Metaphys.* disp. q. 5 et Soncinas 5. *Metaphys.* q. 21.

ARTICULUS II.

Utrum quantitas realiter distinguatur a substantia

Videtur quod quantitas non distinguatur realiterr a substantia.

1. Subjectum enim accidentium non est accidens, quia accidentis non est accidens, nisi quia utrumque eidem substantiæ accidit, ut dicit Philosophus (4.*Metaphys. text.* 14; l. 3, c. 4); sed qualitates sunt in quantitate tanquam in subjecto, quia non sunt divisibiles nisi per accidens ratione subjecti, dividuntur autem per quantitatem : ergo quantitas non distinguitur a substantia. — *de Virt. in com.* a. 3. arg. 3; 3a, q. 77 a. 2, arg. 1 et *Sed contra*; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3, c.)

2. Præterea, nullum accidens est independens a materia sensibili secundum rationem, cum omne accidens, ut dicitur l. c. *text.* 2, c. 2 sit entis ens; sed quantitas est independens secundum propriam rationem a materia, nam propterea in prædicando et subjiciendo accipit modum substantiæ et accidentis; dicimus enim lineam quantitatem et quantam, magnitudinem et magnam : ergo quantitas non est accidens. — 4. *Sent.* l. c. et ad 2; 4. *Metaphys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 15.

3. Præterea, quod reperitur in omnibus substantiis sensibilibus significans hoc aliquid, et sine quo substantia esse non potest, est substantia, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 15; l. 4, c. 8; sed quantitas est hujusmodi; cum enim linea dicitur quanta, ut dictum est, significatur per modum subsistentis, atque adeo ut hoc aliquid, et sine quantitate non potest permanere substantia, quia hæc ratione illius dicitur habere partes et esse divisibilis, ut dictum est : ergo quantitas est substantia, et consequenter non distinguitur ab illa. — 5. *Metaphys.* l. 10 et 11.

4. Præterea, in solo quantitatis genere aliqua significantur ut subjecta, et aliqua ut passiones, ut linea, superficies, et corpus, et numerus, nam quodlibet horum est essentialiter quantum; et aliqua significantur ut passiones, ut multum et paucum respectu numeri, et productum et breve respectu lineæ; sed hoc non est, nisi quia quantitas realiter non distinguitur a substantia, nam si distingueretur, non esset ratio, cur in cæteris generibus accidentium idem non reperiretur : ergo quantitas non distinguitur realiter a substantia. — 5. *Metaphys.* l. 15.

5. Præterea, sicut ea, quæ in genere substantiæ differunt genere vel specie, differunt secundum substantiam, ita et quæ differunt numero; sed aliqua dicuntur differre genere vel specie per id, quod est in genere substantiæ : ergo et dicuntur diversa numero per id, quod est in genere substantiæ; sed partes substantiæ, verbi gratia ligni, divisi differunt numero per quantitatem : ergo quantitas non distinguitur realiter a substantia. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 2, arg. 4.

6. Præterea, dicit Philosophus (4. *Metaphys.*, quod idem est rebus causa substantiæ et unitatis, et per consequens pluralitatis, ex qua pluralitas oritur; sed res habent unitatem ex materia, ut dicitur 5, *Metaphys.* et consequenter et pluralitatem : ergo quantitas, per quam substantia habet plures partes ejusdem rationis, ut dictum est, non distinguitur a materia, et sic erit realiter substantia. — l. cit. arg. 1 et 2.

7. Præterea, si materia non est divisibilis nisi per quantitatem a se realiter distinctam, ita ut ipsa in se sit indivisibilis, sequitur, quod materia æqualiter se habeat ad recipiendum omnes quantitates, sicut ad recipiendum omnes formas, ita ut ex materia grani milii possit fieri totus mundus; nam si materia caret quantitate, indivisibilis est et se habens ad modum puncti, qui est terminus linearum infinitarum, si essent possibiles; sed consequens est falsum, nam materia prima non est receptibilis majoris quantitatis, quam totius mundi : ergo materia secundum se est divisibilis in partes ejusdem rationis per quantitatem a se realiter indistinctam. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1, *Phys. text.* 15; c. 2 refellens opinionem Melissi dicentis, omnia esse unum, sic argumentatur. Si omnia sunt unum, vel hoc

est substantia, vel quantitas, vel utrumcumque; si dicitur tertium, non omnia erunt unum, sed duo, quæ consequentia nulla est, si quantitas non distinguitur realiter a substantia; et 7 *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3, longitudo, inquit, latitudo et profunditas quantitates quædam sunt, et non substantia, quantitatis enim non est substantia, sed magis cui hæc primo insunt et 3. *Metaphys. text.* 17; l. 2, c. 5, pluribus rationibus probat lineas, superficies et corpora non esse substantias corporum. — 1. *Phys.* 3; 5. *Metaphys.* l. 10 et 15; 7. *Metaphys.* l. 2; 10. *Metaphys.* l. 4; 3. *Metaphys.* l. 13; 3a, q. 77, a. 2, c.; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3.

2. Præterea, in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ quantitas panis, sicut et reliqua illius accidentia remanent sine substantia panis, ut habetur *de Consecrat.* dist. 2, cap. *Species* ex D. Greg. et in Trid. sess. 13, can. 2, definitur, quod tota substantia panis convertitur in corpus Christi, et tota substantia vini in ejus sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; at inter species panis et vini est quantitas utriusque. — 3a, q. 77, a. 1, *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa hanc opinionem fuit *error antiquorum philosophorum*, qui, quod viderent, omnia accidentia fundari in quantitate, et sublatis qualitatibus nihil remanere sensibile præter quantitatem, dixerunt, dimensiones esse substantias rerum; quem errorem fuse refellit Philosophus (1. *Metaphys.* a *text.* 19; c. 8 et 3. *Metaphys. text.* 17; l. 2, c. 5), et tribus præcipue rationibus. Et *primo* quidem, quia omnis substantia, quæ prius non fuit et nunc est, aut prius fuit et postea non est, generatur et corrumpitur, quia, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 2 l. 3, c. 2, generatio est via ad esse substantiæ, et corruptio est via ad non esse; sed quantitas aliquando est, aliquando non est absque generatione et corruptione; nam si ex duabus aquis fiat una aqua, superficies utriusque desinet ex ea parte, qua uniuntur, et fit una superficies duarum partium aquæ, quia partes continui copulantur ad unum terminum communem, qui est una superficies; et si postea hæc aqua causata ex illis duabus in duas partes dividatur, fiunt duæ superficies, quæ ante non erant, quia non potest superficies, quæ est indivisibilis secundum profunditatem, dividi in duas superficies; utrumque autem fit absque generatione et corruptione, quia nihil est, ex quo tanquam ex materia generentur, nec aliquid, in quod corrumpantur. *Secundo* linea, superficies et corpus variantur per modum aliorum accidentium circa idem subjectum; sicut enim idem homo modo est calidus, modo frigidus absque eo, quod mutetur ejus substantia, ita per motum decrementi habet minorem quantitatem, et per motum augmenti majorem, absque eo, quod deperdatur ejus substantia. *Tertio* eadem substantia actu est in eo, cujus est substantia; sed superficies non sunt actu in continuo, sed tantum potentia: ergo non sunt substantiæ rerum, eadem autem est ratio lineæ, superficiei et corporis. — ll. cit. in arg. 1. *Sed contra*; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1, c. q. *de Coel.* l. 7.

Alii ergo dixerunt, quantitatem continuam, licet non distinguatur a substantia corporea, differre tamen relatione seu ratione, quia quod dicit substantia absolute, dicit quantitas sub modo habendi, qui est habere partem extra partem actualiter non distinctam; et idem dicunt de qualitate, volunt enim singula accidentia habere propriam quantitatem a se tantum ratione distinctam, ita ut quantitas qualitatis sit ipsamet qualitas cum tali modo se habendi, id est, ut habens partes extra partes actualiter non distinctas. Unde dicunt, quod sicut qualitas distinguitur realiter a substantia, ita et quantitas qualitatis realiter distinguatur et a substantia et a quantitate substantiæ, et quod in Sacramento Altaris illa quantitas, æqu remanet, est quantitas qualitatum, et non substantiæ panis; nam quantitas substantiæ panis, inquiunt, cum non distinguatur ab illa realiter, desiit esse cum substantia per transubstantiationem. — Sed hæc positio ut parum differt a præcedente, ita est falsa sicut illa. Nam falsum est *primo*, quod asserunt de Sanctissimo Sacramento, tum quia, ut sensu patet, idem quantum est coloratum, odoratum, sapidum et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sen-

sus deficit; tum quia fractio, quæ fit in Sacramento Eucharistiæ, est in quantitate panis sicut in subjecto, sicut sunt cætera accidentia; tam quia cum accidentia in Sacramento remaneant sine subjecto substantiali, expressius ducunt in cognitionem corporis Christi. Quod si non remaneret quantitas corporis Christi, non duceremur ex speciebus, quæ remanent, in cognitionem materiæ corporis Christi, quia quantitas materiæ est prima ejus dispositio, ut possit in se omnia alia accidentia recipere et sustentare. *Secundo* falsum est accidentia habere propriam quantitatem, tum quia omnia accidentia præter quantitatem materiæ, ut dicitur, 5. *Metaphys text.* 18; l. 4, c. 13; 6. *Phys. text.* 37 sq.; c. 5 et 3. *de Cœl. text.* 7, c. 1, sunt divisibilia et quanta per accidens ratione subjecti quanti, unde nec dividi possunt, nec per consequens intelliguntur individuari nisi per subjectum, quorum tamen utrumque falsum esset, si quodlibet accidens haberet propriam quantitatem, tum quia sufficit una quantitas materiæ ad dandam divisibilitatem tum ipsi materiæ, tum formæ, tum aliis accidentibus omnibus, ut dictum est; tum quia dimensiones non possunt esse simul cum aliis dimensionibus, ut verbi gratia si dentur dimensiones separatæ per se existentes, hæ non possunt esse simul cum dimensionibus substantiæ sensibilis, ut dicit Philosophus (3. *Metaphys. text.* 9; l. 2, c. 2 et 4. *Phys. text.* 8 et 76, c. 3 et 12); sed qualitates sunt simul cum substantia sensibili, cum sint in illa tanquam in subjecto: ergo qualitates non habent propriam quantitatem; tum quia cum in pomo sint et color, odor et sapor, sintque simul, sequitur alia corpora esse simul, et tres quantitates coloris, odoris et saporis non esse nisi unam, quia cum tres quantitates æquales solo situ differre possint, quantitates illæ erunt una tantum quantitas, ut bene argumentatur Philosophus (4. *Phys.* l. c.). *Demum* contra hanc opinionem faciunt argumenta allata contra præcedentem positionem. — 3a, q. 77, a. 2 et 7; 1. *Phys.* l. 3; 4. *Phys.* l. 2 et 13; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.; 1a, q. 47, a. 2, c.

Dicendum ergo est cum Philosopho, quantitatem realiter distingui a substantia, ut patet tum sensu, ut dictum est, quia in rarefactione eadem numero materia, quæ erat sub parvis dimensionibus, fit sine sua mutatione sub magnis; tum ratione præter allatas, tum quia omnes dimensiones sunt ejusdem speciei in quacumque materia sint, nam Philosophus unicum prædicamentum constituit quantitatis distinctum a cæteris, ut patet ubicumque dividit ens in decem prædicamenta, ut 3. *Phys.* et 5. *Metaphys.*, et tamen substantiæ sensibiles, ut constat, sunt distinctæ speciei, sicut et earum formæ substantiales, quæ omnes sunt essentialiter inæquales, cum ut dicitur 8 *Metaphys text.* 10, l. 7, 3, sint sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis; tum quia omnia accidentia sustentantur in materia, ut dictum est, mediante quantitate materiæ; tum quia ex Philosopho (5. *Phys. text.* 8; c. 1) motus est ad quantitatem, ad substantiam autem mutatio, et substantia est sensibilis per accidens, quantitas vero est sensibilis per se; unde numeratur inter sensibilia communia, ut patet 2. *de Anima text.* 65; c. 7. Demum hoc idem probant separatio quantitatis substantiæ panis in Sacramento Eucharistiæ ab ipsa substantia, et aliæ rationes superius allatæ ad confutandas oppositas positiones. — 3a, q. 77, a. 2; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3; 4. *c. Gent.* c. 65; 5. *Phys.* l. 2; 2 *de Anima*, l. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens non potest esse subjectum per se alterius accidentis, tamquam ei præbens sustentamentum per se, quia non est per se naturaliter; secundum quod vero est in alio, puta in substantia, unum accidens dicitur esse subjectum alterius, in quantum unum accidens recipitur in subjecto mediante alio accidente, sicut superficies dicitur esse subjectum coloris, et quantitas qualitatum, et ita intelligendum est dictum Philosophi, — *de Virt. in com.* a. 3, ad 3; 3a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod quantitas dicitur esse independens secundum rationem a materia sensibili, cum solam materiam intelligibilem includat, et per consequens in prædicando et subjiciendo

videtur habere modum substantiæ et individuari per se; tum quia ipsa sola habet divisionem in proprias partes, albedo enim non potest dividi, nec per consequens individuari, nisi per subjectum; tum quia ipsa sola est primum accidens consequens materiam, cui primo et per se convenit subjici accidentibus, sed mediante quantitate, quæ propterea est illis naturaliter prior, sicut cætera accidentia consequuntur formam, quæ est in alio, scilicet in materia. — 5. *Metaphys.* l. 15; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3, c. et ad 1 et 2; 3a, l. c., *Opusc.* 70; q. 4, a. 2, c. et ad 3.

Ad tertium dicendum, quod fuit error Pythagoreorum et Platonicorum, ut docet Philosophus (5. *Metaphys text.* 15; l. 4, c. 8), existimantium puncta esse substantiam lineæ, et lineas superficiei, et superficies corporis; falso enim fundamento nixi sunt. Nam hoc, quod communiter invenitur in omnibus, et sine quo res esse non potest, non oportet quod sit substantia rei, sed potest esse aliqua proprietas consequens rei substantiam vel principium substantiæ, ut contingit in proposito; quantitas enim consequitur materiam, sicut qualitas formam, quæ sunt principia essentialia substantiæ sensibilis. — 5. *Metaphys.* l. 10; 4. *Sent.* l c. et a. 2, sol. 1.

Ad quartum dicendum, quod ideo in solo quantitatis genere aliqua significantur ut substantiæ, aliqua ut passiones, quia sola quantitas inter alia accidentia propinquior est substantiæ; unde quidam putarunt, lineam superficiem, et corpus, et numerum esse substantias. Nam sola quantitas, ut dictum est, habet divisionem in partes proprias et habet in se quamdam rationem individuationis, et est id, quo mediante cætera accidentia substentantur in substantia sensibili, tamquam in subjecto, et aliquo modo individuantur. — 5. *Metaphys.* l. 15; 3a, l. c., *Opusc.* 70, l. c.

Ad quintum dicendum, quod illa, quæ differunt numero in genere substantiæ, non solum differunt accidentibus, sed etiam materia et forma. Verum si quæratur, quare hæc forma differt ab illa, non erit alia ratio, quam quia est in alia materia signata, nec invenitur alia ratio, quare hæc materia sit divisa ab illa, nisi propter quantitatem; et ideo materia subjecta quantitati intelligitur esse principium hujus divisionis. — *Opusc.* 70, l. c. ad 4; 1a, q. 75, a. 7; 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 4.

Ad sextum dicendum, quod dimensiones cum sint accidentia, per se non possunt esse principium unitatis individuæ substantiæ; sed materia prout talibus dimensionibus subest, intelligitur esse principium talis unitatis et multitudinis, et hoc modo sumit Philosophus materiam, cum dicit, quod numero sunt unum, quorum est materia una, idest signata seu quæ subest dimensionibus; alias oporteret dicere, quod omnia generabilia et corruptibilia sunt unum numero, cum eorum sit materia una. — *Opusc.* cit. ad 1 et 2, et ll. proxime cit.

Ad septimum dicendum, quod ob rationem allatam in argumento quidam existimarunt quantumcumque parum sit de materia in quovis corpore, quod illa potest recipere quantamlibet quantitatem. Sed horum positio multipliciter deficit; *primo*, quia imaginantur indivisibilitatem materiæ ad modum puncti, ut sic ex materia mundus sit factus per quamdam quasi extensionem, sicut si res parva in magnam extenderetur; hoc autem non est verum. Materia enim dicitur indivisibilis per negationem totius generis quantitatis, punctus autem est indivisibilis sicut quantitatis principium situm determinatum habens; unde ex materia res quanta efficitur non per extensionem, loquendo de materia prima, cum extensio non sit nisi ejus, quod alicujus quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem. *Secundo*, quia licet materia prima, ut in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur, quod sit in potentia respectu cujuslibet quantitatis imaginabilis. Cum enim quantitates determinatæ et omnia alia accidentia secundum exigentiam formarum materiam recipiant, eo quod subjecta materia cum forma est causa eorum, quæ insunt, ut dicitur 1. *Phys. text.* 80; c. 9, oportet, quod materia prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest; materia vero prima non est in potentia ad alias

formas, nisi ad illas, quæ sunt in rerum natura vel per principia naturalia educi possunt. Si enim esset aliqua potentia passiva in materia, cui non responderet aliqua potentia activa in rerum natura, illa potentia passiva esset superflua, ut dicit Commentator et ideo materia prima non est receptiva majoris quantitatis, quam quantitatis mundi; propter quod 3. *Phys. text.* 69; c. 11. dicitur, quod non est possibile magnitudinem augeri in infinitum, loquendo naturaliter. *Tertio*, quia quando loquimur de materia existente in hac re, jam dimittimus considerationem materiæ absolute; non enim accipi potest illud materiæ, quod est in hac re, nisi secundum quod est divisum ab illa parte materiæ, quæ est in alia re; divisio autem non accidit materiæ, nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus, saltem interminatis, quia remota quantitate, ut dicitur 1. *Phys. text.* 18. c. 3. substantia est indivisibilis; unde consideratio materiæ hujus rei non est consideratio materiæ absolute, sed materiæ existentis sub dimensione. Unde non oportet, ut quod convenit materiæ, in quantum est absoluta et prima, conveniat materiæ existenti in hac re, prout accipitur, ut in hac re existens, quia hoc ipso receditur a consideratione materiæ primæ. Unde materia quæ est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum quid, quantum per rarefactionem acquiri potest, et hoc non excedit raritatem ignis, quia nulla raritas potest esse major, ut dicit Commentator (4. *Phys.* ad *text.* 84; c. 9). et sic patet ad objectum. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

ARTICULUS III

UTRUM SINT RECTE ASSIGNATÆ SPECIES QUANTITATIS.

Videtur quod tempus et locus non sint species quantitatis.

1. Philosophus enim 5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13, rejicit locum et tempus a speciebus quantitatis; at ibi ex professo agit de speciebus quantitatis : ergo hæ non sunt species illius. — Sed dices, quod Philosophus in Metaphysica considerat quantitatem secundum esse, quomodo locus et tempus non sunt species, sicut sunt, si consideretur quantitas in ratione mensuræ, quomodo consideratur a logico. — 5 *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 42, c. 20.

2. Sed contra, tempus, ut est mensura extrinseca rei temporalis, constituit prædicamentum « quando »; et locus, ut est mensura extrinseca locati, constituit prædicamentum « ubi »; sed hæc prædicamenta sunt diversa a prædicamento quantitatis, ut patet : ergo tempus et locus non sunt species quantitatis. — 3. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 9.

3. Præterea, ratio mensuræ est relativa, ut patet ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15); sed ratio quantitatis est absoluta : ergo tempus et locus considerata in ratione mensuræ non sunt species quantitatis, sed relationis. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Sed contra est : 1. quod Philosophus in Prædicam. c. 6 inter species quantitatis enumerat tempus et locum.

2. Præterea, sæpe extensio et continuitas temporis et motus opponuntur inter se, nam in motu celeri quantitas motus est magna, quantitas vero temporis parva, secus vero quando motus est tardus. Item potest quantitas temporis esse ignota, et nota quantitas motus, ut cum motu mensuramus tempus, et contra, quando tempore mensuramus motum : ergo quantitas unius est distincta ab alia, et sic tempus erit species quantitatis per se. — 4. *Phys.* l. 18.

Videtur quod numerus non sit species quantitatis.

1. Nam in divinis est numerus trium personarum, juxta illud 1. Joannis c. 5 : « Tres sunt, qui testimonium dant » ; sed in Deo non est quantitas : ergo numerus non est species quantitatis. — *de Pot.* q. 9, a. 5, arg. 8 et *Sed contra*.

2. Præterea, si numerus non causaretur ex divisione continui, atque adeo ex unitatibus, non esset species quantitatis ; sed vere unum non est principium causativum numeri, tum quia illi opponitur privative, ut patet ex 10. (9) *Metaphys.*, unum autem oppositum non causatur et constituitur ex alio ; tum quia est ratione posterior numero, ut dicitur l. c. *text.* 9; l. 9, c. 3 :

ergo numerus non est species quantitatis. — 7. *Metaphys.* l. 13; 10. *Metaphys.* l. 4; *de Pot.* q. 9, a. 7, arg. 14.

3. Præterea, plura in actu non possunt facere unum actu, quia actus est, qui separat et distinguit; sed unitates, ex quibus constituitur numerus, sunt actu, est enim numerus quantitas divisibilis in partes non continuas, sed discretas : ergo numerus non est species quantitatis.

4. Præterea, impossibile est ex multis fieri unum per se, nisi alterum eorum sit potentia, alterum actus, ut dicitur 1. *Metaphys. text.* 40; c. 9 et 8. *Metaphys. text.* 16; l. 7, c. 8; sed ex unitatibus nulla habet rationem formæ respectu aliarum, nam omnes sunt ejusdem rationis, cum omnis difformitas seu differentia sit per aliquam formam vel passionem, quibus carent unitates, ut dicitur 1. *Metaphys. text.* 38; c. 9 : ergo. — 1. *Metaphys.* l. 16; 8. *Metaphys.* l. 5.

5. Præterea, nullum accidens est simul in pluribus subjectis; sed numerus est simul in pluribus subjectis, non enim potest esse in una tantum re numerata, sed est in omnibus rebus numeratis : ergo numerus non est accidens, et multo minus species quantitatis. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 3, sol. 2 et dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 1; *Quodl.* 11, a. 1, ad 1; 1a, q. 8, a. 4, ad 2.

6. Præterea, nulla forma specialis informans subjectum aliquod informatur alia forma ejusdem rationis, sicut color non informatur colore, sed forte luce, unde non dicitur coloratus, sed forte clarus; similiter nec albedo dicitur alba, nec sanitas sana; sed numerus dicitur numerabilis, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13), dicimus enim tres ternarios, quatuor quaternarios : ergo numerus non est species quantitatis. — 2. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 2, ad 1; 1a 2æ, q. 55, a. 4, ad 1; 5. *Metaphys.* l. 15.

Sed contra est, quod Philosophus in Prædicam. c. 6 et 5. *Metaphys.* l. c. quantitatem dividit in continuam et discretam, quæ est numerus, tanquam in duas species immediatas quantitatis. — 5. *Metaphys.* l. 15; *Opusc.* 42, c. 20.

Videtur quod oratio non sit species quantitatis.

1. Philosophus enim 5. *Metaphys.* l. c. ubi ex professo agit de quantitate et ejus speciebus, non numerat orationem inter species quantitatis, sicut ponit numerum, et alia sspecies; ergo. — 5. *Metaphys.* l. 15.

2. Præterea, oratio, ut definit Philosophus 1. *Periherm.*, est vox; sed vox, ut dicitur 2. *de Anima text.* 87; c. 8, est species qualitatis, est enim species soni : ergo oratio non est species quantitatis. — 2. *de Anima* l. 18; 1. *Periherm.* l. 6.

3. Præterea, multitudo constans ex indivisibilibus est numerus; sed oratio est multitudo quædam constans ex indivisibilibus, constat enim ex multis dictionibus et syllabis, quæ sunt indivisibiles : ergo oratio non est species quantitatis distincta a numero. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 2.

Sed contra est, quod Philosophus in Prædicam. c. 6 ponit orationem inter species quantitatis discretæ. — l. c.; 2. *de Anima* l. 18.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod quantitas dupliciter considerari potest, ut dictum est, *uno modo*, secundum quod est ens seu secundum esse, quomodo consideratur a philosopho, et hoc modo non numerantur inter species quantitatis locus, tempus et oratio. Non quidem locus, quia non habet aliud esse quantitatis, quam superficies; non tempus, quia habet esse quantitatis ab alio, non ex se, sicut debet habere species generis; neque oratio, quia cum hæc sit mensura durationis dictionum vel syllabarum, atque adeo temporis illarum, sicut tempus non est species quantitatis secundum se sumptæ, ita nec oratio erit species illius. Sed quantitatis species erunt duæ immediatæ, quantitas continua seu magnitudo, et discreta seu numerus; quantitas vero continua dividitur in tres species, in lineam, superficiem et corpus; cujus numeri sufficientia ex eo manifestari potest, quod species alicujus generis debent sumi secundum formalem rationem generis, et quia ratio formalis quantitatis est divisibilitas, ideo ex diversis modis divisionis debent distingui species illius. Quia ergo quantitas primo est divisibilis in partes vel continuas vel non continuas, seu discretas, ideo duæ statuuntur immediatæ species quantitatis, magnitudo, quæ est divisibilis in partes continuas, et numerus, qui est divisibilis

in partes non continuas seu discretas. Sed rursum, cum sola quantitas continua possit esse divisibilis multipliciter, nimirum vel secundum unam dimensionem, vel secundum duas, vel secundum tres, ideo sola quantitas continua habet species et in tres dividitur, in lineam, quæ est divisibilis secundum unam dimensionem, in superficiem, quæ secundum duas, et corpus, quod secundum tres; et propterea Philosophus in 5. (4) *Metaphys.*, ubi agit de quantitate secundum suum esse, præter prædictas species nullas alias ponit. — 5. *Metaphys.* l. 8 et 15; 7. *Metaphys.* l. 13 et 17; *Opusc.* 42. c. 20; *de Pot.* q. 9, a. 7, *Sed contra.*

Alio modo potest considerari quantitas secundum rationem mensuræ, quomodo consideratur a logico; sic enim potest formare logicas intentiones in quantitate, et hoc modo præter species prædictas ponit Philosophus in Prædicam. c. 6 orationem tanquam speciem quantitatis discretæ, et tempus et locum tanquam species quantitatis continuæ; quia nimirum in ratione mensuræ hæ tres species differunt a reliquis. Nam quantitas discreta in ratione mensuræ sumpta diversificatur secundum differentiam communis et proprii; commune enim facit numerum, qui idem est hominum et equorum, imo omnium numerabilium; licet enim diversitas sit in numero aptato diversis rebus, in numero tamen formaliter nulla est diversitas. Proprium vero facit orationem, quæ non potest pluribus aptari, sed solum orationi prolatæ, cujus ipsa oratio est mensura, cum qua est, ut dicitur in Prædicam.; ipsa enim cum voce profertur, quia idem est causa subjecti et passionis per se illius. Tempus autem et locus differunt a reliquis speciebus quantitatis continuæ, quod illæ sunt mensuræ intrinsecæ; at locus et tempus sunt mensuræ extrinsecæ; et sic manifestum est, quomodo locus et tempus pertineant ad prædicamentum quantitatis tanquam ejus species. Unde patet responsio *ad primum* objectum. — *Opusc.* 42, c. 20; 5. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 5.

Ad secundum dicendum, quod locus et tempus, secundum quod sunt mensuræ, dupliciter possunt considerari, uno modo, secundum positivam entitatem, secundum quam sunt fundamentum relationis mensuræ, et hoc modo spectant ad genus quantitatis tanquam species. Alio modo possunt considerari, secundum quod per denominationem ex tali fundamento aliquid dicitur esse quando, vel ubi, et hoc modo prædicamentum proprium constituunt. — ll. cit.; 1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 3, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod locus et tempus, sicut et numerus non spectant ad genus quantitatis tanquam species sumptæ formaliter sub ratione mensuræ, nam sic non nisi ad genus relationis spectant, ut bene probat argumentum, sed spectant ratione positivi fundamenti talis relationis, quomodo et ipsum unum sumptum formaliter sub ratione mensuræ, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 21; l. 9, c. 6, opponitur relative multitudini; sumptum vero materialiter, sed cum præcisione habet oppositionem mensuræ ad numeros, et per consequens ipsi numeri inter se (quilibet enim numerus secundum quidditatem suæ speciei habet specialem rationem mensuræ, sicut species oppositæ sunt disparatæ, et talis oppositio reducitur ad contrarietatem, quia species disparatæ distinguuntur differentiis contrariis, quibus primo dividitur genus); sumptum vero unum sine præcisione, idest non secundum quod est tantum unitas, sed secundum suum esse, quod est unum, non dicit oppositionem ad numerum, sed est constituens ipsum. — 1. *Sent.* l. c.; 10. *Metaphys.* l. 4 et 8.

Ad quartum dicendum, quod ratio mensuræ analogice convenit quantitati et tempori, ut docet Philosophus 10. *Metaphys. text.* 5; l. 9, c. 1.

Ad quintum patet ex dictis.

Ad sextum dicendum, quod diversa ratio extensionis reperitur in tempore, et motu; adhuc tamen tempus dicitur quantum per accidens, sicut et motus. Nam prædicta inveniuntur in motu propter magnitudinem, et in tempore propter motum, ut dicit Philosophus 4. *Phys. text.* 113; c. 18; sicut enim motus imitatur magnitudinem in quantitate continua et divisibilitate, ita et tempus imitatur motum; sic mensuramus magnitudinem per motum, et motum per magnitudinem, et idem dicitur de tempore et motu.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod numerus est vere et proprie species quantitatis, et per consequens est ens per se et non per accidens, cum ens per se dividat Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7) in decem prædicamenta; potest autem hoc multipliciter probari (*de Pot.* q. 9, a. 5, ad 8 et a. 7, c.; 1a, q. 11, a. 1, ad 1, et q. 30, a. 3, c.; *Quodl.* 10, a. 1, c.; 5. *Metaphys.* l. 16; 8. *Metaphys.* l. 3; 10. *Metaphys.* l. 2 et 4). — *Primo* quidem, quia illud est species quantitatis, cui convenit ratio formalis quantitatis sive logice sive philosophice consideratæ, puta divisibilitas et ratio mensuræ; sed numerus est hujusmodi; est enim numerus, ut definit Philosophus (l. c. *text.* 18; c. 13), multitudo divisibilis secundum potentiam in partes non continuas. Præterea, ut idem dicit (10. *Metaphys. text.* 3; l. 9, c. 1), per numerum cognoscitur quantitas rei, dicimus enim tria stadia, tres pedes et similia; est enim mensura id, quo cognoscitur quantitas rei. *Secundo*, quia eadem est ratio unius, quod est principium numeri, et ipsius numeri, qui ex unitatibus causatur; utrumque enim spectat ad idem genus, sicut et quodlibet principiatum; sed unitas non est ens in anima, sed est quid reale positivum superadditum enti, ad genus quantitatis spectans tanquam principium: ergo et numerus spectabit tanquam species ad quantitatem; nam sicut principia generis reductive spectant ad genus, ita principiata ex talibus principiis per se spectant, vel tanquam genus vel tanquam species (1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 3, c. et dist. 28, q. 1, a. 1, ad 3; 1a, q. 3, a. 5, c. et q. 30, a. 3). *Tertio*, si numerus non est species quantitatis, (id isset) maxime quia non est ens per se, et per consequens nec unum perse, sed per accidens; sed hoc est falsum, ut multipliciter patet. Nam *primo* Philosophus (8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3) dicit optime assimilari species rerum numeris, quia sicut quilibet numerus est unum per se, ita et species; et sicut in speciebus, quarum est definitio, sunt duo, unum, quod habet rationem materiæ, aliud, quod formæ, ex quibus duobus fit unum per se, ut dicitur 1. *Metaphys. text.* 40; c. 9 et 8. *Metaphys. text.* 16; l. 7, c. 6, ita et in numeris. *Secundo*, illud est unum et ens per se, cujus partes componentes non sunt in actu, sed in potentia; cum enim actus sit, qui separat et distinguit, nullum ens componi potest ex duobus entibus in actu; sed partes numeri, puta unitates, non sunt in illo actu, sed potentia, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13 et 7, *Metaphys. text.* 49; l. 6, c. 13), dualitas enim, inquit, aut non est quid unum, aut duæ unitates non sunt actu in dualitate; ibidem autem dicit, idem dicendum esse de numeris, quod asserit Democritus de magnitudinibus. Nam sicut ille negat unum posse fieri ex duobus actu existentibus, unde posuit, magnitudines indivisibiles esse rerum substantias, ita et in numeris dicendum est, quod constent ex unitatibus existentibus in illis in potentia, non autem actu; nam alioqui non erit numerus unum per se (8. *Metaphys.* l. 3 et 5; 1. *Metaphys.* l. 16; 7. *Metaphys.* l. 13). *Tertio*, subjectum scientiæ debet esse ens et unum per se, ut probat Philosophus (6. *Metaphys. text.* 4; l. 5, c. 2, et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 2; l. 10, c. 8); sed numerus est subjectum scientiæ arithmeticæ, ut dicitur 1. *Poster. text.* 20; c. 7. et 12. *Metaphys. text.* 44; l. 11, c. 8, et de illo proprias passiones demonstrat, ut superexcedens, æquale, commensuratum, par et impar, ut dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 5; l. 3, c. 2,) cum tamen nulla passio sit demonstrabilis de eo, quod non est unum per se. Nam propria passio habet proprium subjectum, cui per se inest, de quo per propria principia subjecti et causas demonstrari potest; at ens per accidens, ut dicitur 11. *Metaphys.* l. c., non habet determinata principia et determinatas causas, ex quibus tantum procedit scientia. — 6. *Metaphys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 8; 1. *Poster.* l. 15; 12. *Metaphys.* l. 9; 4. *Metaphys.* l. 4; *de Pot.* q. 9, a. 5, ad 9.

Quarto non opponuntur hæc duo: plura secundum quid et unum simpliciter, ut plura partibus et unum toto, nihil enim prohibet id, quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum, ut quod est divisum numero, sit indivisum specie, et quod est indivisum in ratione totius, sit divisum in ratione partium; numerus autem cum sit quoddam totum constans ex

partibus (constat enim ex pluribus partibus non continuis, in quas, ut dictum est, secundum potentiam est divisibilis), est unum simpliciter et plura secundum quid. Ut enim dicit Divus Dionysius *de Divinis Nominibus* c. 13, non est multitudo, nisi participans uno; cujus ratio est, quia sicut privatio entis, cum dicat privationem in subjecto apto, fundatur in ente, et privatio boni fundatur in bono, ita privatio unitatis, quæ in multitudine subjectatur, fundatur in unitate; quare necesse est multitudinem esse quid simpliciter unum. Et sic manifestum est, quod numerus est ens per se et species quantitatis. — 1a, q. 11, a. 1, ad 2, et a. 2, ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod numerus, qui est species quantitatis, causatur ex divisione continui, unde Philosophus (10. *Metaphys. text.* 2; l. 9, c. 1), dicit, quod numerum cognoscimus divisione continui, et hic non est nisi in rebus materialibus, et est subjectum Arithmeticæ; in immaterialibus autem est multitudo, quæ opponitur uni, quod convertitur cum ente, quæ causatur ex divisione formali, quæ est per formas quasdam oppositas vel absolutas vel relativas, et talis numerus est in divinis. — *de Pot.* q. 9, a. 5, ad 8; 1a, q. 30, a. 3, ad 2; 1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 3, c. et ad 5 et a. 4.

Ad secundum dicendum, quod unum dupliciter potest considerari, *uno* modo quantum ad illud, quod ponit, et sic constituit multitudinem; *alio* modo, quantum ad negationem, quam superaddit, et sic opponitur unum multitudini privative. — Vel dic, quod unum, quod est principium numeri, dupliciter consideratur, *vel* ut contradistinguitur uni, quod convertitur cum ente, id est ut illi superaddit rationem mensuræ, et hoc modo opponitur relative numero, sicut principium principiato, punctus lineæ, pars toti, et magis proprie sicut mensura mensurato; *vel* secundum id, quod est, et tunc vel consideratur unum cum præcisione, id est quod est tantum unitas, et sic habet disparatam oppositionem mensuræ ad numerum, quæ oppositio reducitur ad contrarietatem, vel sine præcisione et sic unitas nullam habet oppositionem ad numerum, sed est constituens ipsum. — Vel dic, quod sicut binarius, secundum quod est quoddam totum, speciem et formam determinatam habens, est diversus specie a ternario; si vero consideretur absque hoc, quod sit perfectum per formam, est pars ternarii, ita et ipsum unum, secundum quod consideratur ut in se perfectum et speciem quamdam habens, opponitur multitudini, quia quod est unum, non est multa, neque e contra; prout vero consideratur ut non completum secundum speciem et formam, sic non opponitur multitudini, sed est pars ejus. — *de Pot.* q. 9, a. 7, ad 14; 1. *Sent.* l. c. a. 3. ad 4; 10. *Metaphys.* l. 4.

Ad illud vero, quod affertur de prioritate dicendum, quod secundum Philosophum in 10. *Metaphys.* multitudo est prior uno secundum sensum, sicut totum partibus et compositum simplici, sed unum est prius multitudine naturaliter et secundum rationem. Verum quia secundum hoc non posset salvari, quomodo unum opponatur multitudini privative — nam privatio est posterior secundum rationem, cum in intellectu privationis sit ejus oppositum, per quod definitur, nisi forte hoc referatur solum ad nominis rationem, prout hoc nomen unum significat privative, nomen vero multitudinis positive, nomina enim imponuntur a nobis, secundum quod cognoscimus res; unde ad hoc, quod aliquid significetur per nomen, ut privatio, sufficit, quod qualitercumque sit posterius in nostra cognitione, quamvis hoc non sufficiat ad hoc, quod res ipsa sit privativa, nisi sit posterius secundum rationem, — ideo melius dici potest, quod in numero duo considerari possunt, et quod est numerus seu multitudo, et ipsa divisio, quarum hæc est prior illa. Ratione igitur divisionis numerus est prior uno, nam unum dicitur privative respectu divisionis; unum enim est, quod non dividitur, seu quod est ens indivisum; secundum quod vero numerus est multitudo, est posterior uno secundum rationem, nam multitudo dicitur aggregatio unitatum. — Quod autem divisio sit prior secundum rationem, quam unum, multitudo autem sit quid posterius, ex hoc confirmari potest, quia *primum*, quod in intellectu cadit, est ens; *secundum* vero est negatio entis, ex quibus duobus sequitur

tertium, intellectus scilicet divisionis; ex hoc enim, quod aliquid intelligitur ens, et intelligitur non esse hoc ens, sequitur in intellectu, quod sit divisum ab illo. *Quarto* autem sequitur in intellectu ratio unius, quatenus scilicet intelligitur hoc ens non esse in se divisum. *Quinto* autem sequitur intellectus multitudinis seu numeri, prout scilicet hoc ens intelligitur divisum ab alio, et utrumque ipsorum esse in se unum; quantumcunque enim aliqua intelliguntur divisa, non intelligitur multitudo, nisi quodlibet divisorum intelligatur esse unum. — *de Pot.* q. 9, a. 7, ad 15; 10. *Metaphys*, l. 4; 1a, q. 30, a, 3. ad 3; 1. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod unitates, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 49; l. 6, c. 13, non sunt actu in numero, sed potentia; quare non est absurdum, quod numeri partes, ut duæ unitates constituentes unum binarium seu dualitatem, sint actu, secundum quod non sunt continuæ, sed discretæ in se, seu consideratæ secundum quod non sunt perfectæ per speciem et formam talis numeri, et quod sint in potentia in ipso toto, seu in ipsa dualitate, seu consideratæ secundum quod sunt perfectæ per formam talis numeri. — 7. *Metaphys.* l. 13; 10. *Metaphys.* l. 4.

Ad quartum dicendum, quod in totis fieterogeneis, qualia sunt substantiæ compositæ, ut homo et numerus, ut binarius, ternarius videlicet, est duplex forma, partis et totius, quæ distinguuntur inter se, ut pars et totum : ut in homine forma partis est anima, nam per hanc homo habet speciem et unitatem, forma vero totius est tota quidditas hominis, composita ex materia et forma, puta humanitas, et ideo non potest esse in singulis partibus, sed in omnibus simul. Et similiter in numeris, ut in numero binario, forma partis est ultima unitas, hæc enim, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 10; 17, c. 3), ita se habet ad numerum, sicut anima, quæ est forma partis, ad substantiam compositam. Sicut enim anima est pars definitionis hominis et respicit tanquam actus alteram partem, puta corpus, quod se habet per modum materiæ; ita ultima unitas habet rationem formæ, et reliquæ unitates habent rationem materiæ; et sicut per animam homo est aliquid et sortitur unitatem et speciem, ita ultima unitas dat unitatem et speciem numero. Forma vero totius in numero est forma talis multitudinis, puta dualitas in numero binario, seu ordo transcendentalis duarum unitatum ad invicem, unius per modum materiæ, alterius per modum formæ, ratione cujus numerus dicitur componi ex non numeris, sicut domus, cujus forma est compositio, constituitur ex non domibus; hæc enim forma non potest esse in singulis partibus numeri vel domus, sed est in omnibus simul, sicut et humanitas non est nisi in omnibus partibus hominis simul sumptis. — 7. *Metaphys.* l. 4, 12, 13; 1a, q. 11, a. 2, ad 2; 8. *Metaphys.* l. 3.

Ad quintum dicendum, quod numerus est quoddam totum heterogeneum, et ideo non potest esse secundum suam essentiam unum in qualibet parte, quia non quælibet pars numeratur eodem numero; sed est in omnibus simul, sicut et in compositis substantialibus ob eamdem rationem forma totius, puta humanitas respectu hominis non est in qualibet ejus parte, sed in omnibus simul.

Ad sextum dicendum, quod sicut dictum est, numerus, qui est species quantitatis, consequitur tantum divisionem continui, et ideo partes illius singulæ debent esse quid continuum; nam cum continuum sit totum quoddam homogeneum, pars quælibet illius debet esse ejusdem rationis cum toto; unde numerus numeri non est species quantitatis, sed est multitudo transcendens, ut cum dicimus duos binarios, tres ternarios videlicet. — *de Pot.* q. 9, a. 5, ad 8; 1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod oratio est species quantitatis logice consideratæ, seu sumptæ secundum rationem mensuræ. Sicut enim quantum immediate dividitur per continuum et discretum; et continuum dividitur per tres species, juxta tres modos mensurandi, quanto continuo convenientes; ita et discretum ob duplicem modum mensuræ illi competentem dividitur per duas differentias, commune scilicet et proprium, in duas species, numerum et orationem; commune enim facit numerum, qui est idem omnium numerabilium, ut dictum est, proprium vero

facit orationem, quæ solum orationi prolatæ aptari potest, cujus ipsa oratio est mensura. Oratio enim licet dicatur vox aggregata ex distinctis syllabis, non tamen sumitur pro ipsa voce, ut est qualitatis species, nam sic est subjectum orationis; sed pro aliquo, quod est in voce, puta pro successione indivisibilium syllabarum, seu successiva mensura vocis, quæ respectu illius est veluti passio; nisi dicamus cum aliis, quod licet numerus causetur ex divisione continui, et nihil addat supra continuum nisi divisionem, in qua quodlibet est indivisum, est tamen alia species quantitatis, quam continua; ita similiter accidit orationi respectu temporis, quod oratio sit multa tempora divisa, quorum quodlibet est indivisum, et tamen sit alia species a tempore, quod similiter est species quantitatis logice consideratæ; et sic patet *ad secundum* objectum. — *Opusc.* 42, c. 20; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 2.

Ad primum patet ex dictis ad primam quæstionem.

Ad tertium dicendum, quod duplex est indivisibilitas : una est unitatis, et ex his indivisibilibus constat numerus; altera est mensurans durationem, secundum quod plura indivisibilia plus durant, quam unum, et hæc est indivisibilitas syllabarum, ex quibus constat oratio; plures enim syllabæ plus durant, quam una. — *Opusc.* 48, l. c.

ARTICULUS IV

UTRUM SINT RECTE ASSIGNATÆ PROPRIETATES QUANTITATIS.

Videtur quod non sit recte assignata prima proprietas quantitatis, quod non habeat contrarium.

1. Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys. text.* 17 et 19, l. 9; c. 5), quod magnum et parvum sunt contraria, et *text.* 20; c. 6, quod multa opponuntur paucis; sed multum et paucum, magnum et parvum spectant ad quantitatem : ergo quantitas habet contrarium. — 10. *Metaphys.* l. 7 et 8.

2. Præterea, motus contrarii sunt ad contrarios terminos, ut dicitur 5. *Phys. text.* 48; c. 7; sed augmentatio et diminutio sunt motus contrarii, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1) : ergo habebunt terminos contrarios; sed terminus utriusque est quantitas, ut dicitur 1. *de Generat. text.* 25, 26, 31; c. 3 : ergo. — 5. *Phys.* l. 8; 3. *Phys.* l. 2; 1. *de Generat.* l. 11, 12, et 13.

3. Præterea locus sursum et deorsum, ut dicitur 5. *Phys. text.* 24; c. 5, sunt maxime contrarii inter se, quia plurimum inter se distant secundum rectam lineam; sed locus, ut dictum est, secundum Philosophum in *Prædicam.* c. 6, est species quantitatis : ergo hæc habet contrarium. — 5. *Phys.* l. 5; v. supra a. 2 et 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi l. c. ubi dicit, quod quanto nihil est contrarium.

Videtur quod non recte sit assignata secunda proprietas quantitatis, quod non suscipiat magis et minus.

1. Quia illa forma recipit magis et minus, quæ augetur per modum intensionis in subjecto, ut patet in forma caloris; calidum enim, ut inquit Philosophus (4. *Phys. text.* 84; c. 13, recipit magis et minus per alterationem et intensionem in subjecto, per alterationem enim minus calidum fit magis calidum; sed eodem modo quantitas augetur per intensionem in subjecto, quando fit motus rarefactionis, ut dicit Philosophus ibidem : ergo quantitas suscipit magis et minus. — 1a 2æ, q. 52, a. 2, ad 1; 2a 2æ, q. 24, a. 5, ad 1; 4. *Phys.* l. 14; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

2. Præterea, omne longum est essentialiter quantum, sicut et latum et profundum, quia, ut dictum est, longitudo est linea, et latitudo superficies, et profunditas est corpus, quæ sunt species quantitatis; sed aliquid potest fieri magis longum, vel latum, vel profundum : ergo quantitas potest suscipere magis et minus. — V. supra a. 1 et 2 hujus quæst.

Sed contra est : 1. quod Philosophus dicit in *Prædicam.* c. 6, quod quantitas non intenditur, nec remittitur.

2. Præterea, perfectio et imperfectio quantitatis est secundum majorem vel minorem extensionem, secundum quam aliquid dicitur majus vel minus; sed major et minor extensio non est causa sufficiens, quod aliquid dicatur magis vel minus, ut patet in formis, quæ sunt in majore

vel minore extensione, secundum quas non dicitur aliquid magis vel minus : ergo quantitas non recipit magis et minus. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 4.

Videtur quod non sit recte assignata tertia proprietas, quæ quantitati dicitur maxime proprie convenire, puta quod dicatur æqualis vel inæqualis.

1. Quia æqualitas reperitur in divinis, juxta illud D. Athanasii : Tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales; sed in divinis non est quantitas, ut patet, et docet Augustinus l. 4. *de Trinit.* c. 1, ubi dicit, Deum esse magnum sine quantitate : ergo æqualitas non est propria passio quantitatis, nam propria passio non invenitur extra proprium subjectum. — 1a, q. 42, a. 1, arg. 1 et *Sed contra*; 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, *Sed contra.*

2. Præterea, sicut dicimus, duas lineas esse æquales, ita dicimus duas albedines esse æquales, et duas formas substantiales esse inæquales; ergo æqualitas et inæqualitas non sunt propria passio quantitatis. — *Opsc.* 48, tract. 3, c. 8.

3. Præterea, dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 19; l. 9, c. 5), quod æquale privative opponitur magno et parvo, unde etiam per privationem definitur; sed privatio non potest esse propria passio alicujus rei realis : ergo æquale et inæquale non sunt propria passio quantitatis. — 1. *Sent* dist. 31, q. 1, a. 1, c.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 6. dicit, quod dici æquale vel inæquale est maxime proprium quantitatis.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod quantitatis proprium est non habere contrarium; quod tamen non est proprium quarto modo, sed secundo, quia convenit omni quantitati, sed non soli; nam convenit etiam substantiæ, ut dicit Philosophus l. c. 5. Quod autem quantitati nihil sit contrarium, manifetum est *primo*, quia ubicumque est contrarietas, ibi est magis et minus, atque adeo latitudo formæ, et ubi non est talis latitudo, ibi non est contrarietas; sed in quantitate sicut et in substantia non, est talis latitudo, nec magis et minus : ergo quantitas non habet contrarium. *Secundo*, quia de ratione contrarietatis est, ut dicit Philosophus, duorum terminorum in eodem genere continua et maxima distantia; talis autem distantia non reperitur in ulla specie quantitatis. Nam si loquamur de quantitate discreta, neque inter species numerorum est ulla continuitas, quia quælibet species numeri perficitur formaliter per unitatem, quæ indivisibilis est et alteri unitati non continua; neque est in ratione numeri accipere duo extrema maxime distantia; est enim accipere minimum numerum, scilicet dualitatem, non tamen maximum, et idem dicitur de altera specie quantitatis discretæ, puta de oratione. Si vero loquamur de quantitate continua ejusque speciebus, licet in quantitate continua et in loco sit continuitas, non tamen est maxima distantia determinatorum extremorum, si secundum communem rationem quantitatis et loci accipiantur; non enim potest dari linea tam longa, quin possit dari longior in infinitum et similiter superficies latior, et corpus in infinitum profundius, sed solum secundum quod accipiuntur in aliqua re determinata, sicut in aliqua specie animalis et plantæ est aliqua minima quantitas, a qua incipit motus augmenti, et aliqua maxima, ad quam terminatur. Similiter etiam in loco inveniuntur duo termini maxime distantes per comparationem ad motum aliquem, in quorum uno incipit motus et in alium terminatur, sive sit motus voluntarius et naturalis, sive violentus. *Postremo* idem patet inductione, quia nulla species quantitatis habet contrarium, non enim numerus est contrarius numero, nec consequenter quantitas determinata numero, ut bicubitum non est contrarium tricubito, neque etiam quantitas indeterminata, ut linea est contraria alteri lineæ. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 4 et tract. 3, c. 8; 5. *Phys.* l. 3; 11. *Metaphys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus dupliciter illi respondet. Et *primo* quidem, quod magnum et parvum, multum et paucum non sunt quantitates, sed relativa. Dicitur enim aliquid magnum per respectum ad parvum, et multum per respectum ad paucum; alioqui si hæc absoluta essent, sequeretur, quod granum milii non posset dici magnum, nec mons parvus, nec quod in civitate sint pauci

homines, et quod in domo sint multi, quæ tamen sunt falsa, ut patet ex communi modo loquendi. Respondet *secundo*, quod dato, quod magnum et parvum sint in genere quantitatis, non tamen sunt contraria, quia idem non potest esse contrarium sibi, et tamen una et eadem quantitas dicitur magna per respectum ad minorem, et parva per respectum ad majorem; et idem dicit de multo et pauco. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8.

Ad secundum dicendum, quod termini motus augmenti et decrementi dupliciter possunt considerari, *uno* modo, secundum communem rationem quantitatis, et hoc modo non sunt contrarii. *Alio* modo, secundum quod accipiuntur in aliqua re determinata, puta in aliqua specie animalis vel plantæ, et hoc modo sunt contrarii, ut dictum est. — 5. *Phys.* l. 3.

Ad tertium dicendum similiter de loco, quod si accipiatur, ut dictum est, secundum communem rationem quantitatis, non habet contrarium; si vero accipiatur in ordine ad determinatam speciem animalis vel corporis, habet contrarium. — l. c.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod quantitas non suscipit magis et minus, et ideo nec intenditur nec remittitur; si loquamur de quantitate discreta et de ejus speciebus, et similiter de quantitate continua, ut denominatur a numeris, et de quantitate continua non denominata a numeris, sumpta, ut est tale accidens, puta quantitas. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod quia eatenus forma dicitur suscipere magis et minus, atque ideo intendi et remitti, quatenus augmentatur, ex duobus potest sumi augmentum formæ, *uno* modo ex parte formæ, *alio* modo ex parte subjecti. Si sumatur augmentum formæ *priori*, *modo* neque quantitas neque qualitas possunt augmentari atque adeo suscipere magis et minus, intendi et remitti; non enim albedo est magis albedo quam alia, neque una quantitas est magis quantitas quam alia, et idem est de quacumque forma, quæ secundum seipsam sortitur speciem et non per ordinem ad aliquid extrinsecum. Et ratio est, quia necesse est, quod forma, quæ secundum seipsam vel secundum aliquid sui sortitur rationem speciei, secundum se considerata habeat rationem distinctam, quæ neque in plus neque in minus deficere possit, et ideo additio vel detractio in illis variat speciem. Hujusmodi autem sunt quantitas et qualitates quædam, ut albedo, calor et similes, quæ non dicuntur in ordine ad aliud, nam quæ dicunt ordinem ad aliud ut motus, possunt augeri per additionem; augetur enim motus per hoc, quod ei aliquid additur vel secundum tempus, in quo est, vel secundum viam, per quam est, et tamen manet eadem illius species propter unitatem termini.

Si vero sumatur augmentum formæ *posteriori modo*, puta ex parte subjecti, dupliciter id potest contingere, *uno* modo per additionem, quod quidem in qualitatibus dupliciter fit: nimirum *vel* quia aliqua pars subjecti recipit formam, quam prius non habebat, ut si dicatur frigus crescere in homine, qui prius frigebat in una parte, quando jam in pluribus partibus friget; *vel* quia aliquod subjectum additur participans eamdem formam, ut si calidum adjungatur calido, vel album albo; sed secundum utrumque modum non dicitur aliquid magis calidum vel frigidum, vel album, sed majus. Et similiter in quantitate dupliciter fit, *vel* quia illud quod erat materia alterius corporis, efficitur materia hujus, in hoc illo corpore transmutato, ut cum materia quæ erat sub forma aeris, fit per generationem sub forma ignis, *vel* quia subjecto quanto additur aliud quantum, ut contingit in augmento viventium, et neutro modo fit aliquid magis quantum, sed majus, ut ex se patet. — *Alio* modo ex parte subjecti potest augeri forma per solam intensionem sine additione, quando scilicet subjectum habens jam formam est in potentia ad perfectum participationis modum, et de actu imperfecto per actionem agentis reducitur ad actum perfectum, et hoc modo in alteratione intenditur et remittitur qualitas, puta calor, color, et similes intenduntur, et subjectum dicitur magis vel minus secundum illas; et in rarefactione similiter quantitas intenditur et remittitur, non tamen secundum quod est talis forma accidentalis, idest quantitas, sed secundum quod est

forma accidentalis simpliciter. Cum enim quantitas corporalis habeat aliquid, in quantum est quantitas, et aliquid, in quantum est forma accidentalis, illi utroque modo consideratæ convenit augmentum, et cum in quantum quantitas habeat, quod sit distinguibilis secundum situm et numerum, hoc modo considerata augetur per additionem, ut patet in animalibus; in quantum vero est forma accidentalis, cum sit distinguibilis solum secundum subjectum, sicut et aliæ formæ accidentales, augetur eodem modo, quo illæ. Nam sicut illæ augentur per modum intensionis in subjecto per hoc, quod subjectum magis ac magis participat formam, idest secundum quod magis ac magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi; hic enim est modus proprius cujuslibet formæ, quæ intenditur, eo quod esse hujus formæ totaliter consistit in eo, quod inhæret susceptibili, et ideo cum magnitudo rei consequatur esse ipsius formæ, hoc est formam esse majorem, eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire, ita eodem modo augetur quantitas. Quoniam vero res quælibet talis est essentialiter per id, quod illi convenit secundum quod ipsum, et secundum quod a quacumque alia re essentialiter differt, propterea quia augmentum secundum intensionem non convenit quantitati, secundum quod quantitas, est et talis forma accidentalis ab aliis formis accidentalibus reliquorum generum essentialiter distincta; augmentum vero secundum additionem illi convenit, ut est talis forma accidentalis, et ut quantitas, ideo absolute dicendum est, quod quantitas secundum quod quantitas, non augetur per intensionem et remissionem, sicut augetur qualitas. Et ex his patet ad objecta primo loco allata. — 1a 2æ, q. 52, a. 1, c. et a. 2, c. et ad 1; *de Virt. in com.* a. 11; *de Virt. cardinal.* a. 3; 2a 2æ, q. 24, a. 5, c. et ad 1; 2 *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

Ad primum ergo secundo loco positum dicendum, quod Philosophus loquitur de quantitate denominata a numero, ut patet exemplo, quod affert. Vel dic, quod Philosophus loquitur de quantitate secundum quod est quantitas, non autem secundum quod est forma accidentalis; nam priori modo considerata augetur tantum per additionem, unde non sequitur, quod subjectum dicatur magis vel minus participare quantitatem; posteriori vero modo sumptæ convenit augeri per modum intensionis in subjecto, sicut et aliæ formæ accidentales, quæ intenduntur et remittuntur. — Il. cit.

Ad secundum dicendum, quod quia subjectum dicitur magis vel minus secundum aliquam formam, quando illa forma est major vel minor, seu quando est cum majori vel minori perfectione (nam tunc subjectum dicitur magis vel minus, quando de actu imperfecto reducitur per actionem agentis ad perfectum actum alicujus formæ), ideo secundum quantitatem potest aliquid dici magis vel minus, quia illa potest esse major vel minor, et subjectum de imperfecto actu illius potest reduci per actum agentis ad actum perfectum, ut patet in rarefactione. Quod si secundum alias formas, quatenus sunt in majore vel minore superficie vel quantitate, non dicitur subjectum magis, hoc est, quia qualitates tunc non sunt in se majores, cum talis magnitudo non competat illis per se, sed per accidens; et propterea ratione quantitatis et magnitudinis subjecti non dicitur aliquid magis album, sed tantum major albedo, extensive scilicet seu ratione subjecti, non intensive seu ratione sui. — 1a 2æ, q. 52, a. 1 et 2; *de Virt. in com.* l. c; 2a 2æ, l. c.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod maxime proprium quantitatis tanquam omni, soli et semper conveniens est, secundum illam æquale et inæquale dici; sicut enim dicit Philosophus(5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15), unum in substantia facit idem, unum in quantitate facit æquale et unum in qualitate facit simile; eadem enim sunt, quorum substantia est una; similia, quorum qualitas est una; æqualia, quorum quantitas est una. — Notandum tamen, quod sicut duplex est quantitas, molis seu dimensiva, quæ est in solis rebus corporalibus; et virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicujus formæ vel naturæ, et secundum esse et operationem illius; ita utrique quantitati duplex convenit æqualitas. Et de quantitate quidem molis manifestum est; nam quæcumque

accipiatur, vel est æqualis vel inæqualis; de quantitate vero virtutis etiam patet, nam, ut dicit Augustinus (Fulgentius) *de Fide ad Petrum* c. 1, æqualitas intelligitur in Patre, Filio et Spiritu sancto, in quantum nullus aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quamcumque tamen quantitatem consequatur æqualitas, suppositum hujus sicut et suppositum similitudinis debet esse aliquid distinctum, quia nihil est simile et æquale sibi, sed alteri. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, c. et dist. 31, q. 1, a. 1; 1a, q. 42, a. 1, ad 1; 5. *Metaphys.* l. 17; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod æqualitas non causatur ex uno in quantitate, solum secundum rationem quantitatis communem, sed etiam secundum rationem alicujus speciei quantitatis; ad rationem enim æqualitatis sufficit, quod sit unitas numeri vel etiam temporis. Et ita cum in divinis sit ratio aliquarum specierum quantitatis, potest ibi, esse æqualitas proprie; sed quia quod invenitur in pluribus, convenit eis secundum id, quod est eis commune et non secundum id, quod est proprium, ideo melius dici potest, quod æqualitas consequitur rationem quantitatis in communi, quæ consistit in quadam divisibilitate. Unde ratio quantitatis invenitur proprie in illis, quæ secundum se dividuntur, et sic Deo non convenit. Invenitur etiam quodammodo in illis, quorum divisio attenditur secundum ea, quæ extrema sunt, sicut virtus dicitur divisibilis, et quantitatis rationem habens ex ratione et divisione actuum et objectorum, et quia talis ratio quantitatis virtualis Deo convenit, per consequens et Deo convenit æqualitas. — *Sent.* dist. 19, 9. 1, a. 1 et q. 3, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod dicimus, duas albedines esse æquales, et duas formas inæquales, ratione quantitatis virtualis, quæ maxime attenditur secundum perfectionem naturæ et formæ. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8; 1. *Sent.* l. c., q. 3, a. 1.

Ad tertium dicendum, quod de æqualitate dupliciter convenit loqui, aut quantum ad unitatem quantitatis, quæ est causa ipsius, aut quantum ad relationem consequentem. Si loquamur de æqualitate secundum unitatem quantitatis, supra quam fundatur talis relatio, sic ratio ejus consistit in privatione, sicut et ratio unitatis, et ideo dicit Philosophus, quod æquale opponitur privative magno et parvo, sicut unum multo. Si vero loquamur de æqualitate quantum ad relationem, sic æqualitas in rebus creatis aliquid ponit realiter in utroque extremo, sed in divinis personis nihil nisi secundum rationem. — 1. *Sent.* dist. 31, q. 1, a. 1.

ARTICULUS V

UTRUM RECTE SINT ASSIGNATÆ DIVISIONES QUANTITATIS.

Videtur quod non sit recte assignata prima divisio quantitatis in continuam et discretam.

1. Philosophus enim (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13) quantitatem dividit in magnitudinem et multitudinem; at hæc videtur sufficiens divisio : ergo non debuit quantitas aliter dividi. — *Opusc.* 42, c. 20; 5. *Metaphys.* l. 15.

2. Præterea, gravitas et levitas sunt quanta per se, ut dicitur l. c.; sed gravitas et levitas neque sunt quantitas continua, neque discreta, ut patet : ergo quantitas non sufficienter dividitur in continuam et discretam. — 5. *Metaphys.* l. 15.

3. Præterea, duratio, quæ dicitur æternitas participata, et ævum sunt quanta, nam secundum illa possunt aliqua dici æqualiter vel inæqualiter durare (sicut de divinis personis dicit Augustinus, quod sunt æquales in æternitate); sed illæ neque sunt quantitas discreta, ut patet, neque continua, cum habeant oppositam rationem ipsi tempori, ad quod tantum inter species quantitatis continuæ videntur posse reduci : ergo idem, quod prius. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 2, a. 1; 1a, q. 42, a. 1, ad 1.

Sed contra est auctoritas Philosophi in *Prædicam*, c. 6, ubi quantitatem dividit in continuam, et discretam.

Videtur quod non recte dividatur quantitas in eam, quæ constat partibus positionem habentibus, et eam, quæ constat partibus positionem non habentibus.

1. Quia positio facit prædicamentum di-

stinctum a quantitate, idem enim est positio, quod situs, quod est prædicamentum distinctum ab aliis; ergo male dividitur sic quantitas. — *Opusc.* 42, c. 20; 1a 2æ, q. 49, a. 1, ad 3; *Opusc.* 70, q. 5, a. 3, ad 3; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 4.

2. Præterea, constare partibus positionem habentibus, neque convenit quantitati discretæ, non enim numero, neque orationi; neque continuæ, quia tempus est quantitas continua, et tamen non constat partibus positionem habentibus; ergo. — *Opusc.* 42, c. 20.

3. Præterea, punctus non est quantitas, nec species quantitatis; sed punctus habet positionem : ergo quantitas non recte dividitur in habentem positionem et non habentem positionem. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 4; 1. *Metaphys.* l. 2.

Sed contra est, quod Philosophus l. c. dividit quantitatem in eam, quæ constat partibus positionem habentibus, et eam quæ non constat.

Videtur quod non recte dividatur quantum in per se et per accidens.

1. Quia cætera prædicamenta accidentium non dividuntur in per se et per accidens; sed non est major ratio quantitatis et aliorum prædicamentorum : ergo quantum non debet sic dividi. — 5. *Metaphys.* l. 15.

2. Præterea, inter quanta per accidens ponit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13) album et similia; sed albo et similibus non convenit conditio quanti per accidens; hoc enim est totum in toto subjecto quanto, et pars in parte, albedo autem est tota in tota superficie subjecti quanti, et tota in qualibet parte; nam æque intensa est albedo in qualibet parte, sicut in toto : ergo vel non recte afferuntur a Philosopho exempla quanti per accidens, vel non recte dividitur quantum in per se et per accidens. — *Quæst disp. de Anima* a. 10.

Sed contra est auctoritas Philosophi in *Prædicam.* c. 6 et in 5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13 dividentis quantum in per se et per accidens.

Ad primam quæstionem dicendum, quod recte dividitur quantitas in continuam et discretam. Nam genus recte dividitur in suas differentias, hoc enim spectat ad divisionem formalem; continuum autem et discretum sunt primæ differentiæ quantitatis, ex illis enim duæ species immediate constituuntur, magnitudo scilicet et multitudo; nam illa constituitur per continuum, unde definitur, quod sit divisibilis in partes continuas; hæc vero per discretum, unde definitur, quod sit quantitas divisibilis in partes discretas. — *Opusc.* 42, c. 20.

Ad primum ergo dicendum, quod divisio quantitatis in continuam et discretam est divisio in differentias; divisio vero quantitatis in magnitudinem et multitudinem est generis in species. — l. c.

Ad secundum dicendum, quod grave et leve non pertinent ad quantitatem, sed ad qualitatem, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14.) — 5. *Metaphys.* l. 15 et 16.

Ad tertium dicendum, quod durationes illæ pertinent ad quantitatem virtutis, non autem ad quantitatem molis. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 3, a. 1; 1a q. 42, a. 1, ad 1.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod divisio quantitatis in eam, quæ constat partibus habentibus positionem, et eam, quæ constat partibus non habentibus positionem, est eadem cum superiori, quia habere partes positionem habentes in continuo est habere partes copulatas ad aliquem terminum communem, quod est esse continuum; habere vero partes non habentes positionem in continuo est habere partes discretas ad invicem, quod est esse numerum. Quamquam non omne continuum habet partes positionem habentes ad invicem; sicut tempus, quod est continuum materialiter, licet sit discretum formaliter, est enim numerus motus, ut dicitur in 4. *Physic.* — *Opusc.* 42, c. 20; l. c. in arg.; v. supra a. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est positio, una quæ constituit prædicamentum situs, et dicit ordinem partium totius locati ad locum; altera est, quæ est quasi differentia quantitatis continuæ, et dicit ordinem partium in toto existentium ad invicem. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 4.

Ad secundum dicendum, quod ad hoc, quod quantitas habeat positionem, requiruntur tria : primum, quod habeat suas partes continuas signabiles, et non signa-

tas; secundo, quod secundum hanc signabilitatem habeat partes inter se ordinatas, unam scilicet post aliam; tertio, quod partes illæ habeant permanentiam. Defectu primæ conditionis numerus, qui habet partes suas non signabiles, sed signatas, licet habeat eas ordinatas, puta duo post unum, et tria post duo et sic de aliis, non habet positionem. Defectu primæ et tertiæ conditionis oratio non est quantitas constans partibus positionem habentibus, quia neque habet partes suas continuas nec permanentes. Defectu vero solius tertiæ conditionis tempus, licet habeat partes continuas signabiles et non signatas, et habeat partes ordinatas, quia tamen non habet eas permanentes, ideo non est quantitas constans partibus positionem habentibus. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod punctum dicitur habere positionem, non quia constet partibus positionem habentibus, quomodo species quantitatis dicuntur habere positionem, nam hoc impossibile est, cum sit quid indivisibile et principium quantitatis, sed quia est quoddam indivisibile dicens ordinem ad partes lineæ positionem habentis; est enim finis prioris et principium posterioris partis lineæ ad differentiam unitatis, quæ est indivisibile non habens positionem et situm, quam propterea punctus superaddit unitati. — l. c. in arg.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod peculiari ratione in prædicamento quantitatis locum habet divisio entis in per se et per accidens, seu quanti in per se et per accidens. Ad cujus manifestationem sciendum est, quod quantitas est primum inter omnia accidentia, et per consequens inter illa propinquius substantiæ; unde quidam dicebant quantitates, puta lineam, superficiem, corpus et numerum esse substantias; nam sola quantitas habet divisionem in partes proprias post substantiam, albedo enim non potest dividi, et consequenter nec intelligitur individuari nisi per subjectum Et inde est, quod in solo quantitatis genere dantur aliqua per se quanta, quorum quædam significantur per modum substantiæ, seu ut subjecta, sicut linea, superficies, numerus et similia; quodlibet enim istorum est substantialiter quantum, quia in definitione cujuslibet ponitur quantitas, nam linea est quantitas continua secundum longitudinem divisibilis, et similiter est de aliis. Quædam vero significantur per modum habitus vel passionis talis substantiæ. scilicet lineæ, quæ est substantialiter quantitas, vel aliarum similium quantitatum; sicut multum et paucum significantur ut passiones numeri, et productum et breve ut passiones lineæ, et latum et strictum ut passiones superficiei, et profundum et humile sive altum, ut passiones corporis, et similiter grave et leve secundum opinionem illorum, qui dicebant multitudinem superficierum vel atomorum esse causam gravitatis in corporibus, paucitatem vero eorundem esse causam levitatis; sed secundum veritatem grave et leve non pertinent ad quantitatem, sed ad qualitatem. Quædam etiam sunt, quæ communiter cujuslibet quantitatis continuæ passiones sunt, sicut magnum et parvum, majus et minus, sive hæc dicantur absolute sive relative. Aliqua vero sunt quanta per accidens, et sunt duplicia : nam quædam ita dicuntur, quia sunt accidentia alicujus subjecti quanti, ut album et musicum; quædam vero dicuntur quanta per accidens, non ratione subjecti, in quo sunt, sed ex eo, quod dividuntur secundum quantitatem ad divisionem alicujus quantitatis, sicut motus et tempus, quæ dicuntur quanta et continua, quia illa, quorum sunt, divisibilia sunt, et ipsa dividuntur ad divisionem eorum. Tempus enim est divisibile et continuum propter motum, motus autem propter magnitudinem, non quidem ejus, quod movetur, sed ejus, in quo aliquid movetur; ex eo enim quod illa magnitudino est quanta, et motus est quantus, sequitur tempus esse quantum. — Et sic patet *ad primum* objectum. — 5. *Metaphys.* l. 15,

Ad secundum dicendum, quod in forma, quæ per accidens dividitur ad divisionem continui, sicut est albedo, triplex totalitas potest considerari, nimirum secundum quantitatem, secundum speciem et secundum virtutem. Si accipitur prima totalitas, talis forma est tota in toto corpore vel superficie, et pars in parte corporis vel superficiei; si secunda, eadem

parte, nam æque intensa albedo est in aliqua parte, sicut in toto; si tertia, adhuc non est talis forma tota in qualibet parte, non enim potest tantum in disgregando albedo, quæ est in parte superficiei, sicut quæ est in tota superficie, sicut neque tantum potest calor, qui est in parvo igne ad calefaciendum, sicut calor, qui est in magno.— *Quæst disp. de Anima* a. 10.

QUÆSTIO XII

DE PRÆDICAMENTO QUALITATIS.

Deinde considerandum est de prædicamento qualitatis.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR SEPTEM :

1. Utrum ratio formalis qualitatis consistat in eo, quod sit modus et determinatio substantiæ secundum esse accidentale.
2. Utrum sint tantum quatuor species qualitatis.
3. Utrum habitus et dispositio sint species qualitatis inter se essentialiter distinctæ.
4. Utrum naturalis potentia et impotentia sint inter se essentialiter distinctæ.
5. Utrum passio et passibilis qualitas specie inter se differant.
6. Utrum forma et figura specie inter se differant.
7. Utrum recte sint assignatæ proprietates qualitatis.

ARTICULUS I

UTRUM RATIO FORMALIS QUALITATIS CONSISTAT IN EO, QUOD SIT MODUS ET DETERMINATIO SUBSTANTIÆ SECUNDUM ESSE ACCIDENTALE.

Videtur quod ratio formalis qualitatis non consistat in eo, quod sit modus et determinatio substantiæ secundum esse accidentale.

1. Dicit enim Philosophus in Prædicam. c. 8, quod ratio formalis qualitatis consistit in eo, quod secundum illam quales esse dicimur, unde et 5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14. qualitatem dicit esse, quæ significat quale; sed hoc non est qualitatem esse modum et determinationem substantiæ : ergo in tali modo non consistit ratio formalis qualitatis. — *Opusc.* 48, tract. 4, c. 1; 5. *Metaphys.* l. 16.

2. Præterea, in divinis est modus ; dicimus enim quod in divinis est processio per modum naturæ et per modum voluntatis; sed in divinis non est qualitas secundum quod est genus, ut dictum est : ergo ratio formalis qualitatis non est modus. — *de Pot.* q. 10, a. 2, arg. 10 et in c.

3. Præterea, cum modus mensuram importet, debet spectare ad illud prædicamentum quantitatis, ut dictum est; ergo. — 3. *Sent.* dist. 27, q. 3, a. 3; 4. *Sent.* dist. 16, q. 3, a. 1, ad 4.

4. Præterea, determinatio substantiæ non solum fit per qualitatem, sed etiam aliis modis; nam potest aliquid determinari vel per additionem alicujus differentiæ, quæ potentialiter erat in genere; vel ex eo, quod natura communis recipitur in aliquo et fit hoc aliquid; vel per additionem alicujus accidentis, sive sit qualitas, sive quantitas, sive sit quid intrinsecum, sive quid extrinsecum; ergo male describitur ratio formalis qualitatis per hoc quod sit modus et determinatio substantiæ. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 1, ad 2.

Sed contra est, quod illud est ratio formalis qualitatis, secundum quod species illius inter se essentialiter distinguuntur, sicut supra dictum est, id esse rationem formalem quantitatis, secundum quod illius species inter se essentialiter distinguuntur; sed species qualitatis distinguuntur inter se essentialiter per hoc, quod vario modo determinant substantiam secundum esse accidentale : ergo ratio formalis qualitatis consistit in modo et determinatione. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod proprie qualitas importat quemdam modum substantiæ; modus autem est, ut dicit Augustinus, l. 4, *de Genesi* ad lit. c. 3., quem mensura præfigit, unde importat quamdam determinationem secundum aliquam mensuram; et ideo sicut id, secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale, dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ; ita id secundum quod determinatur potentia subjecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quæ est etiam quædam differentia, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14 et secundum hunc modum vel determinationem varie acce-
forma est tota in toto, et tota in qualibet

ptam diversificantur species qualitatis; nam determinatio et modus subjecti in ordine ad naturam rei constituit primam speciem qualitatis, determinatio vero subjecti secundum actionem et passionem constituit secundam et tertiam speciem, determinatio demum secundum quantitatem constituit quartam speciem. et sic manifestum est, quod ratio formalis qualitatis est, quod sit modus et determinatio substantiæ secundum esse accidentale l. c.

Ad primum ergo dicendum, quod in qualibet qualitate duo considerari possunt, modus denominandi et modus essendi, quorum ille pertinet ad logicum, hic ad philosophum, ut videre est in secunda specie qualitatis, quam ideo Philosophus in Metaphysica non numerat inter species qualitatis, numerat autem in Logica, quia illa secundum modum essendi, quem considerat philosophus, magis continetur sub potentia, habet autem modum denominandi proprium, sicut et reliqua species qualitatis Quia ergo in Prædicam. Philosophus prædicamenta logice tractat, propterea qualitatem describit ex proprio modo denominandi substantiam. — 5. *Metaphys.* l. 16.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur in divinis processio per modum naturæ et voluntatis, non ponitur in Deo modus, qui sit prædicamentum qualitatis, seu qui sit qualitas divinæ substantiæ superaddita, sed ostenditur similitudinis cujusdam comparatio inter processiones in divinis, et processiones, quæ sunt in rebus creatis. — *de Pot.* q. 10. a. 2, ad 10.

Ad tertium dicendum, quod modus cum sit, ut dictum est, quem mensura præfigit, dicit determinationem substantiæ secundum aliquam mensuram, et ideo sicut duplex est mensura, una secundum esse substantiale, altera secundum esse accidentale, ita duplex est determinatio subjecti vel secundum esse substantiale, et hæc est differentia substantiæ, per quam respondemus interroganti quale quid est res, altera est secundum esse accidentale, et hæc est ratio formalis qualitatis, per quam respondemus interroganti qualis res sit. — 1a 2æ, l. c.; 5. *Metaphys.* l. 16.

Ad quartum dicendum, quod substantia tripliciter potest determinari vel ad esse specificum et substantiale, vel ad esse accidentale extrinsecum, vel ad esse accidentale intrinsecum; ex hac enim triplici determinatione colligitur sufficientia numeri prædicamentorum, ut dictum est. Primo modo determinatur forma per formam substantialem. Secundo modo per sex ultima prædicamenta. Tertio modo per qualitatem; licet enim quantitas sit accidens intrinsecum substantiæ, non tamen est formalis determinatio et modus substantiæ, sicut qualitas. Cum enim modus determinandi et prædicandi sequatur modum essendi, modus essendi, quem significat quantitas, non est quale, sed quantum, et ideo non prædicatur in quale, sed in quantum; nec per quantitatem respondetur interrogationi factæ per quale, sed per quantum, secus in qualitate. — V. supra q. 4, a. 3; 5. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 5.

ARTICULUS II

UTRUM SINT TANTUM QUATUOR SPECIES QUALITATIS.

Videtur quod species qualitatis sint pauciores quatuor.

1. Quia habitus ponitur unum prædicamentum, ut patet in Prædicam. c. 15; sed unum prædicamentum non continetur sub alio tanquam species : ergo habitus non est species qualitatis. — 1a 2æ, q. 49, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, dispositio est ordo habentis partes, dispositio non est species qualitatis. — 1a 2æ, q. 49, a. 1, arg. 3.

3. Præterea, Aristoteles (5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14), inter species qualitatis non numerat naturalem potentiam et impotentiam; sed ibi diligenter agit Philosophus de qualitate et ejus speciebus : ergo species qualitatis sunt tantum tres. — 5. *Metaphys.* l. 16; *Opusc.* 42, c. 21.

4. Præterea, secunda species non differt a prima, quia neque distinguunt, quod secunda species est activa, non prima, quia utraque species est principium actionis, sunt enim multi habitus activi, ut scientia et virtus; neque quod secunda species est qualitas a natura insita, prima vero est acquisita, quia multæ qualitates ex prima

specie sunt a natura, ut sanitas et pulchritudo, et e contra aliqua potentia est acquisita, ut character; neque quod differunt subjecto, quia utriusque speciei qualitates sunt in anima et in corpore; in anima enim sunt naturales potentiæ et habitus spirituales, ut scientia et virtus; sed quod non differt ab altero, non facit numerum cum illo : ergo species qualitatis sunt pauciores. — 1a 2æ, q. 49, a, 3, ad 3; l. c. in resp.

5. Præterea, esse principium actionis ponitur in definitione potentiæ, ut patet 5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 12, sed etiam habitus ponitur ut principium actus, dicit enim Commentator (3. *de Anima* com. 18), quod habitus est quo quis agit, cum voluerit : ergo naturalis potentia non est distincta ab aliis speciebus qualitatis. — 1a 2æ, q. 49, a. 3, arg. 2 et *Sed contra.*

6. Præterea, dicit Philosophus in Prædicam. c. 8, calorem et frigus esse dispositiones et habitus; sed calor et frigus sunt in tertia specie qualitatis : ergo tertia species non est distincta a prima, et sic species qualitatis erunt pauciores. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, arg. 2.

7. Præterea, figura est signum institutum ad aliquid significandum secundum assimulationem ad aliud; sed signum non est species qualitatis, sed potius relationis, nam consistit formaliter signum in habitudine quadam ad signatum : ergo figura non est species qualitatis. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 2, a. 1, ad 1; 3a, q. 60, a. 1, c.; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.

8. Præterea, secundum figuram contingit aliquid esse bene vel male dispositum, et similiter secundum calorem et frigus, et secundum quamlibet qualitatem; sed esse dispositionem, secundum quam bene vel male dispositum disponitur, est definitio primæ speciei qualitatis : ergo reliquæ species non distinguuntur a prima, et ita erunt species qualitatis pauciores. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, arg. 1.

Videtur quod species qualitatis sint plures quatuor. — 1. Dicit enim Philosophus in Prædicam. c. 8, quod fortasse apparebunt alii modi qualitatis, et quod dicti sunt, qui maxime dicuntur qualitates; at hoc est dari alias species præter quatuor : ergo.

2. Præterea, character est qualitas; sed non est ulla ex quatuor speciebus, non enim est habitus, quia hic ordinatur ad aliquid bene vel male, character vero ad aliquid simpliciter; neque est dispositio, tum ob eamdem rationem, tum quia non est facile mobilis, sed omnino indelebilis; neque est potentia naturalis, quia potentiæ omnibus hominibus communes sunt et insunt a natura, non autem character; neque est naturalis impotentia, quia tunc sacramenta characterem imprimentia magis officerent, quam juvarent; neque est in tertia specie qualitatis, quia sicut probat Philosophus (7. *Phys. text.* 19; c. 3), tertia species non est nisi in sensibili parte animæ, character autem est in parte intellectiva; præterea illæ qualitates semper habent ordinem ad aliquam transmutationem corporis, vel quam inserunt vel a qua causantur; neque demum est forma vel figura, quia hæc est terminatio quantitatis; at anima, in qua est character non est quantitas : ergo species qualitatis sunt plures. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, arg. 1, 2, 3 et c.

3. Præterea, raritas et densitas, asperitas et lenitas sunt qualitates; sed hæ non pertinent ad ullam ex quatuor speciebus : ergo. — 3a, q. 77, a. 2, ad 4; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, quæstiunc. 3, ad 6; 2. *de Generat.* l. 2.

4. Præterea, Philosophus (5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14) inter species et modos qualitatis ponit numerum, superficiem et corpus; sed hæc non pertinent ad ullam ex prædictis quatuor speciebus qualitatis : ergo. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1, c.; 5. *Metaphys.* l. 16.

5. Præterea, dantur aliæ qualitates, ut pulchritudo ex Philosopho (7. *Phys. text.* 17; c. 3), species sensibilis et intelligibilis, verbum mentis et lux, quæ non videntur ad quatuor prædictas species posse revocari; ergo species qualitatis sunt plures quatuor. — 7. *Phys.* l. 5 et l. c.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 8, numerat tantum quatuor species qualitatis.

Respondeo dicendum ad *primam quæstionem,* quod quatuor sunt tantum species qualitatis. Ad cujus manifestationem sciendum quod Simplicius in Commentario in Prædicamenta sic assignat

differentias specierum qualitatis dicens, quod qualitatum quædam sunt naturales, quæ secundum naturam insunt et semper; quædam autem sunt adventitiæ, quæ ab extrinseco efficiuntur et possunt amitti, et hæ sunt habitus et dispositiones secundum facile et difficile amissibile differentes. Naturalium autem qualitatum quædam sunt secundum id, quod aliquid est in potentia, et sic est secunda species qualitatis; quædam vero secundum quod aliquid est in actu; et hoc vel in profundum vel secundum superficiem; si in profundum, est tertia species qualitatis, si secundum superficiem, est quarta species, sicut figura et forma, quæ est figura animati. Sed ista distinctio specierum qualitatis inconveniens videtur. Sunt enim multæ figuræ et qualitates passibiles non naturales, sed adventitiæ, et multæ dispositiones non adventitiæ, sed naturales, sicut sanitas et pulchritudo et hujusmodi, et propter hoc non convenit ordini specierum; semper enim quod naturalius est, prius est. — 4. *Sent.* dist. 49. q. 1, a. 1, c.; 1a 2æ, q. 49, a. 2, c.; *Opusc.* 48, tract. 4, c. 2; 5. *Metaphys.* l. 16.

Et ideo aliter est assignanda distinctio specierum qualitatis; proprie enim qualitas, ut dictum est, importat quemdam modum substantiæ, modus autem est, ut dicit Augustinus super Genes. ad lit. lib. 4, c. 3, quem mensura præfigit; et ideo sicut id, secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale, dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ; ita id, secundum quod determinatur potentia subjecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quæ est etiam quædam differentia secundum Philosophum (5. *Metaphys. text.* 19; l. 4, c. 14). Modus autem sive determinatio subjecti secundum esse accidentale potest accipi vel in ordine ad ipsam naturam subjecti, vel secundum actionem, vel passionem, quæ consequuntur principia naturæ, quæ sunt materia et forma; vel secundum quantitatem. Si ergo accipiatur modus vel determinatio subjecti secundum quantitatem, sic est *quarta* species qualitatis; si vero accipiatur secundum actionem et passionem, constituitur secunda et tertia species : *secunda* quidem, si determinatio subjecti accipiatur secundum principia actionis et passionis, *tertia* vero, si accipiatur secundum terminum. Si demum accipiatur modus et determinatio subjecti in ordine ad naturam rei, constituitur *prima* species qualitatis, habitus et dispositio, secundum quæ natura convenienter se habet vel in se vel ad aliud. Ponitur autem prima species qualitatis habitus et dispositio; secundo vero loco sequitur naturalis potentia et impotentia, tum quia habitus respicit naturam, quæ est primum, quod consideratur in re et præcedit actionem, quam respicit potentia; tum quia habitus est quid completum, potentia incompletum, et habitus est actus, hæc vero est potentia; completum autem est prius incompleto naturaliter, et actus potentia, licet sit prior generatione quam actus, et incompletum completo. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.; 1a 2æ, q. 49, a. 1, 2 et 3, ad 2 et q. 50, a. 2, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod habere tripliciter sumitur, *primo* secundum quod dicitur respectu cujuscumque, quod habetur, et hoc est commune ad diversa genera; unde Philosophus inter Postprædicamenta ponit habere, quæ scilicet diversa genera consequuntur, sicut sunt opposita, prius et posterius, et alia hujusmodi. Verum quia inter ea, quæ habentur, talis videtur esse distinctio, quod quædam sunt, in quibus nihil est medium inter habens et id, quod habetur, sicut inter subjectum et qualitatem et quantitatem nihil est medium; quædam vero sunt, in quibus non est aliquid medium inter utrumque nisi sola relatio, sicut aliquis dicitur habere socium vel amicum; quædam denique sunt, inter quæ est aliquid medium, non quidem actio vel passio, sed aliquid per modum actionis vel passionis, prout scilicet unum est ornans vel tegens, et aliud ornatum vel tectum, unde Philosophus in 5. *Metaphys. text.* 25; l. 4, c. 20 dicit, quod habitus dicitur tanquam actio quædam habentis et habiti, sicut est in illis, quæ circa nos habemus. Et ideo in his constituitur unum speciale genus rerum, quod dicitur prædicamentum habitus, de quo dicit Philosophus, quod inter habentem indumentum, et indumentum, quod habetur, est habitus medius, et ideo *se-*

cundo sumitur habere, quatenus significat tale medium. *Tertio* vero sumitur habere, prout res aliqua dicitur quodammodo se habere in seipsa, vel ad aliquid aliud, et quia iste modus se habendi est secundum aliquam qualitatem, ideo hoc modo habitus quædam qualitas est, de qua Philosophus in l. c. dicit, quod habitus dicitur dispositio, secundum quam bene vel male disponitur dispositum, aut secundum se aut ad aliud, ut sanitas quidam habitus est. Et sic loquimur nunc de habitu; sed argumentum procedit de habere vel habitu secundo modo, secundum quod intelligitur aliquid medium inter habens et id, quod habetur; sic enim est quoddam prædicamentum, ut dictum est. — 1a 2æ, q. 49, a. 1, c. et ad 2.

Ad secundum dicendum, quod dispositio quidem semper importat ordinem alicujus habentis partes; sed hoc contingit tripliciter, ut statim ibidem subdit Philosophus, scilicet, aut secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum speciem; in quo, ut Simplicius dicit in Commentario in Prædicamenta, comprehendit omnes dispositiones; corporales quidem in eo, quod dicit : secundum locum, et hoc pertinet ad prædicamentum situs, qui est ordo partium in loco; quod autem dicit : secundum potentiam, includit illas dispositiones, quæ sunt in præparatione et idoneitate nondum perfecte, sicut scientia et virtus inchoata; quod autem dicit : secundum speciem, includit perfectas dispositiones, quæ dicuntur habitus, sicut scientia et virtus completa. Vel dic, quod dispositio secundum ordinem partium in loco constituit prædicamentum situs, dispositio vero dicens ordinem partium secundum speciem et figuram totius, qui dicitur situs intrinsecus, est differentia quantitatis continuæ; quantitas enim alia est habens positionem, ut linea, superficies et corpus, alia non habens, ut numerus et tempus; dispositio demum dicens ordinem partium secundum potentiam sive virtutem, constituit primam speciem qualitatis; dicitur enim aliquid hoc modo esse dispositum, ut puta secundum sanitatem vel ægritudinem ex eo, quod partes ejus habent ordinem in virtute activa vel passiva. — 1a 2æ, q. 49, a. 1, ad 3; 5. *Metaphys.* l. 20.

Ad tertium dicendum, quod secunda species qualitatis, quæ est naturalis potentia et impotentia, a Philosopho prætermittitur in Metaphysica, quia magis comprehenditur sub potentia, cum non significetur, nisi ut principium passioni resistens; in Prædicamentis vero ponitur per modum denominandi, quem habet convenientem qualitati. Secundum potentiam enim etiam dicimur quales; quærenti enim : qualis est homo? congrue respondetur, quod sit aptus vel ineptus ad luctam, robustus aut imbecillis, et hoc ad logicum spectat, quippe qui considerat modum prædicandi, non modum essendi, ut dictum est, secundum quem magis continetur sub potentia, de qua Philosophus supra locutus fuerat. — *Opusc.* 42, c. 21; 5. *Metaphys.* l. 16; V. supra q. 9, a. 1, ad 1 et q. 11, a. 1.

Ad quartum dicendum, quod in secunda specie, sicut et in tertia non consideratur aliquid pertinens ad rationem boni vel mali, sed tantum, quod aliquid facile vel difficile fiat, quia motus et passiones non habent rationem finis; bonum autem et malum dicuntur per respectum ad finem; et in prima specie, quia est modus et determinatio subjecti in ordine ad naturam rei, quæ est finis et cujus causa fit aliquid, ut dicitur 2. *Phys. text.* 23; c. 2, per se consideratur bonum et malum, et etiam facile et difficile mobile, secundum quod aliqua natura est finis generationis et motus. Unde in 5. *Metaphys. text.* 25; l. 4, c. 20 definit Philosophus habitum, quod sit dispositio, secundum quam aliquid disponitur bene vel male, et in 2. *Ethic.* c. 5 dicit, quod habitus sunt, secundum quos ad passiones nos habemus bene vel male; quando enim est modus conveniens rei, tunc habet rationem boni, quando autem non convenit, tunc habet rationem mali. Et quia natura est id, quod primum consideratur in re, inde est, quod habitus ponitur prima species qualitatis. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, c.; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.

Ad quintum dicendum, quod potentia in hoc distinguitur ab habitu, quod illa est, qua possumus simpliciter, hic vero, quo possumus illud bene vel male; sicut intellectus est, quo consideramus; scientia, qua bene consideramus; concupiscibilis, qua concupiscimus; temperantia, qua

bene concupiscimus, intemperantia, qua male. — II. proxime cit.

Ad sextum dicendum, quod calor et frigus, sicut et aliæ qualitates passibiles dupliciter possunt considerari. *Uno modo*, secundum quod conveniunt vel non conveniunt naturæ rei, et sic pertinent ad habitus vel dispositiones, ad quas etiam pertinent ipsæ figuræ eodem modo consideratæ ; nam figura prout convenit naturæ rei, et color pertinent ad pulchritudinem; calor autem et frigus, secundum quod conveniunt naturæ rei, pertinent ad sanitatem; et hoc modo calor et frigus ponuntur a Philosopho in prima specie qualitatis. *Alio modo* possunt considerari secundum quod sunt termini actionis et passionis, et sic pertinent ad tertiam speciem. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, c. et ad 2.

Ad septimum dicendum, quod figura dupliciter dicitur, *uno modo* qualitas resultans ex terminatione quantitatis ; consideratur enim figura circa extremitatem corporis; est enim figura, quæ termino vel terminis comprehenditur; et quia figura alicujus rei signum ipsius ponitur, sicut patet de imaginibus, quæ præcipue fiunt secundum repræsentationem figuræ, inde translatum est nomen figuræ, ut *alio modo* sumatur pro quolibet signo, quod instituitur ad aliquid significandum secundum assimilationem ad aliud. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 2, a. 1, ad 1; 3a, q. 45, a. 1, ad 2.

Ad octavum dicendum, quod dispositio ordinem quemdam importat ; unde non dicitur aliquis disponi per qualitatem, nisi in ordine ad aliquid, et si addatur bene vel male, quod pertinet ad rationem habitus, oportet, quod attendatur ordo ad naturam, quæ est finis ; unde secundum figuram, vel secundum calorem, vel frigus, non dicetur aliquis disponi bene vel male, nisi secundum ordinem ad naturam rei, secundum quod est conveniens vel disconveniens ; unde et ipsæ figuræ, ut dictum est, et passibiles qualitates, secundum quod considerantur, ut convenientes vel disconvenientes naturæ rei, pertinent ad habitus vel dispositiones. Secundum quod vero considerantur, ut determinantes substantiam vel secundum quantitatem vel secundum actionem et passionem, sic pertinent ad tertiam et quartam speciem qualitatis. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, c. et ad 1.

Ad secundum quæstionem dicendum, quod species qualitatis non sunt plures quatuor, quia omnes qualitates revocari possunt ad illas quatuor, quas posuit Aristoteles in *Prædicam.* c. 8, ut patet ex ratione, qua probata est sufficientia talis numeri. — II. cit. ad quæst. præced.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi est, quod præter modos qualitatis allatos ab ipso sunt etiam forte alii, qui tamen omnes reducuntur ad prædictas quatuor species, quod patet ex hoc, quod nulla alia species inveniri hactenus potuit. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1.

Ad secundum dicendum, quod character est in secunda specie qualitatis. Sicut enim cujuslibet existentis in aliqua natura sunt aliquæ operationes propriæ, ita etiam in spirituali vita regenerati, ut dicit Dionysius *de Cæl. Hierarch.* c. 2; ubi autem sunt operationes propriæ, oportet, quod sint propria principia illarum. Unde sicut in aliis rebus sunt potentiæ naturales ad proprias operationes, quæ constituuntur in secunda specie qualitatis, ita etiam renati in vitam spiritualem habent quasdam potentias, secundum quas possunt illas operationes exercere; et hæ reducuntur etiam ad secundam speciem qualitatis. Datur enim alius modus ab illo, quem Philosophus ibi ponit, quia Philosophus non cognoscebat nisi operationes naturales, et ita non nisi potentias naturales ; constat autem apud nos, quod oportet ponere potentias spirituales, sicut potentiam conficiendi Sacramentum, absolvendi, et hujusmodi ; et quod ad secundam speciem qualitatis reducantur, sicut habitus infusi sunt in eadem specie qualitatis cum habitibus naturalibus et acquisitis. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c. et ad 2 et 3; 3a, q. 63, a. 2, per tot.

Ad tertium dicendum, quod raritas, et densitas dupliciter possunt considerari, uno modo causaliter, et sic sunt positio partium materiæ secundum propinquum in denso et remotum in raro. Alio modo formaliter, et sic sunt qualitates consequentes corpora ex hoc, quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus, et hoc modo sunt qualitates ex

tertia specie, sunt enim qualitates passibiles, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 85; c. 13 et 7. *Phys. text.* 11; c. 2), quæ ad tertiam speciem qualitatis pertinent. — 8. *Phys.* l. 14; 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Phys.* l. 14; 7. *Phys.* l. 4; 3a, q. 77, a. 2, ad 3; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, quæstiunc. 3, ad 1; 3a, q. 63, a. 2, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus non dicit numerum esse qualitatem, sed numerum dici qualem, et similiter superficiem; nam dicuntur superficies quales, quatenus sunt quadratæ, vel triangulares, seu ratione figurarum, quæ illis insunt. Similiter numeri dicuntur quales, vel quatenus sunt compositi, idest quatenus communicant in aliquo numero eos mensurante, sicut senarius et novenarius in ternario; vel quatenus dicuntur superficiales vel solidi, idest quatenus secundum imitationem superficiei et corporis numerus dividitur in numerum vel eumdem vel alium, ut cum dicimus bis tria, vel ter tria, nam designatur quasi una dimensio in hoc, quod dicimus tria, quasi secunda, cum dicimus bis tria, quasi tertia, cum dicimus ter tria. Unde in numero duo spectari debent, substantia et qualitas; substantia senarii, verbi gratia est, quod sit semel sex, qualitas ejus, quod dicitur bis tria, vel ter duo, seu quod multiplicetur numerus in numerum. — 5. *Metaphys.* l. 16.

Ad quintum dicendum, quod pulchritudo est prima species qualitatis, ut patet ex Philosopho (7. *Phys. text.* 17; c. 3); est enim habitus afficiens subjectum, ut bene se habeat secundum propriam naturam, sicut et sanitas; lumen est qualitas tertiæ speciei, ut dicemus infra. Species vero, cum sint qualitates operativæ, vel ad primam vel ad secundam speciem reduci possunt; similiter et verbum, cum sit medium, in quo objectum intelligitur, ut dicemus. — V. infra *de Anima* q. 64, a. 4 et q. 96, a. 2.

ARTICULUS III

UTRUM HABITUS ET DISPOSITIO SINT SPECIES QUALITATIS INTER SE ESSENTIALITER DISTINCTÆ.

Videtur quod habitus et dispositio non sint species inter se essentialiter distinctæ.

1. Quia Philosophus in *Praedicam.* c. 8 vocat habitum et dispositionem unam speciem qualitatis; sed quæ sunt hujusmodi, non distinguuntur essentialiter: ergo. — 1a 2æ, q. 49, a. 2 et 3.

2. Præterea, perfectum et imperfectum non diversificantur specie; ejusdem enim speciei est habitus perfectus et imperfectus; sed habitus et dispositio differunt sicut habitus completus et incompletus, perfectus et imperfectus: ergo. — l. c. a. 1 et 2.

3. Præterea, habitus et dispositio distinguuntur inter se per facile et difficile mobile; sed hæ sunt differentiæ accidentales: ergo. — l. c. a. 2.

4. Præterea, ita se habet habitus et dispositio, sicut passio et passibilis qualitas, quia sicut passio facile moveri potest a subjecto, passibilis vero qualitas difficile, ita dispositio est facile mobilis a subjecto, habitus vero difficile; sed passio et passibilis qualitas non differunt specie; ergo nec habitus et dispositio. — l. c. et ad 3.

Sed contra est, quod Philosophus distinctionem essentialem inter habitum et dispositionem probat ex communi loquendi modo, quo solæ qualitates, quæ difficile removeri possunt, habitus vocantur, secus quæ facile, et initio cap. 8 in *Praedicam.* dicit, quod ideo habitus est permanentior et diuturnior, ut scientia, licet inchoata, quia est permanentiorum et diuturniorum; sed differentiæ habitus sumptæ ex objectis sunt essentiales, ut dicemus: ergo esse permanentiorum et diuturniorum seu esse difficile mobile est differentia essentialis. — l. c. et infra q. 32 et 33.

RESPONDEO DICENDUM, quod dispositio et habitus sunt species inter se essentialiter distinctæ. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod dispositio nihil est aliud, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 24; l. 4, c. 19,

quam ordo partes habentis, qui ordo cum sit triplex, tripliciter contingit dispositionis nomen sumi. *Vel* enim est ordo partium in loco, et sic dispositio significans talem ordinem pertinet ad prædicamentum situs; *vel* est ordo partium secundum speciem et figuram totius, et dispositio significans hunc ordinem spectat ad prædicamentum quantitatis; est enim talis ordo situs intrinsecus quantitatis continuæ differentia; dicitur enim quantitas alia habens positionem, alia non habens; *vel* est ordo partium secundum potentiam seu virtutem, et sic dispositio ponitur prima species qualitatis (5. *Metaphys.* l. 20.) — Habitus vero, ut dicit idem Philosophus (5. *Metaphys. text.* 25; l. 4, c. 20.), dupliciter sumitur: *uno modo*, ut est quid medium inter habentem et rem habitam; licet enim habere non sit actio, significat tamen per modum actionis, et ideo inter habentem et habitum intelligitur habitus esse medius et quasi actio quædam, si consideretur procedendo ab homine ad vestem, et significatur verbo activo habere; vel quasi passio, si consideretur procedendo a veste ad hominem, et significatur verbo passivo haberi, et sic acceptus habitus est unum prædicamentum. *Alio modo* dicitur habitus dispositio, secundum quam aliquid disponitur bene vel male, aut secundum se, ut sanitas, per hanc enim bene quis disponitur secundum se, vel per respectum ad aliquid, ut robur, robustus enim est bene dispositus ad aliquid agendum. — Hinc colligi potest, quod dispositio rursus dupliciter potest accipi, *uno modo*, ut est genus ad habitum, nam ponitur in definitione habitus a Philosopho, ut dictum est; *alio modo*, ut est contra habitum divisa. — Potest autem dispositio proprie dicta intelligi dividi contra habitum dupliciter: *uno modo*, sicut perfectum et imperfectum in eadem specie, ut scilicet dispositio dicatur retinere nomen commune, quando imperfecte inest, ita quod de facili amittatur, et sic dispositio fit habitus, sicut puer fit vir. *Alio modo* possunt distingui sicut diversæ species unius generis subalterni, ut dicantur dispositiones illæ qualitates primæ speciei, quibus convenit secundum propriam rationem, ut de facili amittantur, quia habent causas transmutabiles, ut ægritudo et sanitas, quæ in humoribus consistit; habitus vero dicuntur illæ qualitates, quæ secundum suam rationem habent, quod non de facili transmutentur, quia habent causas immobiles, ut scientiæ et virtutes, quarum scientia propterea per unum actum seu unam demonstrationem gignitur, quia ejus principia necessaria et evidenter cognita necessitant intellectum ad assensum conclusionis; virtus vero procedit etiam ex principiis et causis constantibus, ut maxime patet in virtutibus infusis, licet si naturalis sit, per plures actus gignatur. Et secundum hoc dispositio non fit habitus, sed est species essentialiter ab habitu distincta, quæ propterea definiri posset, quod sit qualitas bene vel male afficiens subjectum, quæ facile ex natura sua a subjecto removeri potest; habitus vero, quod sit qualitas, quæ bene vel male afficiens subjectum difficile ab illo ex natura sua removeri potest. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, ad 3 et q. 51, a. 3; *de Virt. in com.* a. 1, ad 10; *de Malo* q. 3, a. 2, c.

Ex his etiam patet, quomodo habitus distinguatur tum a dispositione, tum a cæteris speciebus qualitatis; nam a dispositione distinguitur tum modo dicto, tum quia dispositio, ut est species contradistincta ab habitu, potest esse dispositio ad formam substantialem, secus autem habitus. Differt præterea a secunda specie qualitatis seu a potentia naturali, quia naturales potentiæ sunt communes omnibus et insunt a natura, et sunt, quibus possumus aliquid simpliciter; at habitus naturales nec sunt communes omnibus, nec insunt a natura, et sunt, quibus non simpliciter, sed bene vel male possumus aliquid. Differt autem a passione et passibili qualitate, quæ pertinent ad tertiam speciem qualitatis, quod hæc tertia species, ut probat Philosophus (7. *Phys. text.* 19; c. 3), non est nisi in irascibili parte animæ, et qualitates hujus speciei semper habent ordinem ad aliquam transmutationem corporalem, vel quam inferunt, vel a qua causantur; habitus autem possunt esse in parte rationali et sine ulla transmutatione corporali, cum non solum sint in potentiis sensitivæ partis, sed etiam in intellectu et voluntate. Præterea passio cito transit, cum non sit forma quiescens,

passibilis vero qualitas licet sit in subjecto per modum quiescentis, est tamen necessario agens; at habitus de ratione sua involvit diuturnitatem, et secundum illum potest quis agere, cum voluerit, ut dicit Commentator in 3. *de Anima*, ut dictum est. Differt demum a quarta specie qualitatis, nam figura non dicit ordinem ad actum, quantum in se est, habitus vero dicit ordinem ad actum, quantum est ex se, ut dictum est. — *de Virt. in com.* a. 1, ad 9; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, arg. 1, 3 et c; 1a 2æ, q. 50, a. 3, sq. et q. 49, l. c.

Ad primum dicendum, quod habitus et dispositio sunt una species subalterna, quæ potest appellari dispositio, nam habitus, ut dictum est, definitur per dispositionem tamquam per genus. — 1a, 2æ, q. 49, a. 2, ad 3.

Ad secundum ergo dicendum, quod habitus et dispositio non distinguuntur sicut perfectum et imperfectum in eadem specie, sed sicut perfectum et imperfectum in diversa specie. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod facile et difficile mobile, licet per accidens videantur se habere ad qualitatem, designant tamen proprias et per se differentias qualitatum; sicut in genere substantiæ frequenter accipiuntur differentiæ accidentales loco substantialium, in quantum per eas designantur principia essentialia. — l. c.

Ad quartum dicendum, quod habitus et dispositio sunt difficile et facile mobiles ex propria ratione; at passio et passibilis qualitas id habent ex subjecto, non ex propria ratione; unde eadem omnino qualitas, quæ est passio, potest fieri passibilis qualitas; si enim passiones animi, ut ira, odium et similia, quæ a Philosopho in *Prædicam.* c. 8 passiones nominantur, diutius durarent in subjecto, passibiles qualitates dicerentur, quod esse non posset, si passio et passibilis qualitas differrent inter se specie, ut dictum est de habitu et dispositione. — l. c.; *Opusc.* 48, *tract.* 4, c. 4.

ARTICULUS IV

UTRUM NATURALIS POTENTIA ET IMPOTENTIA SINT SPECIES QUALITATIS INTER SE ESSENTIALITER DISTINCTÆ.

Videtur quod naturalis potentia et impotentia non sunt species qualitatis inter se essentialiter distinctæ.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys text.* 17; l. 4, c. 12), quod potentia est principium transmutandi alterum, in quantum alterum; principium autem relatio quædam est; sed nulla relatio est qualitas: ergo potentia non est qualitas et multo minus species ab impotentia quomodocumque distincta. — *de Pot.* q. 1, a. 3.

2 Præterea, actio et passio sunt duo prædicamenta distincta, ut dictum est; sed eadem est ratio potentiæ activæ et passivæ: ergo etiam hæ facient distincta prædicamenta, et consequenter non erunt una species qualitatis. — V. supra q. 9, a. 3.

3. Præterea, naturalis impotentia est privatio, ut dicitur l. c.; sed privatio sicut et negatio non habent speciem; non entis enim non sunt species, nec differentiæ, ut dicitur 4. *Phys. text.* 67; c. 11: ergo naturalis impotentia non est species a potentia distincta. — 5. *Metaphys.* l. 20.

4. Præterea, perfectum et imperfectum, facile et difficile sunt differentiæ accidentales; sed naturalis potentia et impotentia differunt per facile et difficile: ergo. — 4. *Phys.* l. 11.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 8 naturalem potentiam et impotentiam vocat aliud genus qualitatis; at hoc non est, nisi quia utraque continetur tanquam distincta species sub innominato genere proximo: ergo naturalis potentia et impotentia sunt species inter se essentialiter distinctæ.

RESPONDEO DICENDUM, quod potentia quadrupliciter sumitur, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 12. *Primo* pro principio transmutandi alterum, in quantum alterum, et continet omnes potentias activas, quæ tamen sunt principia operationum transeuntium, ut est potentia ædificativa et qualitates naturales activæ, ut

calor, frigus, humor, siccitas. Harum namque operationes non sunt in re calefactiva vel frigefactiva, et in ædificatore, sed in subjecto, puta ligno et domo ; unde rejiciuntur potentiæ motivæ elementorum, gravitas enim in terra non est principium, ut moveat, sed ut moveatur, et similiter est de aliis similibus. Rejiciuntur etiam omnes potentiæ cognoscitivæ, nam illarum operationes sunt in ipsis potentiis, unde emanant. — *Secundo* sumitur pro potentia passiva, quæ est principium, quo aliquid transmutatur ab altero, in quantum alterum. — *Tertio* sumitur pro principio bene faciendi aliquid vel patiendi, quomodo dicitur quis posse bene loqui, et lignum dicitur combustibile, quia de facili potest comburi. — *Quarto* pro quocumque habitu sive forma vel dispositione, qua res aliqua redditur impassibilis, immutabilis, et in deterius difficile mobilis, quomodo durities et salubritas significant potentiam naturalem, quia per illas subjectum facile resistit contrariis; sicut oppositæ qualitates spectant ad naturalem impotentiam, ut mollities, insalubritas, seu ægrotativum. — 5. *Metaphys.* l. 14.

Ex his potentiis potentia secundo modo sumpta est in prædicamento sui actus, puta potentia ad actum substantialem est in prædicamento substantiæ, et potentia ad formas accidentales est in prædicamento formæ accidentalis, ut dictum est ex Philosopho ; potentia vero tertio modo sumpta videtur pertinere ad primam speciem qualitatis, hoc enim, ut dictum est, differt potentia ab habitu, quod per potentiam possumus simpliciter aliquid, per habitum vero possumus bene vel male. Quare ad hanc secundam speciem qualitatis pertinet potentia primo et quarto modo, ita tamen, ut sub illa non solum comprehendantur hæ, sed etiam omnes potentiæ, quarum operationes sunt immanentes, sive sint potentiæ naturales, ut qualitates motivæ elementorum, sive sensitivæ, ut potentiæ cognoscitivæ brutorum et hominis. — Cujus ratio est, quia ad secundam speciem qualitatis pertinent omnes potentiæ, quibus simpliciter aliquid possumus, suntque communes rebus omnibus, et illis a natura insitæ, ut dictum est; hujusmodi autem sunt tam potentiæ operativæ immanenter, quam transeunter, et præterea omnes illæ, quibus facile possumus resistere contrariis, ut dicit Philosophus in Prædicamentis. Non ponuntur autem potentiæ comprehensæ sub potentia secundo modo. Nam potentia passiva in eodem prædicamento existens cum suo actu non pertinet ad illud prædicamentum, ut species illius completa, ut dictum est, sed reductive tanquam principium illius. Quare sub naturali potentia continetur *primo* omnis vis a natura insita faciliter aliquid agendi, ut est potentia calefactiva, et potentia intelligendi, et potentia pugillatoris et cursoris. *Secundo* omnis vis facile resistendi contrariis seu difficulter patiendi, ut est durities, salubritas, et similia. Sub naturali vero impotentia continetur vis omnis a natura insita difficulter agendi, ut insalubritas et hebetudo ingenii, et omnis vis difficulter resistendi seu facile patiendi, ut est mollities. Unde fit, ut naturalis potentia et impotentia differant inter se specie, ut patet ex diversis rationibus et specialibus illarum, ex quibus sumitur diversitas formalis et specifica. — 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.; *Opusc.* 48, tract. 4, c. 3; V. supra q. 6, a. 3; 5. *Metaphys.* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia dicitur principium, non quia sit relatio ipsa, quam significat nomen principium, sed quia est id, quod est principium. — *de Pot.* q. 1, a. 1, ad 3; 1a, q. 41, a. 5, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod actio et passio sunt duo prædicamenta, quia habent diversum modum prædicandi consequentem diversum modum essendi, quomodo, ut dictum est, ens dividitur in decem prædicamenta; at naturalis potentia et impotentia conveniunt in modo prædicandi consequente eumdem modum essendi, significant enim ambæ unum et idem esse qualitatis et per illas respondetur interroganti per quale. — 5. *Metaphys.* l. 9; V. supra q. 9, a. 3.

Ad tertium dicendum, quod cum per naturalem impotentiam intelligat Philosophus qualitatem difficile resistentem contrariis, et agentem, ut est mollities et insalubritas, quæ sunt positivæ qualitates,

nomine impotentiæ non accipitur privatio, sed positivum, cui inest talis privatio; nam omnis privatio necessario debet fundari in aliquo subjecto positivo; est enim privatio negatio circa determinatum subjectum, et ad rationem cujuscumque privationis præter habitum positivum oppositum requiritur subjectum et habilitas, quæ sunt entia positiva. — 5. *Metaphys.* l. 16; 7. *Phys.* l. 5; 1a, q. 17, a. 4, c.; 2. *Sent.* dist. 12, in litt. et dist. 34, q. 1, a. 2, c.

Ad quartum dicendum, quod facile et difficile, perfectum et imperfectum diversificantur specie, quando sunt de ratione illius, quod dicitur facile vel difficile agere, ut patet in simili de habitu, ut dictum est; et idem est in naturali potentia et impotentia, ut patet ex ipsis qualitatibus, quæ dicuntur naturales potentiæ et impotentiæ. — 1a 2æ, q. 67, a. 3 et 6, c.

ARTICULUS V

UTRUM PASSIO ET PASSIBILIS QUALITAS SPECIE INTER SE DIFFERANT.

Videtur quod passio et passibilis qualitas specie differant.

1. Inter passibiles enim qualitates ponit Philosophus calorem et frigus; sed hæ sunt in prima specie qualitatis; cum ergo passio distinguatur essentialiter a prima specie, etiam distinguetur essentialiter a passibili qualitate. — 1a 2æ, q. 49, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, illud specie differt ab alio, quod ab illo differt prædicamento; sed passio est unum prædicamentum distinctum ab aliis, ut dictum est : ergo non potest constituere unam speciem qualita-

cum passibili qualitate; nam unum prædicamentum non potest contineri ut species sub alio.

3. Præterea, illud non constituit speciem sum alio, cui non convenit ratio illius generis, cum genus, ut dictum est, univoce prædicetur de suis speciebus; sed rubedini ex verecundia ortæ, quæ est passio, non convenit definitio qualitatis, quia secundum illam, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* c. 8, non denominamur quales : ergo. — *Opusc.* 48, tract. 4, c. 4; V. supra q. 3, a. 1.

Sed contra est, quod specie dicuntur unum, quorum una est definitio, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 12; l. 4, c. 6; sed eadem est definitio essentialis passionis et passibilis qualitatis; nam utraque est modus et determinatio subjecti in esse accidentali secundum terminum actionis et passionis, ut dictum est : ergo passio et passibilis qualitas non differunt specie, sed constituunt unam speciem qualitatis. — 5. *Metaphys.* l, 8; V. supra a. 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod multis, sed duobus præcipue modis sumitur passio, ut patet ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 26; l. 4, c. 21). *Uno modo,* pro alteratione et actione qualitatum sensibilium, et sic passio est unum prædicamentum, ut calefieri et infrigidari. *Alio modo* sumitur passio pro qualitate, secundum quam fit alteratio, ut album et nigrum, et hæc est tertia species qualitatis; nam, ut dicitur 7. *Phys. text.* 14, sq.; c. 3, in hac sola potest esse alteratio, est enim passio sic sumpta essentialiter modus et determinatio subjecti in esse accidentali secundum terminos actionis et passionis, ut dictum est art. 2, et ita dicitur, vel quia infertur per aliquam passionem, vel quia illam infert. Distinguitur autem passio sic sumpta in duas species accidentaliter distinctas, puta in passionem et passibilem qualitatem; passio enim qualitas est cito transiens, sicut rubedo, quæ oritur ex verecundia, et pallor, qui ex timore, et similiter ira, odium et hujusmodi, quæ omnia Philosophus in 2. *Ethic.* vocat passiones; fiunt enim hæc cum aliqua passione et transmutatione corporali, et parum durant. Passibilis vero qualitas dicitur, quæ non cito transit, sicut est calor, frigus et similes; cito enim transire vel diu permanere sunt tantum accidentales differentiæ, quod ex eo manifestum esse potest, quod prædictæ qualitates, quæ dicuntur passiones, possunt mutari in passibiles qualitates, si diutius durent, quod esse non posset, si passiones specie distinguerentur a passibilibus qualitatibus, ut dictum est de habitu et dispositione, quod una species non mutatur in aliam, unde sunt essentialiter inter se distinctæ.

— 1a 2æ, q. 49, a. 2, c. et ad 3; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, arg. 3 et c.

Ad primum ergo dicendum, quod calor et frigus, et similes qualitates duobus modis possunt considerari. *Uno modo*, secundum quod sunt convenientes vel non convenientes naturæ rei; et hoc modo pertinent ad primam speciem qualitatis. *Alio modo*, secundum quod dicunt ordinem ad passionem, seu quatenus causant passionem seu transmutationem corporalem, et hoc modo pertinent ad tertiam speciem qualitatis. — 1a 2æ, l. c. et ad 2 et q. 50, a. 1, ad 3; 4. *Sent.* l. c.

Ad secundum dicendum, quod passio dupliciter sumitur. *Uno modo* pro qualitate, secundum quam fit alteratio, et hoc modo pertinet ad tertiam speciem qualitatis. *Alio modo* pro alteratione et actione qualitatis sensibilis, et hoc modo constituit unum prædicamentum. — 5. *Metaphys* l. 20.

Ad tertium dicendum, quod nulla res denominatur simpliciter talis per qualitatem, quæ non sit permanenter se habens, sed cito transiens, ut patet in raptu D. Pauli, qui licet tunc viderit divinam essentiam, lumen tamen illud gloriæ, quia fuit illius menti infusum per modum passionis transeuntis, non denominavit illam simpliciter glorificatam et beatam, sicut denominat beatos alios Sanctos, qui sunt in cœlo, quia est in illorum mentibus per modum formæ permanentis; et ideo dicit Philosophus, quod secundum qualitates possibiles denominamur quales, secundum passiones vero non.— *de Verit.* q. 13, a. 2; 2a 2æ, q. 175, a. 3, ad 2.

ARTICULUS VI

UTRUM FORMA ET FIGURA SPECIE DIFFERANT.

Videtur quod forma et figura differant specie.

1. Nam forma dat esse specificum rei, non autem figura cum sit tantum, terminatio quantitatis; sed quæ dant esse distincta essentialiter, specie differunt: ergo forma et figura specie differunt. — 7. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, figura rei est signum illius, ut patet in imaginibus, quæ præcipue fiunt secundum repræsentationem figuræ; sed signum, cum dicat habitudinem ad signatum, sub genere relationis comprehenditur: ergo figura differt essentialiter a forma. — 3. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1, ad 1.

Sed contra est, quod ea sunt unum specie, quorum eadem est definitio, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 12; l. 4, c. 6; sed formæ et figuræ eadem est definitio, nam utraque est modus et determinatio subjecti secundum quantitatem, ut dictum est: ergo. — 5. *Metaphys.* l. 8.

RESPONDEO DICENDUM, quod forma, secundum quod ad quartam speciem qualitatis spectat, idem est quod figura, et tantum ab illa differt accidentaliter. Nam figura dicitur, quatenus terminat quantitatem, est enim figura terminatio quantitatis secundaria; nam supponit terminos intrinsecos quantitatis, cum figura definiatur ab Euclide (1. Element.): quæ termino vel terminis intrinsecis, scilicet quantitatis comprehenditur. Figura enim circularis unica linea clauditur, aliæ vero figuræ planæ sive solidæ pluribus lineis clauduntur, quæ sunt termini intrinseci superficiei; et propterea dicitur figura forma quanti, ut quantum est. Si enim imaginemur corpus mathematicum existens actu, oportet quod imaginemur ipsum sub aliqua forma, quia nihil est actu, nisi per formam suam; nulla autem est alia forma talis corporis, quam figura. Eadem vero figura dicitur forma, quatenus dat esse specificum artificiato, formæ enim artificiatorum sunt accidentia; et sic patet *ad primum* objectum. — 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, quæstiunc. 3, ad 2; 1a, q. 7, a. 1, ad 2 et a. 3, c.; 7. *Phys.* l. 5.

Ad secundum dicendum, quod figura dupliciter sumitur, uno modo, pro terminatione quantitatis, et hoc modo spectat ad quartam speciem qualitatis. Alio modo, pro quocumque signo rei, eo quod figura rei poni potest signum illius, et hoc modo potest spectare ad prædicamentum relationis. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 2, a. 1, ad 1.

ARTICULUS VII

UTRUM SINT RECTE ASSIGNATÆ PROPRIETATES QUALITATIS.

Videtur quod non sit recte assignata proprietas prima tertiæ speciei qualitatis, quæ est habere contrarium.

1. Quia lux est qualitas pertinens ad tertiam speciem; sed lux caret contrario : ergo habere contrarium non est proprium qualitatis. — 2. *de Anima* l. 14; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 3, c.; 1a, q. 67, a. 3, arg. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœl. text.* 25; c. 4), quod circulare maxime opponitur recto; sed circulare et rectum sunt differentiæ figurarum : ergo habere contrarium non est proprium tertiæ tantum speciei, sed etiam quartæ. — 1. *de Cœl.* l. 8.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 8 dicit, quod inest contrarietas secundum qualitatem.

Videtur quod non sit recte assignata secunda proprietas, quæ est suscipere magis et minus.

1. In his enim, quæ recipiunt magis et minus, contingit esse alterationem; alterari enim dicitur, quod de minus tale fit magis tale, ut de minus calido fit magis calidum; sed in habitibus non est alteratio, ut probat Philosophus (7. *Phys. text.* 15 et 17; c. 3) : ergo saltem primæ speciei qualitatis non est proprium recipere magis et minus. — 1a 2æ, q. 52, a. 1, arg. 3; 7. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, una albedo non est magis, quam alia, nec unus circulus est magis, quam alius, ut dictum est; sed hoc est non suscipere magis et minus : ergo.—Sed dices, non ipsam albedinem in abstracto, sed in concreto suscipere magis et minus. — V. supra q. 11, a. 4.

Contra, ratio et natura cujuslibet accidentis consistit in concretione ad subjectum, unde quodlibet accidens definitur per suum subjectum; ergo si albedo secundum seipsam non suscipit magis et minus, nec suscipiet secundum concretionem sui ad subjectum. — 1a 2æ, q. 53, a. 2, arg. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi dicentis l. c., quod suscipiunt qualia magis et minus.

Videtur quod non sit recte assignata tertia proprietas, quod secundum illam aliquid dicatur simile vel dissimile.

1. Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys. text.* 10; l. 9, c. 3), quod ea, quæ sunt genere unum, sunt similia; quæ vero sunt unum specie, sunt eadem; sed in omnibus prædicamentis est reperire ea, quæ sunt unum genere; nam lineæ æquales habent identitatem ad invicem, et inæquales similitudinem : ergo dici simile vel dissimile non est maxime proprium qualitatis. — 10. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, in divinis est similitudo, dicimus enim Filium esse similem Patri; sed Deo non tribuitur prædicamentum qualitatis, ut dictum est : ergo maxime proprium qualitatis non est, secundum illam dici aliquid simile vel dissimile. — 1a, q. 42, a. 1, ad 2 et 3; *de Pot.* q. 1, a. 1, arg. 11; *de Verit.* q. 2, a. 1, arg. 12.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 8 dicit, quod nullum eorum, quæ prædicta sunt, est proprium qualitatis; sed proprium illius est, secundum eam dici aliquid simile vel dissimile.

RESPONDEO DICENDUM *ad primam quæstionem*, quod dupliciter sumi potest contrarietas : *uno modo* large, pro contrarietate, quæ est secundum differentiam perfecti et imperfecti in eodem genere, seu secundum excellentiam et defectum, quæ est radix omnis contrarietatis et reperitur inter differentias cujuslibet generis, per quem modum etiam in quantitate, ut in numeris, et in quarta specie qualitatis, et in substantiis invenitur contrarietas, secundum quod minor numerus, ut binarius, et minor figura, ut triangularis est ut imperfectum et pars respectu majoris, puta ternarii, et quadrangularis figuræ, et quatenus una substantialis differentia ratione suæ imperfectionis habet rationem privationis et defectus respectu perfectioris; quomodo animatum et inanimatum, sensibile et insensibile. — *Alio modo* sumitur proprie pro maxima et continua distantia duorum determinatorum extremorum sub eodem genere existentium, quomodo nec in quantitate, nec in loco, nec in numeris

et figuris, et multo minus in substantiis, sed in solis qualitatibus tertiæ speciei reperitur. Nam licet in quantitate et loco sit continuitas, non tamen est maxima distantia determinatorum extremorum, si secundum communem rationem quantitatis et loci accipiantur, sed solum secundum quod accipiuntur in aliqua re determinata, sicut in aliqua specie animalis vel plantæ est aliqua minima quantitas, a qua incipit motus augmenti, et aliqua maxima distantia, ad quam terminatur. Similiter et in loco inveniuntur duo termini maxime distantes per comparationem ad motum aliquem, in quorum uno incipit motus, et in alium terminatur, sive sit motus voluntarius, sive naturalis, sive violentus. Similiter nec in numeris et figuris est talis contrarietas, quia neque in illis est accipere duo extrema maxime distantia in suo genere; est enim accipere minimum numerum, puta dualitatem, non tamen maximum, et similiter est in figuris; neque enim est inter species numerorum vel figurarum continuitas, quia quælibet species numerorum formaliter perficitur per unitatem, quæ indivisibilis est, et alteri quantitati non continua, et similiter est proportionaliter in figuris. Multo autem minus una forma substantialis secundum suam propriam rationem habet contrarietatem ad aliam. *Primo*, quia in formis substantialibus non attenditur maxima distantia inter aliquas duas formas, ita quod ab una earum non veniatur ordinatim, nisi per media; nam materia dum exuitur una forma, potest indifferenter recipere diversas formas absque ordine; unde Aristoteles dicit in 2. *de Generat. text.* 24; c. 4, quod cum ex terra fit ignis, non oportet quod sit transitus per media elementa. *Secundo*, quia cum esse substantiale cujuslibet rei sit in aliquo indivisibili, non potest aliqua continuitas attendi in formis substantialibus, ut motus continuus possit esse de una forma in aliam secundum remissionem unius formæ et intensionem alterius. — *de Sensu* l. 10; 10. *Metaphys.* l. 12; 3. *Phys.* l. 3; 1. *de Cœl.* l. 6.

Est autem hujusmodi continuitas in speciebus qualitatis, non tamen omnibus, sed in tertia tantum; nam cum motus sit de uno contrario in aliud, debet talis contrarietas reperiri in illis qualitatibus, ad quas est alteratio, quæ secundum Philosophum (5. *Phys. text.* 15; c. 3 et 7. *Phys. text.* 15 et 17; c. 3) primo et per se tantum est ad tertiam speciem. In his enim qualitatibus manifeste apparet contrarietas secundum rationem continuitatis et determinatæ distantiæ; nam hujusmodi qualitates possunt intendi et remitti, ut sic possit esse motus continuus de qualitate in qualitatem. Præterea quia invenitur maxima distantia in eo genere inter duo extrema, sicut in coloribus inter album et nigrum, et in saporibus inter amarum et dulce. Non tamen reperitur hæc contrarietas in omnibus qualitatibus tertiæ speciei, quia non invenitur in luce, quia caret contrario; neque in coloribus mediis, ut dicitur in *Prædicam.* c. 8; medius enim color, ut dicitur 5. *Phys. text.* 6; c. 1, non habet contrarietatem ad extremum, nisi quatenus participat aliud extremum. Et ex his patet *ad primum* objectum. — 5. *Phys.* l. 3 et 4; 7. *Phys.* l. 5 et 6; 1a 2æ, q. 52, a. 1.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus l. c. ex hypothesi loquitur et non simpliciter; si enim esset aliquid contrarium circulari, maxime contrariaretur rectum ob rationem allatam. Vel dic, quod in quolibet genere invenitur contrarietas differentiarum, ut patet 10. *Metaphys. text.* 13; l. 9, c. 3, licet non sit in omni genere contrarietas specierum; etsi enim rationale et irrationale sint contrariæ differentiæ, non tamen homo et leo sunt contrariæ species; sic igitur ponitur contrarietas inter rectum et circulare, non sicut inter species, sed sicut inter differentias ejusdem generis. — 1. *de Cœl.* l. 8.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod suscipere magis et minus convenit qualitatibus, diverso tamen modo. Nam aliquæ recipiunt magis et minus in concreto tantum, non in abstracto; aliquæ vero etiam in abstracto, aliquæ vero neutro modo. — Ut vero veritas hujus rei manifestetur, sciendum est, quod illud, secundum quod aliquid sortitur speciem, oportet esse fixum et stans et quasi indivisibile; quæcumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur, quæcumque autem recedunt ab illo, vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam speciem vel perfectio-

rem vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit in 8. *Metaphys. text.* 8; l. 7, c. 3, quod species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem. — Si igitur aliqua forma abstracte considerata secundum se ipsam vel aliquid sui sortitur speciei rationem, necesse est, quod secundum se seu in abstracto considerata habeat determinatam rationem, quæ neque in plus excedere, neque in minus deficere possit; cujusmodi sunt calor, albedo, lux et hujusmodi qualitates, quæ non dicuntur ad aliud; et ideo hæ qualitates in abstracto non possunt recipere magis et minus, sed tantum in concreto. Illa vero, quæ recipiunt speciem ex aliquo, ad quod ordinantur, possunt retinendo eamdem speciem propter unitatem ejus, ad quod ordinantur, recipere magis et minus, atque adeo intendi et remitti, sicut motus secundum se est intensior et remissior, et tamen remanet eadem species propter unitatem termini, a quo specificantur, et idem est in sanitate. Nam corpus pertingit ad rationem sanitatis, secundum quod habet dispositionem convenientem naturæ animalis, cui possunt dispositiones diversæ convenientes esse, unde potest variari dispositio in plus vel minus, et tamen semper remanebit sanitatis ratio. Unde Philosophus in 10. *Ethic.* c. 3 dicit, quod sanitas ipsa recipit magis et minus; non enim eadem est commensuratio in omnibus, neque in uno et eodem semper, sed remissa permanet sanitas usque ad aliquid. Hujusmodi autem diversæ dispositiones vel commensurationes sanitatis se habent sicut excedens et excessum. Unde si nomen sanitatis esset impositum soli perfectissimæ commensurationi, tunc ipsa sanitas non diceretur major vel minor.

Sic igitur patet qualiter aliquæ qualitates in abstracto sumptæ recipiant magis et minus; quod manifestius etiam ex eo apparere potest, quod semper dicitur aliquid magis et minus per accessum ad aliquid unum vel recessum ab eo. Quando ergo id, quod inest subjecto, est unum et simplex, cujusmodi sunt prædictæ qualitates, ipsum in se non recipit magis et minus; unde non dicitur magis et minus in abstracto, sed potest tantum dici magis et minus in concreto, ex eo, quod subjectum magis et minus participat hujusmodi formam, sicut patet in prædictis qualitatibus, quarum quælibet est una et simplex forma; non enim dicitur lux vel albedo secundum magis et minus, sed corpus dicitur magis vel minus lucidum, vel album, eo quod perfectius vel minus perfecte participat lucem vel albedinem. Quando autem est aliqua forma, quæ in sui ratione importat quamdam proportionem multorum ordinatorum ad unum, talis forma etiam secundum propriam rationem recipit magis et minus, ut patet de sanitate et pulchritudine, quarum utraque importat proportionem convenientem naturæ ejus, quod dicitur pulchrum vel sanum. Quia enim hujusmodi proportio potest esse magis vel minus conveniens, inde est, quod ipsa pulchritudo vel sanitas abstracte sumpta, seu secundum se considerata dicitur secundum magis et minus, ex quo patet, quod ratio indivisibilis dans speciem et unitas, secundum quas est aliquid determinatum, est causa, quod aliquid non recipiat magis et minus in abstracto. — *de Virt. in com.* a. 11, c.; 1a 2æ, q. 52, a. 1 et 2; 10. *Ethic.* l. 3.

Si autem consideretur qualitas seu forma secundum participationem subjecti seu in concreto, sic etiam inveniuntur quædam qualitates et formæ recipere magis et minus, quædam non. Hujus autem diversitatis causa supra tum ex Simplicio, tum ex re ipsa allata est. Dictum enim est, quod propter duas rationes aliqua forma non potest accipere magis et minus secundum participationem subjecti: vel quia dat esse specificum et substantiale subjecto, ut forma substantialis; vel quia ejus ratio consistit in indivisibili, sicut species numerorum. Quia ergo in qualitatibus tertiæ speciei, et in multis habitibus et dispositionibus, quæ pertinent ad primam speciem, neutra causa reperitur, quia neque dant esse specificum seu substantiale subjecto, sicut formæ substantiales, neque in sui ratione terminum includunt, seu earum ratio non consistit in indivisibili, sicut species numerorum, ideo recipere possunt magis et minus secundum participationem subjecti, et aliquæ illarum etiam secundum se, ut sunt habitus et dispositiones, cum dicantur secundum or-

dinem ad aliquid, ut dicitur 7. *Phys. text.* 17; c. 3. Hæ namque et intenduntur et remittuntur secundum se; nam dicitur major vel minor sanitas vel scientia, quæ ad plura vel pauciora se extendit, et secundum participationem subjecti, quatenus æqualis scientia vel sanitas magis recipitur in uno quam in alio, secundum diversam aptitudinem vel ex natura vel consuetudine; non enim habitus et dispositio dant speciem subjecto, neque in sui ratione includunt indivisibilitatem. — Et idem est de virtutibus, si considerentur secundum participationem subjecti; sic enim contingit virtutem esse majorem vel minorem, sive secundum diversa tempora in eodem, sive in diversis temporibus, quia ad attingendum medium virtutis, quod est secundum rectam rationem, unus est melius dispositus, quam alius, vel propter majorem assuetudinem, vel propter meliorem dispositionem naturæ, vel propter perspicacius judicium rationis, aut etiam propter majus gratiæ donum, quod unicuique donatur secundum mensuram donationis Christi, ut dicitur ad *Ephes.* c. 4. Et in hoc deficiebant Stoici æstimantes nullum esse virtuosum dicendum, nisi qui fuerit summe dispositus ad virtutem; non enim exigitur ad rationem virtutis, quod attingat rectæ rationis medium in indivisibili, sicut Stoici putabant, sed sufficit prope medium esse, ut dicitur 2. *Ethic.* c. 6. — Quod si virtus consideretur secundum se seu in abstracto, cum virtus dicatur per ordinem ad aliud, dicetur una virtus major vel minor secundum ea, ad quæ se extendit; non tamen id contingit in omni virtute. Virtus enim moralis non recipit magis et minus, sicut recipit virtus intellectualis, ut scientia et ars; nam quicumque habet virtutem aliquam moralem, ut temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia, ad quæ temperantia se extendit, quod de scientia et arte non contingit; non enim quicumque est grammaticus, scit omnia, quæ ad Grammaticam pertinent, et secundum hoc bene dixerunt Stoici, ut dicit Simplicius in *Commentario in Prædicam.* c. 8, quod virtus non recipit magis et minus, sicut scientia vel ars, eo quod ratio virtutis consistit in maximo. Et sic patet qualiter convenit qualitatibus recipere magis et minus. — V. *supra* q. 10, a. 3 et q. 5; *de Virt.* l. c.; 1a 2æ, l. c. et q. 66, a. 1; v. Cajetanum in h. l.

Ad primum ergo dicendum, quod alteratio primo quidem est in qualitatibus tertiæ speciei. In qualitatibus vero primæ speciei potest esse alteratio per posterius; facta enim alteratione secundum calidum et frigidum, sequitur animal alterari secundum sanum et ægrum; et similiter facta alteratione secundum vires sensitivas apprehensivas sequitur alteratio secundum scientiam et virtutes, ut dicitur 7. *Phys. text.* 20; c. 3. — 1a 2æ, q. 50 et 53, a. 1 et 3; 5. *Phys.* l. 3; 7. *Phys.* l. 5 et 6; l. *de Generat.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod albedo non intenditur secundum se, sed tantum secundum participationem subjecti; circulus vero et triangulus neutro modo intenduntur et remittuntur, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod quocumque modo significetur accidens, habet dependentiam ad subjectum secundum suam rationem, aliter tamen et aliter. Nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subjectum, quæ incipit ab accidente et terminatur ad subjectum; nam albedo dicitur, qua aliquid album est, et ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subjectum, quasi pars prima definitionis, quæ est genus, sed quasi secunda, quæ est differentia; dicimus enim, quod simitas est curvitas nasi. Sed in concretis incipit habitudo a subjecto et terminatur ad accidens; dicitur enim album, quod habet albedinem, propter quod in definitione hujusmodi accidentis ponitur subjectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis, dicimus enim quod simum est nasus curvus. Sic igitur id, quod convenit accidentibus ex parte subjecti, non autem ex ipsa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abstracto, sed in concreto; et hujusmodi est intensio et remissio in quibusdam accidentibus. Unde albedo non dicitur magis et minus, sed album; et eadem est ratio in habitibus et aliis qualitatibus, nisi quod quidam habitus augentur vel diminuuntur per quamdam additionem, ut supra dictum est de scientia et sanitate, quæ et secundum seipsas et secundum participationem

subjecti augentur, quatenus subjectum magis vel minus perfecte participat unam et eamdem formam. Sicut enim per agens, quod est actu, fit aliquid actu calidum, quasi de novo incipiens participare formam, ita per actionem intensam ipsius agentis efficitur magis calidum tanquam perfectius participans formam, non tanquam formæ aliquid addatur. Sic ergo scientia augetur in aliquo, et secundum participationem subjecti per intensionem, prout expeditius et clarius unus homo se habet alio in eisdem conclusionibus, et secundum seipsam, quatenus ad plura se extendit, ut dictum est. — 1a 2æ, q. 53, a. 2, ad 3 et q. 52, a. 2; *de Virt. in com.* a. 11, c.

Ad tertiam quæstionem dicendum est, quod maxime proprium qualitatis est, secundum illam aliquid dici simile vel dissimile, sicut proprium quantitatis est secundum illam aliquid dici æquale vel inæquale, et substantiæ secundum illam dici idem vel diversum, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15); hæc enim dicuntur secundum unitatem. Nam eadem sunt, quorum substantia est una; æqualia vero, quorum quantitas est una; et similia, quorum qualitas est una; sicut enim substantia, quantitas et qualitas sunt partes entis, ita idem, æquale et simile sunt partes unius. Sicut igitur posito ente ponitur unum, quia ens et unum sunt idem re, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 3; l. 3, c. 2, ita positis partibus entis, puta substantia, quantitate, qualitate, poni debent partes unius, puta idem, æquale et simile; et sic sicut idem necessario consequitur substantiam tanquam ejus passio, et similiter æquale quantitatem, ut dictum est, ita simile et dissimile consequetur qualitatem tanquam ejus propria passio. — 5. *Metaphys.* l. 17; 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, c.; 4. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut idem proprie sumptum significat relationem consequentem unitatem in substantia, improprie vero sumi potest vel pro identitate in uno supposito vel duorum specie diversorum, ut cum dicimus Socrates et hoc album, vel pro identitate unius suppositi ad seipsum, ut patet ex Philosopho (10. *Metaphys. text.* 10; l. 9, c. 3), ita et simile pluribus modis potest sumi, quorum tamen uno modo sumitur proprie pro relatione similitudinis consequente unam qualitatem. — 10. *Metaphys.* l. 4.

Ad secundum dicendum, quod in divinis similitudo sicut et æqualitas non sunt relationes reales fundatæ in unitate specifica, ut in creatis, sed sunt rationes fundatæ in unitate numerica sapientiæ, magnitudinis, etc. — 1. *Sent.* l. c; 1a, q. 42, a. 1, ad 4 et q. 28, a. 4, ad 4.

QUÆSTIO XIII

DE RELATIONE.

Deinde considerandum est de relatione.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR DECEM :

1. Utrum detur relatio realis.
2. Utrum relatio realis constituat unum genus generalissimum.
3. Utrum relatio prædicamentalis recte definiatur : cujus esse est ad aliud se habere.
4. Utrum fundamentum relationis sit tantum triplex, quantitas, actio et passio, mensura et mensurabile.
5. Utrum relatio distinguatur realiter a fundamento.
6. Utrum una relatio possit fundari in alia relatione.
7. Utrum relativum terminetur ad absolutum, an vero ad relativum.
8. Utrum unum relativum una et eadem relatione possit terminari ad terminos specie distinctos.
9. Utrum unum relativum una et eadem relatione possit terminari ad terminos solo numero distinctos.
10. Utrum recte sint assignatæ a Philosopho proprietates relativorum.

ARTICULUS I

UTRUM DETUR RELATIO REALIS.

Videtur quod non detur relatio realis, quæ scilicet sit ens reale extra animam.

1. Dicit enim Boethius *de Trinitate* c. 6, quod relativa nihil prædicant de eo, de quo dicuntur, quod est dicere, quod relatio, secundum quod relatio est, nihil reale

ponit in rerum natura; sed quod est tale, non est ens reale : ergo non datur relatio realis. — 1. *Sent.* dist. 20, q. 1, a. 1, c. et dist. 26 q. 2, a. 1, c.; *Quodl.* 1, a. 2 et *Quodl.* 9, a. 4.

2. Præterea, omne, quod advenit alicui et recedit ex sola habitudine alterius ad ipsum sine omni sua mutatione, non est in ipso aliquid reale, nihil enim reale potest advenire alicui de novo sine ejus mutatione, vel per se vel per accidens; sed relationes hoc modo adveniunt et recedunt; per mutationem enim alterius, ut per mortem filii aliquis desinet esse pater, nulla mutatione circa ipsum facta : ergo relatio non est realis extra animam. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, arg. 2; *de Pot.* q. 7, a. 8, c. et a. 9, arg. 7.

3. Præterea, si relatio est ens reale, illi conveniet fieri et habere causam, a qua fiat; sed neutrum illi convenit, non primum, quia fieri est mutari, mutatio autem non terminatur ad relationem; neque secundum, quia non est assignare talem causam; ergo relatio non est ens reale. — *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 5.

4. Præterea, si relationes reales dantur, maxime illæ, quæ consequuntur quantitatem et qualitatem, et actionem et passionem; sed hæ non sunt quid reale; nam secundum hoc refertur effectus ad causam suam, secundum quod ab ipsa procedit; sed effectus secundum suam substantiam procedit a causa, et secundum quantitatem propriam res est æqualis alteri quanto, et secundum qualitatem est similis alteri albo : ergo relatio non est quid reale præter substantiam, quantitatem, et qualitatem. — *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 4.

5. Præterea, sicut unus homo dicitur similis alteri et æqualis, ita columna dicitur dextra vel sinistra, et res dicitur scibilis et sensibilis; sed ad has prædicationes verificandas non requiritur ulla relatio realis, sed sufficit relatio rationis : ergo et sufficiet hæc ad illas, et sic relatio non erit ens reale. — *de Pot.* q. 7, a. 10, c; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, c.

6. Præterea, omne illud negandum est, ad quod sequitur processus in infinitum; sed si relatio esset res realis, daretur processus in infinitum; nam verbi gratia si relatio creaturæ ad Creatorem est res realis, ut asserunt admittentes relationes reales, est quid creatum, quare habet aliam relationem, quæ pari ratione, quia est quid creatum, refertur ad Deum per aliam relationem, de qua similiter idem quæri potest, et sic dabitur processus in infinitum: ergo idem quod prius. — *de Pot.* q. 7, a. 9, arg. 2.

7. Præterea, si relatio est ens reale, sequitur, quod in eodem subjecto sunt accidentia infinita vel indeterminata; idem enim corpus quantum potest esse æquale infinitis aliis corporibus; at absurdum est in eodem subjecto esse infinita vel indeterminata accidentia : ergo. — *Quodl.* 1, a. 2 et *Quodl.* 9, a. 4.

8. Præterea, accidentis esse est inesse, quod est dependere et compositionem facere cum subjecto; sed relatio non facit compositionem cum subjecto; ergo non est accidens reale. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a, 3, c.

Sed contra est : 1. quod in nullo prædicamento ponitur aliquid nisi res extra animam existens; nam ens rationis dividitur contra ens divisum per decem prædicamenta, ut patet 5, (4) *Metaphys.*; sed relatio ponitur a Philosopho unum genus prædicamenti, ut patet 6. *Metaphys. text.* 4; l. 5, c. 2, et 11. *Metaphys. Sum.* 2; l.; 10, c. 12, ergo. — *de Pot.* q. 7, a. 9, c; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2. a. 1, c.

2. Præterea, perfectio et bonum, quæ sunt in rebus, non solum attenduntur secundum aliquid absolutum inhærens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam; sic enim bonum exercitus consistit in ordine partium illius, cui ordini propterea comparat Philosophus (12. *Metaphys. text.* 53; l. 11, c. 10) ordinem universi; ergo oportet in ipsis rebus ordinem quemdam esse; sed hic ordo est relatio : ergo oportet in ipsis rebus esse relationes quasdam, per quas realiter referantur ad illud, ad quod ordinantur, et sic oportet, quod relationes sint aliquid reale in illis. — *de Pot.* q. 7, a. 9, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere dari aliquas relationes, quæ sunt aliquid reale extra animam. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua, quæ sunt tantum secun-

dum rationem, et aliqua, quæ sunt secundum rem, quod non est in aliis generibus; quia alia genera, ut quantitas et qualitas secundum propriam rationem significant aliquid inhærens; ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud, qui quidem respectus aliquando est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri, et tum est relatio rationis tantum, ut cum ratio componit hominem animali, ut speciem generi. Aliquando vero est in ipsa rerum natura, ut quando aliquæ res ad invicem ordinantur et inclinationem habent vel secundum quantitatem vel secundum virtutem activam et passivam; ex his enim duobus tantum attenditur aliquid in uno respectu extrinseci, et hujusmodi relationes oportet esse reales. (1a, q. 13, a. 7, c. et q. 28, a. 1; *de Pot.* q. 7, a. 9, c; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, c.) — Quod manifestum est *primo*, quia inter principium et ea, quæ sunt a principio, est relatio realis tum originis, ut patet in divinis et in creatis, tum diversitatis, ut patet in creatis, quia oportet effectum a causa distingui, cum nihil sit causa sui ipsius. *Secundo*, quia, cum res habentes naturalem ordinem ad aliquid, realiter ad illud referantur, necesse est, quod in illis relatio sit aliqua res in rerum natura, ut patet in corpore gravi, in quo, quia est naturalis inclinatio et ordo ad locum medium, in ipso gravi est quidam respectus realis, per quem realiter refertur ad locum medium, et similiter est de aliis. *Tertio*, quia tunc respectus est aliqua res realis, quando fundatur super aliqua re reali, seu quando causa, per quam una res naturalem ordinem habet ad aliam, est res realis; fundantur enim relationes reales super aliquid reale, quod est causa illarum in subjecto. Cum enim in aliquo invenitur aliquid reale, per quod alterum dependeat et comparetur, tunc dicitur illud realiter comparari, dependere et referri, et per consequens oportet in illo esse relationem realem; sed dantur aliqui respectus hujusmodi, ut qui fundantur super quantitate, actione et passione, puta æqualitas, paternitas et similes. Et sic manifestum est, dari relationes reales. — 1a, q. 28, a. 1, c.; *de Pot.* q. 7, a. 8, c.; V. infra a. 5, c.; 1. *Sent.* dist. 2, in litt. et dist. 26, q. 2, a. 1. c.; *Quodl.* 9, a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod relatio alio modo dicitur esse aliquid quam alia entia. In aliis enim entibus unumquodque dicitur dupliciter esse aliquid, et quantum ad suum esse, et quantum ad rationem suæ quidditatis, sicut sapientia secundum esse suum, quod habet in subjecto, et similiter secundum rationem suam ponit naturam quamdam in genere qualitatis. Sed relatio est aliquid secundum esse suum, quod habet in subjecto; sed secundum rationem suam non habet, quod sit aliquid, sed solum, quod ad aliud referatur, et ideo secundum rationem suam non ponit aliquid in subjecto, et hoc voluit Boethius cum dixit, quod relativa nihil prædicant de eo, de quo dicuntur. — 1a, q. 28, a. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 8. q. 4, a. 3, c. et dist. 20, q. 1, a. 1, c. et dist. 26, q. 2, a. 1, c. et dist. 30, q. 1. a. 1, c.; *de Pot.* q. 2, a. 5 et q. 7, a. 8.

Ad secundum dicendum, quod relatio aliud habet, in quantum est accidens, et aliud, in quantum est relatio vel ordo. In quantum enim accidens est, habet quod sit in subjecto, non autem in quantum est relatio, sed solum quod ad aliud sit, quasi in aliud transiens, quodammodo rei relatæ assistens, et ita relatio est aliquid inhærens, licet non ex hoc ipso, quod est relatio; et ideo nihil prohibet, quod relatio desinat esse sine mutatione ejus, in quo est, quia ejus ratio non perficitur prout est in subjecto, sed prout transit in aliud, quo sublato ratio hujus accidentis tollitur quantum ad actum licet maneat quantum ad causam. — Vel dic, quod quandocumque aliquid, quod est de ratione rei, tollitur, oportet quod et ipsa res auferatur, sicut remoto rationali aufertur homo. Ad rationem autem relationis, quæ habet fundamentum in re, seu realis, duo concurrunt: fundamentum rei, quod est verbi gratia quantitas respectu æqualitatis, quia illa est causa hujus, et respectus ad alterum. Et utroque modo contingit in relationibus realibus destrui relationem, vel per destructionem fundamenti, puta quantitatis, nam ad mutationem hujus sequitur per accidens mutatio relationis; vel secundum quod cessat respectus ad alte-

rum remoto illo, ad quod referebatur, et tunc relatio cessat nulla mutatione facta in ipso, in quo est relatio, et quod per relationem refertur. — *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 7; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod relatio proprie non fit, nec mutatur; nam consequitur ad id, quod fit et mutatur, corpus enim mutatum secundum quantitatem fit æquale, non quod mutatio per se respiciat æqualitatem, sed per accidens se habet ad ipsam. Neque vero oportet, ut semper ad hoc, ut relatio aliqua dicatur de novo de aliquo, quod aliqua mutatio fiat in ipso, sed sufficit, quod fiat mutatio in aliquo extremo. Causa enim habitudinis creatæ inter aliqua duo est aliquid inhærens utrique extremo; causa enim relationis creaturæ ad Creatorem, quæ est realis, est ipsa substantia creaturæ, et causa relationis filiationis creatæ in filio respectu patris, a quo est genitus, est ipsa substantia filii; et causa relationis æqualitatis est quantitas producta in extremis, et similiter causa similitudinis est qualitas; nam hæ relationes naturaliter sequuntur ad productionem substantiæ creatæ, et ad productionem quantitatis et qualitatis. Unde ex quacumque parte fiat mutatio illius, quod habitudinem causabat, tollitur habitudo, quæ est inter utrumque. — *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 5 et a. 9, ad 4 et 5; 3. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 2, sol. 3.

Ad quartum dicendum, quod effectus refertur ad suam causam per suam substantiam causaliter, sed per relationem formaliter, et similiter aliquid dicitur simile alteri secundum qualitatem causaliter, et secundum similitudinem formaliter. — *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 4; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod relationes similitudinis et æqualitatis reales sunt, secus vero relationes scibilis, sensibilis, dextri et sinistri in columna. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod cum relatio realis consistat in ordine unius rei ad aliam rem, in illis tantum mutua relatio realis invenitur, in quibus ex utraque parte est eadem ratio ordinis unius ad alterum, quod quidem invenitur in omnibus relationibus consequentibus quantitatem. Nam cum quantitatis ratio sit ab omni sensibili abstracta, ejusdem rationis est quantitas in omnibus naturalibus corporibus; et pari ratione, qua unum habentium quantitatem realiter refertur ad alterum, et aliud ad ipsum. In relationibus autem, quæ consequuntur actionem et passionem, sive virtutem activam et passivam, non semper est mutuus ordo ex utraque parte; oportet namque id, quod habet semper rationem patientis et moti sive causati, ordinem habere ad agens vel movens, cum semper effectus proficiscatur a causa, et ab ea dependeat, unde ordinatur ad ipsum, sicut ad suum perfectivum; agentia autem sive moventia vel causæ aliquando habent ordinem ad patientia vel mota vel causata, in quantum in ipso effectu passivo vel motu inductis attenditur quoddam bonum et perfectio moventis vel agentis, ut maxime patet in agentibus univocis, quæ per actionem suæ speciei similitudinem inducunt, et consequenter esse perpetuum propriæ speciei, secundum quod est possibile, conservant. Patet etiam hoc idem in omnibus aliis, quæ mota movent, agunt vel causant; nam ex ipso suo motu ordinantur ad effectus producendos; et similiter in omnibus in quibus quodcumque bonum causæ provenit ex effectu. Quædam vero sunt, ad quæ quidem alia ordinantur, sed non e converso, quia sunt omnino extrinseca ab illo genere actionum vel virtutum, quas consequitur talis ordo, et ideo in illis non est relatio realis, sed tantum rationis, et hoc modo se habent relationes scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum, et dextri ac sinistri in columna. Scientia enim refertur quidem ad scibile realiter, quia sciens per actum intelligibilem ordinem habet ad rem scitam, quæ est extra animam; at ipsa res, quæ est extra animam, quia omnino non attingitur a tali actu, cum actus intellectus non sit transiens in exteriorem materiam, omnino est extra genus intelligibile; et propterea relatio, quæ consequitur actum intellectus, non potest esse in illa. Et similiter est de sensu et sensibili; licet enim sensibile immutet organum sensus in sua actione, et propterea habeat relationem ad ipsum, sicut et alia agentia naturalia ad ea, quæ patiuntur ab eis, alteratio tamen organi non

perficit sensum in actu, sed perficitur per actum virtutis sensitivæ, cujus sensibile, quod est extra animam, est omnino expers. Similiter denique homo comparatur ad columnam, ut dexter, ratione virtutis motivæ, quæ est in homine, secundum quod competit ei dextrum et sinistrum, ante et retro, sursum et deorsum, et ideo hujusmodi relationes in homine reales sunt, non autem in columna, quæ tali virtute caret. — *de Pot.* q. 7, a. 10, c.

Vel dic, cum relationes habeant, quod sint res naturæ, a sua causa, propter quam una res naturalem ordinem habet ad alteram, propterea relatio similitudinis et æqualitatis sunt reales, quia in re simili et æquali reperitur realis causa, propter quam una res realem ordinem habet similitudinis et æqualitatis ad alteram; at relatio scibilis, sensibilis, dextri vel sinistri in columna, quia non est in illis causa realis ordinis ad sensum, scientiam et hominem, non sunt reales, sed rationis. — *Quodl.* 1. a. 2.

Ex his et supradictis collige quæ requirantur ad hoc, ut relatio sit realis. Requiruntur enim duo, puta fundamentum reale, ut dictum est, et terminus; qui *primo* debet esse ens reale, quia nullum ens creatum habet ordinem realem ad non ens, ideoque dicit Avicenna quod inter ens creatum et non ens purum, non est relatio realis. Et ratio est, tum quia omnis relatio est dependentia; ibi enim est relatio, ubi realiter aliquid dependet ab altero, vel simpliciter vel secundum quid; propter hoc enim relatio scientiæ ad scibile est realis, non contra, sed secundum rationem tantum, ut dicit Philosophus 5. [4.] *Metaphys.* Et universaliter quando unum dependet ex altero, et non e converso, relatio est realis tantum in dependente; at nullum ens creatum realiter dependet a non ente, ut per se constat, tum quia si ens habere posset relationem realem ad non ens, ut cum dicimus, quod nos priores sumus his, qui futuri sunt post nos, sequeretur, quod possent esse infinitæ relationes in eodem, si generatio in infinitum procederet in futurum. — *Secundo* debet esse ens reale actu existens, ita ut non sufficiat, quod sit ens possibile; cujus ratio est, tum quia causa relationis realis, ut dictum est, est aliquid reale actu existens in utroque extremo, tum quia alioqui sequeretur, si quantum verbi gratia diceret relationem realem inæqualitatis ad quantum majus possibile, in eodem quanto futuras simul relationes reales infinitas; nam quantitas tam discreta quam continua potest esse major et major in infinitum. Præterea, id patet rationibus, quibus probatum est relationis realis terminum non debere esse non ens. Demum, quia relativa prædicamentalia sunt simul natura, ut dicemus infra ex Philosopho; sed ex eodem in *Prædicam.* c. 13 esse simul natura, est, si unum sit, alterum esse, et si unum non sit, neque esse alterum : ergo impossibile est relationem terminari ad non ens, vel ad ens in potentia. — *Tertio* debet esse realiter distinctus ab altero extremo; nam ob hanc potissimum rationem ejusdem ad se ipsum non potest esse relatio realis, et per consequens relatio identitatis numericæ non est relatio realis, sed rationis tantum. Hinc collige, quod potest scientia dicere relationem realem ad scibile, quia scibile, quod terminat talem relationem, est actu in rerum natura, ut dictum est; quod si demus tolli scibile, ita ut non existat, tunc scientia non dicet relationem realem prædicamentalem ad ipsum. Calefactivum vero dicit relationem realem ad calefactibile, quia dicit relationem realem ad subjectum, quod actu habet potentiam passivam ad recipiendum calorem, sicut calefactivum dicitur id, quod actu habet potentiam activam. — *de Pot.* q. 7, a. 11, c. et a. 9, arg. 8 et ad 8 et a. 1, ad 9; 2. *c. Gent.* c. 12; *de Verit.* q. 21, a. 1; 5. *Metaphys.* l. 17.

Ad sextum dicendum, quod relationes ipsæ non referuntur ad aliud per aliam relationem, sed per se ipsas, quia essentialiter relationes sunt, non est autem simile de his, quæ habent substantiam absolutam, unde non sequitur processus in infinitum. — *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 2.

Ad septimum dicendum, quod quia ex eodem res habet esse et unitatem, ideo realis unitas relationis pensanda est ex ipso relationis fundamento vel causa, quæ est una. Quia ergo una est quantitas, per quam unum corpus est æquale pluribus aliis, ideo in illo una est tantum relatio

æqualitatis, quamvis respectus sint plures, secundum quos diversis corporibus dicitur esse æquale. Et similiter magister una relatione est magister omnium, quos docet, quamvis sint plures respectus; et unus homo una sola filiatione secundum rem est filius patris et matris, quia una nativitate naturam ab utroque accipit, est tamen duplex secundum rationem, quatenus respondet utrique relationi parentum secundum duos respectus intellectus.— *Quodl.* 1, a. 2; *Quodl.* 9, a. 4; 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod relatio dupliciter potest considerari: uno modo, secundum quod est accidens, et sic est inhærens substantiæ et habens esse accidentale in ipsa; si enim accidentis esse est inesse, etiam esse relationis, ut est accidens, erit inesse. Alio modo, secundum quod est tale accidens, puta relatio, et hoc modo non significat aliquid, ut dicit Boet. in lib. *de Trinitate*, ut in subjecto manens, et consequenter non facit compositionem cum illo, sed tantum significat aliquid, ut in transitu quodam ad aliud. — 1a, q. 28, a. 2, c.; *de Pot.* q. 8, a. 2, c. et ad 12 et q. 7, a. 8, c. et a. 9, ad 7.

ARTICULUS II

UTRUM RELATIO REALIS CONSTITUAT UNUM GENUS GENERALISSIMUM.

Videtur quod relatio realis non constituat unum genus generalissimum.

1. Relatio enim ex propria sui ratione non est aliquid reale, ut dictum est; sed genus generalissimum reale ex propria sui ratione debet esse aliquid reale; nam, ut dictum est, ens rationis dividitur contra ens divisum in decem prædicamenta: ergo relatio non constituit ullum prædicamentum. — *de Pot.* q. 2, a. 5, c.; *Quodl.* II. cit.

2. Præterea, prædicamenta accidentium distinguuntur et constituuntur per diversum ordinem ad subjectum, quia alioqui idem bis diceretur contra Philosophum (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15), et quia non esset in Deo, sicut nec sunt cætera prædicamenta accidentium, sed transeunt in rationem substantiæ: ergo relatio non constituit ullum prædicamentum. — 5. *Metaphys.* l. 9 et 17; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 3; 1a, q. 28, a. 2, c.

3. Præterea, si relatio constituit unum prædicamentum, vel hæc est relatio secundum esse, vel secundum dici; sed non potest dici primum, quia dextrum et sinistrum, et relatio dominii sunt relationes secundum esse, et tamen non pertinent ad prædicamentum relationis, quia sunt relationes rationis; nihil autem est in prædicamento, quod non sit res extra animam, ut dictum est; neque secundum, quia hujusmodi relationes pertinent ad alia prædicamenta, ut patet in scientia, quæ pertinet ad prædicamentum qualitatis: ergo nullo modo relatio constituit prædicamentum. — *de Pot.* q. 7, a. 10, c. et ad 11; 1a, q. 13, a. 7.

4. Præterea, si relatio constituit unum prædicamentum, sequitur primo, quod dantur undecim prædicamenta; nam omne relativum habet suum correlativum, ut patet ex proprietatibus relativorum, ut dicemus; quare si unum relativum constituit unum prædicamentum, et aliud correlativum constituet aliud. Secundo sequitur relationem realem terminari ad non ens, quia terminus relationis, quæ est genus summum, non est tam absolutum, quam relativum, cum possit ad utrumque terminari, ut dicemus; non datur autem in rerum natura ens reale, quod sit simul absolutum et relativum; sed utrumque horum est absurdum, ut dictum est: ergo dicendum est non dari genus summum, quod sit relatio. — V. infra a. 10.

Sed contra est: 1. quod Philosophus in *Prædicam.* c. 7 et 5. *Metaphys.* inter decem summa genera ponit relationem.

2. Præterea, D. August. 5. *de Trinit.* c. 8 dicit, quod quidquid dicitur de Deo, aut dicitur secundum substantiam, aut secundum relationem, et quod duo tantum prædicamenta sunt in Deo, substantia et relatio; quod idem docet Boethius *de Trinit.* c. 5 et 6: ergo relatio constituit unum prædicamentum. — 1a, q. 28, a. 2, ad 1; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 3, *Sed contra.*

RESPONDEO DICENDUM, quod relatio realis constituit unum prædicamentum. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod cum ens diversimode reperiatur in sub-

stantia et accidente, per naturam prædicati accidentalis sciri potest, utrum relatio constituat determinatum genus accidentium. Cum enim, ut dictum est, prædicamenta accidentium constituantur et distinguantur per diversos modos essendi in substantia proportionaliter respondentes diversis modis prædicandi, illud prædicatum constituit prædicamentum distinctum ab aliis, quod significat determinatum modum essendi diversum ab aliis significatis per reliqua prædicamenta; sic enim quia quantum et quale significant determinatos modos essendi inter se, et a modis reliquorum generum diversos, faciunt duo prædicamenta ab aliis distincta. Similiter ergo quia ad aliquid significat novum modum essendi accidentis in substantia (nam significat accidens inhærens substantiæ in respectu ad alterum) constituet unum prædicamentum; et sicut, cum homo dicitur albus, album dicitur contineri sub prædicamento qualitatis, quia significat esse quale, quod genus qualitatis constituit, ita cum dicitur, homo est pater, quia prædicatur realis respectus, qui inest illi ad aliquid extrinsecum, ideo significat esse ad alterum, quod est esse relationis, et sic pertinet ad genus relationis. Unde manifestum est, quod relatio constituit determinatum genus. — V. supra q. 9, a. 3; 3. *Phys.* l. 5; *Opusc.* 42, c. 19 sq.

Ad primum ergo dicendum, quod relatio dupliciter potest considerari : *uno modo*, ut accidens, et ita sicut inhæret subjecto, sic est aliquid in rerum natura. *Alio modo*, ut tale accidens, idest ut relatio, et sic si sit realis, sicut oportet, quod sit inhærens, ita licet non significet aliquid, ut opponitur ei, quod est ad aliquid, significat tamen aliquid, ut opponitur nihilo, alioqui ad aliquid non esset unum prædicamentum, cum in nullo prædicamento ponatur aliquid quod non sit res extra animam, ut dictum est. — Vel dic, quod relatio habet ex respectu rationem generis vel speciei, ex causa vero habet esse reale. — *de Pot.* q. 2. a. 5, c. et q. 7, a. 8, c. et a. 9, c. et ad 7; *Quodl.* 9, a. 4, c. et ad 3.

Ad secundum dicendum, quod relatio, secundum quod est accidens, dicit ordinem ad subjectum, sicut et visus et intellectus, ut sunt accidentia et potentiæ, et hoc modo non est in Deo relatio, sicut nec ullum prædicamentum accidentium, quia oportet omnem imperfectionem removeri ab eo, quod in divinam prædicationem venit; ratio autem accidentis imperfectionem continet, quia esse accidentis est inesse et dependere, et compositionem facere cum subjecto, unde secundum rationem accidentis nihil potest de Deo prædicari. Si autem consideretur relatio secundum propriam rationem generis, cum non importet aliquam dependentiam ad subjectum, sicut nec visus ut visus, nec intellectus ut intellectus, reperitur in divinis; nec inde sequitur, quod bis dicatur, quod tamen sequitur, si secundum propriam rationem respicit subjectum, sicut sequeretur in visu et intellectu, si secundum propriam rationem respicerent subjectum; nam sic haberent in propria ratione duplex esse, quod dici non potest. — 5. *Metaphys.* l. 17; 1. *Sent.* dist. 8, a. 4, a. 3; *Quodl.* 9, l. c.

Ad tertium dicendum, quod distinctio relativorum secundum esse et secundum dici nihil facit ad hoc, quod relatio sit realis; nam in utrisque relativis inveniuntur aliqua, quæ important relationem realem, et aliqua, quæ rationis, ut pater, filius, idem, dextrum et sinistrum sunt relativa secundum esse; et tamen pater et filius significant relationes reales, nam significant relationes habentes aliquid in re, supra quod eorum esse fundatur; idem vero, dextrum et sinistrum significant respectum rationis, quia tales relationes vel non habent aliquid in re, supra quod eorum esse fundatur, ut dextrum et sinistrum in illis, in quibus non sunt determinatæ istæ positiones secundum naturam, sicut in partibus animalium, in quibus propterea istæ relationes sunt reales, quia fundantur in diversis virtutibus diversarum partium; sed in aliis non sunt nisi secundum habitudinem rationis unius ad alterum, vel non habent diversitatem realem inter extrema, ut relatio identitatis numericæ. Scientia vero, sensus et Creator sunt relativa secundum dici, et tamen scientia et sensus significant relationes reales, quia significant respectus fundatos super re reali, ut scientia significat respectum ad objectum fundatum super qualitate; Creator vero significat relationem rationis

consequentem divinam actionem, quam principaliter significat nomen creationis, non enim Dei ad creaturam potest esse relatio realis. Dicuntur autem relativa secundum esse, quando nomina sunt imposita ad significandas ipsas relationes, ut nomen dominus, relativa vero secundum dici, quando nomina sunt imposita ad significandum principaliter illud, super quod fundatur relatio, puta qualitatem vel aliquid hujusmodi, ad quæ consequitur relatio, ut patet in nomine scientiæ, quod est relativum secundum dici, quia significat qualitatem, quam consequitur respectus quidam ad scibile. — *de Pot.* q. 7, a. 10, ad 11; 1a, q. 13, a. 7, ad 1; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1 et dist. 30, a. 2, c. et a. 3, ad 4; *de Verit.* q. 21, a. 6.

Ad quartum dicendum, quod relatio realis potest constituere determinatum prædicamentum, ut dictum est, nec inde sequitur ullum absurdum ex allatis; non primum, quia ratio relationis prædicamentalis communis est omnibus relativis et correlativis, cum abstrahat ab omnibus; nam cujuslibet relativi vel correlativi relatio essentialiter consistit in ordine ad aliud, puta ad terminum, ut dicemus; neque secundum, quia sufficit ut terminus cujuscumque relationis realis prædicamentalis sit a parte rei, licet ratio termini in communi sit analoga, utpote communis absolutis et respectivis, ut dicemus. — Il. cit. in c; v. infra a. 3 et 7.

ARTICULUS III

UTRUM RELATIO PRÆDICAMENTALIS RECTE DEFINIATUR, CUJUS ESSE EST AD ALIUD SE HABERE.

Videtur quod non recte definiatur relatio prædicamentalis, cujus esse est ad aliud se habere.

1. Unius enim rei una est definitio; sed Philosophus relativa definit aliter in *Prædicam.* c. 7 sic : Ad aliquid dicuntur, quæcumque hoc ipso, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud : ergo relativa non recte definiuntur, quorum esse est ad aliud se habere. — 1. *Sent.* dist. 1, expos. text.; 5. *Metaphys.* l. 13; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 1.

2. Præterea, cum relatio sit accidens, ejus esse est inesse; sed inesse non est ad aliud se habere : ergo non recte definitur. — Sed dices, quod esse relationis, ut est accidens, est inesse, ut vero est tale accidens, ejus esse est ad aliud se habere. — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 12; 1a, q, 28, a. 2. c.

3. Contra relatio secundum quod est tale accidens, non est per se existens; nam hoc est proprium substantiæ, sed est inhærens; sed esse accidentis inhærentis non est ad aliud se habere, ut patet : ergo.

Sed contra est, quod Philosophus in *Prædicam.* c. 7. definit ad aliquid, quorum esse est ad aliud se habere.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte definiuntur ad aliquid : quorum esse est ad aliud se habere. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod esse dicitur tripliciter. *Primo* dicitur ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur, quod definitio est oratio significans quid est esse; definitio enim quidditatem rei significat. *Alio* modo dicitur esse ipse actus essentiæ, sicut vivere, quod est esse viventium, est actus animæ, non actus secundus, qui est operatio, sed actus primus. *Tertio*, dicitur esse, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod « est » dicitur copula, et secundum hoc est in intellectu componente et dividente quantum ad sui complementum, sed fundatur in esse rei, quod est actus essentiæ. Cum ergo dicit Philosophus, quod ad aliud sunt, quorum esse est ad aliud se habere, intelligit de esse, quod est quidditas rei, quæ definitione significatur, quia ipsa natura relationis, per quam constituitur in tali genere, est ad aliud referri; et non intelligitur de esse, quod est actus essentiæ; hoc enim esse habet relatio ex his, quæ causant ipsam in subjecto, secundum quod esse non refertur ad aliud, sed ad subjectum, sicut et quodlibet accidens. — *de Pot.* q. 8, a. 2, arg. 12; 1. *Sent.* dist. 33, q. 1, a 1, ad 1; 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, ad 2; *Quodl.* 9, a. 4, ad 3; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus duas definitiones tradidit relativorum, unam complectentem tam relativa

secundum dici, sub quibus continentur tam relativa realia quam rationis, quam relativa secundum esse, et est illa posita in argumento, alteram perfectam complectentem solas relationes reales secundum esse et prædicamentales, et est supra explicata. — *Opusc.* 48, l. c ; *Tab. Aur.* voce « relativum » n. 1.

Ad secundum dicendum, ut responsum est in objectione, quod duplex esse convenit relationi, unum, secundum quod est accidens, et hoc est esse simpliciter et respectu accidentis est inesse ; nam secundum hoc fundatur in subjecto, quatenus ponit in illo aliquid. Alterum vero convenit illi, ut est ratio quædam seu relatio ; et hoc esse non est esse simpliciter, sed esse secundum quid, quod respectu relationis est ad aliud se habere, hoc enim significat ratio relationis, quod est dicere, relationem in quantum est accidens, ponere aliquid in subjecto ; in quantum vero tale accidens, ita habere debile esse secundum sui inhærentiam in subjecto, ut non ponat in subjecto aliquid absolutum, sed tantum per respectum ad aliud. — *de Pot.* q. 8, a. 2, ad 11 et 12 ; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1 et dist. 33, q. 1, a. 1 ; 1a, q. 28, a. 2, c.

Ad tertium dicendum, quod in quolibet genere accidentium est, ut dictum est, duo considerare, quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum secundum quod est accidens, et hoc communiter in omnibus est inesse subjecto ; accidentis enim esse est inesse ; aliud est propria ratio cujuscumque illorum generum. Et in aliis quidem generibus a relatione, ut quantitate, qualitate et similibus etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subjectum ; nam quantitas dicitur mensura substantiæ, qualitas vero dispositio ejusdem ; sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. — Si igitur consideremus relationes creatas secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ ; non quod non inhæreant subjectis, sed quia ut sic, ut supra dictum est, non significant ut quid inhærens, quasi significantes respectum quodam modo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretur relatio, secundum quod est accidens, sic est inhærens subjecto, et habet esse accidentale in ipso. Et quia quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale, (nihil enim est in Deo, ut accidens in subjecto, sed quidquid est in Deo, est ejus essentia), ideo ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens ; in hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. — *Ibid.* et ll. cit. supra a. 2, ad 1.

ARTICULUS IV

UTRUM FUNDAMENTUM ET CAUSA RELATIONIS SIT TANTUM TRIPLEX, QUANTITAS, ACTIO ET PASSIO, ET MENSURA.

Videtur quod fundamenta relationum sint plura tribus prædictis.

1. Quia cum relatio non habeat esse naturale nisi ex hoc, quod habet fundamentum in re, et ex hoc collocetur in genere, differentiæ relationum essentiales sumi debent secundum differentias aliorum entium ; sed alia entia a relatione sunt plura tribus : ergo et causæ relationum seu fundamenta erunt plura tribus. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 2, ad 4.

2. Præterea, identitas specifica, vel generica, et similitudo sunt relationes reales, ut docet Philosoph. 5 (4) *Metaphys.* c. 15 ; sed illæ fundantur in substantia et qualitate ; nam ut docet Philosophus ibid., eadem sunt, quorum substantia est una, et similia, quorum qualitas est una : ergo idem quod prius. — *Tab. Aurea* voce « relatio » n. 31 ; 5. *Metaphys.* l. 17 ; 5. *Phys.* l. 3 ; 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, c. ; *de Pot.* q. 7, a. 9, c.

3. Præterea, aliqua dicuntur ad aliquid vel ratione sui generis, ut musica ratione scientiæ, vel ratione sui concreti, ut æqualitas, quia æquale dicitur ad aliquid, vel ratione sui accidentis, ut homo ratione

albedinis; sed hujusmodi relativa non fundantur in quantitate, vel actione et passione, vel mensura, ut patet : ergo. — 5. *Metaphys.* l. 17.

4. Præterea, omnia, quæ dicuntur ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicunt ordinem, et per consequens illa erunt causæ distinctionis illorum; sed ea, ad quæ dicunt ordinem relationes prædicamentales, puta termini relationum, sunt longe plures tribus : ergo. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, c.

Videtur quod fundamenta relationum sint pauciora tribus.

1. Dicit enim Philosophus 3. *Phys. text.* 3; c. 1, quod ad aliquid aliud quidem secundum superabundantiam et defectum; aliud autem secundum activum et passivum; sed relatio secundum superabundantiam et defectum, ut relatio dupli ad dimidium, fundatur in quantitate, relatio vero activi et passivi fundatur super actione et passione : ergo fundamenta relationum sunt tantum duo. — 3. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, fundamentum relationis est id, per quod una res ordinatur ad aliam; sed neque per quantitatem, neque per actionem res ordinatur ad aliam; nam quantitas et secundum rationem accidentis et secundum rationem proprii generis tantum respicit proprium subjectum; similiter actio de suo formali dicit esse actum agentis, ut definit Philosophus (3. *Phys. text.* 21; c. 3) : ergo. — l. c; 5. *Metaphys.* l. 17; 1a, q. 28, a. 2, c.; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 3, c; 1a 2æ, q. 1, a. 3, c.

3. Præterea, sine fundamento non potest esse relatio, cum ab illo habeat esse; sed transacta actione manet relatio causæ ad effectum, ut patris ad filium : ergo actio non potest esse fundamentum relationis. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, c.

4. Præterea, intellectio est actio; sed intellectio non fundat relationem realem in utroque extremo : ergo actio non est fundamentum relationum realium in extremis, et per consequens relationum prædicamentalium. — 5. *Metaphys.* l. 17.

5. Præterea, ratio mensuræ est propria ratio quantitatis, ut dictum est; sed quantitas est unum fundamentum relationis : ergo mensura non erit distinctum fundamentum a quantitate, et sic fundamenta relationum erunt pauciora. *Ibid.*

6. Præterea, a relatione nihil potest extrinseca denominatione denominari, sed tantum intrinseca, ut pater paternitate existente in alio supposito; sed in relativis tertii generis unum relativum dicitur ad aliud per relationem existentem in altero : ergo tertium hoc genus relativorum dari non potest. — 2. *c. Gent.* c. 13, n. 2; 1a, q. 13, a. 7, c.; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 1, ad 3; 3a, q. 35, a. 5, c. et ad 3.

7. Præterea, si dantur relationes tertii generis, maxime sunt scientia et scibile, ut docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15); sed hoc esse falsum, probatur *primo*, quia scientia refertur ad scientem, cum sit scientis, sicut visus videntis; sed idem bis dici non potest ad aliud, quia idem haberet duplex esse : ergo scientia non refertur ad scibile. (5. *Metaphys.* l 17). *Secundo* relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis; sed relatio scientiæ ad scibile est relatio consequens operationem intellectus, ut patet : ergo scientia non dicit relationem realem ad scibile, sed rationis (1a, q. 28, a. 1, arg. 4). *Tertio* relatio realis requirit extrema realia, nam debet habere aliquid in re, supra quod esse ipsius fundatur; sed objectum scientiæ sæpissime non est aliquid actu existens, ut verbi gratia cum scitur natura rosæ, quæ nondum est : ergo relatio scientiæ ad scibile non est realis, sed rationis (*de Pot.* q. 7, a. 11, c.; 1. *Sent.* dist. 26. q. 2, a. 1). *Quarto* inter amantem et amatum est relatio realis in utroque extremo; sed eadem est ratio scibilis ad scientem, nam ita scire est actus immanens intellectus, sicut amare est actus immanens voluntatis : ergo etiam scibile dicit relationem realem ad scientiam (1. *Sent.* dist. 30, q. 1. a. 3, ad 3). *Quinto* in relativis tertii fundamenti mensurabile dicit relationem realem ad mensuram, et mensura ad mensurabile dicit relationem rationis; sed scientia est mensura scibilis, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 5; l. 9, c. 1), quia per scientiam, inquit, aliquid cognoscimus : ergo scientia et scibile non spectant ad fundamentum tertium, et per consequens non dantur relationes tertii fundamenti;

et sic fundamenta relationum erunt pauciora tribus.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys.* l. c.) numerat tantum tria fundamenta relationum prædicamentalium, quantitatem, actionem et passionem, mensurabile et mensuram. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Ad primam quæstionem dicendum, quod recte Philosophus assignavit numerum relationum prædicamentalium juxta triplex fundamentum. Ratio autem hujus triplicis fundamenti et specierum relationum ex fundamenti diversitate sumptarum hæc est, quia cum relatio, quæ est in rebus, consistat in ordine quodam unius rei ad aliam, oportet tot esse genera relationum, quot modis contingit unam rem ad aliam ordinari. Ordinatur autem una res ad aliam vel secundum esse, prout esse unius dependet ab alia, et sic est tertium genus relationum tertii fundamenti; vel secundum virtutem activam et passivam, secundum quod una res ab alia recipit, vel alteri aliquid confert, et sic est secundum genus relationum secundi fundamenti; vel secundum quod quantitas unius rei potest mensurari per aliam, et sic est primum genus. Qualitas autem rei, in quantum hujusmodi, non respicit nisi subjectum, in quo est, unde secundum ipsam una res per se non ordinatur ad aliam, sicut neque per substantiam, nisi per accidens. secundum quod qualitas vel forma substantialis vel materia habet rationem virtutis activæ vel passivæ, et secundum quod in eis consideratur aliqua ratio quantitatis, puta ratio unius, quod reducitur ad genus quantitatis quasi principium quantitatis discretæ, super ipsum enim fundatur identitas, secundum quod est unum in substantia, et æqualitas, secundum quod est unum in quantitate, et similitudo, secundum quod est unum in qualitate. Alia vero genera magis consequuntur relationem, quam possint relationem causare; nam « quando » consistit in aliquali relatione ad tempus, « ubi » vero ad locum; positio vero ordinem partium importat, habitus autem relationem habentis ad habitum. — l. c; 3. *Phys.* l. 1; 1. *Sent.* dist. 30, q. 1, a. 3, ad 3; 3. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 1, sol. 1; *de Pot.* q. 7, a. 9 et 10.

Ad primum ergo dicendum, quod cum relatio habeat debilissimum esse, quia consistit tantum in hoc, quod est ad aliud se habere, oportet quod super aliquod aliud accidens fundetur, quia perfectiora accidentia sunt propinquiora substantiæ et illis mediantibus alia accidentia insunt substantiæ. Hæc autem, super quibus fundantur relationes, maxime sunt quantitas et actio, ut dictum est; nam quantitas potest esse mensura etiam alicujus exterioris, et agens transfundit actionem suam in aliud; per reliqua vero accidentia, nisi induant rationem quantitatis vel alicujus pertinentis ad quantitatem, non ordinatur res aliqua ad aliam. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 17.

Ad secundum dicendum, quod substantia et qualitas, ut dictum est, possunt fundare relationem, quatenus habent rationem virtutis activæ vel passivæ, et quatenus induunt rationem unius pertinentis ad quantitatem, non autem ratione sui; relatio enim identitatis specificæ vel genericæ fundatur in substantia posteriori modo, et relatio effectus ad causam et relatio creaturæ ad Deum fundantur in substantia priori modo, sicut et creatio passiva, quæ est relatio realis. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 17; *de Pot.* q. 7, a. 9, c. et ad 4 et q. 3, a. 3, ad 3; 1a, q. 45, a. 3.

Ad tertium dicendum, quod relativa sunt in duplici differentia, nam alia sunt per se, et hæc sunt in triplici genere juxta triplex fundamentum; alia sunt per accidens, et de his procedit argumentum. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Ad quartum dicendum, quod cum relatio non habeat ex hoc, quod ad alteram dicitur, quod sit aliquid in rerum natura, sed habeat hoc ex eo, quod relationem causat, quod est in re, quæ ad alterum dicitur; et ex eodem res habeat unitatem et multitudinem, ex quo habet esse, ideo licet relationes secundum respectus multiplicentur ex terminis, secundum esse tamen multiplicantur et genere inter se distinguuntur secundum ea, in quibus relationes fundantur, ut patet ex Philosopho, qui proinde (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15) ex diversis fundamentis genera relationum distinguit. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 2, ad 4; 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, c.; *Opusc.* 2, c. 52.

Ad secundum quæstionem dicendum, quod tria sunt relativorum genera ex triplici fundamento, et non pauciora, ut dictum est, quod etiam confirmari potest ex modo innascendi relationis. Nam aliquando relatio nascitur ex motu utriusque extremi, sicut paternitas et filiatio, et similes, quæ fundantur in actione et passione, et sunt realiter in utroque extremo; quandoque vero innascitur ex motu alterius tantum, sed hoc contingit dupliciter, *uno modo*, quando relatio innascitur ex motu unius sine motu alterius vel præcedente vel comitante, sicut in sensibili et sensu, scibili et scientia, et tunc est relatio in uno secundum rem, et in alio secundum rationem tantum, et hujusmodi sunt relationes tertii generis. *Alio modo*, quando innascitur ex motu unius sine motu alterius tunc existente, non tamen sine motu præcedente, sicut æqualitas fit inter duos homines per augmentum unius, sine hoc, quod alius tunc augeatur vel minuatur, sed tamen prius ad hanc quantitatem, quam habet, per aliquem motum vel mutationem pervenit, et ideo in utroque extremorum talis relatio realiter fundatur; et similiter est de relatione similitudinis et aliis primi generis. Et sic manifestum est tria tantum esse fundamenta relationum, nec pauciora, nec plura. — ll. cit. in q. 1. hujus art. in c.; 4. *Sent.* dist. 41, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus l. c. numerat fundamenta, super quæ maxime fundantur relationes reales in utroque extremo, quæ sunt prædicta duo. — ll. cit. q. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 30. q. 1, a. 3; 4. *c. Gent.* c. 24, n. 1, secundo loco.

Ad secundum dicendum, quod quantitas, quatenus potest esse mensura alicujus exterioris, potest esse id, per quod una res ordinatur ad aliam; et similiter actio, hæc enim specificatur a principio activo, sed per ordinem ad terminum. Calefactio enim ab infrigidatione differt, quod una earum ex calore procedit et in calorem terminatur, alia vero a frigore procedit ad frigus; unde actio definitur, quod sit actus agentis in aliud; agens enim actionem suam transfundit in aliud. Et ratio hujus est, quia licet actio specificetur a forma agentis, non tamen specificatur ab illa, in quantum est forma manens in agente, cui ipsa dat esse; sed secundum quod habet inclinationem ad effectum. — 5. *Metaphys.* l. 17; 3. *Phys.* l. 1; *de Pot.* q. 6, a. 8, c.

Ad tertium dicendum, quod relationes fundatæ in actionibus non innascuntur ex illis secundum quod sunt in actu, sed magis secundum quod fuerunt, sicut aliquis dicitur pater, postquam ex actione est effectus consecutus, et tales relationes fundantur super id, quod in agente relinquitur ex actione, sive sit dispositio, sive habitus, sive aliquod jus aut potestas, vel quidquid aliud est hujusmodi. Et quia hoc, quod relinquitur ex actionibus unius speciei, non potest esse nisi unum, inde est, quod tales relationes etiam secundum rem non multiplicantur secundum diversas actiones, sed magis sunt unum secundum id, quod ex actione relinquitur. Et propter hoc non sunt diversæ relationes secundum rem in patre uno, qui generavit plures filios, nec in uno magistro, qui docet plures discipulos eamdem doctrinam; secus autem si essent plures actiones secundum speciem, nam tunc causarent etiam plures relationes specie differentes. — Vel dic, hujusmodi relationes fundari super potentia activa et passiva determinatis secundum diversa tempora actionis. — Vel dic, fundari super substantia, ut habet rationem virtutis activæ et passivæ. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, c.; 3a, q. 35, a. 5; 5. *Metaphys.* l. 17; *de Pot.* q. 7, a. 9; Ferrariensis in 4. *c. Gent.* c. 14.

Ad quartum dicendum, quod relationes secundi generis fundantur in actione transeunte, quæ cum realiter pervenit ad passum, refert realiter ipsum ad agens; at intellectio non est actio transiens, sed immanens, unde non refert objectum intelligibile ad intellectum, sed contra. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Ad quintum dicendum, quod in tertio genere relativorum non accipitur mensura et mensurabile secundum quantitatem, hoc enim ad primum genus pertinet, in quo utrumque ad utrumque dicitur, nam duplum dicitur ad dimidium, et hoc ad illud; sed secundum mensurationem esse et veritatis; veritas enim scientiæ mensuratur a scibili; ex eo enim quod res est vel non est, oratio scita vera est vel falsa, et non

contra, et similiter est de sensu et sensibili. Et propter hoc non mutuo dicuntur mensura ad mensurabile, et contra, sicut in aliis modis, sed solum mensurabile dicitur ad mensuram; et similiter imago dicitur ad id, cujus est imago, tanquam mensurabile ad mensuram, veritas enim imaginis mensuratur ex re, cujus est imago. — l. c.

Ad sextum dicendum, quod dupliciter potest aliquid denominari a relatione existente in altero, uno modo causaliter, quia talis relatio est sufficiens fundamentum et causa, cur intellectus in alio extremo cointelligat relationem aliam, per quam concipiat illud, ut terminum et correlativum alterius. Et hoc modo potest aliquid denominari causaliter et realiter a relatione in alio existente; sic enim Deus causaliter et realiter denominatur Dominus creaturarum a relationibus in illis existentibus, formaliter vero a relatione rationis cointellecta in ipso Deo ad creaturas; et similiter Christus Dominus dicitur causaliter et realiter filius B. Virginis Mariæ a relatione reali maternitatis, formaliter vero a relatione rationis cointellecta maternitati; idemque dico de scibili respectu scientiæ. Alio modo formaliter, et sic non potest aliquid dici relative ad aliud, seu referri ad aliud per relationem existentem in alio. — 1a, q. 13, a. 7, c. ; 3a, q. 35, a. 5, c. et ad 3; 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5; *Quodl.* 1, a. 2, c.; *Quodl.* 9, a. 4; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 1, ad 3 et dist. 40, q. 1, a. 1, ad 2.

Vel dic, quod aliud est dici relative ad aliud, aliud esse relativum secundum rem seu realiter referri ad aliud; ad primum enim sufficit denominari a relatione existente in altero, quomodo dicitur, quod Deus aliter se habet et mutatur secundum dici, quia res secundum rem mutantur et aliter se habent; ad secundum vero requiritur, ut relatio vere sit secundum rem vel per intellectum intelligatur in eo, quod est relativum secundum rem. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 1, ad 1 et dist. 40, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad septimum dicendum, quod scientia refertur realiter ad scibile, tanquam mensurabile ad mensuram, ut dictum est. Et *ad primam instantiam* dicendum, quod scientia, ut est accidens et qualitas quædam, refertur ad scientem, sicut et intellectus ad intelligentem et visus ad videntem, in quantum sunt accidentia vel potentiæ; ut vero scientia est et secundum quod ad aliquid dicitur, refertur tantum ad scibile, sicut et visus et intellectus, ut visus et intellectus, seu secundum quod ad aliquid dicuntur, referuntur tantum ad objectum visibile et intelligibile, ut docet Philosophus 5. (4) *Metaphys.* ubi dicit, quod scientia, in quantum est relatio, non est scientis, sed scibilis. Cujus ratio est, quia relatio non significatur secundum rationem accidentis, seu ut aliquid ejus, in quo est, sed ut ad id, quod extra est. — 5. *Metaphys.* l. 17; 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, ad 5; *de Verit.* q. 3, a. 3, c. et q. 4, a. 5, c.; *de Pot.* q. 7, a. 4, ad 9 et q. 8, a. 2, c.

Ad secundam instantiam dicendum, quod relationes, quæ consequuntur solam operationem intellectus, in ipsis rebus intelligibilibus sunt relationes rationis tantum, quia scilicet ratio eas adinvenit inter duas res intellectas; sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, quæ sunt inter verbum intelligibiliter procedens, et id, a quo procedit, atque adeo ipsum objectum intellectum, non sunt rationis, sed rei; sic intelligens et volens dicunt relationem realem ad intellectum et volitum, et similiter scientia ad scibile. — 1a, q. 28, a. 1, ad 4 et a. 4, ad 1.

Ad tertiam instantiam dicendum, quod cum omnis relatio ad non ens sit rationis, et similiter omnis relatio ad ens tantum in potentia, ut dictum est, necesse est, ut relatio realis sit ad terminum existentem; et sic relatio scientiæ ad scibile realis tantum terminabitur ad scibile existens; hoc enim distinguitur relatio realis a relatione rationis, quod illa requirit utrumque extremum realiter existens, ut dictum est, non hæc. — V. supra a. 1; *Tab. Aurea* voce « relatio », n. 47, 48.

Ad quartum dicendum, quod non est eadem ratio, sed opposita inter scientem seu scientiam et scibile, et amantem et amatum; ideo enim relatio scientiæ ad scibile est realis, non contra, quia illud, supra quod fundatur relatio realis, est tantum in scientia, non in scibili, fundatur enim relatio scientiæ super apprehensionem secundum esse spirituale, hoc autem

esse tantum est in sciente, non autem in scibili, quia ibi est forma rei secundum esse naturale. E contrario autem est de amante et amato, quia relatio amoris fundatur super appetitum boni, bonum autem non est aliquid existens tantum in anima, sed etiam in rebus; unde dicit Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 4), quod bonum et malum sunt in rebus, verum autem et falsum in anima, et ideo dicit Avicenna *Metaphys.* tract. 3, c. 10, quod et in amante et in amato est invenire dispositionem, per quam unum relativum refertur ad aliud, non autem in sciente et scibili, et ideo utrobique relatio realis est. — Il. cit.; 1. *Sent* dist. 30, q. 1, a. 3, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod per mensuram proprie cognoscitur aliquid, sicut per principium cognoscendi; per scientiam autem sicut et per sensum non cognoscimus aliquid, nisi tanquam per habitum et potentiam cognoscitivam; et ideo scientia proprie non est mensura scibilis, sed tantum secundum similitudinem, quatenus per illam cognoscimus scibile. Unde et Philosophus postquam dixit, scientiam et sensum esse mensuram scibilis et sensibilis, statim subdit ad ostendendum, quod sunt mensuræ improprie, (atqui mensurantur magis, quam mensurant,) quod vere ita est; non enim quia nos aliquid sentimus aut scimus, ideo sic est in rerum natura, sed quia sic est in rerum natura ideo vere aliquid scimus vel sentimus, ut dicitur 9. [8] *Metaphys.* — 10. *Metaphys.* l. 2.

Vel dic, quod hic loquimur de mensuratione esse et veritatis, quomodo mensuræ ratio convenit objecto scientiæ, non autem ipsi scientiæ. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Vel dic, scientiam esse duplicem, unam speculativam, et hæc mensuratur a rebus, alteram practicam, quæ est causa rerum, ut est scientia artificis et scientia Dei, et hæc scientia est mensura rerum, non contra. — l. c.; *de Pot.* q. 7, a. 10, ad 5.

ARTICULUS V

UTRUM RELATIO REALITER DISTINGUATUR A FUNDAMENTO.

Videtur quod relatio non distinguatur realiter a fundamento, puta a substantia, quantitate et qualitate.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 10; c. 3), quod stat altero mutato alterum immutatum relative dici; cum enim aliquis incipit alteri esse æqualis per illius mutationem, nihil advenit ei; sed si relatio distingueretur realiter a suo fundamento, atque adeo ab entibus absolutis, cum quis fit similis vel æqualis vel idem specie alteri per mutationem acquirenti substantiam, quantitatem vel qualitatem, vere mutaretur : ergo relatio non distinguitur realiter a suo fundamento. — 5. *Phys.* l. 3; *de Pot.* q. 7, a. 9, arg. 7; Ferrariens. in 4. *c. Gent.* c. 14.

2. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod in ad aliquid non est motus; sed si relatio distingueretur a suo fundamento, posset esse motus ad relationem, sicut est ad quantitatem et qualitatem : ergo relatio non distinguitur realiter a suo fundamento. — 5. *Phys.* l. 3; 1. *Sent.* dist. 9, in exposit. text. ad 1; 3. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 2, sol. 3.

3. Præterea, relatio non componit cum suo fundamento, ut identitas cum substantia, æqualitas cum quantitate, et similitudo cum qualitate; sed componeret, si esset entitas realiter distincta a fundamento : ergo. — *de Pot.* q. 8, a. 2, c.

4. Præterea, Deus potest separare omne accidens a subjecto; nam remoto ordine accidentis ad causam proximam, secundum quam modus essendi accidentis est inesse, adhuc potest remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quem modus essendi ipsius non est inesse, sed ab alio esse; sed Deus non potest separare relationem ab ente absoluto, cui inest tanquam subjecto et fundamento, ut relationem creaturæ ab ipsa creaturæ substantia, cui subjective inest, quia non potest facere, quod creatura non dependeat ab ipso : ergo relatio non est realiter distincta ab ente absoluto, in quo fundatur. —

4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 1, c. et ad 1; *Quodl.* 9. a. 5; v. supra q. 6, a. 3.

5. Præterea, nullum accidens potest esse in pluribus subjectis, ut dictum est; sed si relatio realiter distingueretur a quolibet ente absoluto, et consequenter a suo fundamento, id sequeretur; nam duplicitas, qua numerus quaternarius hominum est duplus binario, simul esset in quatuor hominibus : ergo. — V. supra q. 11, a. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 62; c. 7) dicit, quod relatio, sicut et quantitas et qualitas generatur secundum quid; sed quod generatur secundum quid, habet entitatem realiter distinctam a quacumque alia re,quæ similiter generatur secundum quid, ut patet in quantitate et qualitate : ergo relatio distinguitur realiter a quantitate et qualitate et a suo fundamento.

2. Præterea, illud distinguitur realiter ab alio, ad quod per se terminatur mutatio; sed hæc per se terminatur ad relationem; dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 43 sq; c. 5), quod principia mutationis sunt prima contraria, quæ, in textu 50, c. 6 et 12. *Metaphys. text.* 22 et 23; l. 11, c. 4, docet esse in omni prædicamento, et 7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7. ait, quod fit, fieri ab aliquo ex aliquo, id est ex materia; et aliquid, quod est terminus productionis et mutationis ad quem, quod ait esse substantiam, quantitatem, qualitatem et unumquodque aliorum prædicamentorum : ergo relatio distinguitur realiter a quocumque alio ente absoluto, ad quod terminatur mutatio, et proinde a substantia, quantitate et qualitate, quæ sunt fundamenta relationum, ut dictum est. — 1. *Phys.* l. 11 et 12; 12. *Metaphys.* l. 3; 7. *Metaphys.* l. 6.

3. Præterea, quando unum prædicamentum accidit alteri, non potest fieri ex illis duobus unum per se, sed per accidens, et per consequens ibi non potest reperiri unum esse utriusque, sed duo; unde necessario inter illa erit distinctio realis; sed prædicamentum relationis accidit aliis prædicamentis absolutis, puta substantiæ, quantitati et qualitati, ut dictum est : ergo relatio realiter distinguitur a prædicamentis, et per consequens a suo fundamento. — *de Pot.* q. 2, a. 2, ad 2.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere relationem distingui realiter a suo fundamento, quod multipliciter potest esse manifestum. Et *primo* quidem ex generali ratione accidentis; nam relatio realis prædicamentalis est accidens superveniens substantiæ posita actione et passione; et quantitati ac qualitati positis duobus extremis convenientibus in quantitate et qualitate, tanquam propriis et immediatis subjectis et fundamentis; nam relatio realis creaturæ ad Deum subjectatur et fundatur in substantia creaturæ, et similiter relatio effectus ad agens, et relatio identitatis genericæ vel specificæ, et creatio passio, ut dictum est. Sed omne accidens realiter distinguitur a subjecto, in quo inhæret; nam esse accidentis est inesse,secus vero esse substantiæ; unde et a substantia dependet in esse et compositionem facit cum subjecto, quæ omnia denotant realem distinctionem inter utrumque, quia nihil dependet a se ipso vel sibi ipsi inhæret; et in omni reali compositione necessario involvitur distinctio realis, nam omnis realis compositio fit ex diversis, quæ indigent agente ad hoc, ut uniantur. Quod autem dicitur de relatione subjectata et fundata in substantia, idem dicendum est de relatione fundata et subjectata in quantitate et qualitate, puta de æqualitate et similitudine. — V. supra a. 4, c. et ad 2; 4. *c. Gent.* c. 14; *de Pot.* q. 7, a. 1, c. et q. 8, a. 1, arg. 5.

Secundo ex ratione propria relationis per ordinem ad fundamentum; nam omnis causa realis materialis et efficiens realiter distinguitur a suo effectu, quia nihil est causa sui ipsius. Ut enim docet D. Anselmus in lib. *de Processione Spiritus S.*, nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo esse, de quo existit; et Augustinus l. 1. *de Trinitate* c. 1 : nulla res, inquit, est, quæ se ipsam producat. Cujus ratio est, quia secundum idem genus causæ aliquid simul esset causa et causatum, quod est impossibile et contra Philosophum propterea negantem in 2. *Phys. text.* 30; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 3, l. 4; c. 2, aliqua duo posse sibi invicem esse causas in eodem genere causæ. At vero fundamentum relationis est causa ipsius; ut enim dictum est, ad productionem substantiæ, quantitatis et qualitatis producitur

relatio identitatis specificæ vel genericæ, relatio effectus ad causam et relatio æqualitatis et similitudinis; sunt enim hæ relationes propriæ passiones illarum, ut dictum est; propriæ vero passionis est in eodem subjecto sustentari, a quo causaliter producitur, cum subjectum respectu illius habeat triplicem rationem causæ, ut dictum est (*Tab. Aurea* voce « causa » n. 89; *de Pot.* q. 7, a. 8, c. et a. 9, ad 7 et c. et q. 10, a. 1, ad 8; 5. *Metaphys.* l. 2; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, ad 3; supra q. 11, a. 4 et q. 6, a. 2, c., etc.). — *Tertio* ex ratione relationis, secundum quod est tale accidens secundum se sumptum; illa enim realiter distinguuntur, quæ sunt ita diversa secundum esse, quod esse unius est imperfectissimum, debilissimum et postremum, ita ut exigat aliorum esse firmius et perfectius, in quo fundetur. Ita vero se habet relatio in comparatione ad substantiam, quantitatem et qualitatem; habet enim esse imperfectissimum et præsupponit entia prædicta, et aliquando etiam actionem et passionem. — *Tab. Aurea* voce « relatio » n. 10 et 17; 4. *c. Gent.* c. 14; *de Pot.* q. 8, a. 3, ad 12 et a. 1, ad 4 et 5; 12. *Metaphys.* l. 3.

Quarto ex differentia inter relationem creatam et increatam; nam *primo*, quia in divinis idem omnino est esse relationis, puta Paternitatis, et essentiæ, quia in divinis est tantum unum esse, ideo Paternitatis esse est in Filio; et sicut idem est esse essentiæ et essentia, et esse Paternitatis et Paternitas, ita necessario Paternitas secundum rem debet esse ipsa essentia; unde fit, ut non faciat compositionem cum illa. At in relationibus creatis aliud est esse relationis, puta identitatis genericæ vel specificæ, vel creationis passivæ et substantiæ, quæ refertur ad aliam substantiam, cum qua est eadem specie vel genere, vel ad Deum Creatorem, et ideo talis relatio dicitur inesse substantiæ in qua fundatur; et secundum quod inest, facit compositionem cum illa tanquam accidens cum subjecto; non enim una res potest inesse alteri sine compositione. *Secundo*, quia relatio creata est accidens, cujus esse est inesse, ideo esse relationis, prout est accidens, non est ad aliud se habere, sed esse relationis, secundum quod est ad aliquid, est ad aliud se habere; at esse relationis increatæ est idem cum esse divinæ essentiæ (1. *Sent.* dist. 21, q. 1, a. 2, c. et dist. 33, q. 1, a. 1, c. et ad 2; *de Pot.* q. 8, a. 1, ad 5 et a. 2, ad 12 et a. 3, ad 8). *Tertio*, quia relatio creata est accidens inhærens subjecto, quod refertur, quod idem est cum fundamento; nam, ut dictum est, substantia, quantitas et qualitas sunt fundamenta relationum, et eadem per relationes sibi inhærentes referuntur. Nam substantia dicitur eadem specie alteri et una quantitas alteri æqualis, et una qualitas alii similis; ideo non potest constituere aliquid subsistens, sed tantum aliquid relativum; at relatio divina, quia non solum est relatio, sed etiam secundum rem est ipsa divina essentia, potest constituere aliquid subsistens, et non tantum quid relativum. (V. supra a. 2, 3, 4). *Quarto* in creaturis in nomine relativo, v. g. idem, præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res; in Deo autem non est alia res, sed una et eadem, quæ non perfecte exprimitur nomine relationis, quasi sub significatione talis nominis comprehensa, seu præter relationem non est aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione. *Quinto* substantia divina potest esse relatio, et contra; substantia vero creata non potest esse relatio; substantia autem est fundamentum relationis, ut dictum est. Demum in creaturis illud, quod ad aliquid dicitur, puta substantia, quantitas, qualitas (nam substantia dicitur eadem, quantitas æqualis, qualitas similis, et sunt fundamenta, ut dictum est, talium relationum, cum sint illarum causæ per resultantiam, et earumdem subjecta, cum sint propriæ passiones illarum), dicitur substare relationi, sicut subjectum accidenti, et ideo est aliud et aliud; at in divinis illud, quod ad aliquid dicitur, est ipsa relatio, quia in Deo non est aliud secundum rem, sed secundum rationem essentia et habens essentiam, quod est persona et ipsa proprietas distinguens personam. Ex his autem differentiis inter utramque relationem manifestum est, quod relatio creata realiter distinguitur a fundamento, quod illam causat. — 1a, q. 28, a. 2, ad 2; *Tab. Aurea*

voce « relatio » n. 78; 1. *Sent.* dist. 33, q. 1. a. 2. ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod relatio aliud habet, in quantum est accidens, et aliud, in quantum est relatio vel ordo. Nam in quantum accidens habet, quod sit in subjecto, non in quantum relatio, sed solum, quod ad aliud sit, quasi in aliud transiens, quodammodo rei relatæ assistens; et ita relatio est aliquid inhærens, licet non ex hoc ipso, quod est relatio; sicut et actio ex hoc, quod est actio, consideratur, ut est ab agente, in quantum vero est accidens, consideratur ut in subjecto agente. Et ideo nihil prohibet, quod relatio desinat esse accidens hujus sine mutatione illius, in quo est, quia ejus ratio non perficitur, prout est in subjecto, sed prout transit in aliud, quo sublato, esse hujusmodi accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam, sicut et subtracta materia tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa. — *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 7.

Vel dic, quod ideo cum aliquis de novo accipit quantitatem, per quam fit mihi æqualis, ego efficior æqualis illi sine aliqua mutatione mei, sed per solam mutationem illius, quia ille solus de novo accipit per mutationem quantitatem, quæ cum sit radix et causa relationis secundum esse, ante quantitatem non potest dici in illo fuisse relatio, nec secundum actum, nec secundum radicem; at in me, quia præexistebat quantitas, et consequenter relatio tanquam in radice, ex qua habet suum esse, (ex hoc enim, quod habeo quantitatem talem, competit mihi, quod sim æqualis omnibus illis, qui eamdem quantitatem habent) ideo quando quis per mutationem acquisitivam quantitatis fit mihi æqualis, non requiritur ulla mutatio in me, qua acquiratur quantitas de novo, sed sufficit, quod mea quantitas, quæ est communis radix æqualitatis, determinetur ad istum et ita producat relationem ad illum, tanquam radix arborem vel fructum. Cum enim ad rationem relationis duo concurrant, fundamentum et respectus, sicut potest destrui relatio vel per destructionem fundamenti, ad quam sequitur per accidens destructio relationis, vel ad cessationem respectus destructo termino, ad quem erat, ita potest dupliciter introduci, vel simul cum acquisitione et positione fundamenti, et tunc subjectum dicitur proprie mutari; vel ad positionem et acquisitionem respectus, et tunc subjectum non dicitur mutari, quia non acquirit aliquid, quod de sui ratione dicit ordinem ad subjectum, sicut cætera accidentia. — 5. *Phys.* l. 3; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, ad 3; 4. *Sent.* dist. 41, q. 1, a. 1. sol. 1, ad 3.

Vel dic, quod cum idem relativum eadem numero relatione referatur ad terminos numero distinctos, ut idem magister ad plures discipulos, quos eamdem doctrinam docet, et idem Dominus ad plures subditos, quos eadem potestate gubernat, et filius ad patrem et matrem, sicut pater ad secundum filium eadem relatione refertur, qua prius referebatur ad primum, ac proinde sine sui mutatione, — ita potest quis per suam quantitatem jam æqualis uni, fieri æqualis alteri per mutationem solam ipsius, quatenus scilicet is quantitatem aquirit per mutationem, per quam efficitur æqualis ipsis. — Vel dic, quod quis de novo fit similis alteri sine sui mutatione per se atque adeo sine acquisitione ullius entitatis, quæ mutationem per se terminet. — Ferrariensis in 4. *c. Gent.* c. 14; ll. citanda ad arg. seq.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in « ad aliquid » non sit motus, sicut in id, quod terminat motum per se, quomodo quantitas et qualitas sunt termini motus per se, tamen relationes novæ non possunt innasci realiter in aliquo, nisi per motum.—Vel dic,quod de natura relationis est, ut in aliis rerum generibus causam habeat, quia minimum habet de natura entis, ut dicit Commentator in 11. *Metaphys.* Unde quamvis relatio per se non terminet motum, quia in « ad aliquid » non est motus, ut probatur in 5. *Phys.* ex hoc tamen, quod motus per se terminatur ad aliquod ens de necessitate consequitur relatio aliqua; sicut ex hoc, quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba. Similiter etiam ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur relatio, secundum quam materia sub forma esse dicitur; nihil enim prohibet accidens esse medium in conjunctione

substantiali, sicut conjunctionem sequens. — II. cit. in arg.; 3. *c. Gent.* c. 62, n. 9; *de Pot.* q. 7, a. 8, c.

Ad tertium dicendum, quod relatio, ut est accidens, inhæret subjecto, et facit compositionem cum illo, ut dictum est; secus vero, si consideretur, ut est relatio et secundum propriam rationem. — II. cit. in c. art.

Ad quartum dicendum, quod divinæ potentiæ ratione suæ immensitatis attribuendum est, quidquid in defectum non sonat; tamen aliqua sunt, quæ natura creata non patitur, ut fiant, propter aliquam repugnantiam, quam important ratione contradictionis implicitæ; et de talibus consuevit a quibusdam dici, quod Deus potest ea facere, quamvis fieri non possint. Ut ergo videamus, an Deus possit separare qualitates sive corporeas sive incorporeas a subjecto, et quantitatem et relationes, sciendum est, quod in qualibet qualitate corporali, ut in albedine, est duo considerare : naturam albedinis, propter quam speciem sortitur, et individuationem ejus, secundum quod hæc albedo sensibilis est ab alia sensibili distincta. Posset ergo Deus per absolutam potentiam suam facere, ut natura albedinis subsisteret absque omni quantitate et subjecto, tamen illa albedo non esset sensibilis, sicut hæc albedo sensibilis, sed esset forma quædam intelligibilis ad modum formarum separatarum, quas Plato posuit; sed quod hæc albedo sensibilis individuata esset sine quantitate, fieri non posset. Potest autem utroque modo facere quantitatem separatam a subjecto, quia quantitas non individuatur solum ex subjecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ, qui est de ratione quantitatis dimensivæ, quæ est quantitas positionem habens. Quod autem dictum est de qualitate corporali, idem dicendum est de qualitate spirituali. At vero relationes nullo modo potest Deus separare a suo immediato subjecto, ut relationem creationis vel servitutis a substantia creata; nam Deus non potest facere quod creatura non dependeat ab ipso; et similiter relationem identitatis a substantia, æqualitatis a quantitate, et similitudinis a qualitate. Nam hæ habitudines naturaliter sequuntur ad productionem substantiæ, quantitatis et qualitatis; nam sunt, ut dictum est, per modum propriarum passionum, quæ sunt inseparabiles etiam per divinam potentiam a suis subjectis, ut dictum est. — *Quodl.* 7, a. 10, c. et ad arg.; *de Pot.* q. 5, a. 2; v. supra q. 11 et 12.

Ad quintum dicendum, quod relationes consequuntur productionem sui fundamenti, ut dictum est; unde si fundamentum potest esse in pluribus subjectis partialiter, etiam relatio fundata in tali fundamento poterit esse in pluribus subjectis partialiter. Et quia numerus, ut dictum est, cum sit totum quoddam heterogeneum, requirit plura subjecta partialia, ideo et relationes fundatæ in numero poterunt esse in pluribus subjectis partialibus eædem numero; et similiter idem dicendum de relationibus fundatis in actione et passione; sic una et eadem numero relatio est in pluribus trahentibus navem, quia sunt principium unius numero actionis.—V. supra q. 11, a. 3, sol. 2, ad 6; 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

ARTICULUS VI

UTRUM RELATIO POSSIT FUNDARI IN ALIA RELATIONE.

Videtur quod relatio fundari possit in alia relatione.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 13), quod identitas generica vel specifica est relatio realis; sed inter duas relationes reales, ut inter duas paternitates, est identitas specifica, sunt enim unius speciei, cum in una essentia conveniant : ergo una relatio potest fundari in alia. —5. *Metaphys.* l. 17; 1a, q. 28, a. 1, ad 2.

2. Præterea, ideo opponitur relative aliquid alicui, quia ipsum respicit per relationem, ut patet in patre respectu filii; sed una relatio dicitur opponi alteri, ut paternitas filiationi : ergo in paternitate est relatio ad filiationem, et sic una relatio fundari potest in alia. — 1a, q. 28, a. 3, c. et q. 42, a. 1, ad 4.

3. Præterea, omnis creatura refertur ad Creatorem relatione reali; sed relatio rea-

lis est creatura; nam omne, quod est in rerum natura, aut est Creator aut creatura; non est autem relatio realis Creator, ut patet: ergo relatio realis refertur per aliam relationem ad Creatorem et sic una relatio fundari poterit in alia relatione. — *de Pot.* q. 7, a. 9 et q. 3, a. 3, arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus l. c. inter relativa per accidens ponit relationes ipsas, quas inquit dici ad aliquid, quia earum subjecta dicuntur ad aliquid; sed si relatio posset fundari in alia, sicut fundatur in quantitate et qualitate, ut dictum est, relatio esset relativum per se et vere diceretur ad aliquid, sicut dicitur quantitas et qualitas : ergo relatio non potest fundari in alia relatione. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1; 5. *Metaphys.* l. 17.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod nulla relatio realis fundari potest in alia relatione reali prædicamentali. — Potest autem hoc esse manifestum *primo*, quia relatio realis est per se et essentialiter relatio; quod autem est per se et essentialiter tale, non potest esse per aliud et per participationem tale; propter hoc enim faciens factum factione media, ipsam mediam factionem non facit aliqua alia factione media; et similiter, quamvis intelligatur medius habitus inter hominem et vestem, in quantum habet eam, non tamen inter habentem et ipsum medium habitum est aliquid aliud medium quasi alius habitus. *Secundo*, quia si relatio realis fundari posset in alia relatione, daretur processus in infinitum, et sic in infinitum multiplicarentur relationes, quod dici non potest, sicut nec admitti potest, quod factio alia factione media fiat, et quod inter habitum et habentem detur alius habitus medius. — 5. *Metaphys.* l. 20; *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 2; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 1, c.; 2. *c. Gent.* c. 18; 1a, q. 45, a. 3, ad 2.

Tertio, quia relatio prædicamentalis est ens omnium imperfectissimum et debilissimum, et ideo exigens entia absoluta perfectiora et firmiora, in quibus sustentetur et fundetur, ut dictum est; quod autem tale est, non potest in se alia entia sustentare et fundare. *Quarto* relatio realis habet esse reale ex causa et fundamento ipsius; nam secundum propriam rationem nihil ponit in subjecto, sed illi tantum assistit; at si posset fundare aliam relationem, secundum propriam rationem deberet habere esse reale independenter ab aliis entibus absolutis, quæ propterea dicuntur esse fundamenta relationum, quia sunt causa esse realis ipsarum. Quare dicendum est, quod nulla relatio prædicamentalis potest fundari in alia prædicamentali. — Ll. cit. supra a. 5; 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 2, ad 4; *Tab. Aurea* voce « relatio » n. 68, 67.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum l. c. unitas faciens relationem realem identitatis genericæ vel specificæ est unitas generica vel specifica in substantia prædicamentali; sicut unitas specifica in quantitate facit relationem realem æqualitatis, et unitas specifica in qualitate facit relationem realem similitudinis, non autem unitas numerica vel quantitatis vel qualitatis. Quia enim unitas specifica quantitatis vel qualitatis est in diversis suppositis, ideo æqualitas et similitudo important distinctionem suppositorum. — 5. *Metaphys.* l. 17; 1. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 3, ad 3; 1a, q. 28, a. 1, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod cum dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, non est relatio media inter paternitatem et filiationem, sed seipsis opponuntur; eatenus enim unum opponitur alteri relative, quatenus respicit illud, nam secundum respectum aliquid alteri opponitur relative. — Ll. cit. in arg.; 5. *Metaphys.* l. 20.

Ad tertium dicendum, quod relatio realis est creatura, accepto communiter nomine creaturæ pro omni eo, quod est a Deo; non tamen oportet quod relatio media alia relatione referatur ad Deum, sed per se ipsam, ut dictum est. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 2 et q. 7, a. 9, ad 2.

ARTICULUS VII

UTRUM RELATIO TERMINETUR AD RELATIVUM, AN AD ABSOLUTUM.

Videtur quod relatio terminetur ad relativum.

1. Dicit enim Philosophus in *Prædicam.* c. 7, quod dominus non est servi, secundum quod est homo, sed secundum

quod est dominus; et quod si a domino omnia auferantur, et solum remaneat, quod sit dominus, semper servus ad ipsum dicetur, nam servus domini servus dicitur; sed hoc est dicere servum referri ad dominum, ut dominus est, et consequenter ad relativum : ergo relatio servitutis, quæ est secundum esse et prædicamentalis, terminatur ad relativum et non ad absolutum. — Cajetanus in 1am, q. 13, a. 7.

2. Præterea, dicit Philosophus 6. *Topic.* c. 4, quod definitio datur per notiora et priora, quia datur causa innotescendi, præterquam in relativis oppositis, quæ non possunt sic definiri, sed unum necessario debet definiri per alterum, eo quod, quia omnibus relativis esse est ad aliquid quodammodo se habere, non est possibile unum sine altero cognoscere, unde in definitione unius necessario debet alterum assumi; sed si relativum referretur ad absolutum et non ad relativum, posset illius definitio dari per priora et notiora, sicut datur definitio reliquorum entium : ergo relativum terminatur ad relativum.

3. Præterea, dicit Commentator in l. c., quod id, ad quod dicitur relativum, oportet esse in prædicamento relationis; sed in prædicamento relationis non ponitur absolutum, sed relativum : ergo relatio prædicamentalis non terminatur ad absolutum, sed ad relativum. — Cajet. l. c.

4. Præterea, relativorum secundum esse prædicamentalium proprium est esse simul natura et cognitione, ut dicitur l. c.; sed eatenus dicuntur relativa simul natura, quatenus unum in suo intellectu et definitione claudit aliud, et e converso, ut duplum et dimidium, pater et filius, et similia; hoc autem est unum relativum referri ad aliud relativum, ut relativum; nam cum dicitur, quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly « aliud » intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura. Si enim correlativum sumatur secundum absolutum, quod includit, esset prius natura et intellectu relativo, quod ad ipsum refertur, non autem simul : ergo relativum refertur ad relativum, non autem ad absolutum. — V. infra art. 10, quæstiunc. 4; 1a, q. 13, a. 7, ad 6 et q. 42, a. 3, ad 2 et q. 40, a. 2, ad 4.

5. Præterea, in divinis personis in una natura subsistentibus ideo una persona non est prior alia neque secundum naturam, neque secundum intellectum, quia divinæ personæ relationibus constituuntur, quæ sunt simul natura et intellectu; sed hoc est unum relativum referri et terminari ad aliud relativum et per ordinem ad illud *ut sic* definiri : ergo vere relativum terminatur ad relativum, non ad absolutum. — 1a, q. 42, a. 3, ad 2.

6. Præterea, esse relativi necessario est ad aliud distinctum; sed non est necessario ad aliud distinctum distinctione præsupposita relationi, ut patet in divinis : ergo formaliter est ad aliud distinctum distinctione facta per relationem : ergo relatio terminatur ad relativum. — *de Pot.* q. 8, a. 3, arg. 8 et ad 8.

7. Præterea, relativum ad illud refertur, per quod definitur; sed definitur per ordinem ad aliud relativum formaliter, quia alioqui sequeretur, quod viso Patre in divinis, vi talis visionis non videretur Filius; sed hoc est falsum, nam Filius videtur, quia videtur Pater, ejus correlativum : ergo relativum refertur et terminatur ad relativum. — 1. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 2.

8. Præterea, unum relativum, verbi gratia æquale, non necessario præsupponit aliquid aliud, sed tantum supponit, pater enim est æqualis filio, et tamen non præsupponit illum; at si relativum terminaretur ad absolutum, semper necessario præsupponeret aliquid aliud, nam terminus absolutus est prior natura relativo, et ab illo dependet relationis esse, quia sine termino nec esse, nec intelligi potest : ergo relatio terminatur ad relativum et non ad absolutum. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 2, ad 3; 1a, q. 42, a. 2, ad 3; 2. *c. Gent.* c. 12; 4. *c. Gent.* c. 14.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15.) dicit, uod visus, quem ponit inter relativa, non dicit relationem ad id, cujus est visus, seu visibile, sed ad colorem; sed color est quid absolutum, visibile quid relativum : ergo relativum non terminatur ad relativum, sed ad absolutum. — 5. *Metaphys.* l. 17.

2. Præterea, relatio consurgit posito termino, et destruitur illo destructo; sed si terminus relationis esset relatio, non posset consurgere ad positionem termini,

nec destrui ad destructionem ejusdem, nam relationes simul destruuntur, sicut simul ponuntur : ergo terminus relationis est quid absolutum. — *Tab. Aurea* voce « relatio » n. 60 et 61 ; *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 1.

3. Præterea, cum loco nominis possit poni definitio illius, si relativum terminaretur ad relativum, et non ad absolutum tanquam ad proprium terminum, sequeretur, quod loco nominis relativi positi in definitione alterius poni posset definitio ipsius, et sic idem per idem definiretur; sed hoc communiter existimatur absurdum : ergo relativum non potest terminari et referri ad relativum, sed ad absolutum. — 7. *Metaphys.* l. 4.

4. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 33 et 34; l. 6, c. 10), quod partes definitionis sunt priores definito; sed relativa mutua sunt simul natura, ut docet Philosophus in *Prædicam.* c. 7 : ergo cum relativum definiatur per ordinem ad aliud, non definietur per ordinem ad relativum, sed per ordinem ad absolutum. — 7. *Metaphys.* l. 9 et 10.

Respondeo dicendum, quod relativa sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt non mutua, quædam mutua; et illa quidem necesse est dicere, quod terminentur ad absolutum, ut scientia ad rem scibilem, et potentia ad rem absolute possibilem, ut visus ad colorem, et sensus ad res sensibiles. Quod manifestum esse potest multipliciter, et primo quidem, quia scientia et sensus dicunt relationem realem ad scibile et sensibile, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20, l. 4, c. 15). At scientia et sensus non terminantur ad scibile et sensibile formaliter, quia, ut ait Philosophus ibidem, scibile et sensibile non dicuntur relative per aliquam relationem in ipsis existentem, per quam terminent relationem sensus et scientiæ, sed dicuntur relative, quia scientia et sensus dicuntur ad ipsa. Cujus ratio est, quia scientia et scibile, sensus et sensibile non sunt duo extrema unius ordinis : ergo scientia et sensus, ut relativa sunt, referuntur et terminantur ad terminum absolutum. Neque dicat quis, in scibili non esse quidem relationem realem ad scientiam, esse tamen relationem rationis, in quantum intellectus apprehendit illud, ut terminum relationis scientiæ, et per consequens scientiam referri ad scibile relativum, non autem ad scibile absolutum. Nam licet intellectus apprehendat in scibili relationem rationis, per quam terminare intelligitur relationem scientiæ, vere tamen relatio realis scientiæ non terminatur ad hanc relationem, sed ad objectum reale scibile. Nam loco citato Philosophus ait, visum non referri ad visibile formaliter, sed ad colorem, qui est sensibile absolutum; eadem autem est ratio, ut ibi docet Philosophus, de scibili et mensurabili, et quocumque sensibili respectu proprii sensus, præter quam quod, ut dictum est, relatio realis debet terminari ad terminum, qui sit ens reale. Unde aliud est scientiæ relationem terminari ad scibile relative sumptum; aliud non posse intellectum intelligere relationem in uno extremo, puta in scientia, quin cointelligat aliam in alio extremo; nam illud falsum est, ut probatum est, hoc autem verissime dicitur (5. *Metaphys.* l. 17; 1a, q. 13, a. 7; 2. *c. Gent.* c. 11; Ferrariensis in h. l.; 1. *Sent.* dist. 8, q. 4, a. 1, ad 3; 3a, q. 35, a. 5). Et ratio hujus est, quia eo ipso quod intellectus intelligit rem aliquam, ut terminum relationis alterius, intelligit illam comparative ad aliud, et per consequens cum ordine et relatione ad illud, et sic illam intelligit intellectione formante relationem rationis, quod verum est de quolibet intellectu humano et angelico, imo et de divino. Hic enim format plures respectus ideales in sua essentia, qui sunt rationis, quatenus intelligit essentiam divinam ut imitabilem pluribus modis a pluribus creaturis, et per consequens per ordinem ad plures creaturas, seu quatenus comparat essentiam suam ad plures creaturas. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 2, c. et ad 2; *Quodl.* 4, a. 1; 1a, q. 15, a. 2, c. et ad 2 et 3.

Relativa vero mutua necessario debent terminari ad relativum; quod etiam constare potest ex multis, et *primo* ex natura relationis realis mutuæ. Nam de ratione hujus est realis oppositio relativa; non enim relatio mutua realis aliter habet oppositionis rationem, quam quia est alterum, quod est ejus essentia; et similiter relativum non nisi secundum respectum

ad alterum, qui est de ratione relationis, opponitur alteri relative; hoc enim differt oppositio relativa ab aliis oppositionibus, quod in illis unum dicitur opponi alteri, quatenus ipsum removet affirmationem, et secundum hoc ei opponitur; oppositio vero privationis et habitus, et oppositio contrarietatis includunt oppositionem contradictionis, ut dicitur 4. (3) *Metaphys.* Non est autem hoc in relativis; non enim opponitur pater filio, quia ipsum removet, sed ratione habitudinis ad ipsum, in qua tota essentia relationis consistit. Sed oppositio realis relativa non est formaliter nisi ratione relationis, et inter ipsas relationes, ut manifeste patet, tum quia in divinis est summa unitas et simplicitas inter absoluta, et inter relationes et absoluta, cum tamen sit inter ipsas divinas personas et relationes reales realis oppositio; tum quia ob hanc potissimum causam in relativis neutrum est sicut privatio alterius, vel defectum aliquem et imperfectionem importans, cum tamen in omnibus oppositionibus unum sit sicut perfectum, et alterum ut imperfectum, ut per se patet in affirmatione et negatione, privatione et habitu, ut dictum est, et in contrariis; in his enim semper unum est perfectius et alterum vilius et sicut privatio. Nam quamvis una relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid, quod in aliquo natum est esse. Unde cum id, quod relativam oppositionem habet ad aliud, secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio vel defectus; ergo dicendum est, quod de ratione relationis mutuæ realis est dicere respectum ad terminum relativum, non autem ad absolutum.

Secundo ex distinctione, quam infert realis relatio oppositionis; quia ideo relativa mutua distinguuntur inter se realiter, quia opponuntur; sed oppositio tantum est ratione relationum, ut dictum est: ergo et distinctio; ergo cum de ratione relationis sit habitudo ad terminum oppositum et distinctum, necessario debet relatio realis mutua terminari ad terminum relativum, non autem ad absolutum. Quod evidentius ex eo constat, quod in divinis reperitur ratio relationis, et consequenter illa, quæ sunt de ratione illius, sicut cuicumque attribuitur homo, oportet quod ei etiam tribuatur rationale; de ratione autem relationis est habitudo, secundum quam aliquid alteri opponitur relative; oppositio autem in sui ratione includit distinctionem. At in divinis non est distinctio nisi secundum terminos relativos, atque adeo secundum relationes; ergo de ratione relationis realis mutuæ non est, dicere habitudinem ad terminum absolutum, sed relativum, alioqui hoc etiam esset in Deo, ubi salvatur perfecte ratio relationis. — *de Pot.* q. 8, a. 3, c. et ad 12; 1a, q. 39, a. 1, c. et q. 28, a. 3.

Tertio ex proprietate relativorum realium mutuorum, quæ est esse simul natura et intellectu. Hæc enim non competit subjectis relationum, sed ipsis relationibus; non enim est necesse, quod ipsa absoluta et subjecta sint simul natura et intellectu, sed tantum relationes; pater enim quoad absolutum, seu quoad suam substantiam in creatis est prior natura, imo tempore et intellectu filio, non tamen quoad relationem. Et similiter in creatis principium secundum absolutum, id est secundum id, quod est principium, est prius natura et intellectu eo, quod est a principio; si vero considerentur relationes principii et principiati, vel entis a principio, principium et principiatum sunt simul natura et intellectu; unde fit, ut in divinis, ubi ratio relationi perfecte reperitur, quia relationes sunt subsistentes, personæ divinæ illis constitutæ sint simul natura et intellectu. Cum ergo in relativis mutuis unum respiciat aliud tanquam terminum, cum quo est simul natura, dicendum est, quod respiciat terminum relativum, et non absolutum. Quod etiam confirmari potest, quia relativa mutua non dicuntur esse simul natura, ad differentiam relativorum non mutuorum, quibus talis proprietas non convenit propter ordinem rerum, de quibus relativa dicuntur, sed propter significationem relativorum, quia nimirum unum relativum in sui conceptu includit aliud, et e converso; quod non sic est in relativis non mutuis. Et sic manifestum est, quænam relativa referantur et termi-

nentur ad terminum absolutum, quæ vero ad relativum; et per hoc etiam patet *ad priora objecta*; nam tantum, probant relativa realia mutua debere referri ad terminum relativum, quod concedimus; posteriora vero, quia probare videntur tam de relativis mutuis, quam de non mutuis, ideo solvenda sunt. — *de Pot.* q. 7. a. 8, ad 1; 10. *Metaphys.* l. 8; 1a, q. 13, a. 7. c. et ad 6 et q. 42, a. 3, ad 2.

Ad primum ergo *secundæ partis* dicendum, quod argumentum probat id, quod concedimus, relativa non mutua non terminari ad terminum relativum, sed ad absolutum, ut dictum est in c. art.

Ad secundum dicendum, quod in relativis mutuis relatio consurgit quidem termino absoluto posito, ut paternitas posita substantia filii, relatio tamen, puta paternitas non respicit et non terminatur ad talem substantiam formaliter, sed tantum ratione relationis filiationis in illa consurgentis, ratione cujus illi opponitur relative, ut dictum est; sicut et pater refertur quidem ad filium secundum suam substantiam, tanquam secundum causam relationis, secundum relationem vero formaliter. Et idem dico de relationibus originis et diversitatis realibus, quæ sunt inter causam et causatum. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 5 et q. 7, a. 9, ad 4 et a. 8.

Ad tertium dicendum, quod regula illa, ut colligitur ex Philosopho (7. *Metaphys. text.* 18; l. 6, c. 5), vera est de significato principali et essentiali, non de minus principali et tanquam termino, quomodo se habet unum relativum in definitione alterius positum. — 7. *Metaphys.* l. 4.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus (6. *Top.* c. 4) docet, definitiones relativorum mutuorum, ut dupli et dimidii, non constare ex prioribus et notioribus; cujus ratio colligi potest ex Philosopho. Nam dupliciter dicitur aliquid prius alio: vel quia ponitur in ejus definitione, non contra; vel quia potest esse sine illo, non contra. At neutro modo potest relativum positum in definitione alterius esse prius illo, non quidem priori modo, quia relativa mutua mutuo se definiunt, sicut mutuo cognoscuntur, ut dicit Philosophus (6. *Top.* c. 4 et in *Prædicam.* c. 7); neque posteriore, quia cum sint simul natura, simul se ponunt et simul se interimunt. — 7. *Metaphys.* l. et 10; *Opusc.* 48, tract. 3, c. 5; 3a, q. 35, a. 5, arg. 2.

NOTA ex Philosopho (7. *Metaphys. text.* 35, 36, 37; l. 6, c. 10 et 11; S. Thomas 7. *Metaphys.* l. 9 et B. Albertus M. 5. *Metaphys.* tract. 3, c. 7), non omnes partes definitionis esse priores definito, sed tantum partes rationis et intrinsecas, quæ se habent ut genus et differentia; secus vero partes integrales et partes extrinsecas, ut sunt relativa mutua, quæ quia se mutuo consequuntur in esse, simulque se ponunt et interimunt, ut ait Philosophus in *Prædicam.* c. 7, unum ponitur in definitione alterius, non tanquam notius, sed, ut docent Sotus, *Comment. in Categ.* cap. 7, q. 1, ad 8, et Soncinas, *Logica* cap. *de specie* (ed. Venetiis 1587 p. 14) ex Burleo et Nipho 5. *Metaphys.* disp. 14, et Boethio, tanquam id, sine quo aliud intelligi nequit, et contra. Et ratio hujus est, quia relativum consistit in dependentia ad suum correlativum; unde impossibile est unum intelligi sine alio, et contra, quæ est ratio Philosophi (6. *Top.* c. 4), qua ostendit, in relativis non verificari, quod definitio constet ex prioribus. Unde est, inquit Boethius, quod relativa magis condefiniuntur, quam unum definiatur per alterum. Unde etiam colligunt Niphus l. c. et Javellus in *Logica* cap. *de specie* et cap. *de relatione*, circulum a Philosopho (2. *Poster.*). tantum prohiberi in absolutis et relativis non mutuis, non autem in relativis mutuis, quia illa non condefiniuntur, cum non sint de mutuo conceptu, secus hæc; quod idem asserit Zimara in *Tabula* verbo « relatio », ubi dicit, relativa se mutuo definire; neque inde accidere ullum malum, ex Porphyrio *Introduct.* c. 3 et Averroe 9. *Metaphys.* com. 11; et definitiones relativorum non esse circulares, ut ex hoc sequatur, idem assumi in sui ratione, contra Avicennam in *Paraphrasi Metaphys.* tract. 9; vide Toletum cap. *de specie.*

ARTICULUS VIII

UTRUM UNUM RELATIVUM POSSIT UNA ET EADEM RELATIONE REFERRI AD TERMINOS SPECIE DISTINCTOS.

Videtur quod unum relativum possit

una numero relatione referri ad terminos specie distinctos.

1. Deus enim uno modo refertur ad creaturas omnes; sed hi sunt termini specie distincti, cum diversimode se habeant ad Deum : ergo potest unum relativum una numero relatione referri ad terminos specie distinctos. — 1a, q. 32, a. 2, c.

2. Præterea, filius eadem numero relatione refertur ad patrem et matrem; sed pater et mater sunt termini specie distincti; nam alia ratione pater, alia mater est generationis principium: ergo idem relativum refertur ad terminos specie distinctos. — 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

3. Præterea, effectus eadem numero retione dependentiæ dependet et refertur ad efficiens, materiam et formam; sed hi termini, ut patet, sunt specie diversi totaliter, cum sint causæ diversi generis, ut patet ex Philosopho (2. *Phys.* et 5. (4) *Metaphys.*); ergo unum relativum potest eadem numero relatione referri ad terminos specie distinctos. — *de Pot.* q. 5, a. 1, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15) probat, quod scientia non refertur, ut quid relativum est, ad scientem, quia cum ut sic referatur ad scibile, et hoc sit suum esse, in quantum est ad aliquid, oporteret, quod haberet, in quantum est ad aliquid, duo esse, quod est inconveniens; et hoc idem sequitur, si unum relativum eadem relatione numero referatur ad terminos specie distinctos : ergo dicendum est, relativum eadem numero relatione referri non posse ad terminos specie distinctos. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, arg. 5; 5. *Metaphys.* l. 12.

2. Præterea, sicut motus habet speciem ex terminis, ita et relatio realis ; sed motus specie diversificatur ex terminis specie distinctis : ergo et relatio. — 3. *Sent.* l. c., arg. 4.

3. Præterea, unum relativum ponitur in definitione alterius, ex quo patet, quod unum relativum specificatur ex alio ; sed unum et idem non potest esse in diversis speciebus : ergo impossibile videtur, quod una numero relatio terminetur ad relationes vel terminos specie distinctos. — 3a, q. 35, a. 5, arg. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod unum relativum non potest una numero relatione referri ad terminos specie distinctos. Cujus ratio manifesta est, quia cum ratio specifica relativi consistat in hoc, quod ad aliud se habet, necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diversæ speciei, si ex opposito una relatio eis respondeat; nam alioqui sequeretur, quod ut dictum est, relatio una et eadem habere possit plura esse, et per consequens pluries dicatur contra Philosophum (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15). Præterea sequeretur, quod in divinis Pater una relatione referri possit ad Filium et Spiritum sanctum, quod dici non potest; nam similiter sequeretur, quod Filius et Spiritus sanctus una et eadem relatione referantur ad Patrem, et sic cum sola relatio in divinis multiplicet personas, sequeretur, quod Filius et Spiritus sanctus non essent duæ personæ, quod est contra fidem. Quare dicendum est, quod relativum non potest una numero relatione referri ad terminos specie distinctos. — 1a, q. 32, a. 2, c; 5. *Metaphys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes creaturæ sub una relationis specie referuntur ad Deum, ut sunt creaturæ ipsius. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, arg. 5 et ad 5.

Ad secundum dicendum, quod unum relativum non potest terminari una numero relatione ad extrema omnino diversa, cujusmodi non sunt pater et mater respectu filii ; non enim concurrunt duabus actionibus totalibus, sed duabus partialibus constituentibus unam completam actionem, cum neutrum agens sit sufficiens per se ad complendam actionem; unde sunt extrema et termini ejusdem rationis totalis. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, ad 5; *Quodl.* 9, a. 4; 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod effectus eadem numero relatione dependentiæ dependet et refertur ad causam efficientem, ad materiam et formam, quia per unum eorum ab altero dependet. — *de Pot.* q. 5, a. 1, c.

ARTICULUS IX

UTRUM UNUM RELATIVUM EADEM NUMERO RELATIONE REFERRI POSSIT AD TERMINOS SOLO NUMERO DISTINCTOS.

Videtur quod unum relativum non possit una numero relatione referri ad plures terminos solo numero distinctos.

1. Multiplicata enim causa multiplicatur effectus; sed causa, verbi gratia paternitatis, est generatio activa, sicut causa filiationis est generatio et nativitas passiva : ergo multiplicatis actibus generationis multiplicabuntur et paternitates in eodem homine generante plures filios, et per consequens idem relativum eadem numero relatione non referetur ad terminos solo numero distinctos, sed relationibus numero distinctis. 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, arg. 1; 3a, q. 35, a. 5, arg. 1; *Quodl.* 9, a. 4, arg. 1. — Sed dices, multiplicari respectus, non relationes.

2. Contra, in relatione nihil invenitur nisi respectus, et causa seu fundamentum respectus; sed respectus sunt diversi, secundum quos unum relativum refertur ad plures terminos numero distinctos, ut idem quantum ad omnia æqualia, et idem pater ad plures filios : ergo et erunt plures relationes. — *Quodl.* 9, a. 4, arg. 4.

3. Præterea, respectus patris ad filium nihil est aliud, quam ipsa paternitas; nam in qualibet relatione tantum est invenire respectum et causam, ut dictum est; paternitas autem cum non sit ipsa causa, ut patet, necessario erit respectus; sed, ut etiam dictum est, in patre habente plures filios sunt plures respectus : ergo et plures relationes atque adeo paternitates, et consequenter unum relativum non refertur eadem numero relatione ad plures terminos numero distinctos. — Il. cit. in 1. arg.

4. Præterea, impossibile est idem simul manere et corrumpi; sed mortuo filio non manet amplius relatio paternitatis ad ipsum, et tamen manet relatio paternitatis ad alios : ergo alia paternitate dicitur quis pater primi filii, et aliorum, et sic idem relativum eadem numero relatione non poterit referri ad terminos numero distinctos. — *Quodl.* 9, a. 4, arg. 2; 3a, q. 35, a. 5, arg. 2.

Sed contra est : 1. quia si idem numero relativum diversis numero relationibus referretur ad terminos solo numero distinctos, ut idem numero quantum ad omnia quanta sibi æqualia, sequeretur, quod in una re essent accidentia infinita vel indeterminata; sed hoc non est admittendum : ergo dicendum est, quod relativum eadem numero relatione refertur ad terminos plures solo numero distinctos. — *Quodl.* 1, a. 2, c.

2. Præterea, accidens individuatur, numeratur, et distinguitur secundum suum subjectum; sed relatio prædicamentalis est accidens : ergo individuatur, numeratur et distinguitur secundum subjectum, et per consequens non possunt duæ numero relationes esse in eodem, sicut nec duæ quantitates, nec duæ numero albedines, et sic per unam numero relationem relativum referetur ad plures terminos solo numero distinctos. — *Tabula Aurea* voce « accidens » n. 42.

RESPONDEO DICENDUM, quod idem numero relativum potest eadem numero relatione referri ad plures terminos solo numero distinctos.— Ad cujus evidentiam sciendum est, quod relatio, ut dictum est, non habet ex hoc, quod ad alterum dicitur, quod sit aliquid in rerum natura, sed hoc habet ex eo, quod relationem fundat et causat, quod est in re, quæ ad alterum dicitur. Quoniam vero ex eo res habet unitatem et multitudinem, ex quo habet esse, ideo secundum id, in quo relatio fundatur, judicandum est de ea, an sit secundum rem una vel plures. Sunt ergo *quædam* relationes, quæ fundantur super quantitate, ut æqualitas, quæ fundatur super unitate in quantitate, et cum unitas quantitatis non possit esse nisi una in re una, inde est, quod per unam æqualitatem est res æqualis omnibus, quibus dicitur æqualis. *Aliæ* vero relationes fundantur super actione et passione, et quidem sequendo rationem dictam, ubi sunt actiones numero distinctæ, ibi deberent esse diversæ numero relationes, quia multiplicantur numero causæ. Sed quia plures formæ ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto, plures vero generatio-

nes naturales sunt ejusdem speciei, ideo pluralitas numerica relationum non debet sumi ex pluralitate numerica causarum, sed specifica, vel ex pluralitate subjectorum, ubi deest pluralitas specifica causarum, et per consequens non possunt esse plures numero paternitates in eodem homine ad plures filios generatione naturali genitos, sed una tantum; quod tamen secus esset, si quis esset pater unius generatione naturali, et alterius per adoptionem; nam tunc causæ relationum essent plures specie distinctæ. Sicut similiter si magister doceret discipulos eamdem doctrinam, una numero relatione referretur ad omnes illos; si vero eosdem doceret varias disciplinas, diversis numero et specie relationibus ad illos referretur. Unde manifestum est, quod idem relativum non potest diversis numero relationibus referri ad plures terminos solo numero distinctos. — 3. *Sent.* dist. 8, q. 1. a3, c.; *Quodl.* 1, a. 2,c.; *Quodl.* 9, a. 4, c.; 3a, q. 35, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod multiplicata causa relationis specifica multiplicatur numero relatio; secus autem si multiplicetur tantum numero, ut dictum est. Vel dic, quod multiplicata causa relationis secundum numerum multiplicatur respectus relationis, sed non relatio. — Il. cit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sit respectus paternitatis diversus, et causa paternitatis numero diversa, non tamen sunt plures numero paternitates ob rationem dictam. — *Quodl.* 9, a. 4, ad 4; Il. cit.

Vel dic, quod aliud est relatio, aliud respectus; nam hic multiplicatur ex terminis, secundum illos enim idem relativum dicitur referri ad plures numero terminos, ut verbi gratia quantum dicitur æquale diversis corporibus; at relatio non multiplicatur ex terminis, sed ex causa vel subjecto, ut dictum est. — Il. cit.; 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod sicut in filio est una filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, in quantum respondet utrique relationi parentum, secundum duos respectus intellectus; ita in patre habente plures filios est una paternitas secundum rem, sed multiplex secundum rationem, in quantum respondet pluribus relationibus filiorum, secundum plures respectus intellectus. — 3a, q. 35, a. 5, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod respectus ad secundum filium, cum dependeat a termino, non remanet amplius, remanet tamen relatio paternitatis ad secundum filium, quia remanet idem subjectum, ut dictum est. — *Quodl.* 9, a. 4, ad 2.

ARTICULUS X

UTRUM RECTE SINT ASSIGNATÆ PROPRIETATES RELATIVORUM A PHILOSOPHO.

Videtur quod non sit recte assignata *prima proprietas* relativorum, quod habeant contraria.

1. Dicit enim Philosophus (*Prædicam.* c. 6), quod ei, quod ad alterum refertur, nihil est contrarium, et quod propterea magnum et parvum non sunt contraria, quia sunt ad aliquid : ergo hæc non habent contrarium. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 8 et tract. 5, c. 5.

2. Præterea, inter contraria est motus, ut dicitur 5. *Phys. text.* 18; c. 3, et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 3; l. 10, c. 11. Nam propterea, inquit, ad substantiam non est motus, ut probat Philosophus (5. *Phys. text.* 10; c. 3); sed ad relationem non est motus, ex eodem ibidem : ergo relativa non habent contrarium. 5. *Phys.* l. 3 et 4; 11. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 5. — Sed dices, ad relationem esse motum per accidens, et consequenter illam habere contrarium ratione fundamenti.

3. Sed contra, æquale et inæquale, duplum et subduplum fundantur in quantitate, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15; sed quantitati nihil est contrarium, ut docet Philosophus (*Prædicam.* c. 6) : ergo prædictis saltem relationibus nihil est contrarium etiam ratione fundamenti. — 5. *Metaphys.* l. 17.

Sed contra est, quod Philosophus (l. c. c. 7) inter proprietates relativorum numerat habere contrarium, et 10. *Metaphys. text.* 18; l. 9, c. 5 docet, æquale esse contrarium inæquali, et 1. *Phys. text.* 42; c 5 inter contraria ponit ea, quæ ordine

opponuntur, puta relativa : ergo. — *Opusc.* 48, l. c. ; 10. *Metaphys.* l. 7 ; 1. *Phys.* l. 7.

Videtur quod non sit recte assignata *secunda proprietas* relativorum, quæ est suscipere magis et minus.

1. Duplum enim et dimidium sunt relativa, ut docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20 ; l. 4, c. 15) ; sed hæc non suscipiunt magis et minus, ut patet : ergo relativa non suscipiunt magis et minus. — 5. *Metaphys.* l. 17 ; v. supra q. 11, a. 4 et q. 12, a. 7.

2. Præterea, si relatio suscipit magis et minus, cum hoc sit augeri et minui, debet id fieri per aliquem motum ; sed ad relationem non est motus, ut dicitur 5. *Phys. text.* 10 ; c. 3 : ergo relativa non suscipiunt magis et minus. *de Virt. in com.* a. 11, arg. 11 ; 5. *Phys.* l. 3 ; *Opusc.* 48, l. c.— Sed dices, quod relationes suscipiunt magis et minus ratione fundamenti.

3. Contra, æquale et inæquale fundantur in quantitate ; sed quantitas non suscipit magis et minus, ut dictum est : ergo æquale et inæquale saltem, quæ sunt relativa, non suscipiunt magis et minus ratione fundamenti. — 5. *Metaphys.* l. 17 ; v. supra q. 11, a. 4 ; *Opusc.* 48, l. c.

4. Præterea, relatio proprie caret contrario, ut dicit Philosophus (*Prædicam.* c. 6) ; sed suscipere magis et minus provenit ex majori vel minori admixtione contrarii : ergo relativa non suscipiunt magis et minus.

Videtur quod non sit recte assignata *tertia proprietas* relativorum, quæ est, dici ad convertentiam.

Cum enim agens denominetur ab actione (est enim agens tale per actionem) et actio sit agentis actio, ut definit Philosophus (3. *Phys. text.* 21 ; c. 2), dicuntur actio et agens ad convertentiam ; sed hæc non sunt relativa, ut patet : ergo dici ad convertentiam non est proprium relativorum. — 1a, q. 37, a. 2, c. et ad 2 ; 1. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, c. ; 3. *Phys.* l. 5.

Sed contra est auctoritas Philosophi (*Prædicam.* c. 7) dicentis, proprium relativorum esse, dici ad convertentiam.

Videtur quod non sit recte assignata *quarta proprietas* relativorum secundum esse, quod sint simul natura.

1. Quia pater et filius sunt relativa secundum esse, ut dictum est ; sed pater est prior natura filio, nam pater est causa filii, causa vero est prior causato naturaliter : ergo esse simul natura non est proprium relativorum secundum esse. — 3. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3, ad 3 ; *de Verit.* q. 29, a. 6, c. ; *de Pot.* q. 3, a. 13, ad 5.

2. Præterea, scientia in actu est simul cum scibili in actu, nam simul se ponunt et interimunt ; sed scientia et scibile sunt relativa secundum dici, ut dictum est : ergo esse simul natura non est proprium relativorum secundum esse. — 1a, q. 13, a. 7, ad 6.

Sed contra est, quod Philosophus (*Prædicam.* c. 7) docet, proprium esse relativorum secundum esse, quod sint simul natura.

Videtur quod non recte sit assignata *quinta proprietas* relativorum secundum esse, quod sint simul cognitione et definitione.

1. In quibuscumque enim est ordo naturæ, unum est prius altero saltem secundum naturam et intellectum. Et ideo quia inter principium et id, quod a principio, est ordo naturæ, illud est prius hoc secundum naturam et intellectum ; sed principium, et id, quod est a principio, sunt relativa : ergo relativorum secundum esse proprium non est, simul esse cognitione. — 1a, q. 42, a. 3, arg. 2 et ad 2.

2. Præterea, mater est relativum secundum esse, sicut et pater ; sed mater non potest semper definiri per correlativum, ut patet in Beata Virgine, quæ habet relationem realem maternitatis ad Christum Dominum, et tamen Christus non habet relationem realem filiationis ad ipsam, ut dictum est : ergo proprium relativorum secundum esse non est, esse simul cognitione et definitione. — 1a, q. 13, a. 7, ad 1.

Sed contra est auctoritas Philosophi in *Prædicam.* c. 7, ubi dicit, quod cognito uno relativo cognoscitur et aliud ; eatenus autem relativa sunt simul cognitione, quatenus unum est in definitione alterius. — 1a, q. 42, a. 3, ad 2.

Ad primam quæstionem dicendum, quod omnes proprietates relativorum sunt recte a Philosopho assignatæ, et inter alias prima, quod habeant contrarium, si ta-

men recte intelligatur. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod relativa non suscipiunt contrarietatem ratione sui, sed ratione fundamenti; nam quorum fundamenta suscipiunt contrarietatem, et ipsa illam suscipiunt, ut simile et dissimile, quæ fundantur in qualitatibus tertiæ speciei; quorum vero fundamenta non suscipiunt contrarietatem, nec ipsa illam suscipiunt, ut quæ fundantur in quantitate. Nam, ut dictum est, ubicumque est contrarietas, ibi est magis et minus, atque adeo latitudo formæ, et ubi non est talis latitudo, ibi non est contrarietas; in quantitate autem non est talis latitudo, quare nec contrarietas, sive sumatur communis ratio quantitatis, sive propria singularum ejus specierum. Cæterum, quia in quantitate est aliquo modo contrarietas secundum perfectum et diminutum, ideo ratione talis contrarietatis quantitati convenientis possunt et relationes fundatæ in quantitate habere contrarium, ut magnum et parvum considerata in aliqua re determinata, puta in aliqua specie animalis vel plantæ, ut dictum est. — *Opusc.* 48, tract. 5, c. 5; V. supra q. 11, a. 4; 5. *Phys.* l. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod ad aliquid non habent contrarietatem, nisi ratione fundamenti, ut dictum est; unde magnum et parvum non sunt proprie contraria, nisi consecutive ratione quantitatis, in qua aliquo modo invenitur contrarietas, ut dictum est supra in c.

Ad secundum dicendum, quod sicut motus, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 10, c. 3), non est per se ad relationem, sed per accidens, quatenus relatio consequitur ad aliquam mutationem factam in fundamento, ita per accidens ratione fundamenti habet relatio contrarium, ut dictum est. — 5. *Phys.* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod quantitati aliquo modo convenit habere contrarium, ut dictum est, et propterea ratione quantitatis potest habere relatio contrarietatem, et per consequens æquale et inæquale sunt aliquo modo contraria. — V. c. hujus quæst.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod relativa non suscipiunt magis et minus ratione sui, sed ratione fundamenti. Nam quorum fundamenta suscipiunt magis et minus, et ipsa suscipiunt, ut simile et dissimile, quæ fundantur in qualitatibus tertiæ speciei, quarum rationes, quia non consistunt in indivisibili, propterea, ut dictum est, possunt ratione subjecti suscipere magis et minus; quorum vero fundamenta non suscipiunt magis et minus, nec ipsa id habent, ut illa, quorum fundamenta constituuntur per indivisibilem unitatem, ut sunt duplum et dimidium. Cæterum quædam sunt, quæ fundantur in quantitate, non quidem discreta vel continua denominata a numeris, sed in continua non determinata, et in ejus speciebus, vel in unitate specifica quantitatis continuæ, cum privatione majoris vel minoris extensionis, ut æquale et inæquale, et hæc suscipiunt magis et minus, sicut et ipsa quantitas continua indeterminata suscipit magis et minus. — *Opusc.* 48, l. c.; V. supra q. 12, a. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnia relativa, ut dictum est, suscipiunt magis et minus, ut illa, quæ fundantur in unitate omnino indivisibili, ut dictum est, ut sunt duplum et dimidium; secus vero est de æquali et inæquali, quæ licet fundentur in unitate quantitatis, non tamen præcise, sed cum privatione majoris vel minoris extensionis, quæ privatio quia suscipit magis et minus, ideo ratione illius etiam æquale et inæquale suscipiunt magis et minus. — V. c. hujus quæst.

Ad secundum dicendum, ut responsum est in argumento.

Ad tertium dicendum, quod quantitas potest aliquo modo suscipere magis et minus, et per consequens et æquale et inæquale, ut dictum est. — V. supra q. 11, a. 4.

Ad quartum dicendum, quod relativa carent contrario ratione sui, non ratione fundamenti, ut dictum est supra in c.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod dici ad convertentiam omnibus relativis tam secundum esse, quam secundum dici convenit, ut pater dicitur filii pater, et filius patris filius, nec oportet, quod convertentia semper fiat in omnibus casibus similibus; dicitur enim scientia scibilis scientia, et scibile scientia scibile, et non scientiæ. Ad hoc autem, quod talis convertentia fiat, oportet, quod fiat ad aliud

etiam secundum illud nomen, secundum quod ad aliud dicitur; non enim dicitur secundum convertentiam caput ad animal, si enim dicitur caput animalis caput, non tamen potest dici animal capitis animal, quia non refertur caput ad animal secundum hoc nomen, quod est animal, sed secundum aliud nomen, scilicet capitatum. Unde hæc dicuntur ad convertentiam : caput capitati caput, et capitatum capite capitatum; et ideo si aliquando tale nomen non invenitur, licet illud fingere, ut remus non dicitur navis remus, sed fingendum est nomen, ut dicamus, remus est rei remitæ remus; sic enim omnia relativa dicentur ad convertentiam. — *Opusc.* 48, tract. 5, c. 5.

Ad argumentum ergo dicendum, quod dici ad convertentiam convenit omnibus relativis etiam secundum dici, ut dictum est, et consequenter convenit agenti et actioni. — V. c. hujus quæst.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod ad cognoscendum, utrum relativa sint simul natura vel non, non oportet considerare ordinem rerum, de quibus relativa dicuntur, sed significationes ipsorum relativorum. Si enim unum in suo intellectu claudit aliud et e converso, sunt simul natura, sicut duplum et dimidium, pater et filius, et similia; si autem unum in sui intellectu claudit aliud, sed non contra, non sunt simul natura, et hoc modo se habent scientia et scibile; nam scibile dicitur secundum potentiam, scientia autem secundum habitum vel actum. Unde scibile secundum modum suæ significationis præexistit scientiæ, quamvis si accipiatur scibile secundum actum, tunc est simul cum scientia secundum actum; nam scitum non est aliquid, nisi sit ejus scientia. — 1a, q. 13, a. 7, ad 6.

Quoniam vero relativa, quæ se mutuo in sui intellectu claudunt, sunt relativa secundum esse; quæ vero non se claudunt, sunt relativa secundum dici, ideo illa, non hæc sunt simul natura. Quod ex eo etiam confirmari potest, quod ea relativa sunt simul natura, quæ pari ratione mutuo referuntur, seu in quibus est eadem ratio referendi ex utraque parte; secus vero, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque parte, sed alterum est prius altero naturaliter. Priori autem modo se habent relativa secundum esse, ut pater et filius, dominus et servus, et similia, posteriori vero scientia et sensus, scibile et sensibile, et reliqua relativa secundum dici. Et inde est, quod relativa secundum esse dicuntur a Philosopho (10. *Metaphys. text.* 21; l. 9, c. 6) relativa ut contraria, quæ scilicet referuntur ad invicem ex æquo, et sunt ad aliquid secundum se ipsa, quia utrumque eorum hoc ipsum, quod est, ad alterum dicitur; relativa vero secundum dici sunt ad aliquid non ex æquo, sed unum eorum dicitur ad aliquid, non quod ipsum referatur, sed quia aliquid refertur ad ipsum, sicut in scientia et scibili contingit, quæ propterea non sunt relativa secundum esse, quia scibile non hoc ipsum quod est, ad alterum dicitur, sed magis aliud dicitur ad ipsum. Et sic manifestum est, quomodo et quibus relativis conveniat, esse simul natura. — *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 1; 10. *Metaphys.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod causa et causatum absolute sumpta non sunt simul natura, quia, ut dictum est, causa est prior natura effectu, nam omnis effectus dependet a causa; sumpta vero relative sunt simul natura, si sumantur in actu. — 1a, q. 42, a. 3, ad 2 et q. 33, a. 1, ad 1 et q. 104, a. 1 et 2; 5. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod scibile ratione suæ significationis non importat aliquid simul natura cum scientia ut, dictum est, nisi sumatur scibile in actu, quod idem est, quod scitum. — V. c. hujus quæst.

Ad quintam quæstionem dicendum, quod proprium relativorum est, ut qui definite novit unum, definite noscat et alterum; si enim definitio est oratio «quid est esse» rei significans, ad esse autem unius relativi requiritur necessario correlativum, oportet, ut qui cognoscit esse unius relativi, cognoscat et esse sui correlativi; unde manifestum est, recte fuisse a Philosopho assignatas proprietates relativorum. — *Opusc.* 48, tract. 5, c. 5; 1a, q. 13, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod principium est prius secundum naturam et intellectum, si consideretur id, quod est

principium, et id, quod est a principio, absolute, nam si considerentur relative, seu ipsæ relationes principii, et ejus, quod est a principio, sunt simul natura et intellectu. — 1a, q. 42, a. 3, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod B. Virgo est Mater Christi et Dei, et ut mater definitur per ordinem ad Dei Filium. Verum in Dei Filio, cum non sit capax relationis realis temporalis, (nam divinum suppositum, quod est proprie subjectum filiationis, est in illo increatum, sicut et ipse Filius Dei) non est filiatio realis temporalis, sed est tantum respectus rationis ad matrem, quamquam vere dicitur, quod Filius Dei est realiter filius Virginis, tum ex reali nativitate, tum ex reali relatione maternitatis ad Christum, ut dictum est. — 3a, q. 35, a. 5; *Quodl.* 1, a. 2, c. et ad 1; *Quodl.* 9, a. 4, c. et ad 1.

QUÆSTIO XIV

DE RELIQUIS SEX PRÆDICAMENTIS.

Deinde considerandum est de sex reliquis prædicamentis.

CIRCA QUÆ QUÆRITUR:

Utrum sex ultima prædicamenta sint formæ extrinsecus denominantes.

ARTICULUS I

UTRUM SEX ULTIMA PRÆDICAMENTA SINT FORMÆ EXTRINSECUS DENOMINANTES.

Videtur, quod sex ultima prædicamenta non sint formæ extrinsecus denominantes, sed intrinsecus inhærentes subjecto, quod denominant.

1. Nam omnia videntur consistere in relatione ut « quando » in relatione ad tempus; « ubi » in relatione ad locum; « habitus » in relatione ad habentem, vel indumenti ad indutum; sed ut dictum est, a relatione nihil potest denominatione extrinseca denominari : ergo, sex ultima prædicamenta non sunt formæ extrinsecus denominantes. — 5. *Metaphys.* l. 17; 11. *Metaphys.* l. 12; V. supra q. 13, a. 4, arg. 6.

2. Præterea, actio est in agente tanquam in subjecto, cui inhæret; nam cum sit accidens, debet esse in subjecto opposito ipsi passo; sed forma subjecto inhærens non est forma extrinsecus denominans : ergo actio non est talis forma. — 1. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, c.; 3. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 5, c.; *de Pot.* q. 7, a. 8 et 9, c.

3. Præterea, actio nihil est aliud essentialiter, quam habitudo agentis ad passum; subtracto enim motu ab actione, quando cum illo conjuncta est, et similiter a passione, nihil aliud remanet, quam respectus agentis ad passum, et passi ad agens; sed habitudo agentis ad passum non nisi intrinsece denominat agens : ergo actio non est forma extrinsecus denominans. — 1a, q. 28, a. 3, ad 1 et q. 41, a. 1, ad 2 et q. 45, a. 2, ad 2 et a. 3, c.

4. Præterea, passio est in passo, unde a Philosopho definitur (3. *Phys. text.* 22; c. 2) : actus patientis; sed denominatio a forma inhærente non est denominatio extrinseca : ergo, passio non est forma extrinsecus denominans. — 3. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, motus localis est mutatio quædam, ut dicitur 5. *Phys. text.* 9; c. 2; sed in mutatione idem est subjectum mutationis et termini per illam acquisiti : ergo cum « ubi » sit terminus motus localis, hoc non erit forma extrinseca. — 5. *Phys.* l. 2; 4. *Sent.* dist, 11, q. 1, a. 3, sol. 1, ad 3.

6. Præterea, plures intelligentiæ extra cœlum existentes, ut dicitur 1. *de Cœlo text.* 100; c. 9, ibi sunt, et consequenter habent suum « ubi »; sed, ut ibidem dicitur, extra cœlum non est locus, neque tales substantiæ sunt in loco : ergo « ubi » est a loco distinctum existens in re, et sic non erit forma extrinsecus denominans. — 1. *de Cœlo* l. 21.

7. Præterea, dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 1, c. 1; quod omnes; ea, quæ sunt, alicubi esse existimant, quia id, quod non est, nusquam est; sed cœlum est : ergo alicubi est; sed cœlum non est in loco, ut dicitur l. c. *text.* 43; c. 7: ergo « ubi » non est locus, sed quid intrinsecum rei

locatæ, et per consequens non est forma extrinsecus denominans. — 4. *Phys.* l. 1 et 7.

8. Præterea, tempus consequitur quemcumque motum ab illo sola ratione distinctum, ut dicitur 4. *Phys. text.* 101; c. 16, (11); sed motus est in mobili, est enim actus mobilis, ut mobile est, ut dicitur 3. *Phys. text.* 16; c. 2 : ergo, et tempus et per consequens quando, et sic « quando » non erit forma extrinsecus denominans. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 3, ad 4; 4. *Phys.* l. 17; 3. *Phys.* l. 4.

9. Præterea, situs spectat ad quantitatem, ut ejus differentia, cadit enim in ejus definitionem, ut dictum est; sed quantitas non est forma extrinsecus denominans subjectum : ergo nec situs. V. supra q. 11, a. 1, ad 8; 3. *Phys.* l. 5; 1. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2. — Sed dices, quod duplex est situs, unus spectans ad prædicamentum quantitatis, alter, qui est prædicamentum distinctum ab aliis.

10. Sed contra, situs secundum quod est prædicamentum, nihil aliud esse potest, quam ordo partium in loco, ordo vero est relatio; unde sicut ad relationem non est motus, ita nec ad situm; sed ordo non est forma extrinsecus denominans : ergo nec situs. — 1a, 2æ, q. 49, a. 1, ad 3; 4. *Phys.* l. 7; 5. *Metaphys.* l. 9 et 17; 11. *Metaphys.* l. 12.

11. Præterea, habitus, ut est prædicamentum, vel est actio quædam habentis, vel habitudo indumenti ad indutum; sed ut dictum est, actio est in agente; et a relatione non potest sumi denominatio tanquam a forma extrinseca : ergo habitus non est forma extrinsece denominans. — 3. *Phys.* l. 5; 1a 2æ, q. 49, a. 1, c.; 11. *Metaphys.* l. 12; ll. cit. in arg. 2 et 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *Phys. text.* 22; c. 2) actionem et passionem docet esse formas extrinsecus denominantes; et in *Prædicam.* c. 10 idem docet de quatuor ultimis prædicamentis : ergo. — 3. *Phys.* l. 5; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 6 sq.

2. Præterea, tripliciter potest subjectum denominari ab aliquo prædicato, *uno modo* tanquam ab eo, quod est ipsum subjectum; *alio modo* tanquam ab eo, quod inest subjecto, vel absolute vel relative ad aliud; *tertio modo* tanquam ab eo, quod est extra subjectum; sed primo modo denominatur subjectum a substantia; secundo modo a quantitate, qualitate et relatione : ergo tertio modo denominabitur substantia ab aliis prædicamentis, et ita erunt formæ extrinsecus denominantes. — V. ll. cit.; 5. *Metaphys.* l. 9.

RESPONDEO DICENDUM, quod sex ultima prædicamenta significant formas extrinsecus denominantes subjectum. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod tripliciter fit omnis prædicatio : et *primo* quidem, quando de aliquo subjecto prædicatur id, quod pertinet ad ejus essentiam, ut cum dico : Socrates est homo, vel : homo est animal, et secundum hoc accipitur prædicamentum substantiæ. *Secundo*, quando prædicatur de aliquo id, quod non est de essentia ejus, tamen inhæret ei, quod quidem vel se habet ex parte materiæ subjecti, et secundum hoc est prædicamentum quantitatis; nam quantitas proprie consequitur materiam, unde et Plato posuit magnum ex parte materiæ; aut consequitur formam, et sic est prædicamentum qualitatis, unde et qualitates fundantur super quantitate, sicut color in superficie, et figura in lineis vel superficiebus; aut se habet per respectum ad alterum, et sic est prædicamentum relationis; cum enim dico : Petrus est pater, non prædicatur de Petro aliquid absolutum, sed respectus, qui ei inest ad aliquid extrinsecum. *Tertio*, quando aliquid extrinsecum de aliquo prædicatur per modum denominationis, et hoc modo sex reliqua prædicamenta prædicantur de substantia. — 3. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 9.

Ad cujus manifestationem notandum est, quod quamvis denominari ab aliquo extrinseco inveniatur quodammodo communiter in omnibus, aliquo tamen modo specialiter reperitur in iis, quæ ad homines tantum pertinent. Communiter autem invenitur aliquid denominari ab aliquo extrinseco, vel secundum rationem causæ, vel secundum rationem mensuræ; denominatur enim aliquid causatum et mensuratum ab aliquo exteriori. Cum autem sint quatuor genera causarum, duo ex his sunt partes essentiæ, scilicet materia

et forma, unde prædicatio, quæ fieri posset secundum hæc duo, pertinet ad prædicamentum substantiæ, ut si dicamus, quod homo est rationalis. Causa autem finalis non causat seorsim aliquid, sicut ab exteriori. Sic igitur secundum quod aliquid denominatur a causa agente, est prædicamentum passionis; nam pati nihil aliud est, quam suscipere aliquid ab agente; secundum quod autem e contra denominatur causa agens ab effectu, est prædicamentum actionis; nam actio est actus ab agente in aliud. Mensura autem quædam est extrinseca, quædam intrinseca; intrinseca quidem, sicut propria longitudo cujusque et latitudo et profunditas; ab his enim denominatur aliquid sicut ab intrinseco inhærente, unde pertinet ad prædicamentum quantitatis; exteriores autem mensuræ sunt tempus et locus. Secundum quod igitur aliquid denominatur a tempore, est prædicamentum « quando »; secundum quod autem denominatur a loco, est prædicamentum « ubi et situs », qui addit supra « ubi » ordinem partium in loco; hoc autem necessarium non erat addi ex parte temporis; nam ordo partium in tempore in ratione temporis importatur; est enim tempus numerus motus secundum prius et posterius. Sic igitur dicitur aliquid esse quando vel ubi, per denominationem a tempore vel loco. Est etiam aliquid speciale in hominibus; nam aliis animalibus natura dedit sufficienter ea, quæ ad conservationem vitæ pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum et pilosum ad tegendum, ungulas vel aliquid hujusmodi ad incedendum sine læsione. Sed hujusmodi non poterant dari homini, ut dictum est, a natura, sed loco omnium inest homini ratio, qua exteriora sibi præparat loco horum, quæ aliis animalibus intrinseca sunt; unde cum homo dicitur armatus vel vestitus vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod neque habet rationem causæ, neque mensuræ; unde est speciale prædicamentum, et dicitur habitus, nisi quod aliis animalibus aliquo modo, ut nimirum veniunt in usum hominum, ut dictum est, convenit hoc prædicamentum. Sic ergo patet, quod sex ultima prædicamenta sunt formæ extrinsecus denominantes. — 3. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 9; 2. *c. Gent.* c. 13, n. 2; 1. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sex ultima prædicamenta neque consistunt in relationibus simpliciter sumptis, quia ut dicitur 5. *Phys. text.* 18, c. 3, datur motus ad ubi, et tamen, ut dicitur ibidem *text.* 10, non datur motus per se ad relationem; neque dicunt respectum fundatum super respectu, quia habitudo non est fundamentum habitudinis, alioqui iretur in infinitum, sed dicunt formas extrinsecus denominantes, ut dictum est, licet connotent respectum, qui consurgit inter formam denominantem et rem denominatam. — 5. *Phys.* l. 3 et 4.

Ad secundum dicendum, quod ad actionem duo concurrunt : unum tanquam formale, alterum tanquam materiale et connotatum; illud est habitudo agentis ad passum, hoc vero est motus et consequenter effectus, quem ponit actio in passo. (1a, q. 28, a. 3 et q. 41, a. 1, ad 2 et q. 45, a. 2, ad 2 et a. 3, c.) — Quod manifeste patet ex tribus : et *primo* quidem, quia in qualibet actione illud, quod est ex parte agentis, est formale, illud autem, quod est ex parte patientis et recipientis est materiale; habitudo autem agentis ad passum se tenet ex parte agentis, nam per hanc differt actio a passione, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 22, c. 2), motus vero se tenet ex parte patientis; licet enim reducatur ad genus termini quantum ad suam substantiam, secundum quod tamen importat ordinem moventis ad motum, reducitur potius ad prædicamentum passionis, quam actionis, ut dicit Commentator (3. *Phys.* com. 4). (4. *Sent.* dist. 46, q. 2, a. 2, sol. 3, c. et dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 2, ad 1). — *Secundo*, constat ex eo, quod cum actio secundum primam nominis significationem significet originem motus, et subtracto motu adhuc remaneat actio, ut patet in divinis, actio formaliter et essentialiter nihil aliud importare potest, quam ordinem originis, secundum quod ab aliqua causa vel principio procedit in id, quod est a principio. — *Tertio* patet ex eo, quod quando ignis calefacit plura subjecta, tunc est una tantum actio et plures passiones; sed hoc

est, quia formale actionis est relatio, quæ est una in agente; quia vero sunt plura passa, necessario debet in illis multiplicari formale passionis, quod est etiam relatio. — 1a, q. 41, a. 1, ad 2; 2. *c. Gent.* c. 73, n. 4, 2o loco.

Quando tamen actio est conjuncta cum motu, actio significat aliqualiter seu connotat etiam motum, et ratione illius nonnulla verificantur de actione, ut *primo*, quod actio est unus motus cum passione, ut docet Philosophus (3. *Phys. text.* 19 et 22, c. 12; 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1, c. 9); non enim id dicitur, quia actio et passio sint idem accidens, nam actio est in agente, passio in patiente, sed quia, cum motus abstrahat ab utroque termino, et significetur sine ista differentia, pertinere potest ad prædicamentum actionis et passionis tanquam quid, quod per actionem agentis causatur, et per passionem recipitur in passo. Cum enim ratio motus compleatur non solum per id, quod est de motu in rerum natura, sed etiam per id, quod ratio apprehendit, duobus modis potest considerari motus : *uno modo* quantum ad id, quod in rerum natura est de illo genere, quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum. *Alio modo* quantum ad id, quod ratio apprehendit circa motum, puta esse medium quoddam inter duos terminos, agens nimirum et passum, implicatur ratio causæ et effectus; et secundum hoc pertinet motus ad prædicamentum actionis et passionis; hæc enim prædicamenta, ut dictum est, accipiuntur secundum rationem causæ agentis et effectus. — *Secundo*, ratione motus verificatur, quod idem sunt actus activi et passivi, sicut et moventis et mobilis, ut dicitur 3. *Phys. text.* 18 et 19; c. 2; dicitur enim actus moventis, in quantum aliquid agit, mobilis autem quatenus patitur; et idem est, quod agens movendo causat, et quod motum patiendo recipit. — *Tertio*, ratione passionis, quam infert omnis actio transiens conjuncta cum motu, verificatur, quod actiones transeuntes sunt in patiente subjective; actio enim passive sumpta sive sumpta per modum passionis est in passo; sic enim creatio passive accepta est in creatura, active in Deo, et calefactio passive similiter accepta est in calefacto; quam quam verificari etiam potest illud dictum ratione motus, ut dictum est, et ratione termini per motum producti, eo prorsus modo, quo ratione ejusdem exponi potest, quod actio transiens dicitur esse perfectio totius operati, non autem operantis, ut dicit Philosophus (9. *Metaphys. text.* 16, l. 8, c. 8); id enim ideo dicitur, quia non acquiritur aliquid absolutum igni ex hoc, quod est calefaciens, sed calefacto acquiritur calor; nam alioqui cum agens, in quantum est agens, non sit extraneum a genere patientis, in quantum est patiens, necessario debet esse utriusque realis ordo unius ad alterum. Et quia actio est media inter agens et passum, oportet, quod quando agens agit tali actione, perficiatur; est enim hujusmodi actio media perfectio agentis; et eadem dicitur non distinguere per se existens a per se existente, sed perfectionem a perfecto, quia operatio est perfectio operantis (3. *Phys.* l. 4 et 5; 1a, q. 23, a. 2, ad 1 et q. 41, a. 1, ad 3; 3. *de Anima* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 9; 9. *Metaphys.* l. 8; 7. *Phys.* l. 4). His locis ait, actionem esse subjective in patiente, quæ debent intelligi juxta ea, quæ S. Doctor docet 1. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 1, ad 1; ut dicit Dom. de Flandria 5. *Metaphys.* q. 22, a. 2; Bergomensis *Tabula Aurea in Concord.* n. 35. — 9. *Metaphys.* l. 8; *de Pot.* q. 7, a. 9, c.; 2. *c. Gent.* c. 23 dicit, actionem non esse perfectionem operantis, sed operati. Sed hoc intelligendum est juxta ea, quæ dicit *de Pot.* q. 10, a. 1, c., ut colligitur ex contextu 9. *Metaphys.* l. 8 et *de Pot.* q. 7, a. 9, ad 7 et ad 1 et q. 8, a. 3, c.; *de Verit.* q. 4, a. 2, ad 7.

Unde manifestum est, quod actio formaliter et essentialiter sumpta est subjective in agente, sicut passio in patiente, quasi vero materialiter in patiente, ut dictum est, nimirum rationem otus et termini; et hoc modo intelligendus est Philosophus, cum 3. *Phys text.* 21 et 22, c. 2 videtur ponere actionem in passo. Neque vero hinc colligi potest, actionem esse formam intrinsecus denominantem, quia licet actio in quantum est accidens, sit in agente tanquam in subjecto, in quantum tamen est actio, consideratur ut est ab agente, quia illius ratio non perficitur prout est in subjecto, unde potest destrui, et esse sine

mutatione ejus, in quo est, sicut et relatio; et similiter quia non significatur ut inhærens et manens in subjecto, sed ut quid ab alio in aliud procedens, ideo non facit compositionem cum subjecto. Et propterea si per impossibile poneretur, aliquam actionem esse accidens, et tamen non inhærere, adhuc denominaret agens, quia non denominat, ut inhærens atque adeo ut forma intrinseca, sed ut ab agente procedens in aliud, et per consequens tanquam forma ex vi propriæ rationis extrinsecus denominans. — *de Pot.* q. 7, a. 8, c. et a. 9, ad 7 et q. 8, a. 2 c.; 1. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 4, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod relatio originis, quam formaliter importat actio, ut dictum est, duobus modis considerari potest : *uno modo*, secundum quod est accidens, et sic est intrinseca agenti, in quo est subjective. *Alio modo*, secundum quod est ab agente, et hoc modo non denominat intrinsece, sed extrinsece agens; nam ut sic non significat ut quid manens in agente, sed ut ab illo in aliud procedens; unde ut sic non facit compositionem cum subjecto. — Vel dic, quod habitudo agentis ad passum dupliciter considerari potest: *uno modo*, ut est origo motus, et ut sic, cum significetur, ut ab alio procedens, denominabit agens extrinsece. *Alio modo*, ut est relatio, et ut sic, cum sit accidens, denominat agens intrinsece, et non extrinsece. — *de Pot.* l. c.; 1. *Sent.* l. c.

Ad quartum dicendum, quod passio dicitur denominare passum tanquam forma extrinseca, quia, licet in quantum est accidens, maneat in passo, tanquam in subjecto, ejus tamen ratio significatur et attenditur per ordinem ad agens, quod est extrinsecum passo; sicut actio, licet sit subjective in agente, non tamen denominat, nisi per ordinem ad effectum, qui recipitur in passo. Nam secundum quod denominatur aliquid a causa agente, est prædicamentum passionis; nam pati nihil aliud est, quam recipere aliquid ab agente; secundum quod autem contra denominatur causa agens ab effectu, est prædicamentum actionis; nam actio est actus ab agente in aliud. — Vel dic, quod habitudo passionis dupliciter potest considerari : *uno modo*, ut est origo passive significata, et sic dicitur extrinsece denominare passum; nam origo passive significata, non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut quid extrinsecum; significatur enim, ut via quædam ad rem. *Alio modo* potest considerari ut relatio, et hoc modo, cum relatio significetur ut constituens id, quod refertur, intrinsece denominat. Verum passio non est formaliter habitudo posteriore modo sumpta, sed priore. — 3. *Phys.* l. 5; 1a, q. 40, a. 2 et 4, c.; *de Pot.* q. 8, a. 3, c.

Ad quintum dicendum, quod in mutationibus naturalibus sicut invenitur aliqua mutatio, secundum quam variatur illud, quod inest rei accidentaliter, scilicet quantitas vel qualitas, ut patet in motu augmenti et alterationis, aliqua vero, quæ pertingit usque ad formam substantialem, ut generatio et corruptio; — ita invenitur aliqua mutatio, in qua nihil variatur de eo, quod est intrinsecum rei, sed solum hoc, quod est extra, puta locus, et hoc contingit in motu locali: unde aliud est subjectum motus localis, aliud termini, qui per illum acquiritur, cum tamen in cæteris motibus idem sit subjectum motus et termini. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1, c.

Ad sextum dicendum, quod Deus et intelligentiæ dicuntur esse ibi, idest extra cœlum, non sicut in loco, sed sicut non contenta, nec inclusa sub continentia corporalium rerum, sed totam corporalem naturam excedentia; sicut et his convenit, quod dicitur, quod eorum nulla sit transmutatio, quia superexcedunt supernam lationem ultimæ sphæræ, quæ ordinatur sicut extrinseca et contentiva omnis mutationis. — 1. *de Cœlo* l. 21.

Ad septimum dicendum, quod sicut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 45; c. 71, duobus modis contingit esse in loco : *uno modo* per se, sicut omne corpus, quod per se movetur in loco, vel secundum loci mutationem vel secundum augmentum, et hoc modo ultima sphæra non est in loco, cum nullum corpus ipsam contineat, sed secundum quod movetur circulariter partibus sibi succedentibus ad invicem, sic locus debetur partibus ejus in potentia, in quantum una pars ejus est consequenter se habens ad aliam. *Alio modo* per accidens,

quomodo anima et omnes formæ sunt in loco, et hoc modo ultima sphæra est in loco, in quantum omnes ejus partes sunt in loco, ex eo, quod unaquæque pars ejus continetur sub alia secundum circulationem; in corpore enim non circulari pars extrema remanet non contenta, sed continens tantum, sed in corpore circulari quælibet pars est continens et contenta, in potentia tamen. Unde ratione partium suarum corpus circulare est in loco, et habet « ubi », atque adeo per accidens et ratione earumdem dicitur cœlum in motu circulari mutare locum, ratione et subjecto; nam ipsum totum cœlum fit in diversis locis ratione; non tamen totum mutat locum subjecto, semper enim remanet idem locus subjecto, sed diversificatur ratione tantum, ut dicitur in 6. *Phys.* Sed partes mutant locum non solum ratione, sed etiam subjecto.

Sed contra hoc esse videtur, quod partes secundum locum corporis continui non sunt in loco, neque moventur, sed totum movetur, et totum est in loco; manifestum est autem, quod ultima sphæra est corpus continuum; partes igitur ejus nec sunt in loco, nec moventur secundum locum; et sic non videtur verum, quod ultima sphæra sit in loco ratione partium. — Sed ad hoc dicendum est, quod partes totius continui, licet non sint in loco actu, sunt tamen in loco potentia, secundum quod continuum est divisibile; pars enim si sit divisa, erit in toto sicut in loco; unde per hunc modum partes continui moventur in loco, et hoc maxime apparet in continuis humidis, quæ sunt facilis divisionis, sicut in aqua, cujus partes inveniuntur moveri infra totam aquam. Sic igitur quia aliquid dicitur de toto ratione partium, in quantum partes ultimæ sphæræ sunt in loco in potentia, tota ultima sphæra est in loco per accidens, id est per aliud, nimirum ratione partium, et sic esse in loco sufficit ad motum localem. — 4. *Phys.* l. 7; 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 3, ad 1; 5. *Phys.* l. 3.

Ad octavum dicendum, quod dupliciter dicitur tempus : *uno modo*, quod est numerus prioris et posterioris in motu cœli, et hoc est mensura extrinseca omnium, quæ habent ordinem ad motum cœli, sive per se sicut motus corporales, sive per accidens sicut aliquæ operationes animæ, secundum quod habent relationem ad corpus, et hoc modo accipitur a philosophis, et constituit prædicamentum quando; per hoc enim dicitur esse rerum temporalium mensurari tempore; et tale esse non dicitur mensurari tempore, nisi prout subjacet variationi ex motu cœli. Unde dicit Commentator (4. *Phys. text.* 101, c. 16), quod sentimus tempus, secundum quod percipimus, nos esse in esse variabili ex motu cœli; et inde est, quod omnia, quæ ordinantur ad motum cœli sicut ad causam, cujus primo est mensura tempus, mensurantur tempore; et quicumque sentit quamcumque variabilitatem consequentem ex motu cœli, sentit tempus, licet non videat ipsum motum cœli. *Alio modo* sumitur pro duratione cujuslibet motus, et sic sumptum est in mobili simul cum motu. — 1. *Sent.* l. c. ad 4; 5. *Metaphys.* l. 9 (7); 4. *Phys.* l. 17; 1. *Sent* dist. 19, q. 2, a. 1, ad 4 et dist. 37, q. 4, a. 3, c.; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 10.

Ad nonum dicendum, ut dictum est in argumento, quod duplex est situs : *unus*, qui spectat ad quantitatem, tanquam ejus differentia; *alter*, qui constituit peculiare prædicamentum. — Il. cit. in arg. 9.

Ad decimum dicendum, quod situs non est formaliter, sed quasi materialiter et consequenter relatio partium in loco; nam situs, quando et similia magis consequuntur relationem, quam illam causant; a loco enim non desumitur denominatio situs, nisi considerato ordine partium in loco; locus autem, ut patet, est forma quædam extrinseca situato, est enim terminus continentis, ut dicitur 4. *Phys. text.* 41, c. 6. — 5. *Metaphys.* l. 9 et 17.

Ad undecimum dicendum, quod habitus, secundum quod est prædicamentum, est quid medium inter habentem, et id, quod habetur. Habere enim, licet non sit actio, significatur tamen per modum actionis, et ideo inter habentem et rem habitam intelligitur esse medius habitus et quasi actio quædam; sicut enim calefactio intelligitur esse media inter calefactum et agens calefaciens, sive illud medium accipiatur ut actus, sicut quando calefactio accipitur active, sive ut motus, sicut quando accipitur passive (quando enim hoc facit et illud fit, est factio media, et siquidem procedatur ab

agente in patiens, est medium factio activa, quæ est actus facientis, si vero procedatur a facto in facientem, sic est medium factio passiva, quæ est motus facti), ita etiam inter hominem habentem vestem et vestem habitam est medius habitus, quia si consideretur procedendo ab homine ad vestem, erit ut actio, prout significatur in hoc, quod dicitur habere; si vero e converso, erit ut passio motus, prout significatur in hoc, quod dicitur haberi, et sicut denominatio ab actione et passione est denominatio a forma extrinseca denominante, ut dictum est, ita et denominatio ab habitu erit tanquam a forma extrinseca. — 5. *Metaphys.* l. 20; V. ad arg. 2, 3. 4 huj. art.

QUÆSTIO XV

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

Deinde considerandum est de postprædicamentis.

CIRCA QUÆ QUÆRITUR :

Utrum vera sint, quæ docet Philosophus de postprædicamentis.

ARTICULUS I

UTRUM VERA SINT, QUÆ DOCET PHILOSOPHUS DE POSTPRÆDICAMENTIS.

Videtur quod non sint vera, quæ docet Philosophus de postprædicamentis.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 10), quod opposita maxime cognoscuntur per comparationem ad subjectum; nam quæ non possunt eidem subjecto convenire et inesse, oportet, quod ad invicem opponantur; sed scientia et albedo non possunt simul inesse eidem subjecto, puta leoni, e contra vero paternitas et filiatio possunt inesse eidem subjecto, puta homini : ergo cum paternitas et filiatio sint relationes, non dabuntur opposita relative; scientia vero et albedo erunt opposita; et cum non contineantur sub ullo ex modis oppositorum assignatis a Philosopho, non erunt recte ab illo assignati. — 5. *Metaphys.* l. 12; 4. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 1; II. cit. in arg. sq.

2. Præterea, in omni oppositione est contradictio, quia hæc est prima et maxima oppositio et causa omnis oppositionis; sed in relativis non includitur ulla oppositio, quia unum relativum ponit aliud, et non removet : ergo inter species vel modos oppositorum non debuit Philosophus ponere oppositionem relativam. — 1. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 1, ad 1 et dist. 26, q. 2, a. 1, c.; *Opusc.* 37, c. 1; *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 4 et q. 8, a. 1, ad 13; 1a, q. 40, a. 2, ad 3; 10. *Metaphys.* l. 6.

3. Præterea, contradictio, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2, est oppositio, cujus non est medium secundum se ipsum; sed contrarietas non est contradictio, ut idem docet et probat (10. *Metaphys. text.* 15; l. 9, c. 4) : ergo falsum est, quod dicit Philosophus in Postprædicamentis, aliqua contraria esse immediata.

4. Præterea, bonum et malum proprie opponuntur, ut privatio et habitus, quia, ut Simplicius dicit in *Com. Prædicam.*, illa proprie dicuntur contraria, quorum utrumque est aliquid secundum naturam, sicut calidum et frigidum; sed illa, quorum unum est secundum naturam, aliud est recessus a natura, non opponuntur ut contraria, sed ut privatio et habitus : ergo bonum et malum non sunt contraria, cujus oppositum Philosophus docet in *Prædicam.* c. 10. — *de Malo* q. 1, a. 1, arg. 2 et ad 2.

5. Præterea, si privatio et habitus ordine se habent ad subjectum, ut habitus natus sit fieri circa immediata, et privatio non nisi mediante habitu, ergo privatio tantum privat id, quod est; sed hoc est falsum, nam ut docet idem Philosophus (5. *Metaphys. text.* 27; l. 4, c. 22), privatio etiam est negatio ejus, quod subjectum nunquam habuit : ergo falsum est, quod dicit Philosophus (*Prædicam.* c. 10), quod privatio et habitus ordine se habent ad subjectum. — *de Malo* q. 2, a. 12, arg. 9 et ad 9; 5. *Metaphys.* l. 20.

6. Præterea, unum uni est contrarium, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 17; l. 9, c. 5; sed bono est contrarium malum, secundum illud Eccli. c. 33, v. 15 : contra bonum

malum est : ergo malum non est contrarium malo, et consequenter falsum est, quod dicit Philosophus, malo et bono esse contrarium malum. — 10. *Metaphys.* l. 6; *de Malo* q. 1, a. 1, arg. 2; 1a, q. 48, a. 1, arg. 3; *de Verit.* q. 21, a. 2, arg. 1.

7. Præterea, si unum contrarium est in natura, et reliquum est in natura, ut dicitur 2. *de Cælo text.* 18; c. 3; sed huic contrariatur illud, quod docet Philosophus in *Prædicam.* c. 10, quod si unum contrarium est, non est necesse reliquum esse : ergo vel Philosophus sibi contradicit, vel falsum est, quod hic asserit. — 2. *de Cœlo* l. 4; 1. *Poster.* l. 12.

8. Præterea, bonum et malum sunt contraria, ut dictum est; sed malum non est natum inesse cuilibet rei, cui natum est inesse bonum : ergo falsum est, quod dicit Philosophus, contraria esse circa idem. — 1a, q. 48. a. 1, arg. 3; *de Verit.* l. c.; *de Malo* q. 1, a. 1, arg. 2.

9. Præterea, unum et numerus, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 21; l. 9, c. 6, opponuntur relative; sed unum et numerus non se consequuntur; nam, ut dicit Philosophus ibidem, si est numerus, est quidem unum, non tamen contra : ergo falsum est, quod dicit Philosophus, quod simul secundum subsistendi consequentiam sint, sicut relativa. — 10. *Metaphys.* l. 8.

10. Præterea, species figuræ et numeri ita se habent, quod una species est alia prior secundum rem; sed species figuræ et numeri sunt ex eodem genere : ergo simul non sunt ea, quæ ex eodem genere ex diverso dividuntur. — 1a, q. 77, a. 4, ad 1; 1a 2æ, q. 29, a. 2, ad 1; 1. *Periherm.* l. 8.

11. Præterea, probat Philosophus (5. *Phys. text.* 8, c. 2), quod neque generatio neque corruptio est motus, et *text.* 9 docet motus, esse tantum tres, nimirum ad quantitatem, qualitatem et locum : ergo species motus non sunt sex, ut dicitur in *Prædicam.* c. 10 et 3. *Phys. text.* 6, c. 1. — 5. *Phys.* l. 2.

12. Præterea, habere est peculiare prædicamentum distinctum ab aliis, ut dictum est; sed postprædicamentum est, quod convenit multis prædicamentis : ergo habere non est postprædicamentum. — V. supra q. 9, a. 3; 1a 2æ, q. 49, a. 1, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod postprædicamentum est illud, quod est commune ad diversa genera. Sunt autem hujusmodi communia pluribus generibus quinque, oppositio, prius et posterius, simul, motus, habere; dicitur enim quis habere quantitatem, qualitatem et cætera accidentia, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 28, l. 4, c. 23. Motus autem est ad varia prædicamenta (3. *Phys. text.* 6, c. 1 et 5. *Phys. text.* 8 et 9, c. 2). Prius vero et posterius est in substantia, quantitate et cæteris accidentibus, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 17, l. 4, c. 11; et sic de reliquis. — 1a 2æ, q. 49, art. 1, c.; 5. *Metaphys.* l, 20; 7. *Metaphys.* l. 1; 3. *Phys.* l. 2.

Et quidem quod attinet ad *opposita*, recte fuit assignatus illorum numerus. Aliquid enim contraponitur vel opponitur alteri aut ratione dependentiæ, qua dependet ab ipso, et sic sunt opposita relative; aut ratione remotionis, quia scilicet unum removet aliud, quod quidem contingit tripliciter. Aut enim totaliter removet nihil relinquens, et sic est negatio, aut relinquit solum subjectum, et est privatio, aut relinquit subjectum et genus, et sic est contrarium; nam contraria non solum sunt in eodem subjecto, sed etiam in eodem genere. (5. *Metaphys.* l. 13; 10. *Metaphys.* l. 4). — Vel dic, quod oppositio vel est inter ens et non ens, vel inter entia; si *primum*, vel est inter ens et non ens simpliciter, et est contradictio; vel inter ens et non ens in tali subjecto, seu secundum quid, et est oppositio privativa. Si *secundum*, vel est inter entia mutuo se expellentia, et est oppositio contraria, vel inter entia invicem contraposita, et est oppositio relativa. — Ita Cajetanus, Sotus, Soncinas et Iavellus, quæ ratio colligitur ex q. 28 *de Verit.* a. 6.

Sunt autem opposita relative, inquit Philosophus, quæ ea ipsa, quæ sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea; quæ definitio optime explicat rationem oppositionis relativæ. (10. *Metaphys.* l. 6; 1. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 1, ad 1; Cajetanus in *Postprædicam.*) Nam licet opposita relative, cum in illis involvatur oppositio contradictoria, tanquam prius et simplicius in posteriori, ratione

negationis annexæ alteri opposito, ideo sint opposita, quia impossibile est simul existere in eodem respectu ejusdem; quia enim filius non est pater ejus, cujus est filius, non potest idem respectu ejusdem esse pater et filius; si tamen sumantur formaliter, secundum quod sunt opposita relative, optime definiuntur per hoc, quod ipsa, quæ sunt, oppositorum dicuntur, et consequenter per hoc, quod se mutuo ponunt. Nam ideo unum relativum dicitur opponi alteri, quia unum est ad alterum, et contra; unde unum relativum non dicitur præsupponere aliud, nam simul natura sunt, sed supponere, quia posito uno necessario debet poni et aliud. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 2, c. et arg. 3; 1a, q. 28, a. 2 et 3, c.; *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 4 et q. 10. a. 3, c. et a. 5, ad 12; 1a, q. 39, a. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 2, ad 3; 5. *Metaphys.* l. 17.

Contraria vero sunt ea, quæ nullo modo ad invicem dicuntur, sub propriis scilicet nominibus; bonum enim non est mali bonum, nec album nigri album, sed secundum additam contrarii relationem seu sub nomine contrarii dicuntur ad invicem, per accidens scilicet, ut docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15), in tertio modo relativorum per accidens; nam bonum est malo contrarium, et album nigro. (*Text.* Philosophi ex *Præd.* c. 10; 5. *Metaphys.* l. 17). Sunt autem contraria in duplici differentia; nam alia sunt mediata, quorum scilicet alterum non est necesse inesse subjecto, ut bonum et malum, album et nigrum, pravum et studiosum; alia vero sunt immediata, quorum alterum necesse est inesse subjecto, ut par et impar. Quæ distinctio oritur ex diversitate privationis, quæ reperitur in contrariis; nam alia est, per quam aliquid dicitur privatum in aliquo tempore determinato, vel in aliqua parte determinata. Sic ergo inter bonum et malum dicitur esse medium; nam est aliquis homo neque bonus, neque malus; dicitur enim homo bonus secundum virtutem, nam virtus est, quæ bonum facit habentem; non autem omnis, qui caret virtute, est malus; puer enim caret virtute, et tamen non dicitur malus. Et hujus ratio est, quia privatio bonitatis non convenit homini in omni tempore, sed in determinato, puta post usum rationis; et ideo si puer in ea ætate, in qua debet habere virtutem, non habeat, dicitur malus; vel etiam si aliquis virtute careat quantum ad aliquos actus minimos et quasi indifferentes ad vitam, non dicitur malus, sed solum si careat virtute quantum ad actus principales et necessarios ad vitam. Sed par et impar in numeris non habent medium, quia numerus dicitur impar ex hoc, quod quocumque modo caret paritate. — 1. *Poster.* l. 5; 10. *Metaphys.* l. 6.

Privatio vero et habitus dicuntur illa, quæ versantur circa idem subjectum; nam privatio est negatio habitus in subjecto apto nato habere illum, quomodo opponuntur cæcitas et visus; magis tamen presse et proprie sumitur privatio pro negatione formæ in subjecto apto nato habere utrumque ordine irregressibili. Duplex enim est privatio: *quædam*, quæ habet immediatum ordinem ad subjectum formæ, quæ scilicet nihil aliud significat, nisi negationem formæ in materia sine ordine ad formam, et a tali privatione ad formam potest fieri regressus, ut a tenebris ad lucem, quia tenebræ nihil aliud sunt, nisi absentia lucis in diaphano. *Quædam* autem est, quæ non comparatur ad subjectum formæ, nisi mediante forma, cum sit ut quædam corruptio ejus, sicut cæcitas est corruptio visus, et mors est corruptio vitæ, et in talibus non est mutua conversio. Et quia Philosophus (*Prædicam.* c. 10) maxime loquitur de hoc secundo genere privationis, ideo apposuit descriptioni privationis illam particulam « ordine »; habitus enim natus est fieri immediate, et privatio mediante habitu. Demum licet significatum affirmationis et negationis non sint affirmatio et negatio, nam hæ sunt orationes, illa vero non, opponuntur tamen contradictorie. — 8. *Metaphis.* l. 3; Cajetanus in *Prædicam.*

Quinque sunt autem contrariorum conditiones. *Prima* est, quod bonum semper contrariatur malo, sed malum aliquando contrariatur bono, aliquando malo, ut prodigalitas opponitur avaritiæ et liberalitati. Si enim considerentur virtus et vitium in ratione boni et mali, bono virtutis contrariantur duo extrema per modum unius extremi mali; si vero consideretur

virtus secundum propriam rationem et speciem, cum sit media inter duo extrema, uni extremo malo opponitur aliud extremum malum, et ipsa virtus, quæ est medium inter ipsa. *Secunda* est, quod non est necesse, si unum contrariorum est in natura, et alterum esse; non enim sequitur, si album est, et nigrum esse; nam possunt esse omnia alba. Quando enim genus non dividitur per oppositas differentias, ut est in substantiis separatis, non est necesse, si unum contrariorum est in natura, et alterum esse; quando vero genus dividitur per oppositas differentias, licet verum sit, physice loquendo, quod si unum oppositum est, et reliquum esse (nam si sit aliquid contrarium, necesse est, quod ei sit aliqua natura subjecta, ut patet 1. *Phys.*; est autem eadem materia contrariorum, ut ibidem ostenditur, et sic oportet, quod materia unius contrarii habeat potentiam ad aliud contrarium, et sic possit esse in rerum natura; cum autem in natura nihil sit frustra, necesse est, si unum contrariorum est in natura, quod reliquum sit, ut si sit ignis, sit etiam terra); — logice tamen non sequitur; non enim implicat contradictionem, omnia corpora alba esse et nullum nigrum, et omnes homines esse sanos et nullum ægrotum; et præterea secundum logicam considerationem sufficit qualiscumque oppositio in differentiis, sicut patet in differentiis numerorum et in substantiis spiritualibus, in quibus non est contrarietas. Ita Cajetanus, Sotus, Soncinas in *Postprædicam.* c. *de oppos. Tertia* est, quod impossibile est, ambo contraria eidem simul inesse; nam unum expellit aliud ab eodem subjecto. *Quarta* est, quod contraria circa idem aut genere aut specie fieri habent, ut languor et sanitas circa corpus animalis, quod est unum genere, et justitia et injustitia circa animam, quæ est una specie. *Quinta* est, quod necessarium est omnia contraria vel esse in eodem genere, ut album et nigrum sub genere coloris, vel in contrariis generibus, ut justitia et injustitia sub genere virtutis et vitii, vel ipsa genera esse, ut bonum et malum, hæc enim non sunt in genere, sed ipsa sunt genera. Ratio autem horum est, — vel quia, ut dixit Porphyrius, contrariorum quædam sunt univoca, et ista vel sunt in uno genere proximo, ut album et nigrum in genere coloris, quod est primum membrum ab Aristotele positum, vel in contrariis generibus proximis, sicut castitas et impudentia, quæ sunt sub virtute et vitio, quod est secundum membrum; quædam vero sunt æquivoca, sicut bonum, quod circuit omnia genera, sicut et ens, et similiter malum; et ideo bonum et malum dixit Philosophus non esse in genere, sed ipsa esse genera, prout genus dici potest id, quod genera transcendit, sicut ens et unum; vel quia cum contrarietas sit differentia secundum formam, ut dicitur 10. (9) *Metaphys.*, forma autem sit vel generalis vel specialis, dupliciter contingit aliqua esse contraria, vel secundum formam generis, ut justitia et injustitia, et hujusmodi contraria dicuntur esse in contrariis generibus, quia justitia est in genere virtutis, et injustitia in genere vitii; vel secundum formam speciei, ut albedo et nigredo, et hujusmodi contraria dicuntur esse in eodem genere proximo; nam albedo et nigredo sub genere proximo coloris continentur. — 2. *Ethic.* l. 10; 2. *de Cœlo* l. 4; 1. *Poster.* l. 12; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, ad 18; *de Verit.* q. 26, a. 10, arg. 9; *de Malo* q. 1, a. 1, ad 11; 1a 2æ, q. 35, a. 4, c.

Quod vero attinet ad postprædicamentum *prius* et *posterius*, hujus postprædicamenti quinque sunt modi; nam primo, potest aliquid esse prius vel posterius alio tempore; secundo, secundum subsistendi consequentiam; tertio, ordine; quarto, causalitate; quinto, perfectione. Cum enim prius et posterius dicantur in quolibet ordine per comparationem ad principium illius ordinis, principium autem sit id, quod est primum in esse aut fieri aut cognosci; quod autem est prius, sit, quod est propinquius tali principio, sequitur primo, quod in fieri illud est prius alio, quod est prius tempore; nam omne prius generatione est prius tempore, licet non e contra. Quod autem est prius cognitione, est prius ordine doctrinæ; ordine namque cognitionis intellectivæ universalia sunt priora singularibus, et elementa syllabis; simpliciora enim sunt priora, sicut et notiora cognitione intellectiva compositis.

— 5. *Metaphys.* l. 13 (al. 16 ; 7. *Metaphys.* l. 13; 10. *Metaphys.* l. 4.

Quod autem est prius secundum esse seu secundum naturam, tripliciter potest esse alio prius : *uno* modo causalitate; nam in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparationem ad principia naturæ, quæ sunt quatuor causæ. *Secundo* secundum subsistendi consequentiam, quando nimirum unum potest esse sine alio, et non e contra. *Tertio* perfectione, quomodo actus est prior potentia; et hos tres modos attingit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 11), cum ait, aliquid esse prius natura alio tripliciter. *Primo* secundum ordinem communitatis et dependentiæ, id est secundum subsistendi consequentiam. *Secundo* secundum ordinem substantiæ ad accidens, id est secundum ordinem causalitatis ; substantia enim dicitur prior natura accidente, quia est causa illius, sicut dicitur prior cognitione, quia ponitur in definitione accidentis, et respectu propriarum passionum est causa in triplici genere causæ, ut dictum est, efficientis, materialis et finalis. *Tertio* secundum ordinem perfectionis, quorum actus est perfectior potentia. — *Quodl.* 5, a. 19; 5. *Metaphys.* l. 13; 1. *c. Gent.* c. 34; 7. *Metaphys.* l. 1. et 13; 12. *Metaphys.* l. 1; V. supra q, 6, a. 2.

Quoad postprædicamentum *simul* tribus modis dicuntur esse aliqua simul : *primo*, tempore ; *secundo*, natura, quæ convertuntur secundum subsistendi consequentiam, et neutrum est causa alterius, ut sunt relativa; *tertio*, quæ ex eodem genere e diverso dividuntur ad invicem. (*Prædicam.* c. 13). Cum enim simul, ut dicitur 6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 4, maxime significet unitatem, tribus modis possunt aliqua esse unum, *primo* quoad fieri in tempore, quia nimirum vel simul incipiunt esse, vel simul incipiunt et conservantur. *Secundo* quoad consecutionem in esse, in mutua subsistendi consequentia, et negatione mutuæ causalitatis, ut sunt correlativa, quæ se consequuntur quoad esse. (6. *Metaphys.* l. 4; 2. *de Anima* l. 2; *de Pot.* q. 7, a. 8; 1a, q. 13, a. 7, ad 6 ; 1.) — *Sent.* dist. 21, q. 1, a. 2, c. — *Tertio* quoad cognosci in genere, quod immediate dividunt, sicut sunt differentiæ immediate divisivæ generis. Cum enim differentia sit forma generis, cognoscitur per ordinem ad genus, sicut quæcumque forma per ordinem ad formatum, cum de ratione formæ sit, quod sit in eo, cujus est forma, habeatque respectum ad formatum per ipsam et ad ipsum ordinetur. — 1a, q. 40, a. 1, c. et q. 77, a. 4; 1a 2æ, q. 29, a. 2, ad 1 ; *de Verit.* q. 3, a. 3, c. et q. 9, a. 3, ad 6 et q. 28, a. 7, c. ; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, sol. 1 ; 1. *Periherm.* l. 8.

Quoad *motum* vero sex sunt ejus species, generatio, corruptio, augmentum, decrementum, alteratio, et latio. Cum enim motus, late sumpto vocabulo motus, sit mutatio ; mutatio autem triplex tantum sit, ut dicitur 5. *Phys. text.* 7, c. 2 : a subjecto in subjectum, a subjecto in non subjectum, a non subjecto in subjectum, sex tantum erunt species mutationis, et consequenter motus. Nam mutatio, quæ est ex non subjecto in subjectum, est generatio ; quæ vero ex subjecto in non subjectum, est corruptio, quæ demum ex subjecto in subjectum, est quadruplex : alteratio, quæ est ad qualitatem, augmentum, quod est ab imperfecta magnitudine ad perfectam, et decrementum, quod est a perfecta ad imperfectam, et latio, quæ est ad locum. — Textus Phil. in *Prædicam.* c. 14 ; 5. *Phys.* l. 2.

Quod demum attinet ad *habere*, octo sunt illius modi magis famosi et consueti; nam *primo* quis dicitur habere qualitatem, ut scientiam, virtutem et similia. *Secundo* quantitatem, puta bicubitalem vel tricubitalem. *Tertio* ea, quæ adjacent toti corpori ut vestem. *Quarto*, quæ adjacent parti, ut annulum in digito. *Quinto* membrum, ut manum, pedem. *Sexto*, contentum, quomodo lagena habet vinum, et modius triticum, et universaliter continens contentum. *Septimo* domum vel possessionem. *Octavo*, uxorem vel virum, qui postremus modus est omnium remotissimus; nihil enim aliud est virum habere uxorem, quam virum una cum uxore habitare. Ratio autem hujus numeri esse potest, quia ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 28; l. 4, c. 23, habere dicitur quadrupliciter. *Primo*, pro eo, quod est ducere aliquid secundum suam naturam in rebus naturalibus, vel secundum suum impetum in rebus voluntariis, quomodo febris dicitur habere hominem, et tyrannus civitatem, et ad

hunc modum reducitur tertius, quartus, septimus, octavus. *Secundo*, pro eo, quod est habere in se subjective aliquid, quomodo æs habet speciem statuæ, et ad hunc modum reducitur primus et secundus. *Tertio*, pro eo, quod est continere in se aliquid, quomodo lagena dicitur habere aliquid humidum, puta aquam, et ad hunc modum reducitur quintus, quo totum habet partem, et sextus. *Quarto*, pro eo, quod est prohibere aliquid operari vel moveri secundum suum impetum, sicut columna dicitur habere corpus ponderosum impositum super illam, quia prohibet illud descendere deorsum secundum inclinationem, et ad hunc modum etiam reduci potest tertius modus. Nam etiam continens prohibet, ne contenta proprio impetu separentur ad invicem. — 5. *Metaphys.* l. 20.

Ratio vero quatuor modorum principalium, quibus a Philosopho sumitur in *Metaphys.* « habere », hæc est, quia habere dicitur vel secundum quod causa habet effectum, vel sicut continens contentum; si secundum, est tertius modus; si primum, vel talis causa est materialis, et est secundus modus, vel est efficiens, et hoc vel est causa motus violenti, et est primus modus, vel est causa quietis violentæ, et est quartus. Unde manifestum est, quod vera sunt, quæ tradit Philosophus de postprædicamentis. — Ita Flandria 5. *Metaphys.* q. 24, a. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loco citato signanter dixit, cognosci opposita, quæcumque non contingunt simul inesse eidem susceptibili, quia quædam non possunt alicui eidem subjecto simul inesse, non per oppositionem, quam habeant ad invicem, sed quia subjectum non est susceptibile utriusque; sicut albedo et musica non possunt simul inesse equo, possunt autem simul inesse homini. (5. *Metaphys.* l. 20). — Ad illud de paternitate et filiatione dicendum, quod oppositæ relationes possunt inesse eidem respectu diversorum, eo quod esse relativi est ad aliud se habere; non sic in proprietatibus absolutis. Et ideo in relativis contingit aliquid disponi per aliquid sui generis per accidens, et non per se, sicut filii est filius, non in quantum filius, sed in quantum pater. Sicut similiter signi potest esse signum, in quantum est signatum; quod non est in absolutis; nam qualitatis non est qualitas, nec per se, nec per accidens. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 1. a. 1, sol. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod cum oppositio contradictoria sit omnium prima, ut necessario debeat includi in omnibus aliis tanquam prius et simplicius in suo posteriori; (opposita enim secundum quodque genus impossibile est simul existere, quod illis contingit ex eo, quod alterum oppositorum habet negationem adjunctam alteri opposito; cæcum enim est, quod non est videns; et nigrum, quod non est album; et similiter filius non est pater ejus, cujus est filius); — inde est, quod relative opposita dupliciter considerari possunt. (1. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 1, ad 1; 10. *Metaphys.* l. 10). *Uno modo*, secundum quod sunt relative opposita, et sic in duobus differunt a reliquis oppositis, quorum *primum* est, quod in aliis oppositis unum dicitur opponi alteri, in quantum ipsum removet; negatio enim removet affirmationem, et secundum hoc ei opponitur; oppositio vero privationis et habitus et contrarietatis includunt oppositionem contradictionis, ut dicitur 4. (3) *Metaphys.* — Non est autem hoc in relativis, quia per hoc filius non opponitur patri, quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum; et ex hoc causatur *secunda* differentia, quod nimirum in aliis oppositis semper alterum est imperfectum, quod accidit ratione negationis, quæ includitur in privatione ex altero contrariorum; hoc autem in relativis non oportet; imo utrumque considerari potest ut perfectum, ut maxime patet in relativis æquiparantiæ et originis, ut sunt æquale, simile, pater et filius. Quamvis enim una relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem supposito, quia in relativis non est oppositio secundum id, quod relativum in aliquo est, sed secundum id, quod ad aliud dicitur, tamen ista negatio non importat aliquem defectum; nam defectus non est nisi secundum aliquid, quod in aliquo natum est esse. Unde cum id, quod habet oppositionem relativam ad ipsum, secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio vel

defectus. — *Alio modo* possunt considerari opposita relative, ut involvunt oppositionem contradictionis, et sic alterum alterius negationem claudit respectu ejusdem; filius enim non est pater ejus, respectu cujus est filius. — 1. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 2, c.; *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 4 et q. 8, a. 1, ad 3; 4. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in contrariis immediatis non sit medium circa determinatum subjectum, est tamen medium simpliciter; nam lapis neque est cæcus, neque videns; et album neque est par, neque impar. Hoc etiam quod habent de immediatione circa determinatum subjectum, habent in quantum participant aliquid contradictionis; sed contradictio simpliciter in omnibus caret medio, et hoc non habet ab alio, sed ex ipsa; et propter hoc dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod ejus non est medium secundum se. Quamquam etiam ideo dicitur a Philosopho, contradictionis non esse medium secundum se, quia per accidens potest in contradictione reperiri medium ex parte negationis, si ei adjungatur aliquid, quod magis vel minus distet ab affirmatione, sive illud sit contrarium in eodem genere directe, sive sit dispositio contraria; sicut inter non album et album accipitur medium ex parte coloris, cui conjungitur negatio albedinis, secundum quod magis vel minus distat ab albedine, et inter non ignem et ignem accipitur medium, secundum quod aliquid est magis vel minus frigidum aut humidum. — 1. *Poster.* l. 5; 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod duplex est privatio, *una*, quæ est in privatum esse, ut cæcitas et mors; *altera* vero, quæ est in privari, ut ægritudo, quæ est via ad mortem, et ophthalmia, quæ est via ad cæcitatem; et hujusmodi privationes dicuntur interdum contrariæ, in quantum adhuc retinent aliquid de eo, quod privant, et hoc modo malum dicitur contrarium bono, quia non privat totum bonum, sed aliquid de bono remanet (*de Malo* q. 1, a. 1, ad 2 et 11). — Vel dic, quod bonum et malum in moralibus opponuntur contrarie, et non secundum privationem et habitum, tum quia inter bonum et malum invenitur medium, secundum quod bonum dicitur, quod est ordinatum, malum autem, quod non solum deordinatum est, sed etiam nocivum alteri; unde dicit Philosophus (4. *Ethic.* c. 1), quod prodigus vanus quidem est, sed non malus, tum quia malum ponit aliquid, in quantum consequitur quemdam ordinem vel modum, vel speciem; unde nihil etiam prohibet ea opponi mediate, ut dicit Philosophus. Sed malum in natura consequitur privationem simpliciter; unde bonum et malum naturæ, licet non sint immediata simpliciter, sunt tamen immediata circa proprium susceptibile, sicut privatio et habitus (*de Malo* q. 2, a. 5, ad 3; 1a, q. 48, a. 1, ad 3). Demum, quia licet bonum et malum in moralibus abstracte sumpta privative opponantur, concrete tamen et per accidens sumpta, quomodo sunt differentiæ in moralibus, cum sint entia positiva, opponuntur contrarie. — 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 2, c. et ad 2.

Ad quintum dicendum, quod privatio non solum privat, quod est, sed etiam id, quod natum est esse; potest enim aliquis privari aliquo, quod nunquam habuit, erat tamen natus habere, et hoc sufficit. Unde Philosophus (5. *Metaphys. text.* 27; l. 4, c. 22) inter quatuor modos privationis tertium dicit esse, quo privatio dicitur negatio ejus, quod subjectum natum est habere, sed non habuit; quartum vero, quo privatio est negatio ejus, quod fuit in subjecto, et violenter sublatum est. — *de Malo* q. 2, a. 12, ad 9; 5. *Metaphys.* l. 20.

Ad sextum dicendum, quod dupliciter potest bonum opponi malo, *uno modo* in ratione boni et mali, et sic uni bono unum tantum est contrarium; nam ambo vitia, inter quæ est medium bonum virtutis, habent rationem unius extremi. *Alio modo* secundum propriam speciem boni et mali, et hoc modo bonum virtutis est medium inter duo extrema vitia, et per consequens malum non solum opponitur bono, sed etiam malo. — 2. *Ethic.* l. 10.

Ad septimum dicendum, quod dictum Philosophi verum est, quando genus non dividitur per oppositas differentias; quando vero dividitur per oppositas differentias, verum est logice loquendo, non autem physice, ut dictum est. Cujus ratio est, quia naturaliter et physice loquendo dif-

ferentiæ sunt contrariæ; nam materia, super quam fundatur natura generis, est susceptiva contrariarum formarum; logice vero proprie non sunt oppositæ, et ideo logice non est necessarium, si unum contrarium est in natura, et reliquum esse, sicut physice necessarium est. — II. cit. in c. art.; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, ad 18.

Ad octavum dicendum, quod contraria sunt circa idem, quando subjectum æqualiter se habet ad utrumque contrariorum; unde Philosophus in Prædicam. ait, quod in contrariis, quando unum inest per naturam, alterum non est natum inesse eidem. Non sic autem se habent bonum et malum; nam bonum cuilibet enti naturaliter inest, cum dicatur bonum ex ipso suo naturali esse, non autem malum. Quod si sumantur bonum et malum, secundum quod opponuntur, ut habitus et privatio, sicut non oportet, ut quicumque inest habitus, nata sit inesse privatio, ita non oportet, ut quibuscumque natum est inesse bonum, natum sit etiam inesse malum. — 2a 2æ, q. 24, a. 10, ad 1; *de Verit.* a. 2, ad 1.

Ad nonum dicendum, quod unum et numerus non sunt relativa secundum se ipsa, quæ mutuo consequuntur, sed secundum accidens, sicut mensura et mensurabile, quæ non se consequuntur mutuo. — 10. *Metaphys.* l. 8; 1a, q. 13, a. 6, ad 7; *de Pot.* q. 7, a. 8, ad 1.

Ad decimum dicendum, quod quæ ex diverso ex eodem genere univoco dividuntur, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt simul secundum rem et secundum rationes, ut species animalis et species coloris; quædam vero sunt simul secundum rationes, sed unum est prius secundum rem, ut species figuræ et numeri. Quæ vero dividuntur sub genere analogo, unum illorum ponit esse secundum rem et rationem prius alio, ut substantia accidente. — 1a, q. 77, a. 4, ad 1; 1a 2æ, q. 29, a. 2, ad 1; 1. *Periherm.* l. 8.

Ad undecimum dicendum, quod Aristoteles in Postprædicam. sicut et in 3. *Phys.* ubi motum definit, accepit nomen motus, secundum quod est commune omnibus speciebus mutationis; at 5. *Phys.* accepit nomen motus magis stricte pro quadam specie mutationis, quæ est ex subjecto in subjectum, seu ex termino affirmative significato in terminum affirmative significatum, quomodo tres tantum species motus sunt : augmentatio, alteratio, latio. — 1. *Phys.* l. 2.

Ad duodecimum dicendum, quod habere, sicut et habitus, qui ab habendo dicitur, tripliciter sumitur. *Primo* communiter, secundum quod dicitur respectu cujuscumque, quod habetur, et sic cum sit commune ad diversa prædicamenta, ponitur a Philosopho inter postprædicamenta, quæ diversa rerum genera consequuntur. *Secundo* minus communiter, ut est quoddam medium per modum actionis et passionis inter habentem et habitum, prout dicimur vestiti vel armati ex vestium vel armorum adjacentia, et sic habitus constituit unum peculiare prædicamentum. *Tertio* sumitur habitus adhuc communiter, ut est id, quo res quodammodo, idest bene vel male se habet in seipsa, vel ad aliquid aliud, et sic cum iste modus se habendi sit secundum aliquam qualitatem, hoc modo habitus quædam qualitas est et species illius. — 1a 2æ, q. 49, a. 1, c. et ad 2.

QUÆSTIO XVI

DE QUIBUSDAM COMMUNIBUS AD PARTES ENUNTIATIONIS.

Post considerationem de his, quæ pertinent ad directionem primæ operationis, considerandum est de his, quæ pertinent ad directionem secundæ. Et quia omnis scientia præmittit ea, quæ de principiis sunt, partes autem compositorum sive materiales sive formales sunt earum principia (1. *Periherm.* l. 1 et 6), *prima* consideratio erit de iis, quæ communia sunt principiis materialibus enuntiationis, partibus scilicet integrantibus illius, et principiis formalibus ejusdem. *Secunda* erit de principiis materialibus, nomine scilicet et verbo. *Tertia* de principiis formalibus, nimirum de oratione. *Quarta* de ipsa enuntiatione.

CIRCA PRIMUM QUERUNTUR QUINQUE :

1. Utrum nomina et verba significent a natura, an vero ex hominum instituto.
2. Utrum nomina et verba immediate significent conceptus, an vero res.
3. Utrum facta mutatione in re significata fiat mutatio in significatione nominis.
4. Utrum nomen possit distinctius et clarius significare rem, quam ab imponente nomen, vel ab utente tali nomine intelligatur.
5. Utrum in vocibus simplicibus atque in prima operatione intellectus sit veritas et falsitas.

ARTICULUS I

UTRUM NOMINA ET VERBA SIGNIFICENT A NATURA, AN VERO EX HOMINUM INSTITUTIONE.

Videtur quod nomina et verba non significent ex hominum institutione, sed naturaliter.

1. Gemitus enim infirmorum et risus lætantium significant naturaliter, sunt enim eadem apud omnes; sed gemitus et risus sunt nomina : ergo nomina non significant ex hominum impositione, saltem omnia. — 1. *Periherm.* l. 2.

2. Præterea, nomen lux significat omne illud, quod manifestationem facit secundum quamcumque cognitionem ; sed hoc nomen non significat ex hominum instituto, nam ab hominibus tantum fuit impositum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus : ergo nomina significant naturaliter. — 1a, q. 67, a. 1, c.

3. Præterea, si nomina significarent ex hominum instituto, nullum nomen diceretur de Deo substantialiter, nec consequenter significaret ejus naturam, quia nos imponimus nomina rebus, secundum quod illas intelligimus (1a, q. 18, a. 2, c.); Deus autem a nobis non intelligitur secundum suam substantiam. Sed consequens est falsum; nam dicit S. Augustinus (*de Trin.* lib. 7, c. 1 et 7), quod Deo hoc est esse, quod fortem esse vel sapientem esse, et si quid de illa simplicitate dixeris, qua ejus substantia significatur, et S. Ambrosius (*de Fide* lib. 2, prol. n. 2) dicit, quod Deus est nomen naturæ : ergo nomina significant naturaliter. — 1a, q. 13, a. 1, c. et a. 2, arg. 3 et *Sed contra* et a. 8, arg. 2, etc.

4. Præterea, inter nomina alia sunt impropria et metaphorica, alia propria, et inter propria alia sunt maxime propria, ut nomen *qui est* inter illa, quibus nominamus Deum; sed talis proprietas non oritur ex impositione et placito hominum, quia sic ad nominandum Deum potuissent usurpare quodcumque nomen : ergo debet oriri ex naturali significatione nominum, et consequenter nomina significabunt naturaliter, et non ex hominum institutione. —1a, q. 13, a. 3 et 11.

5. Præterea, si nomina, quibus nominamus Deum et creaturas, significarent ex hominum impositione, prius dicerentur de creaturis, quam de Deo; secundum quod enim aliquid cognoscimus, secundum hoc illi nomen imponimus; prius autem cognoscimus creaturas, quam Deum. Sed hujusmodi nomina prius dicuntur de Deo, quam de creaturis secundum illud, quod dicitur ad Eph. (c. 3, v. 14 et 15) : « Flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis. et in terra nominatur » ; et eadem ratio videtur esse de aliis nominibus, quæ de Deo et creaturis dicuntur : ergo nomina significant naturaliter. — 1a, q. 13, a. 6, arg. 1 et *Sed contra*; *Expos. in ep. ad Eph.* c. 3, l. 4.

6. Præterea, nomina debent rerum naturis et proprietatibus congruere, propter quod imponens nomina rebus debet illas cognoscere; sed hoc non est, nisi quia nomina naturaliter significant naturas rerum : ergo nomina non significant ex hominum institutione. — 2. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2; 1a, q. 13, a. 1, c. et q. 94, a. 3, *Sed contra.*

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Periherm.* c. 2 definit nomen, quod sit vox significativa secundum placitum, et cap. 1 dicit, quod sicut non sunt eædem apud omnes litteræ, sic neque voces eædem sunt; voces autem, quæ naturaliter significant, sunt eaedem apud omnes : ergo voces, quæ non sunt eædem apud omnes, ut sunt nomina et verba, non significant naturaliter, sed ex hominum impositione. — 1. *Periherm.* l. 2, 4, 5.

RESPONDEO DICENDUM, quod circa hoc varii varia senserunt. Quidam enim dixerunt, quod nomina nullo modo naturali-

ter significant, nec differt, quæ res quo nomine significetur. Alii vero dixerunt, quod nomina omnino naturaliter significant, quasi nomina sint naturales similitudines rerum (1. *Periherm.* l. 2, 4, 5). Quidam vero dixerunt, quod nomina non naturaliter significant, quantum ad hoc, quod eorum significatio non est a natura, ut Aristoteles (1. *Periherm.* c. 2) intendit, ubi id probat *primo a signo*; quia quæ naturaliter significant sunt eadem apud omnes; at litteræ, ex quibus voces et nomina formantur, non sunt eædem apud omnes, sicut nec voces ipsæ nec nomina : ergo nec litteræ nec voces nec nomina significant naturaliter. *Secundo ratione;* quia id, quod naturaliter significat, non fit signum, sed naturaliter est signum, ut patet in sonis illiteratis animalium. Sed nomina et verba fiunt signa, quando imponuntur rebus, quas homines volunt significare; quantum vero ad hoc, naturaliter significant, quod eorum significatio congruit naturis rerum, ut Plato dixit. Neque obstat, quod una res multis nominibus significatur, quia unius rei possunt esse multæ similitudines, et similiter ex diversis proprietatibus possunt uni rei diversa nomina imponi. Cum enim nomina sint duplicia, quædam *primitiva*, a quibus deducuntur alia; quædam vero *derivativa :* priora illa imponere non est difficile, nec requirit magnam scientiam rerum; nam imponuntur omnino ad placitum; horum vero impositio requirit magnam scientiam rerum. Cum enim illorum derivatio non solum fiat per flexionem plurium nominum, sicut ab homine humanus, ab humo homo, (Postilla in *Genesin* c. 2, v. 19, spuria) sed etiam aliis modis, nimirum aliquando per transsumptionem, puta per comparatas habitudines et analogias; aliquando per similitudinem aliquam, et aliquando per contrarium; et similiter cum aliquando desumantur nomina ex actione rei, quomodo nomen lapis desumitur ex eo, quod lædit pedem et nomen Deus desumitur ab operatione particulari Dei, quæ est providere; aliquando ex actu et effectu, vel ex proprietatibus rei, ut patet in nominibus generum et specierum, quia, ut dicitur 4. (3) *Metaphys.*, ratio, quam significat nomen, est definitio, quæ designat propriam naturam rei, in cujus cognitionem devenimus ex proprietatibus et accidentibus exterioribus vel ex circumstantiis, puta vel a tempore, vel a cognatione, vel ab eventu, vel ex aliqua qualitate ejus, cui nomen imponitur, ut contingit in nominibus singularium hominum; vel demum ab aliqua qualitate divinitus concessa, ut est in nominibus divinitus impositis, — necessario debent et naturæ rerum et alia plura cognosci ad hoc, ut hujusmodi nomina rebus imponantur. Unde manifestum est, quod nomina et verba significant ex hominum institutione, non autem naturaliter. — 1a, q. 13, a. 1, c. et a. 8, c. et q. 18, a. 2, c.; 2. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, *Sed contra*; 3a, q. 37, a. 2, c.; 4. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 1, sol. 2, c. et ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen gemitus et nomen risus significant ex instituto, et sunt nomina; at res significatæ per hæc nomina, puta voces illæ, quæ naturaliter significant passiones animi, cum sint eædem apud omnes, longe sunt a ratione nominis et verbi, et non significant ex instituto, sicut patet in similibus vocibus et sonis, puta in mugitu et rugitu, eorumque nominibus. — 1. *Periherm.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter de aliquo nomine convenit loqui, *uno modo* secundum primam ejus impositionem; *alio modo* secundum usum nominis, sicut patet in nomine visionis, quod primo impositum est ad significandum actum sensus visus, sed propter dignitatem et certitudinem hujus sensus extensum est hoc nomen secundum usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum, (dicimus enim : vide, quomodo sapit, quomodo redolet, vel quomodo est calidum), et ulterius ad cognitionem intellectus secundum illud Matthæi 5, 8 : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ». Et similiter dicendum de nomine lucis : nam primo est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus, postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem. — 1a, q. 67, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod secundum quod naturam alicujus rei ex ejus proprietatibus et effectibus cognoscere possumus, sic eam nomine possumus significare. Unde quia substantiam lapidis ex ejus proprietate cognoscere possumus secundum seipsam, sciendo quid est lapis, hoc nomen *lapis* ipsam ejus naturam, secundum quod in se est, significat; significat enim definitionem lapidis, per quam scimus, quid est lapis; ratio enim, quam significat nomen, est definitio, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 28; l. 3, c. 8. Quia ergo essentiam Dei in hac vita cognoscere non possumus, secundum quod in se est, sed illam cognoscimus secundum quod repræsentatur in perfectionibus creaturarum, ideo nomina a nobis Deo imposita illum imperfecte significant, et per consequens, cum dicitur Deus bonus, sapiens, divinam substantiam significant, imperfecte tamen, sicut et creaturæ imperfecte eam repræsentant. Et quia similiter ex effectibus divinis divinam naturam scire non possumus quid est, sed per modum eminentiæ, causalitatis et negationis, ideo ut sic hoc nomen Deus significat naturam divinam : impositum enim est hoc nomen ad aliquid significandum super omnia existens, quod est principium omnium et remotum ab omnibus; hoc enim intendunt significare nominantes Deum. — 1a, q. 13, a. 1, c. et a. 2, c. et ad 1 et 2 et a. 3, c. et a. 8, c. et ad 2.

Ad quartum dicendum, quod sicut dictum est, Deum cognoscimus ex perfectionibus procedentibus in creaturas ex ipso, quæ quidem perfectiones in Deo sunt secundum eminentiorem modum, quam in creaturis. Intellectus autem eo modo apprehendit eas, secundum quod sunt in creaturis, et secundum quod apprehendit, ita significat per nomina. In nominibus igitur, quæ Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet *perfectiones ipsas significatas*, ut bonitatem, vitam et hujusmodi, et *modum significandi*. Quantum igitur ad id, quod significant hujusmodi nomina, proprie competunt Deo, et magis proprie, sicut et per prius, quam ipsis creaturis. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo; habent enim modum significandi, qui competit creaturis. Verum quia omnia nomina quæ dicuntur de Deo, involvunt talem modum, nec tamen omnia de Deo dicuntur proprie, sed aliqua dicuntur *proprie*, aliqua *improprie* et metaphorice ; ideo sciendum, quod quædam nomina ex parte significati significant et ipsas creaturarum perfectiones et modum imperfectum, quo tales perfectiones a creaturis participantur, sicut lapis significat aliquid materialiter ens, — et hujusmodi nomina non possunt attribui Deo nisi metaphorice; quædam vero significant ipsas perfectiones absolute absque hoc, quod aliquis modus participandi clauditur in earum significatione, ut ens, bonum, vivens et hujusmodi, — et talia nomina proprie dicuntur de Deo. Verum adhuc inter hujusmodi nomina, aliqua dicuntur maxime proprie de Deo, ut nomen « *Qui est* », et multo magis, quam nomen « *Deus* », et hoc tripliciter : *primo*, quantum ad significationem seu quantum ad id, a quo imponitur, scilicet ab *esse*: cum enim esse Dei sit ipsa ejus essentia, et hoc nulli alii conveniat, inter alia nomina maxime nominat Deum; unumquodque enim denominatur a sua forma. *Secundo*, quantum ad modum significandi, propter ejus scilicet universalitatem; omnia enim alia nomina vel sunt minus communia, vel si convertuntur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum rationem; unde quodammodo informant et determinant ipsum; quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ Dei; sed hoc nomen *Qui est* nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes, et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitæ. *Tertio*, quantum ad modum consignificandi, significat enim esse in præsenti, quod maxime proprie dicitur de Deo, cujus esse non novit præteritum, vel futurum, ut dicit August. *de Trinit.* l. 5, c. 2. — 1a, q. 13, a. 2, c. et a. 3, c. et ad 1 et 3, et a. 11, c. et ad 1.

Ad quintum dicendum, quod nomina, quæ dicuntur de Deo et creaturis, quantum ad rem significatam per prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia a Deo hujusmodi perfectiones manant; sed quantum ad impositionem nominis, per prius a nobis imponuntur creaturis, quas

prius cognoscimus; unde et modum significandi habent, qui competit creaturis, ut dictum est. — Vel dic, quod nomen alicujus rei nominatæ a nobis dupliciter potest accipi, *uno modo*, quatenus est expressivum vel significativum conceptus intellectus, quia voces sunt signa vel notæ passionum seu conceptuum, qui sunt in anima : et sic nomen prius dicitur de creaturis, quam de Deo. *Alio modo*, in quantum est manifestativum quidditatis rei nominatæ exterius, et sic prius dicitur de Deo, et sic nomen paternitas, secundum quod significat conceptum intellectus nominantis rem, per prius invenitur in creaturis, quam in Deo, quia per prius innotescit creatura nobis, quam Deus; secundum quod autem significat ipsam rem nominatam, sic per prius est in Deo, quam in creaturis; quia omnis virtus generativa est in creaturis a Deo. — 1a, q. 13, a. 3, c. et a. 6, c.

Ad sextum dicendum, quod nomina dicuntur naturis rerum congruere et quod imponens nomen rei debet illius naturam cognoscere, non quia nomina naturaliter significant naturas rerum, sed *primo*, quia unaquæque res nominatur ab eo, quod est in ipsa nobilius, quod est essentia rei, quæ propterea debet cognosci. *Secundo*, quia nomina imponuntur ex proprietatibus rerum; cum enim sic nominemus aliquid, secundum quod illud cognoscimus, substantiam vero rei cognoscamus ex illius proprietatibus et accidentibus exterioribus (nam intellectus noster, qui proprie est cognoscitivus quidditatis rei ut proprii objecti, accipit a sensu, cujus propria objecta sunt accidentia exteriora) ex his proprietatibus et accidentibus substantiam nominamus, ut patet in nominibus generum et specierum, ut dictum est. Et inde est, quod in hujusmodi nominibus *aliud* est id, ad quod significandum nomen imponitur, *aliud* id, a quo imponitur, unde et hujusmodi nomina quandoque accipiuntur proprie pro ipsis essentiis rerum, ad quas significandas principaliter sunt imposita; aliquando autem sumuntur pro ipsis proprietatibus, a quibus imponuntur, et hoc minus proprie, sicut patet, quod hoc nomen « corpus » impositum est ad significandum genus quoddam substantiarum ex eo, quod in eis inveniuntur tres dimensiones; et ideo aliquando ponitur hoc nomen corpus ad significandas tres dimensiones, secundum quod corpus ponitur species quantitatis. Si quæ vero sunt, quæ secundum se sunt nobis nota, ut calor, frigus, albedo, hæc non ab aliis denominantur, et idem est in illis id, quod nomen significat, et id, a quo imponitur nomen ad significandum; et nomina illorum dicuntur nomina primitiva, quæ imponere, ut dictum est, non est difficile nec requirit magnam scientiam. — 2. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, *Sed contra*; 4. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 1, sol. 2, c. et ad 3; 1a, q. 13, a. 8, c. et ad 2 et q. 38, a. 2, arg. 2; 3a, q. 37, c.

ARTICULUS II

UTRUM NOMINA ET VERBA IMMEDIATE SIGNIFICENT CONCEPTUS AN RES.

Videtur, quod nomina et verba immediate significent tantum res, non autem conceptus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Periherm.* c. 1), quod ea, quæ sunt in voce, sunt signa passionum animi; sed per passiones animi non consuevit Philosophus intelligere et nominare conceptus : ergo ea, quæ sunt in voce, non significant immediate conceptus, sed res. — 1. *Periherm.* l. 2.

2. Præterea, nomen non convenit voci, nisi secundum quod facit notitiam de re, propterea enim dicitur nomen quasi notamen, et imponitur ad cognoscendam rem, unde et dicitur significare substantiam rei, et pro re, quam nobiscum ferre non possumus, utimur ejus nomine; sed illud immediate significat nomen, cujus loco illo utimur et ad quod significandum imponitur : ergo nomen non significat immediate conceptus. — 4. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 2. sol. 2, ad 9; *Expos. in ep. ad Ephes.* c. 1, l. 7, in fine.

3. Præterea, illud significamus vocibus, quod intelligimus, et consequenter illud primo significamus per nomen, quod primo per illud intelligimus; sed quod primo intelligimus, est res, cujus species intelligibilis est similitudo : ergo voces primo et

immediate significant res. — 1a, q. 85, a. 2, arg. 3 et c.

4. Præterea, quod in propositione vera enuntiatur de aliquo, debet de illo verificari et in eo vere existere; sed in hac propositione : Deus est sapiens, bonus, conceptio mentis formata de re significata per hæc nomina non potest verificari nec vere esse in Deo (nam quidquid est in Deo, Deus est, at talis conceptio non est in Deo, sed in nostro intellectu subjective) : ergo hoc idem quod prius. — *de Pot.* q. 7, a. 5, c.; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, c. et arg. 4.

5. Præterea, si nomina et verba immediate significarent conceptus, multæ propositiones veræ essent falsæ, ut quando dicitur : homo est animal; nam neque in homine est conceptus animalis, neque conceptus hominis est conceptus animalis: ergo. — *de Pot.* q. 9, a. 5, c.

6. Præterea, scientia est de rebus, non de conceptibus; sed illud immediate et primo significant voces, de quo habemus scientiam, cujus signum est, quod nomen imponitur ab eo, per quod res cognoscitur et scitur, puta a proprietate vel operatione : ergo. — *de Pot.* q. 9, a. 5, c.; v. supra q. 2, a. 1; 1. *Periherm.* l. 2; 1a, q. 13, a. 2, c. et a. 8, c. et ad 2.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Periherm.* c. 1) dicit, quod voces sunt signa intellectuum, et intellectus sunt similitudines rerum. Et l. c. c. 3 ex eo probat, quod verbum aliquo modo potest dici nomen, quia sicut nomen significat intellectum, et ideo generat aliquem intellectum in animo audientis, ita qui dicit verbum, constituit intellectum in animo audientis: ergo voces immediate significant conceptus, non res. — 1. *Perih.* l. 5; *Quodl.* 4, a. 17, c.; 1a, q. 13, a. 1, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, quod nomina et verba significant res et conceptus, sed hos *immediate* et per prius, illas vero *mediate*, mediantibus scilicet conceptibus, et per posterius. — 1a, q. 13, a. 4, c. et a. 9, ad 2; *de Verit.* q. 2, a. 1, ad 3.

Et quidem quod significent *res ipsas*, manifestum est ex multis, et *primo* quidem, ex usu ipso nominum; nam cum ipsas res nobiscum ferre non possimus, pro ipsis rebus nominibus utimur tanquam signis. *Secundo* ex modo diverso, quo voces significativæ spectant ad grammaticos et philosophos. Nam illi circa hujusmodi versantur, non propter res, quas significant, sed propter modum diversum ac varium illas significandi, quem ex se denotant, verbi gratia, quod aliquando per modum substantiæ, aliquando per modum accidentis et actus; at physici auctores voces ipsas magis referunt ad designandas res aliquas determinate, has vel illas in aliquo genere rerum; propter quod cum frequenter a physico vel logico non instituantur voces significantes secundum numerum rerum, quia ars non coæquat naturam, contingit, quod physicus vel logicus una voce plures res designat, et sic sit æquivocatio vocum. *Tertio*, ex ordine ad ea, de quibus dicuntur; nam omne nomen commune Deo et creaturis prius dicitur de Deo, quam de creaturis ratione rei significatæ, sicut e contra prius dicitur de creaturis ratione impositionis nominis et modi significandi ipsius. *Quarto*, ex origine impositionis nominis; imponitur enim nomen ab eo, per quod res cognoscitur, puta a proprietate vel operatione, si humanitus imponatur, unde necessario debet rem significare. *Postremo*, ratione rei significatæ, quæ est id, cui nomen imponitur, dicitur nomen significare substantiam, sicut ratione ejus, a quo nomen imponitur, dicitur significare qualitatem. — *de Pot.* q. 7, a. 5, c. et ad 8 et a. 6, c. et q. 9, a. 5, c.; 1. *Ethic.* l. 7; 1. *Periherm.* l. 2; *de Verit.* q. 4, a. 1, c.; 1a, q. 13, a. 2, c. et ad 2 et a. 3 et a. 6, c. et a. 8, c. et a. 9, c. et ad 3 et q. 33, a. 1, ad 3 et a. 2, ad 4; 3a, q. 37, a. 2, c.

Quod vero voces significativæ, seu nomina et verba significent *conceptus*, multipliciter etiam patet. Nam *primo*, vox exterior significativa ideo dicitur verbum, quia significat internum mentis conceptum, a quo quantum ad vocem et significationem procedit; et quæ non est significativa, verbum dici non potest. Unde naturaliter verbum primo et principaliter dicitur interior conceptus, secundario vero vox externa interioris conceptus significativa; nam hujus causa finalis et efficiens est verbum interius; finalis quidem, quia verbum vocale ad hoc a nobis exprimitur

ut interius verbum manifestetur; efficiens vero, quia verbum prolatum exterius, cum sit significativum ad placitum, ejus principium est voluntas, sicut et cæterorum artificiatorum; et ideo sicut aliorum artificiatorum præexistit in mente artificis imago quædam exterioris artificii, ita in mente proferentis exterius verbum præexistit quoddam exemplum exterioris verbi. *Secundo*, ratione conceptuum nomina, quæ tribuuntur Deo et creaturis, prius dicuntur de creaturis, quam de Deo, licet sit e contra ratione rei significatæ. *Tertio*, aliqua nomina dicuntur propria et incommunicabilia, aliqua appellativa et communicabilia ex significato, et tamen non ita dicuntur ex re significata, sed ex conceptu; quia Deus est nomen appellativum (significat enim naturam divinam ut in habente) et tamen ipse Deus nec est universalis, nec singularis, et nomen hoc Deus secundum rei veritatem est incommunicabile. *Quarto*, propterea ad homines utimur verbis, ut eis manifestemus conceptum nostri cordis, quem non possunt cognoscere, nisi verbis nostris illum eis exprimamus; et ideo laude oris ad eosdem utimur, ut vel illis vel aliis audientibus innotescat, quod bonam opinionem de laudatis habemus. *Demum* hoc distinguitur nomen rei ut est quantitas, qualitas, a nomine secundæ intentionis, quale est genus, species et similia, quod illa significant conceptionem, (quia in intellectu intelligentis rem significatam per illa nomina existit similitudo objective repræsentans illam intellectui intelligentis), hæc vero significant intentionem conceptionis, quia non existit in intellectu utentis hujusmodi nominibus similitudo intentionis significatæ, sed significatum illorum est intentio, quam intellectus invenit. — 1a, q. 13, a. 1, c. et ad 3 et a. 6, c. et arg. 2 et ad 2 et a. 9, ad 2 et q. 34, a. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, c. et dist. 22, q. 1, a. 1, ad 3 et a. 3, solut.; *de Pot.* q. 7, a. 6, c. et q. 8, a. 1, c.; *de Verit.* q. 4, a. 1, c. et ad 7 et 9; 2a 2æ, q. 91, a. 1, c.

Quod vero nomina et verba *immediate et per prius* significent conceptus, secundario vero et *mediate atque* adeo *per posterius* res, mediantibus scilicet conceptibus, multipliciter etiam manifestum est (1. *c. Gent.* c. 35; 1. *Periherm.* l. 2 et 10). — Et *primo*, quia Philosophus expresse id sentit; nam 1. *Periherm.* c. 1 docet ea, quæ sunt in voce, esse signa passionum animi, et has esse similitudines rerum; per passiones autem animi quod intelligat internos conceptus mentis, *primum* constare potest ex modo ipso significandi nominum : nam hoc nomen homo immediate significat naturam humanam in abstractione a singularibus, non autem hominem singularem, ut Platonici posuerunt, ipsam nimirum hominis ideam separatam; sed natura humana abstracta a singularibus non subsistit realiter secundum sententiam Aristotelis, (1. *c. Gent.* c. 53) sed est in solo intellectu subjective, et objective ratione conceptus. *Præterea*, quia Philosophus dividit in 1. *Periherm.* c. 7 res in singulares et universales, non autem dividit illas, ut sunt a parte rei, quia nulla res a parte rei est universalis, sed ut significantur per nomen; quia nimirum nomen immediate significat conceptus, ratione quorum res dicitur universalis vel singularis, quia in conceptu universali vel singulari repræsentatur (1. *Periherm.* l. 7 et 10). *Deinde*, quia vox complexa, ut enuntiatio vocalis, definitur a Philosopho, quod sit oratio significans verum vel falsum, et consequenter compositionem et divisionem, in quibus consistit veritas et falsitas, et hæc immediate; sed tam veritas et falsitas, quam compositio et divisio tantum sunt in conceptibus, non autem in rebus, ut docet Philosophus 9. *Metaphys. text.* 22; l. 8, c. 10. *Denique*, quia conceptus sunt vere similitudines rerum, unde et vocantur similitudines expressæ, ut dicemus, et iidem soli sunt signum et signatum nominum (4. *Metaphys.* l. 7; *de Verit.* q. 1, a. 3, *Sed contra* et c.; *Quodl.* 4, a. 17, c.). — *Secundo* probatur, quia illud immediate significatur ab instrumento, per quod definitur, definitur autem a fine, qui est usus instrumenti; sed usus omnis vocis significativæ est significare conceptus intellectus; ergo quod immediate significatur a voce significativa, seu a nomine et verbo, est conceptus. — *Tertio*, illud primo et per se et immediate significatur per nomen et verbum, quod per se primo intelligitur hoc autem non est res significata

per nomen, sed verbum et conceptus mentis, quem formamus de re, ut dictum est; tum quia ad hoc ut intellectus rem intelligat, necessario debet interius formare conceptum, per quem de re judicet; format autem intellectus hoc verbum per intellectionem, unde verbum debet esse terminus intellectionis, quo fit, ut esse verbi sit ipsum intelligi. Præterea, quia universaliter omne intellectum debet esse in intelligente), significat enim ipsum intelligere apprehensionem ejus, quod intelligitur per intellectum), unde etiam intellectus noster seipsum intelligens est in se ipso, non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut quid a se apprehensum intelligendo; intellectum autem in intelligente est intentio intellecta; verbum enim lapidis est lapis intellectus, sicut et verbum Dei est Deus intellectus. Deinde quia quod immediate intelligitur, est universale, non autem singulare; universale autem, ut dictum est, non est res, sed conceptus, (1a, q. 85, a. 2, ad 3; *Opusc.* 9, q. 1; *Opusc.* 53; 4. *c. Gent.* c. 11) — *Quarto*, quia si nomina immediate significarent res ipsas, secundum quod sunt in se, etiam quoad modum significandi sequerentur modum essendi, qui est in rebus, quem tamen non sequuntur, sed sequuntur modum essendi in cognitione nostra; nam alioqui nomen Deus esset nomen proprium, cum tamen sit appellativum. — *Quinto*, ratio cujuslibet est, quam immediate significat nomen ejus, ut ratio lapidis, quam immediate significat nomen lapis; sed ratio, quam significat nomen, est definitio et conceptus interior rei; est enim id, quod interius intellectus concipit de significatione cujuslibet nominis : ergo. (*Opusc.* 9, q. 1; 1a, q. 13, a. 8 et q. 85, a. 2, ad 3) — *Sexto* plura nomina dicta de Deo non alia ratione non sunt synonima, licet significent rem omnino unam, quam quia non est eadem nominis significatio, eo quod nomina per prius conceptionem intellectus, quam rem intellectam significent, intellectus autem diversas conceptiones format de re : ergo. — *Postremo* ex immediato significato sumitur unitas et diversitas nominis; sed hæc non sumitur ex re significata (alioqui non daretur ullum nomen æquivocum), sumitur autem ex conceptu : ergo hic est primum et immediatum significatum, cum præsertim, ut dictum est, conceptus sit signum et signatum vocis, res autem tantum sit signatum. Ergo dicendum est, quod nomina et verba immediate et per prius significant conceptus, quam res. — 1. *c. Gent.* c. 35; 1a, q. 13, a. 4; *Opusc.* 9, q. 1; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, solut.; *de Verit.* q. 2, a. 1, c.; *de Pot.* q. 7, a. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus per passiones intelligit animæ operationes et conceptus, qui possunt dici passiones, vel quia intelligere nostrum non est sine phantasmate, quod non est sine corporali passione, unde et imaginativam Philosophus (3. *de Anima*) vocat passivum intellectum; vel quia extenso nomine passionis ad omnem receptionem, etiam ipsum intelligere intellectus possibilis quoddam pati est, ut dicitur 3. *de Anima text.* 12; l. 3, c. 4. Utitur autem potius nomine passionum, quam intellectuum vel conceptionum, tum quia ex aliqua animæ passione provenit, puta ex amore vel odio, ut homo interiorem conceptum per vocem alteri significare velit, tum quia significatio vocum refertur ad conceptionem, secundum quod oritur a rebus per modum cujusdam impressionis vel passionis. — 1. *Periherm.* l. 2; 1a, q. 85, a. 2, arg. 3 et ad 3.

Ad secundum dicendum, quod nomina significant res, sed mediantibus conceptibus, ut dictum est; quod ex eo etiam manifestum est, quod ideo dicuntur significare substantiam rei, quia significant rationem definitivam rei, et dicuntur significare substantiam rei perfecte vel imperfecte, quia significant rationem perfecte vel imperfecte repræsentantem essentiam rei. — 1a. q. 85, a. 2, c. et q. 13, a. 4, c.; *Expos. in ep. ad Ephes.* l. 7.

Ad tertium dicendum, quod primum intellectum non est res significata per nomen, sed conceptus interior intellectus, ut dictum est. — V. supra in corp. hujus art.; *de Pot.* q. 9, a. 5, c.

Ad quartum dicendum, quod sicut ratio et conceptio hominis non dicitur esse in homine, quasi res quædam in ipso, sed est sicut in subjecto in intellectu, et in homine tanquam in significato, et tanquam in eo, quod præstat fulcimentum et firmitatem veritatis ipsius (ex eo enim, quod res est,

intellectus habet veritatem vel falsitatem), ita ratio bonitatis divinæ est in intellectu, sicut in subjecto, in Deo autem sicut in significato et sicut in eo, quod correspondet per quandam similitudinem isti conceptioni, faciens ejus veritatem. — 4. *c. Gent.* c. 11; *de Verit.* q. 4, a. 1, c. et ad 7 et 9; 2a 2æ. q. 91, a. 1, c.

Ad quintum dicendum, quod vera est hæc propositio : *homo est animal*, quia ut dictum est, conceptus animalis est vere in homine tanquam in significato et tanquam in eo, a quo habet firmitatem suæ veritatis. Dicitur vero conceptus animalis esse in conceptu hominis, sicut pars in toto ; nam conceptus hominis est compositus ex conceptu animalis et conceptu rationalis; quamquam neuter conceptus potest prædicari de conceptu speciei, sicut nec de composito physico ex pluribus rebus potest ulla res, quæ sit illius pars, prædicari. — Il. proxime ad 4 cit.; *Opusc.* 30, c. 3.

Ad sextum dicendum, quod conceptus dupliciter potest considerari : *uno modo* ut res, et sic primo et per se et directe cognoscitur et scitur res, secundario vero et reflexe conceptus. *Alio modo*, ut similitudo et imago rei ; cum enim verbum sit res intellecta, ut verbum lapidis est lapis intellectus, et similitudo lapidis veri ab intellectu apprehensa, et hoc modo conceptus necessario debet esse primum intellectum, quia ad hoc, ut intelligatur res ad extra, debet formari conceptus interior, qui sit similitudo et imago ejus, et ratione cujus res intellecta fit præsens objective intellectui, et in illo existens fit unum quid cum illo, et eo mediante judicat intellectus de re. — 1a. q. 85, a. 2, c. et arg. 3 et ad 3; 1. *c. Gent.* c. 53 et 4, c. 11; *de Pot.* q. 9, a. 5, c. ; *Opusc.* 9, q. 1; *Opusc.* 53.

ARTICULUS III

UTRUM FACTA MUTATIONE IN RE SIGNIFICATA FIAT MUTATIO IN SIGNIFICATIONE VOCIS SIGNIFICATIVÆ SEU NOMINIS.

Videtur quod facta mutatione in re significata fiat etiam mutatio in significatione nominis aut verbi.

1. Dicit enim Philosophus in *Prædic.* c. 5, quod hæc propositio : *Socrates sedet*, vera est eo sedente, et est falsa eo surgente ; nam veritas rei est causa veritatis propositionis, cum ex eo, quod res est vel non est, oratio dicatur vera vel falsa. Sed veritas propositionis non distinguitur ab ejus significatione, nam veritas secundum Anselmum est rectitudo quædam, in quantum implet hoc, quod accepit in mente divina, et prædictæ propositionis veritas consistit in hoc, quod significet sessionem Socratis : ergo mutata re significata mutatur etiam significatio nominis. — 1a, q. 14, a. 15, ad 3; *Quodl.* 4, a. 17; *de Verit.* q. 1, a. 6, arg. 4 et 6 et *Sed contra.*

2. Præterea, verum cum ente convertitur; sed mutata re significata, mutatur veritas propositionis : ergo et mutatur entitas et significatio ipsius. — *de Verit.* q. 1, a. 2, arg 1.

3. Præterea, interempto uno relativorum interimitur aliud, nam esse relativi est ad aliud; sed signum et signatum sunt correlativa : ergo mutata re mutatur et significatio signi et per consequens nominis. — 3a, q. 35, a. 5, arg 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 64; c. 11), quod futurus quis incedere non incedet; sed hoc non est verum, si semper manet eadem significatio propositionis vocalis, etiamsi mutetur res : ergo mutata re, mutatur etiam significatio propositionis vocalis.—*Quodl.* 4, a. 17.

Sed contra est : 1. quod Philosophus in *Prædicam.* c. 5 et 9. *Metaphys. text.* 22; l. 8, c. 10 dicit, quod ratio eadem manens aliquando est vera, aliquando falsa ob mutationem factam in re : ergo re mutata non mutatur significatio vocis. — 9. *Metaphys.* l. 11; 1a, q. 14, a. 15, ad 3; 3. *de Anima* l. 5.

2. Præterea, cessante sessione Socratis adhuc ista enuntiatio : *Socrates sedet*, facit id, ad quod ordinata est in mente divina; sed ordinata est in mente divina, ut significet sessionem Socratis : ergo, cessante et mutata sessione Socratis, non mutatur significatio prædictæ propositionis, atque adeo significativæ. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 3, arg 5; *de Verit.* q. 1, a. 6, arg 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod in qualibet voce significativa, præsertim complexa,

quæ sola significat verum vel falsum, ut docet Philosophus (1. *Periherm.* c. 1), duo sunt : unum *essentiale*, et hoc est significatio ; (essentiale enim est enuntiationi, ut significet illud, ad quod est instituta, voces enim simplices significativæ, ex quibus componitur enuntiatio, tanquam totum ex partibus, puta nomina et verba, supra vocem, quæ est quid naturale, addunt significationem ex instituto, quæ advenit sicut forma materiæ, et hæc significatio est veritas, quæ convertitur cum entitate vocis significativæ, illi conveniens, in quantum est res ; in qualibet enim re dicitur esse veritas, quando implet illud, ad quod est ordinata, vel quod accepit in mente divina ; vox autem significativa, complexa præsertim, ut est enuntiatio, accepit in mente divina, ut significaret aliquid) ; alterum est *accidentale*, et est veritas, quæ convenit voci significativæ et enuntiationi, non in quantum est res, sed ut comparatur ad res intellectas, seu ut est signum talis rei, quæ consistit in adæquatione ejus ad rem illam. Mutata re significata, non mutatur enuntiatio et vox significativa quantum ad essentialia, et per consequens quantum ad significationem et veritatem, quæ convertitur cum ente et convenit enuntiationi, ut est res ; mutatur autem veritas accidentalis enuntiationis de prædicato contingenti, seu adæquatio signi sine aliqua mutatione ipsius signi et significationis, quod manifestum est in relationibus posse contingere, et ideo veritas enuntiationis contingentis per se non manet ; veritas autem enuntiationis necessariæ per accidens potest deficere quantum ad esse, quod habet in anima, vel in rebus, si res illæ deficiunt ; tunc enim non remanet illius veritas, nisi in Deo, in quo sunt una et eadem veritas. — 1. *Periherm.* l. 3 et 7 ; 6. *Metaphys.* l. 4 ; *Quodl.* 4, q. 9, a. 17 ; *de Verit.* q. 1, a. 6, ad 4 et arg. 2 et ad 2 ; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 3, ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod enuntiatio, ut dictum est, sicut et quælibet vox significativa præsertim complexa dupliciter potest considerari : *uno modo* secundum quod est res quædam, atque adeo secundum veritatem ei convenientem ut sic, seu quatenus est significativa ; et sic, illa manente, non potest ab ea removeri significatio ipsius et consequenter veritas entitativa ; nam hæc est id, quod accepit in mente divina, quod perpetuo implet, quamdiu manet. *Alio modo*, secundum quod comparatur ad res intellectas, et secundum veritatem significationis, puta quatenus significat opinionem veram ; et sic dicitur enuntiatio vera, quando adæquatur rei, et talis veritas mutatur mutata re. — *de Verit.* l. proxime cit.

Ad secundum dicendum, quod licet verum sit, quod ens et verum convertantur, sive sumatur verum, quod est in intellectu, sive quod est in re ; diversimode tamen id contingit. Quia secundum quod dicitur de rebus, convertitur cum ente per prædicationem, omne enim ens est adæquatum intellectui divino, et potens sibi adæquare intellectum humanum, et e converso ; si autem accipiatur verum, prout dicitur de intellectu, atque adeo de enuntiatione, sic convertitur cum ente, quod est extra animam, non per prædicationem, sed per convenientiam, eo quod cuilibet intellectui vero oportet, quod respondeat ens aliquod, et contra. Et proinde si fiat mutatio ex parte rei, non est necesse, quod fiat mutatio in significatione enuntiationis, ut dictum est, sed tantum in veritate ; nam illud, quod est in aliquo, non sequitur illud, in quo est, nisi quando causatur ex principiis ejus ; unde lux, quæ causatur in aere ab extrinseco, scilicet a sole, sequitur motum solis magis quam aerem, et veritas, quæ est in enuntiatione, causatur a rebus, et ideo non sequitur significationem, quæ illi inest ex institutione mentis divinæ, ut dictum est, sed existentiam rerum ; ex eo enim, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, vel intelligitur. — 1a, q. 16, a. 3 ; *de Verit.* q. 1, a. 2 et a. 6, arg. 2 et 4 et ad 2 et 4.

Ad tertium dicendum, quod in voce significativa complexa seu in enuntiatione aliud est significatio, aliud adæquatio significationis ad rem seu veritas signi ; nam illa est essentialis enuntiationi, et respicit essentiam simpliciter, unde non sequitur ejus existentiam, sed tantum divinam institutionem ; hæc vero est accidentalis enuntiationi et respicit existentiam rei, a qua causatur. Et ideo illa manet immutata

manente enuntiatione, licet mutetur res; haec vero, mutata re, mutatur. Et sic patet etiam *ad quartum*. — Il. cit. in c. hujus art. et ad 1 et 2.

ARTICULUS IV

UTRUM VOX SIGNIFICATIVA POSSIT CLARIUS ET DISTINCTIUS SIGNIFICARE REM, QUAM AB IMPONENTE TALEM VOCEM INTELLIGATUR.

Videtur, quod vox significativa possit clarius et distinctius significare, quam ab imponente talem vocem intelligatur.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphis. text.* 10; l. 3, c. 4), quod vox significativa significat aliquid alicui; sed significare aliquid alicui nihil aliud est, quam repræsentare, vel manuducere audientem in cognitionem alicujus rei : ergo cum audiens possit audita voce significativa clarius et distinctius intelligere rem significatam tali voce, quam intelligatur ab imponente, vox significativa poterit clarius et distinctius significare rem, quam ab imponente intelligatur. — 4. *Metaphys.* l. 3 (al. 7); 4. *Sent.* dist. 1,q. 1, a. 1, sol. 1, ad 5 et sol. 2, c.; *de Verit.* q. 9, a. 4, ad 4 et 5.

2. Præterea, nomen *homo* significat essentiam hominis secundum quod est in se, et similiter nomen *lapis* naturam lapidis in se; sed nos non cognoscimus substantiam rei secundum quod est in se, nam illam tantum cognoscimus ex proprietatibus et operationibus; unde aliud est, a quo nomen substantiæ imponitur, et id, ad quod significandum imponitur; quæ duo propterea idem sunt in iis, quæ secundum se sunt nobis nota, ut sunt qualitates sensibiles, ut calor, frigus, albedo : ergo voces significativæ, seu nomina et verba possunt clarius et distinctius significare. — 1a, q. 13, a. 1, c. et a. 8, c. et ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 5, c. et ad 5 et 6.

3. Præterea, eatenus nomen significat rem aliquam perfecte vel imperfecte, quod est clarius vel minus clare, quatenus illam perfecte vel imperfecte repræsentat proprietas vel forma, a qua tale nomen deducitur, ut patet in nominibus, quibus nominamus Deum; sed fieri potest, ut talis proprietas et forma rem significatam perfectius repræsentet, quam eadem intelligatur ab imponente illi nomen ex tali forma : ergo. — 1a, q. 13, a. 2, c. et ad 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Periherm.* c. 1) dicit, quod voces sunt signa intellectuum, et intellectus sunt similitudines rerum; unde voces secundum Philosophum referuntur ad res mediante conceptione, ita ut secundum quod aliquid a nobis concipi et cognosci potest, sic a nobis possit exprimi nomine; sed hoc est, majorem vel minorem claritatem significationis nominis pendere a magis vel minus perfecta et clara cognitione imponentis nomen : ergo non potest nomen distinctius significare rem, quam intelligatur ab imponente illi tale nomen. — 1. *Periherm.* l. 2; 1a, q. 13, a. 1,c. et a 4, c.; 1. *c. Gent.* c. 30.

2. Præterea, nomina non sequuntur modum essendi, qui est in rebus, sed qui est in cognitione nostra, propter quod nomen *Deus* est nomen appellativum et communicabile, cum tamen secundum rei veritatem sit proprium et incommunicabile; sed hoc est nomen in sua significatione clara vel obscura sequi conditionem cognitionis imponentis nomen : ergo. — 1a, q. 13, a. 9, c. et ad 3.

3. Præterea, intellectus ita significat per nomina, sicut apprehendit; unde quia apprehendit Deum in hac vita imperfecte, etiam imperfecte eum nominat; sed hoc est, clare vel minus clare nomen significare rem, secundum quod intellectus imponentis nomen perfecte vel minus perfecte et clare rem cognoscit et apprehendit : ergo nomen non potest clarius et distinctius significare rem, quam ab imponente intelligitur. — 1a, q. 13, a. 3, c.; 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 1, c.

4. Præterea, ex eo clara et distincta, vel minus distincta et clara nominis significatio pendet, ex quo habet, quod sit significans, quid est res, vel non, — nam si significat quid est rei, exprimit illius naturam, secundum quod est; si vero non exprimit sic naturam, non significat distincte, clare et perfecte, sed imperfecte et obscure —; sed ideo nomen significat et exprimit naturam rei, quia significat conceptum definitivum rei, cui sic rem conci-

piens nomen imponit : ergo idem, quod prius. — 1a, q. 13, a. 1 et 4, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, nullum nomen clarius et distinctius posse rem aliquam significare, quam ab intellectu imponentis illi nomen intelligatur. Ratio est, quia nos imponimus nomina rebus, secundum quod veniunt in cognitionem nostram, et mediante illa nomina significant res perfectius et clarius, vel minus perfecte et clare, sicut clarius, vel minus clare res ipsas concipimus ; ut manifeste patet in nominibus, quæ imponimus ad significanda divina attributa, vel Deum ipsum. Quia enim nos cognitionem accipimus a rebus creatis; imponimus nomina secundum modum rerum creatarum. Et quia quæ sunt in creaturis, non sunt per eumdem modum in Deo, sed excellentiori modo, ideo nomina, quæ nos imponimus, non sunt sufficientia ad significandum Deum, ut per se constat : nomina enim significantia in abstracto significant quid imperfectum, non per se subsistens, ut humanitas vel albedo, concreta vero significant quid compositum; neutrum autem divinæ convenit nobilitati. Et quia Deum in hac vita videre non possumus per suam essentiam, sed illum cognoscimus ex creaturis secundum habitudinem principii, et per modum excellentiæ et remotionis, ideo illum nominamus ex creaturis, et per consequens obscure, vel minus obscure et imperfecte, sicut imperfecte, vel minus imperfecte illum creaturarum perfectiones repæsentant, et eodem modo nos illum ex his cognoscimus. Contra vero, quia possumus in hac vita formare conceptum quidditativum exprimentem naturam hominis et lapidis, secundum quod in se sunt, ideo possumus utrique nomen imponere, quod clare et distincte naturam utriusque exprimat. Unde manifestum est, quod nomen non potest clarius et distinctius significare rem, quam concipiatur ab eo, qui ei nomen imposuit. — 1. *Sent.* dist. 22, q. 1, a. 2; 1a, q. 13, a. 1, 3, 4; 1. *c. Gent.* c. 30.

Ad primum ergo dicendum, quod cum nomen, ut dictum est, non significet rem, nisi mediante conceptu, tunc dicetur distincte significare, quando significabit mediante conceptu distincto, quem quis formal de re, cui nomen imponit. Unde quando quis audito tali nomine, melius et clarius rem significata intelligit, non erit vi nominis significantis clarius et distinctius rem, sed aliunde, puta ex alia cognitione, quam de ipsa re habuit sub alio nomine, vel quia ex meliori ingenio proprio, cognito alicujus nominis significato, discurrendo alia cognoscit, sicut ex principiis conclusiones deducimus, non tamen ex vi significationis nominis. — Ll. proxime in c. cit.; Cajetan. in 1am, q. 13, a. 1.

Ad secundum dicendum, quod secundum quod naturam alicujus rei ex proprietatibus et effectibus cognoscere possumus. sic eam nomine possumus significare, Unde quia substantiam lapidis ex ejus proprietate cognoscere possumus secundum seipsam, sciendo quid est lapis, hoc nomen lapis ipsam lapidis naturam, secundum quod in se est, significat; significat enim lapidis definitionem, per quam scimus, quid est lapis; ratio enim, quam significat nomen, est definitio, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 28; l. 3, c. 8. Quia vero ex effectibus divinis divinam naturam cognoscere non possumus secundum quod in se est, ut sciamus de ea, quid est, ideo nomina, quibus nominamus Deum, licet significent ejus naturam, non tamen significant, quid est Deus. — 1a, q. 13, a. 8, ad 2 et a. 3, c.

Ad tertium dicendum, quod nomina imponuntur quidem a diversis proprietatibus et effectibus, et divina imponuntur a diversis processibus perfectionum creaturarum, sed tamen secundum quod ex his proprietatibus rem ipsam, et ex talibus processibus Deum cognoscimus; ut enim dictum est, unumquodque nominamus, sicut cognoscimus. — 1a, q. 13, a. 1, c. et ad 2 et 3; 1. *c. Gent.* c. 30 et 31.

NOTA circa hunc articulum, quod in nomine duo possunt considerari, impositio et usus. Si consideratur *primum*, non potest nomen distinctius significare rem, quam intelligatur ab imponente illi nomen; quia nomen distincte significat, quia est signum conceptus distincti, mediante quo significat rem. Si vero consideretur *secundum*, potest nomen distinctius significare rem, quam intelligatur ab imponente nomen ;

nam secundum usum nomen significat audienti mediante conceptu, quem audiens format de re; potest autem audiens distinctius cognoscere rem, quam imponens, ut si hic nunquam viderit rem illam, cui nomen imposuit, et audiens tale nomen rem illam viderit. S. Thomas loquitur de significatione nominis ex impositione.

ARTICULUS V

UTRUM VERITAS ET FALSITAS SINT IN VOCIBUS SIGNIFICATIVIS, ATQUE ADEO IN INTELLECTU SIMPLICI.

Videtur quod veritas sit in vocibus incomplexis significativis et in conceptu simplici.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 26; c. 6 in fin.), quod sicut sensus propriorum sensibilium semper veri sunt, ita et intellectus ejus, quod quid est; sed intellectus quod *quid est*, est simplex: ergo etiam in illo potest esse veritas, et consequenter et in voce simplici. — 1a, q. 16, a. 2, arg. 1; 1. *Periherm.* l. 3; 3. *de Anima* l. 6.

2. Præterea, si quæratur, quid natat in mari, vel an sit magister in gymnasio, et respondeatur priori interrogationi : « piscis, posteriori vero : est sic respondens verum vel falsum dicit; sed sic respondens unam tantum vocem simplicemque conceptum format : ergo et veritas et falsitas possunt esse in voce et conceptu simplici. — 1. *Periherm.* l. 3.

3. Præterea, verba primæ et secundæ personæ, ut *curro*, *curris*, et verba exceptæ actionis, ut *fulminat*, *tonat*, idem significant, quod *ego curro, tu curris*; sed hæ sunt orationes significantes verum vel falsum : ergo veritas et falsitas insunt etiam vocibus simplicibus. — l. cit.

4. Præterea, res dicitur vera vel falsa, sicut dicitur verum aurum vel falsum; dicitur etiam, quod ens et verum convertuntur; sed simplex conceptio est similitudo rei, et vox simplex est significativa rei : ergo etiam simplex vox et conceptus habent veritatem. — l. cit.; 1a, q. 16, a. 3.

5. Præterea, definitio dicitur vera vel falsa; sed definitio pertinet ad vocem et conceptum simplicem : ergo veritas et falsitas insunt voci et conceptui simplici. — 6. *Metaphys.* l. 4.

6. Præterea, quod significat esse vel non esse, significat verum vel falsum; sed omne verbum finitum significat esse (nam *currere* idem est, quod *currentem esse*) : ergo verbum, quod est vox incomplexa, significat verum vel falsum. — 1. *Periherm.* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3) dicit, quod circa simplicia et *quod quid est* non est veritas, neque in intellectu, neque in rebus, neque consequenter in vocibus simplicibus; et 1. *Periherm.* c. 1, dicit, quod in compositione et divisione est veritas et falsitas, non in conceptu simplici, et quod, quia nomina et verba sunt similia conceptui simplici, si nihil illis addatur, non significant verum vel falsum. — 1a, q. 16, a. 2; 6. *Metaphys.* l. 4; *de Verit.* q. 1, a. 3; 1. *Periherm.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod quia conceptiones intellectus præambulæ sunt ordine naturæ vocibus, quæ ad eas exprimendas proferuntur, ideo ex similitudine differentiæ, quæ est circa operationes intellectus per ordinem ad veritatem et falsitatem tanquam ex causa, quam imitatur effectus, oritur differentia, quæ est circa similitudines vocum per ordinem ad veritatem et falsitatem. Est ergo considerandum, quod, ut traditur in 3. *de Anima text.* 21; c. 6, duplex est operatio intellectus : *una* dicitur a quibusdam imaginatio intellectus, sed a Philosopho indivisibilium intelligentia, quæ consistit in apprehensione quidditatis simplicis, quæ alio nomine etiam formatio dicitur; *alia* est, quam dicunt fidem, quæ consistit in compositione et divisione. In posteriore operatione invenitur verum et falsum, in priore autem non invenitur, nisi ut habet adjunctam posteriorem.

Quod potest esse manifestum ex tribus : *Primo*, ex ratione veri ut sic. Nam hæc consistit in adæquatione rei et intellectus; idem autem non adæquatur sibi ipsi, sed æqualitas diversorum est. Unde ibi primum invenitur ratio veritatis in intellectu, ubi primo incipit intellectus aliquid proprium habere, quod res extra animam non habet, sed aliquid ei correspondens, inter

quæ adæquatio attendi potest; intellectus autem formans quidditates non habet nisi similitudinem rei existentis extra animam, sicut et sensus, in quantum accipit speciem rei sensibilis. Sed quando incipit judicare de re apprehensa, tunc ipsum judicium intellectus est quoddam proprium ei, quod non invenitur extra in re; sed quando adæquatur ei, quod est extra in re, dicitur judicium verum esse. Tunc autem intellectus judicat de re apprehensa, quando dicit, quod aliquid est, vel non est, quod est intellectus componentis et dividentis. Unde Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8 ; l. 5, c. 3) dicit, quod compositio et divisio est in intellectu, et non in rebus; et inde est, quod veritas *per prius* invenitur in compositione et divisione, et per ordinem ad illa; secundario et *per posterius* reperitur verum in intellectu formante definitiones. Nam definitio dicitur vera vel falsa ratione compositionis veræ vel falsæ, et hoc dupliciter : *vel* quando dicitur esse definitio ejus, cujus non est, ut si definitio circuli assignetur triangulo; *vel* quando partes definitionis non possunt componi ad invicem, ut si definiatur aliquid, quod sit animal insensibile ; hæc enim compositio, qua implicatur, quod aliquod animal est insensibile, est falsa. — 1. *Periherm.* l. 3; 3. *de Anima* l. 11; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, ad 7; 3. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 1, sol. 2; *de Verit.* q. 1, a. 1 et 3.

Secundo, ex ratione veri in quantum est perfectio intellectus; cum enim omnis res sit vera, secundum quod habet propriam formam naturæ suæ, necesse est, quod intellectus, in quantum est cognoscens, sit verus, in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, in quantum est cognoscens, et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem; hanc autem nullo modo cognoscit sensus; licet enim visus habeat similitudinem rei visibilis, et ratione illius dicatur verus, non tamen cognoscit hoc verum, quia non cognoscit habitudinem conformitatis suæ ad rem, vel comparationem, quæ est inter rem visam et id, quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem potest conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere, et ideo solus intellectus potest cognoscere veritatem. Unde Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8 ; l. 5, c. 3) dicit, quod veritas est solum in mente, idest sicut in cognoscente veritatem; sed tamen intellectus non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo, quod quid est; sed quando judicat, rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum, et hoc facit componendo et dividendo; nam in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea, et ideo bene invenitur, quod sensus *est* verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo quod quid est, sed non *cognoscit aut dicit* verum. Unde veritas erit quidem in sensu et intellectu simplici ut in quadam re, non autem ut cognitum in cognoscente, quod importat nomen veri (perfectio enim intellectus est verum ut cognitum) ; et ideo proprie loquendo veritas est tantum in intellectu componente et dividente. — 1a, q. 16, a. 2, c.; 1. *Periherm.* l. 3; 6. *Metaphys.* l. 4.

Tertio, idem patet ex eo, quod immediate utraque operatio intellectus respicit; nam prima operatio respicit quidditatem rei, secunda vero respicit esse ipsius; quia ergo ratio veritatis fundatur in esse, et non in quidditate, ideo veritas et falsitas proprie inveniuntur in secunda operatione, non autem in prima, nisi per accidens ratione compositionis annexæ, ut dictum est. Quoniam vero voces sunt signa conceptuum mentis (formantur enim ad exprimendos conceptus intellectus), ideo ad hoc, quod signum conformetur significato, necesse est, quod aliquæ voces significent cum vero et falso, licet, in quantum sunt res quædam, dicantur veræ sicut et aliæ res, voces scilicet incomplexæ, quæ sunt similes intellectui simplici, ejusque signum; quod et a signo confirmat Philosophus (1. Perih. c. 1.) ex omine composito hircocervus, quod componitur ex hirco et cervo. Hujusmodi enim nomina significant aliquid; nam significant simplices conceptus licet rerum compositarum; non tamen significant verum vel falsum, nisi illis addatur esse vel non esse, per quæ exprimitur judicium intellectus. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, sol. et ad 7; 1 *Periherm.* l. 3.

Unde manifestum est, quod veritas et falsitas proprie tantum est in intellectu componente et dividente, et in simplici non nisi ratione compositionis annexæ, et similiter est de vocibus complexis et incomplexis; licet enim veritas primo dicatur de intellectu, dicitur tamen etiam de enuntiatione, in quantum est signum ejus, sicut et dicitur de re, ut de causa ejusdem. — 1a, q. 16, a. 2, 7, 8, c; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1; 1. *Periherm.* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod veritas est quidem in sensu, ut dictum est, vel in intellectu cognoscente *quod quid est*, tanquam in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente, quod importat nomen veri; hoc enim modo tantum est in intellectu componente et dividente, et in vocibus complexis. — 1a, q. 16, a. 2, c.; v. supra in c. hujus art.

Ad secundum dicendum, quod in illa responsione intelligitur verbum, quod fuit in interrogatione positum, et sicut nomen per se positum non significat verum vel falsum, ita nec verbum per se dictum. — 1. *Periherm.* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod in prædictis verbis intelligitur certus et determinatus nominativus, unde est implicita compositio, licet non explicita; in illis enim verbis certum intelligitur suppositum, quod per consignificatum verbi determinatur; verbum enim primæ personæ refert actum suum ad substantiam cujus est ille actus, et ideo suppositum determinatum est per verbum. Idemque dicendum est de verbis secundæ personæ, nam in illis etiam ex consignificato verbi determinatur suppositum, et ideo talia verba incomplexa secundum causam et virtutem sunt complexa, et idem est de verbis exceptæ actionis, quæ non ex consignificato, sed ex significato verbi, quod uni soli convenit, determinant sibi suppositum. Idem etiam est in verbis impersonalibus, ut in verbo *legitur*; non enim dicuntur impersonalia, quia nullius personæ sint actus (nam hoc est impossibile, quia agere et pati est proprium substantiæ); sed dicuntur impersonalia, quia certam personam non determinant, vel primam, vel secundam, vel tertiam. Cum enim dicitur : legitur, sensus est : ab aliquo legitur. — l. c.

Ad quartum dicendum, quod veritas est tam in simplicibus, quam in compositis, et in omnibus rebus, sicut in eo, quod est verum; sed sicut in dicente vel cognoscente verum non invenitur nisi in compositione et divisione; quod sic patet : Verum, ut dicit Philosophus (6. *Ethic.* c. 2 et 3), est bonum intellectus; unde de quocumque dicitur verum, oportet, quod hoc sit per respectum ad intellectum. Comparantur autem ad intellectum voces quidem sicut signa, res autem sicut ea, quorum intellectus sunt similitudines. Considerandum est autem, quod aliqua res comparatur ad intellectum dupliciter, *uno modo*, sicut mensura ad mensuratum, et sic comparantur res naturales ad intellectum speculativum humanum; et ideo intellectus dicitur verus, secundum quod conformatur rei; falsus autem, secundum quod discordat a re. Res autem naturalis non dicitur esse vera per comparationem ad intellectum nostrum, sicut posuerunt quidam antiqui naturales existimantes rerum veritatem esse solum in hoc, quod est videri (secundum hoc enim sequeretur, quod contradictoria essent simul vera, quia contradictoria cadunt sub diversorum opinionibus); dicuntur tamen res aliquæ veræ vel falsæ per comparationem ad intellectum nostrum, non essentialiter et formaliter, sede ffective, in quantum scilicet natæ sunt facere de se veram vel falsam existimationem, et secundum hoc aurum dicitur verum vel falsum. *Alio modo* res comparantur ad intellectum, sicut mensuratum ad mensuram, ut patet in intellectu practico, qui est causa rerum; unde opus artificis dicitur esse verum, in quantum attingit rationem artis, falsum vero, in quantum deficit a ratione artis. Et quia omnia etiam naturalia comparantur ad intellectum divinum, sicut artificialia ad artem, consequens est, ut quælibet res dicatur esse vera, secundum quod habet propriam formam, secundum quam imitatur artem divinam; nam falsum aurum est verum aurichalcum, et hoc modo ens et verum convertuntur, quia quælibet res naturalis per suam formam arti divinæ comparatur; unde 1. *Phys.* Philosophus formam nominat quoddam divinum. — 1. *Perih.* l. 3.

Ad quintum dicendum, quod quia veritas, ut dictum est, fundatur in esse, quod respicit secunda operatio, non autem quidditate, quam respicit prima operatio, ideo veritas et falsitas proprie inveniuntur in secunda operatione, et in signo ejus, quod est enuntiatio, et non in prima, vel signo ejus, quod est definitio, nisi secundum quid, sicut etiam quidditatis esse est quoddam esse rationis, et secundum istud esse dicitur veritas in prima operatione intellectus; per quem etiam modum dicitur definitio vera; sed huic veritati non adjungitur falsitas per se, quia intellectus habet verum judicium de proprio objecto, in quod naturaliter fertur et tendit, quod est quidditas rei, sicut et visus de colore, sed per accidens admiscetur falsitas, ratione scilicet affirmationis vel negationis annexæ. Quod contingit, ut dictum est, dupliciter : vel ex comparatione definitionis ad definitum; et tunc dicitur definitio falsa respectu alicujus, et non simpliciter, sicut definitio circuli est falsa de triangulo; vel respectu partium definientium ad invicem, in quibus implicatur impossibilis affirmatio, sicut definitio vacui, quod est locus, in quo nullum corpus est; et hæc definitio dicitur falsa simpliciter; sed hoc non contingit nisi in quidditatibus compositorum, quia in quidditatibus rerum simplicium non deficit intellectus, nisi in hoc, quod omnino nihil intelligit, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 22; l. 8, c. 10. Secundæ autem operationi admiscetur falsitas etiam per se, non quidem quantum ad primas affirmationes, quas naturaliter intellectus cognoscit, ut sunt dignitates, sed quantum ad consequentes, quia rationem inducendo contingit errare per applicationem unius ad aliud. Unde manifestum est, quod veritas proprie loquendo tantum est in complexis. — 1. *Sent.* dist. 19. q. 5. a. 1, ad 7.

Ad sextum dicendum, quod licet omne verbum finitum implicet esse et verbum infinitum non esse, — nam idem est *non currere*, et *non currentem esse*; — nullum tamen verbum significat hoc totum : *rem esse*, quod tamen requiritur ad veritatem et falsitatem; hæc enim consistit in compositione, quæ nequit intelligi, nisi secundum quod innectit hæc duo extrema. — 1. *Periherm.* l. 5.

QUÆSTIO XVII

DE PRINCIPIIS MATERIALIBUS ENUNTIATIONIS.

Deinde considerandum est de principiis materialibus enuntiationis.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR DUO :

1. De definitione nominis.
2. De definitione verbi.

ARTICULUS I

UTRUM DEFINITIO NOMINIS SIT A PHILOSOPHO RECTE ASSIGNATA.

Videtur quod definitio nominis a Philosopho (1. *Periherm.* c. 2) non sit recte assignata, quod sit vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars significat separata.

1. Dicit enim Philosophus (l. c. c. 2), quod neque nomen infinitum, ut *non homo*, neque casus nominum sunt nomina; sed illis convenit definitio nominis (nam de casibus nominum dicit Philosophus ibidem, quod eadem est ratio, quam significat nomen in omnibus illis; nomen autem infinitum vere est vox significativa ad placitum, cujus nulla pars significat separata, et utraque possunt subjici vel prædicari, quod est proprium nominum, ut si dicatur : non homo est nomen infinitum; Petrum pœnitet) : ergo definitio nominis non fuit a Philosopho recte assignata. — 1. *Periherm.* l. 4; *Quodl.* 4, a. 17, arg. 3 et ad 3.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 3), quod verba secundum se dicta sunt nomina; sed definitio allata non convenit verbis, nam hæc significant cum tempore, illa sine tempore, ut dicitur in definitione nominis : ergo. — 1. *Periherm.* l. 4 et 5.

3. Præterea, vox est quædam res naturalis; sed nomen non est aliquid naturale, sed ab hominibus institutum : ergo non debuit in definitione nominis poni vox loco generis nominis, sed magis signum ex institutione, ut dicatur : nomen est signum vocale, sicut convenientius definiret

quis scutellam, si diceret, quod est vas ligneum, quam si diceret, quod est lignum formatum in vas. — 1. *Periherm.* l. 4.

4. Præterea, nomen *dies*, vel *annus* significant tempus; sed quod significat tempus, non significat sine tempore : ergo falso dicitur in definitione nominis, quod nomen significat sine tempore. — l. c.

5. Præterea, nomen compositum, ut *equiferus*, est vere nomen, ut dicitur 1. *Periherm.* c. 2; sed hujus pars significat separata, ut dicit Philosophus (l. c. c. 4); (et patet, quia ideo nominis simplicis pars non significat separata, quia nomen simplex imponitur ad significandum ab aliquo simplici conceptu; sed nomen compositum imponitur a conceptu composito) : ergo pars ejus significat separata. — 1. *Periherm.* l. 4 et 6.

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis nomen, quod sit vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars significat separata. — l. c. l. 4.

Respondeo dicendum, quod definitio nominis a Philosopho allata perfecte complectitur totam ejus essentiam. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod definitio ideo dicitur terminus, quia includit totaliter rem, ita scilicet, quod nihil est rei extra definitionem, cui definitio non conveniat, neque aliquid aliud est infra definitionem, cui definitio conveniat. Hoc autem totum manifestum est in hac definitione nominis a Philosopho assignata; nam et ideo quinque ponit in illa, ut illud perfecte distinguat a cæteris omnibus, quæ non sunt nomina, cum quibus tamen aliquo modo convenit. Ponitur ergo *primo* « *vox* » per modum generis, in quo convenit cum verbo, per quod distinguitur nomen ab omnibus sonis, qui non sunt voces; nam vox est sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam, ut dicitur 2. *de Anima text.* 90, c. 8. *Secundo*, additur prima differentia, scilicet « *significativa* », ad differentiam quarumcumque vocum non significantium, sive sit vox articulata et litterata, ut *blictri*, sive non litterata et non articulata, ut sibilus pro nihilo factus. *Tertio*, ponitur secunda differentia, cum dicitur « *secundum placitum* », id est secundum institutionem humanam, a beneplacito hominis pendentem; nullum enim nomen, inquit Philosophus (1. *Periherm.* c. 2), est naturaliter; ex hoc enim est nomen, quod significat; non significat autem naturaliter, sed ex instituto. Id enim, quod naturaliter significat, non fit, sed naturaliter est signum; at nomen non significat, nisi quando imponitur, et per hoc distinguitur nomen a vocibus significativis naturaliter, sicut sunt gemitus infirmorum et soni bestiarum, quorum nullum est nomen, quamvis habeant nomina; sonus enim leonis dicitur rugitus, et bovis mugitus. *Quarto*, ponitur tertia differentia « *sine tempore* », per quod differt nomen a verbo. Quia enim id, quod primo et principaliter mensuratur est motus, in quo consistit actio et passio, ideo verbum, quod significat actionem et passionem, significat cum tempore; quia vero substantia secundum se considerata, prout significatur per nomen, non habet in quantum hujusmodi, ut mensuretur tempore, sed solum secundum quod subjicitur motui, ideo nomen non significat cum tempore. *Quinto*, ponitur quarta differentia, cum subditur, « *cujus nulla pars est significativa separata* », scilicet a toto nomine; comparatur tamen ad significationem nominis, secundum quod est in toto, quod ideo est, quia significatio est quasi forma nominis. Hæc enim advenit rei naturali, puta voci, sicut materiæ, ut forma lecti ligno; nulla autem pars separata habet formam totius, sicut manus separata ab homine non habet formam humanam; neque pars lecti a lecto separata habet formam lecti; et per hoc distinguitur nomen ab oratione, cujus pars significat separata, ut cum dicitur *homo justus* ; et sic patet, quod definitio nominis fuit a Philosopho recte assignata. — 1. *Periherm.* l. 2 et 4.

Ad primum ergo dicendum secundum Ammonium, quod Philosophus in definitione nominis communius definit nomen, postea vero significationem nominis arctat subtrahendo prædicta a nomine. — Vel dic, quod definitio nominis simpliciter non convenit prædictis; non quidem nomini infinito, quia omne nomen significat aliquam naturam determinatam, ut *homo*, aut personam determinatam, ut pronomen, aut utramque determinatam, ut Socrates; at nomen infinitum, ut *non homo*,

neque determinatam naturam, neque determinatam personam significat; imponitur enim, ut dicunt Boethius et Ammonius, a negatione hominis, quæ æqualiter dicitur de ente et de non ente. Dicimus enim, quod equus est non homo, et quod chimæra est non homo; quia tamen significatur per modum nominis, quod potest in enuntiatione subjici et prædicari, requiritur ad minus suppositum in apprehensione. Neque etiam convenit casibus nominis, et per consequens hi non sunt nomina, sed solus nominativus dicitur principaliter nomen, tum quia per solum nominativum est impositio nominis ad significandum, tum quia, ut dicit Philosophus 1. *Periherm.* c. 2, nomen semper significat verum vel falsum, si illi addatur verbum substantivum *est* vel *fuit*, vel *erit*, non sic casus nominis. Qui enim dicit : *Catonem est*, neque verum, neque falsum significat, potest tamen significare casus nominis verum vel falsum, si illi addatur nomen impersonale nam; hujusmodi verba cum obliquis significant verum vel falsum, ut cum dicitur « *pœnitet Socratem* », quia actus verbi intelligitur ferri super obliquum, ac si dicatur : pœnitentia habet Socratem. — Vel dic, quod quia diversitas consignificationis tollit nominis identitatem, ideo secundum Philosophum obliqui non sunt nomina, sunt tamen unum nomen, non simpliciter, sed in quantum conveniunt in uno ordine declinationis. — 1. *Periherm.* l. 4; *Quodl.* 4, a. 17, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod nomen sumitur dupliciter : *Uno modo*, prout communiter significat quamlibet dictionem impositam ad significandam aliquam rem. Et quia etiam ipsum agere et pati est res quædam, ideo etiam ipsa verba, in quantum nominant, id est significant agere et pati, sub nominibus comprehenduntur communiter acceptis. *Alio modo* sumitur nomen proprie, prout distinguitur contra verbum, et sic significat rem sub determinato modo, prout scilicet potest intelligi ut per se existens; unde nomina possunt subjici et prædicari. — 1. *Periherm.* l. 5.

Ad tertium dicendum, quod artificialia sunt quidem in genere substantiæ ex parte materiæ, in genere autem accidentium ex parte formæ; nam formæ artificialium sunt accidentia. Nomen ergo significat formam accidentalem, ut concretam subjecto. Cum autem in definitione omnium accidentium oporteat poni subjectum, necesse est, quod si qua nomina significant accidens in abstracto, in eorum definitione ponatur accidens in recto quasi genus, subjectum vero in obliquo quasi differentia, ut cum dicitur : simitas est curvitas nasi. Si qua vero nomina significant accidens in concreto, in eorum definitione ponitur materia vel subjectum quasi genus, et accidens quasi differentia, ut cum dicitur : simum est nasus curvus. Si igitur nomina rerum artificialium significant formas accidentales ut concretas subjectis naturalibus, convenientius est, ut in eorum definitione ponatur res naturalis quasi genus, ut dicamus, quod scutella est lignum figuratum; et similiter, quod nomen est vox significativa; secus autem esset, si nomina artificialium acciperentur quasi specificantia ipsas formas artificiales in abstracto. — 1. *Periherm.* l. 4.

Ad quartum dicendum, quod circa tempus tria possunt considerari : *Primo*, ipsum tempus, secundum quod est res quædam, et sic potest significari a nomine, sicut quælibet alia res. *Secundo* id, quod tempore mensuratur in quantum hujusmodi. Et quia id, quod primo et principaliter mensuratur, est motus, in quo consistit actio et passio, ideo verbum, quod significat actionem et passionem, significat cum tempore ; substantia autem secundum se considerata, prout significatur per nomen et pronomen, non habet in quantum hujusmodi, ut tempore mensuretur, sed solum secundum quod subjicitur motui, prout per participium significatur, et ideo verbum et participium significant cum tempore, non autem nomen et pronomen. *Tertio*, potest considerari ipsa habitudo temporis mensurantis, quæ significatur per adverbium temporis, ut *cras*, *heri*, et hujusmodi. — *Ibidem.*

Ad quintum dicendum, quod in hoc nomine composito, equiferus, hæc pars *ferus* nihil per se significat, sicut significat in hac oratione « *equus ferus* » : cujus ratio est, quod unum nomen ponitur ad significandum unum simplicem conceptum. Aliud autem est id, a quo imponitur ad

significandum ab eo, quod nomen significat, sicut hoc nomen *lapis* imponitur a læsione pedis, quam non significat, quod tamen imponitur ad significandum conceptum cujusdam rei; et inde est, quod pars nominis compositi, quod imponitur ad significandum conceptum simplicem, non significat partem conceptionis compositæ, a qua imponitur ad significandum, sed oratio significat ipsam conceptionem compositam; unde pars orationis significat partem conceptionis compositæ. Est tamen hoc discrimen inter partem nominis simplicis et compositi, quod licet neutra significet secundum rem, pars tamen nominis simplicis neque est significativa secundum rem, neque secundum apparentiam; cujus differentiæ ratio dicta est in objectione, quia nimirum nomen simplex, sicut imponitur ad significandum conceptum simplicem, ita etiam imponitur ad significandum ab aliquo conceptu simplici; nomen vero compositum, licet sit impositum ad significandum conceptum simplicem, est tamen impositum ad significandum a conceptu composito, et propter hoc habet apparentiam, quod ejus pars significet. Unde et Philosophus (1. *Periherm.* c. 2) ad hanc differentiam horum nominum designandam dixit, quod non ut est in simplicibus nominibus, sic etiam in compositis; nam in illis nullo pacto pars est significativa; in compositis vero videtur quidem pars significare, nihil tamen separata significat. Et l. c. c. 4 ait, quod in duplicibus, id est in nominibus compositis syllabæ, quæ possunt esse dictiones in compositionem nominis compositi venientes, significant aliquid, scilicet in ipso composito, et secundum quod sunt dictiones, non autem significant per se, prout sunt hujusmodi nominis partes. — 1. *Periherm.* l. 4 et 6.

ARTICULUS II

UTRUM DEFINITIO VERBI RECTE SIT A PHILOSOPHO TRADITA.

Videtur quod definitio verbi non sit a Philosopho (1. *Periherm.* c. 3) recte tradita, quod nimirum consignificet tempus, cujus nulla pars extra significat, et est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.

1. Quia participia et casus verbi non sunt verba, ut dicit Philosophus loco citato; sed illa consignificant tempus : ergo consignificare tempus non est proprium verbi, et consequenter ejus definitio non est recte tradita. — 1. *Periherm.* l. 5.

2. Præterea, verba infinitivi modi, imo et aliorum modorum interdum ponuntur ex parte subjecti, ut cum dicitur : ambulare est moveri, curro est verbum : ergo verbum non est semper ex parte prædicati, et per consequens non semper est nota eorum, quæ de altero dicuntur. — *Ibid.*

3. Præterea, verba significant actionem vel passionem, quæ sunt accidentia; sed accidentia non dicuntur de subjecto, sed sunt in subjecto; nam illud dicitur de subjecto, quod essentialiter prædicatur, ut cum dicitur « homo est animal »; illud autem est in subjecto, quod est illius accidens, ut cum dicitur « homo est albus » : ergo verbum non est nota eorum, quæ de altero dicuntur. — *Ibid.*

4. Præterea, verba infinita ut : *non currit*, non sunt proprie verba, ut dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 3); sed illis convenit definitio verbi (nam et consignifi cant tempus, significant enim agere et pati, quæ sunt in tempore, sicut et privatio eorum; unde et quies tempore mensuratur, ut dicitur 6. *Phys. text.* 31; c. 8, et semper ponuntur ex parte prædicati, sicut et verbum, quia negatio reducitur ad genus affirmationis) : ergo. — *Ibid.*

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 3), quod verbum constituit intellectum in animo audientis, et facit ipsum quiescere; sed vox consignificans tempus, cujusque pars nihil extra significat et est nota eorum, quæ dicuntur vel de subjecto, vel in subjecto, non facit quiescere audientem; nam semper remanet suspensus illius animus, de quo dicatur talis vox : ergo definitio verbi, vel non est recte tradita, vel falsum est, quod dicit Philosophus de verbo. — *Ibid.*

Sed contra est auctoritas Philosophi (1. *Periherm.* c. 3) definientis verbum modo prædicto.

RESPONDEO DICENDUM, quod definitio

verbi est competens. — Ad cujus manifestationem considerandum est, quod Philosophus brevitati studens non ponit in definitione verbi ea, quæ sunt nomini et verbo communia, relinquens ea intellectui legentis ex his, quæ dixit in definitione nominis. Ponit autem tres particulas in definitione verbi, quarum *prima* distinguit verbum a nomine, in hoc scilicet, quod dicit, *quod consignificat tempus*. Nomen enim significat sine tempore, verbum vero cum tempore; ut *cursus*, quia significat actionem non per modum actionis, sed per modum rei per se existentis, non consignificat tempus, eo quod est nomen; *curro* autem, cum sit verbum significans actionem per modum actionis, consignificat tempus, quia proprium est motus tempore mensurari, actiones autem nobis notæ sunt in tempore. Consignificare enim tempus, seu significare cum tempore est significare rem mensuratam tempore ut sic, quod soli verbo convenit; significare vero tempus, est significare principaliter tempus, ut rem quamdam, quod potest nomini convenire. — *Secunda* vero particula est, per quam verbum distinguitur ab oratione, cum dicitur, *cujus pars nihil extra significat*, quæ ideo prætermissa non fuit, licet posita fuerit in definitione nominis, vel quia, ut dicit Ammonius, sicut ideo posita fuit in definitione nominis, ut illud distingueret ab orationibus, quæ componuntur ex nominibus, ut cum dicitur « homo est animal », ita etiam debuit poni in definitione verbi, ut illud distingueret ab orationibus, quæ componuntur ex verbis, ut cum dicitur » ambulare est moveri »; vel quia, cum verbum importet compositionem, in qua perficitur oratio significans verum vel falsum, majorem convenientiam videbatur habere verbum cum oratione, quod est quædam pars formalis illius, quam nomen, quod est quasi pars materialis orationis, et ideo oportuit illam iterari. — *Tertia* particula est, per quam distinguitur verbum non solum a nomine, sed etiam a participio, quod significat cum tempore, cum dicitur : *et est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota*, quia scilicet nomina et participia possunt poni ex parte subjecti et prædicati; sed verbum semper est ex parte prædicati, nisi sumatur vi nominis; cujus ratio est, quia subjectum enuntiationis significatur, ut cui inhæret aliquid; verbum autem significat actionem per modum actionis, de cujus ratione est, ut inhæreat (si tamen consideretur ut accidens; nam si consideretur ut tale accidens, seu secundum propriam rationem, non dicit inhærere, sed esse ab alio, ut dictum est). Dicitur ergo verbum semper esse nota eorum, quæ prædicantur de altero, tum quia verbum significat id, quod prædicatur; tum quia in omni prædicatione oportet esse verbum, eo quod verbum importat compositionem, qua prædicatum componitur cum subjecto. — Addit postremo Philosophus ad majorem explicationem tertiæ particulæ : *ut eorum, quæ de subjecto vel in subjecto sunt*, quia omnis prædicatio fit per verbum ratione compositionis importatæ, sive prædicetur aliquid essentialiter, sive accidentaliter. Unde manifestum est, quod definitio verbi fuit recte a Philosopho assignata. — 1. *Periherm.* l. 5 et 6.

Ad primum ergo dicendum, quod participium consignificat quidem tempus, non tamen est verbum, quia non est nota eorum, quæ prædicantur, cum etiam se teneat ex parte subjecti, ut dictum est; casus vero verbi non sunt proprie verba, licet consignificent tempus; quia, ut dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 3), verbum consignificat tempus præsens, at casus verbi, ut : *curret, currebat*, significant tempus hinc inde circumstans. Propterea vero, quæ consignificant tempus præteritum vel futurum, non sunt verba proprie dicta, quia cum verbum proprie sit, quod significat agere vel pati, hoc est proprie verbum, quod significat agere vel pati actu, quod est agere vel pati simpliciter; sed agere vel pati in præterito vel futuro, est secundum quid. Sunt autem hic duo advertenda : *unum* est, quod signanter dicit Philosophus, quod verbum consignificat tempus præsens; non autem dixit præsens simpliciter, ne intelligatur præsens indivisibile, quod est instans, quia in instanti non est motus, nec actio, nec passio, sed oportet accipere præsens tempus, quod mensurat actionem, quæ incepit et nondum est determinata per actum. *Alterum* est, quod rationabiliter verba præteriti vel

futuri temporis dicuntur casus verbi, quod consignificat tempus præsens, quia præteritum vel futurum dicitur per respectum ad præsens; est enim præteritum, quod fuit præsens, futurum autem, quod erit præsens. Cum autem declinatio verbi varietur per modos, tempora, numeros et personas, variatio, quæ fit per numerum et personam, non constituit casum vel casus verbi, quia talis variatio non est ex parte actionis, sed ex parte subjecti; sed variatio, quæ fit per modos et tempora, respicit ipsam actionem, et ideo utraque constituit casus verbi; nam verba imperativi vel optativi modi casus dicuntur, sicut et præteriti vel futuri temporis; sed verba indicativi modi temporis præsentis non dicuntur casus, cujuscumque personæ sint vel numeri. — 1. *Periherm.* l. 5.

Ad secundum dicendum, quod verba infinitivi modi, ut dictum est, ponuntur ex parte subjecti, quando sumuntur in vi nominis; unde et in græco et in locutione latina suscipiunt additionem articulorum, sicut et nomina. Cujus ratio est, quia proprium nominis est, ut significet rem aliquam quasi per se existentem; proprium autem verbi est, ut significet actionem vel passionem. Potest autem actio significari tripliciter: *uno modo* per se in abstracto, veluti quædam res, et sic significatur per nomen, ut cum dicitur *actio*, *passio*, *ambulatio*, et similia. *Alio modo* per modum actionis, ut scilicet est egrediens a substantia et inhærens rei ut subjecto, et sic significatur per verba aliorum modorum, quæ tribuuntur prædicatis. Sed quia etiam ipse processus vel inhærentia actionis potest apprehendi ab intellectu et significari ut res quædam, inde est, quod ipsa verba infinitivi modi, quæ significant ipsam inhærentiam actionis ad subjectum, possunt accipi ut verba ratione concretionis, et ut nomina, prout significant res quasdam. Quoniam vero additum est in argumento, etiam verba finiti modi poni ex parte subjecti, ut cum dicitur: curro est verbum, dicendum est, in tali locutione hoc verbum *curro* non sumi formaliter, secundum quod ejus significatio refertur ad rem, sed secundum quod materialiter significat ipsam vocem, quæ accipitur ut res quædam; et ideo non tam verba, quam omnes orationis partes, quando ponuntur materialiter, sumuntur in vi nominum. — l. c.

Ad tertium dicit Boethius, quod utraque ad idem pertinent; accidens enim et de subjecto prædicatur, et in subjecto est. Sed quia Aristoteles distinctione utitur, videtur aliud per utrumque significare. Et ideo dici potest, quod cum Aristoteles dicit, quod verbum est semper nota eorum, quæ de altero prædicantur, non est sic intelligendum, quasi significata verborum sint, quæ prædicantur; quia cum prædicatio videatur magis ad compositionem pertinere, ipsa verba sunt, quæ prædicantur magis, quam significent prædicata. Est ergo intelligendum, quod verbum semper est signum, quod aliqua prædicentur, quia omnis prædicatio fit per verbum ratione compositionis importatæ, sive prædicetur aliquid essentialiter, sive accidentaliter, ut dictum est. — l. c.

Ad quartum dicendum, quod definitio verbi allata datur de verbo communiter sumpto. Hujusmodi autem dictiones negantur esse verba, quia deficiunt a perfecta ratione verbi; dicuntur autem verba communiter, quia in aliquo cum verbis conveniunt. Propterea vero Philosophus tales dictiones vocavit verba infinita, quod nomen ante ipsum nondum erat inventum, sed ipse primus prædictis dictionibus imposuit, quia unaquæque earum indifferenter potest dici de eo, quod est, et de eo, quod non est; sumitur enim negatio apposita non in vi privationis, sed simplicis negationis; privatio enim supponit determinatum subjectum. Differunt tamen a verbis negativis, quod verba infinita sumuntur in vi unius dictionis, negativa vero in vi duarum dictionum. — *Ibidem.*

Ad quintum dicendum, quod cum duplex sit operatio intellectus, ut dictum est, ille, qui dicit nomen vel verbum, secundum se constituit intellectum quantum ad primam operationem, quæ est simplex conceptio alicujus, et secundum hoc quiescit audiens, qui in suspenso erat, antequam nomen aut verbum proferretur et ejus prolatio terminaretur; non autem constituit intellectum quantum ad secundam operationem, quæ est intellectus componentis et dividentis, nec quantum

ad hoc facit quiescere audientem; et propterea statim subdit Philosophus : sed *si est*, vel *non est*, nondum significat, id est, nondum significat aliquid per modum compositionis aut divisionis, aut veri vel falsi. — *Ibid.*

QUÆSTIO XVIII

DE PRINCIPIO FORMALI ENUNTIATIONIS, QUOD EST ORATIO.

Deinde considerandum est de principio formali enuntiationis, quod est oratio.

CIRCA QUOD QUÆRITUR :

Utrum definitio orationis a Philosopho allata sit conveniens.

ARTICULUS I

UTRUM DEFINITIO ORATIONIS A PHILOSOPHO ALLATA SIT CONVENIENS.

Videtur, quod definitio orationis a Philosopho allata non sit conveniens, quod sit vox significativa secundum placitum, cujus partium aliquid significativum est separatim, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio.

1. Sicut enim in definitione verbi prætermissum est a Philosopho genus illius, puta quod sit vox significativa, ob brevitatem, quia poterat intelligi ex eadem particula posita in definitione nominis, ita debuit ob eamdem causam prætermitti in definitione orationis : ergo non videtur definitio orationis conveniens. — 1. *Periherm.* l. 6.

2. Præterea, virtutis naturalis oportet esse naturalia instrumenta, quia natura non deficit in necessariis; sed potentia interpretativa est naturalis : ergo instrumenta ejus sunt naturalia; instrumentum autem ejus est oratio, quia per hanc virtus interpretativa interpretatur mentis conceptum, (hoc enim dicimus instrumentum, quo agens operatur): ergo oratio est aliquid naturale, et per consequens non ex institutione humana, sed naturaliter significans. — *Ibidem.*

3. Præterea, dantur multæ orationes, quarum partes significant aliquid, ut affirmatio, ut : si sol lucet, dies est; ergo falsum est, quod oratio sit, cujus pars significat separata, ut dictio, non ut affirmatio. — *Ibid.*

4. Præterea, partes nominis compositi significant aliquid, ut dictio et non ut affirmatio, ut patet in nomine *respublica*; sed nomen compositum, ut patet ex Philosopho (1. *Periherm.* c. 2), non est oratio, sed nomen : ergo orationis proprium non est, quod ejus partes significent separatim, ut dictiones. — *Ibid.*

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis orationem modo prædicto, l. c. c. 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod definitio orationis recte a Philosopho tradita est, ut manifeste patet discurrenti. Ponit enim *primo* illud, in quo oratio convenit cum nomine et verbo, cum dicit : *oratio est vox significativa ad placitum*. Est enim significativa, quia generat in animo audientis aliquem intellectum, quomodo de verbo probavit Philosophus, et multo magis, quam nomen et verbum; nam verbum cum non significet esse vel non esse, non constituit intellectum quantum ad secundam operationem, ut facit oratio, sed tantum quantum ad primam, unde non ita facit quiescere intellectum audientis, sicut facit oratio. Est autem significativa ad placitum, et non naturaliter, tum quia oratio est significativa non sicut instrumentum virtutis naturalis (quia instrumenta naturalia virtutis interpretativæ sunt guttur et pulmo, quibus formatur vox, et lingua et dentes et labia, quibus litterati soni et articulati distinguuntur; oratio autem et partes ejus sunt sicut effectus virtutis interpretativæ per instrumenta prædicta; sicut enim virtus motiva utitur naturalibus instrumentis sicut brachiis et manibus ad faciendum opera artificialia, ita virtus interpretativa utitur gutture et aliis instrumentis naturalibus ad faciendam orationem; unde oratio et partes ejus non sunt res naturales, sed quidam artificiales effectus, et per consequens significant secundum institutionem humanæ rationis et voluntatis, sicut et omnia artificialia causantur ex humana voluntate); tum quia, licet oratio significaret ut instrumentum, adhuc posset significare ex in-

stituto, et non naturaliter nam si virtutem interpretativam non tribuamus virtuti motivæ, sed rationi, sic non est virtus naturalis, sed supra omnem naturam corpoream, sicut probatur in 3. *de Anima*; ipsa autem ratio est, quæ movet virtutem corporalem motivam ad opera artificialia, quibus etiam ut instrumentis utitur, — non sunt autem instrumenta alicujus virtutis corporalis ; et hoc modo potest etiam uti oratione et ejus partibus quasi instrumentis, quamvis non naturaliter significent). *Secundo* ponit id, in quo oratio differt a nomine et verbo, cum dicit : *cujus partium aliquid est significativum separatim;* supra enim dictum est, quod pars nominis non significat aliquid per se separata, sed solum quod est conjunctum ex duabus partibus. Signanter autem non dicit : cujus pars significat aliquid separata, sed : cujus partium aliquid est significativum, propter negationes et alia syncategoremata, quæ secundum se non significant aliquid absolutum, sed solum habitudinem unius ad alterum. Sed quia duplex est significatio vocis, una quæ refertur ad intellectum compositum, alia quæ refertur ad intellectum simplicem, prior significatio convenit orationi, posterior non convenit orationi, sed ejus parti, et ideo additur in definitione : *ut dictio, non ut affirmatio;* pars enim orationis est significativa, sicut dictio significat, puta ut nomen et verbum, non ut affirmatio, quæ componitur ex nomine et verbo ; *homo* namque, quod est pars orationis, significat aliquid, sed non ut affirmatio vel negatio, quia non significat actu esse vel non esse, sed tantum in potentia ; nam si addatur illi esse, vel non esse, ex utroque fiet oratio, quæ significabit ut affirmatio. Et sic patet, quod definitio orationis est conveniens. — 1. *Periherm.* l. 5 et 6.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus non posuit in definitione verbi particulam hanc, quod sit vox significativa, quia supponebat illam ut positam in definitione nominis, studens brevitati ; iterat tamen illam in definitione orationis, quia significatio hujus differt a significatione nominis et verbi, quia hæc significant simplicem conceptum, illa compositum. — *Ibid.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod oratio vel non est significativa ut instrumentum virtutis naturalis, sed ut artificialis effectus, vel si est significativa ut instrumentum, non tamen ut instrumentum virtutis naturalis, etideo potest, licet sit instrumentum, significare ex institutione humana. — *Ibid.*

Ad tertium respondet Porphyrius, quod, in quocumque genere invenitur prius et posterius, debet definiri, quod prius est, sicut cum datur definitio alicujus speciei, puta hominis, intelligitur de eo, quod est in actu, non de eo, quod est in potentia. Et ideo quia in genere orationis prius est oratio simplex, inde est, quod Aristoteles prius definit orationem simplicem. — Vel potest dici cum Alexandro et Ammonio, quod hic definitur oratio in communi ; unde poni debet in hac definitione id, quod est commune orationi simplici et compositæ. Habere autem partes significantes aliquid ut affirmatio, solum competit orationi compositæ ; sed habere partes significantes aliquid per modum dictionis et non per modum affirmationis, est commune orationi simplici et compositæ, et ideo hoc debuit poni in definitione orationis. Et secundum hoc non debet intelligi esse de ratione orationis, quod pars ejus non sit affirmatio, sed quia de ratione orationis est, quod pars ejus sit aliquid, quod significat per modum actionis, non per modum affirmationis. Et in idem redit solutio Porphyrii quantum ad sensum, licet quantum ad verba parum differat. Quia enim Aristoteles frequenter ponit *dicere* pro *affirmare*, ne dictio pro affirmatione sumatur, subdit, quod pars orationis significat ut dictio, et non ut affirmatio, quasi diceret secundum sensum Porphyrii : non accipitur nunc dictio secundum quod idem est, quod affirmatio. — Philoponus, qui dicitur Joann. Grammaticus, voluit quod hæc definitio orationis daretur solum de oratione perfecta, eo quod partes non videntur esse nisi alicujus perfecti, sicut omnes partes domus referuntur ad domum, et ideo secundum ipsum sola oratio perfecta habet partes significativas. Sed tamen hic decipitur, quia quamvis omnes partes referantur ad totum perfectum, quædam tamen partes referuntur ad ipsum immediate, sicut paries et tectum ad do-

mum, et membra organica ad animal; quædam vero mediantibus partibus principalibus, sicut lapides referuntur ad domum mediante pariete, nervi autem et ossa ad animal mediantibus membris organicis, puta mediantibus manibus et pedibus. Sic ergo omnes partes orationis principaliter referuntur ad orationem perfectam, cujus pars est oratio imperfecta, quæ etiam ipsa habet partes significantes. Unde ista definitio convenit tam orationi perfectæ, quam imperfectæ. — *Ibidem.*

Ad quartum dicendum, quod in nominibus compositis, ut dictum est, quæ imponuntur ad significandam rem simplicem ex aliquo intellectu composito, partes secundum apparentiam aliquid significant, sed non secundum veritatem; et ideo dicit Philosophus, quod partes hujusmodi nominum compositorum significant aliquid, scilicet in ipso composito et secundum quod sunt dictiones, non autem significant per se, prout scilicet sunt hujusmodi nominum partes, sed eo modo, sicut supra dictum est. — *Ibid.* l. 6 et 4; v. supra q. 17, a. 1.

QUÆSTIO XIX

DE ENUNTIATIONE.

Deinde considerandum est de enuntiatione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR OCTO :

1. Utrum enuntiatio mentalis sit simplex actus intellectus, an compositus.
2. Utrum definitio enuntiationis vocalis a Philosopho tradita sit conveniens.
3. Utrum veritas sit solum in enuntiatione.
4. Utrum veritas enuntiationis sit æterna.
5. Utrum falsitas sit in enuntiatione.
6. Utrum veritas enuntiationis consistat in relatione conformitatis ad res.
7. Utrum enuntiatio sit tantum vera in ultimo instanti prolationis.
8. Utrum enuntiationum de futuro contingenti una sit determinate vera, et altera determinate falsa.

ARTICULUS 1

UTRUM ENUNTIATIO MENTALIS SIT SIMPLEX ACTUS INTELLECTUS, AN COMPOSITUS.

Videtur quod enuntiatio mentalis sit actus simplex intellectus.

1. Dicit enim Philosophus (9. *Metaphys.* *text.* 22; l. 8, c. 10), quod dictio simplicium est; sed nihil aliud est enuntiatio affirmativa, quam dictio, ut dicitur 3. *de Anima text.* 26; c. 6 : ergo enuntiatio est actus simplex. — 1. *Periherm.* l. 6; 9. *Metaphys.* l. 5; 3. *de Anima* l. 11.

2. Præterea, si enuntiatio mentalis consistit in pluralitate et compositione conceptuum, nulla enuntiatio mentalis erit divisio, quia divisio non componit, sed separat; sed aliqua enuntiatio est divisio, puta quæ est negatio unius de alio : ergo enuntiatio mentalis non consistit in pluralitate et compositione conceptuum. — 1. *Periherm.* l. 3.

3. Præterea, conceptus simplex hominis et conceptus simplex animalis non constituunt enuntiationem affirmativam mentalem, sicut nec conceptus fundamenti, parietis et tecti constituunt conceptum domus, sed hunc efficit conceptus unionis et compositionis importatæ per verbum; conceptus autem unionis est simplex, cum per vocem simplicem significetur : ergo. — 6. *Metaphys.* l. 4; v. ll. cit. infra ad 3.

4. Præterea, enuntiatio mentalis est quoddam judicium; sed judicium est actus simplex : ergo enuntiatio mentalis est actus simplex.

5. Præterea, quæ simul cognoscuntur, per unam formam et unum actum simplicem cognoscuntur; sed subjectum et prædicatum simul cognoscuntur, ut dicitur 6. *Metaphys. t.* ext. 8; l. 5, c. 3 : ergo cognoscuntur per unum actum simplicem, et ita enuntiatio mentalis erit actus simplex. — 1. *Periherm.* l. 14; 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a 4, sol. 1.; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 2, quæstiuuc.4, sol; *Quodl.* 7, a. 2 et a. 14, ad 5.

6. Præterea, intellectus nonaliter cognoscere dicitur multa componendo vel dividendo, quam cognoscendo comparationem vel differentiam rerum; sed hanc comparationem vel differentiam unico actu cognoscit, nam hanc significat vox simplex « *est* », posita in enuntiatione vocali, quæ simplicem conceptum significat : ergo intellectus componit et dividit in enuntiatione mentali per conceptum simplicem, et sic ipsa enuntiatio erit actus simplex. — *de Verit.* q. 8, a. 14, c; 1a, q. 58, a. 2 et 4, c. et q. 85, a. 5, c. et ad 1; 1a 2æ. q. 113,

a. 7, ad 2; 9. *Metaphys.* l. 5; 1. *Periherm.* l. 3 et 4.

Sed contra est : 1. quod voces significant conceptiones intellectus, ut dicitur 1. *Periherm.* c. 1; sed in enuntiatione vocali est compositio et pluralitas vocum : ergo in enuntiatione mentali erit pluralitas et compositio conceptuum. — 1a, q. 85, a. 5, *Sed contra*; 1. *Periherm.* l. 3 et 8; 6. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3; 9. *Metaphys. text.* 22; l. 8, c. 10, et 3. *de Anima text.* 21; c. 6) duplicem facit operationem intellectus : primam vocat simplicium intelligentiam, secundam vero compositionem intellectuum; sed per compositionem intellectuum non intelligit res ipsas, quia compositio non est nisi multorum; nihil autem invenitur in rebus, nisi res, quæ significatur per subjectum et prædicatum, quæ est una et eadem, si compositio est vera; homo enim vere est id, quod est animal : ergo intelligit compositionem conceptuum : ergo enuntiatio mentalis, quæ est secunda operatio intellectus, non est actus simplex, sed compositus. — 6. *Metaphys.* l. 4; 9. *Metaphys.* l. 5; 3. *de Anima* l. 11; 1a, q. 85, a. 5, arg. 3; *de Verit.* q. 1, a. 3.

3. Præterea, 12. *Metaphys. text.* 51; l. 11, c. 9 dicit Philosophus, quod in secunda operatione intellectus non habet totam suam perfectionem simul, sed in aliquo tempore; at si dicta operatio esset actus simplex, posset intellectus habere totam perfectionem suæ secundæ operationis simul, et in instanti : ergo. — 12. *Metaphys.* l. 11 (8).

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod enuntiatio mentalis consistit essentialiter in compositione plurium conceptuum, per quos una res ordinatur ad alteram vel per comparativam attributionem et compositionem, vel per differentiarum remotionem et divisionem (1a, q. 85, a. 5, *Sed contra*; 1. *Periherm.* l. 3, 4, 5; 6. *Metaphys.* l. 4). — Quod multipliciter ostenditur, et *primo*, ex enuntiatione vocali, quæ est significativa mentalis. Cum enim in vocali necessario sint tres voces simplices (nam in omni propositione necessario debent prædicatum et subjectum esse aliquo modo secundum rem idem, et diversa secundum rationem; diversitas autem rationis repræsentatur per pluralitatem subjecti, et prædicati, unitas autem per compositionem, puta per verbum, et unaquæque vox simplex formatur ad exprimendum simplicem conceptum), necessario dicendum est, in enuntiatione mentali tres etiam esse conceptus respondentes illis, quorum primus tamquam similitudo rei repræsentat subjectum, secundus actualitatem simpliciter, seu esse in actu, tertius prædicatum, nisi quod secundus primo et per se repræsentat id, quod dictum est, consequenter vero repræsentat unitatem prædicati cum subjecto, atque adeo significat compositionem, in qua significatione, quia dependet ex conceptu tertio, ideo ratione talis significationis magis exprimit rationem judicii, et per illam dicuntur subjectum et prædicatum simul cognosci, quatenus faciunt unum totum, scilicet unam affirmationem. (1a, q. 13, a. 12, c.) — *Secundo*, ex natura mentalis enuntiationis. Cum enim hæc fiat, ut ait Philosophus 6. (5) *Metaphys.*, per intellectum componentem vel dividentem, debet esse quoddam mentale compositum, in quo plura componantur significantia compositionem vel divisionem rerum; sed esse cujuslibet compositi consurgit ex pluribus componentibus; ergo enuntiatio essentialiter comprehendit multos conceptus. Quod confirmatur, quia ideo intellectus dicitur componens, quia ipse in intelligendo fit compositus, quia non intelligit ea, quæ componit, unico intuitu et simul, sed successive per plures conceptus; unde et potest transmutari intelligendo de parte in partem, ut ait Philosophus (12. *Metaphys. text.* 51; l. 11, c. 9) propterea negans, intellectum divinum quidquam posse intelligere per modum intellectus compositi. (1. c *Gent.* c. 58; *de Verit.* q. 1, a. 3, c. et q. 2, a. 7, c; 1a, q. 14, a. 14 et q. 85, a. 5, c.; 12. *Metaphys.* l. 11). — *Tertio*, ex ipsa compositione mentali, quam involvit enuntiatio mentalis; ea enim sive consistat in successiva apprehensione subjecti et prædicati ut inexistentis subjecto, ad differentiam Angeli simul apprehendentis hominem et in homine animal, et propterea non componentis, sive in ordinatione unius conceptus ad alterum, sive in com

paratione unius simplicis conceptus ad alterum, qua apprehenditur vel compositio seu identitas rerum, quarum sunt conceptus, vel diversitas earumdem, sive in reductione duorum conceptuum in unum per modum compositionis vel diversitatis enuntiationem formando, necessario involvit tres prædictos conceptus. Nam successiva apprehensio plurium, cum denotet intellectum sic intelligentem sic exire de potentia in actum et non statim in prima apprehensione omnia cognoscentem, includit plures conceptus et apprehensiones, unam post aliam; ordinatio autem, sicut et ordo, cum in sua ratione involvat rationem prioris et posterioris, distinctionem et originem, hæc eadem involvit in conceptibus, qui per enuntiationem mentalem ordinantur et componuntur. Sic conceptus unionis prædicati cum subjecto supponit cognitionem subjecti, et illi comparat cognitionem prædicati. Et idem patet de comparatione et reductione plurium in unum; nam talis comparatio et reductio fit per ordinationem prædictam et per compositionem, quæ necessario plurium est, sicut et divisio (1a, q. 14, a. 14 et q. 85, a. 5, c. et a. 4, c. et ad 4; 1. *Periherm.* l. 3; 2a 2æ, q. 26, a. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 20, q. 1, a. 3, sol. 1). — *Quarto* ex veritate, quæ soli enuntiationi mentali inest. Cum voces sint signa conceptuum, quod dicitur de vocibus, idem dicendum est de conceptibus; vox autem simplex et incomplexa non significat verum vel falsum, sed hæc tantum significant voces complexæ per affirmationem et negationem : ergo et conceptus simplex mentalis non potest esse verus vel falsus, sed conceptus complexus ex pluribus per affirmationem et negationem mentalem (1. *Periherm.* l. 3; 1a, q. 14, a. 14 et q. 85, a. 6, c. ; 6. *Metaphys.* l. 4; 9. *Metaphys.* l. 5). — *Quinto*, ex proportione, quæ est inter intellectum componentem et dividentem, et intellectum discurrentem. Sicut se habet conclusio ad principium in intellectu discurrente, ita se habet prædicatum ad subjectum in intellectu componente; in intellectu autem discurrente cognitio conclusionis est omnino distincta a cognitione principii; si enim intellectus noster statim in ipso principio videret veritatem conclusionis, numquam intelligeret discurrendo : ergo similiter in intellectu componente alia debet esse cognitio prædicati, et alia unionis prædicati cum subjecto a cognitione subjecti; alioqui si intellectus statim in apprehensione quidditatis subjecti cognosceret omnia, quæ possunt illi tribui vel ab illo removeri, numquam intelligeret componendo et dividendo, et per consequens non intelligeret per plures conceptus, sed per unum simplicem. (1a, q. 58, a. 4, c.; *de Malo* q. 16, a. 6, ad 1 in contr.) — *Sexto*, ex differentia, quæ est inter intellectum nostrum et divinum in cognitione enuntiabilis. Nam licet uterque cognoscat enuntiabile, non tamen uterque enuntiat, sed solus intellectus noster, qui ideo dicitur enuntiare, quia enuntiabile aliter quam est ex parte sui, licet non aliter quam ex parte ipsius enuntiabilis, seu composite et per modum intellectus compositi cognoscit, illud nimirum cognoscens per varias species variosque conceptus, quos comparans ad invicem et quodammodo uniens in seipso enuntiabile format. At intellectus divinus per eamdem speciem eundemque conceptum totum enuntiabile, sicut est, cognoscit, puta et subjectum et quidquid ab illo removeri potest et ei attribui, nec quidquam potest intelligere, ut inquit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 51; l. 11, c. 9), per modum intellectus compositi. — 1a, q. 13, a. 12, c. et ad 3 et q. 14, a. 14, c. et q. 87, a. 3, c.; *de Verit.* q. 2, a. 7; 9. *Metaphys.* l. 5; 1. c. *Gent.* c. 58.

Ad primum dicendum, quod dupliciter sumitur a Philosopho *dicere :* uno modo pro *affirmare*, et hoc modo sumitur 3. *de Anima*, et est *dicere aliquid de aliquo.* Altero pro eo, quod est *proferre*, quod est *dicere aliquid*, et hoc modo sumitur 9. *Metaphys.* et 1. *Periherm.* c. 4, ubi dicit, quod oratio est vox significativa ut dictio, non ut affirmatio. — 3. *de Anima* l. 11; 9. *Metaphys.* l. 5; 1. *Periherm.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod quia conceptiones intellectus sunt similitudines rerum, ea, quæ circa intellectum sunt, dupliciter considerari possunt, uno modo secundum se, alio modo secundum rationes rerum, quarum sunt similitudines. Sicut imago Herculis secundum se quidem dicitur et est cuprum, in quantum autem est

similitudo Herculis, nominatur homo ; sic etiam si consideremus ea, quæ sunt circa intellectum secundum se, semper est compositio, ubi est veritas vel falsitas, quæ nunquam invenitur in intellectu nisi per hoc, quod intellectus comparat unum simplicem conceptum alteri; sed si referatur ad rem, quandoque dicitur compositio, quandoque divisio; compositio quidem, quia intellectus comparat unum conceptum alteri, quasi apprehendens conjunctionem aut identitatem rerum, quarum sunt conceptiones; divisio autem, quando sic comparat unum conceptum alteri, ut apprehendat res esse diversas. Per hunc enim etiam modum in vocibus affirmatio dicitur compositio, in quantum conjunctionem ex parte rei significat; negatio vero dicitur divisio, in quantum significat rerum separationem. — 1. *Periherm.* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod non qualiscumque multitudo intellectuum compositionem causat, sed multitudo illorum, quorum unum attribuitur alteri; enuntiatio namque mentalis formatur quidem ex pluribus conceptibus simplicibus, sed non quomodocumque, sed ut constituunt compositionem vel divisionem, quatenus scilicet per illos intelligitur subjectum et prædicatum ut faciunt unum, puta unam affirmationem vel negationem. Quia enim intelligendo, quid est homo, non ex hoc ipso alia, quæ illi insunt, intelligimus,sed divisim secundum quamdam successionem, propter hoc ea, quæ seorsum intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis vel divisionis enuntiationem formando. — 1a, q. 58, a. 4, ad 1; 1. *Periherm.* l. 5; 6. *Metaphys.* l. 4; 1a, q. 14, a. 14, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod judicium dupliciter potest fieri: uno modo per simplicem intelligentiam, et hoc modo fit in Deo; altero modo per enuntiationem et compositionem conceptuum, et sic fit in nobis. Judicare enim, rem ita esse vel non esse, nihil aliud est, quam componere et dividere, et utrumque nihil aliud est, quam dicere, hoc ita esse vel non esse. — Vel dicendum, quod cum judicium consistat in apprehensione rei ut in se, aliquando est unus actus simplex, quando unica apprehensione potest quis cognoscere et res et accidentia ipsius, quomodo est in Angelis et in Deo; aliquando vero est actus complexus seu compositus ex pluribus, quando scilicet per aliam apprehensionem apprehenditur res, et per aliam accidens illius, et per tertiam reducuntur illa duo in unum, ut dictum est, et hoc modo fit judicium in intellectu nostro. — 1a, q. 16, a. 5, ad 1; 1. *Periherm.* l. 3; *de Verit.* q. 1, a. 3, c.; 2a 2æ, q. 51, a. 3, ad 1; 1a 2æ, q. 113, a. 7, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod subjectum et prædicatum dupliciter possunt cognosci: *uno modo*, principaliter, quando scilicet cognoscuntur per plures species et conceptus, et tanquam duo objecta, et secundum se. *Alio modo*, consequenter, et hoc dupliciter, *vel* quando cognoscuntur per unam et eamdem speciem et conceptum, quomodo cognoscuntur ab intellectu angelico et divino; *vel* quando cognoscuntur tanquam quid unum, seu quatenus ex illis fit unum, idest una affirmatio vel negatio, licet per diversas species, et hoc modo cognoscuntur ab intellectu nostro, quo etiam modo cognoscimus partes, ut constituentes aliquod totum. — *Quodl.* 7, a. 2; *de Verit.* q. 8, a. 14, ad 1 in contrar.; 6. *Metaphys.* l. 4; V. Cajetan. in 1am, q. 58, a. 2, et Ferrariensem in 2. *c. Gent.* c. 101.

Ad sextum dicendum, quod dupliciter potest cognosci comparatio, sicut et compositio vel enuntiabile : *uno modo* comparative, composite, et per modum enuntiabilis; et hoc modo qui cognoscit comparationem, compositionem et enuntiationem, componit et enuntiat, habetque intellectum compositum, ut contingit in nostro intellectu. *Alio modo* per simplicem intelligentiam seu simpliciter, sine ulla comparatione, compositione et formatione enuntiationis, et hoc modo cognoscere comparationem, compositionem et enuntiationem non est componere et enuntiare et hoc Deo et Angelis convenit, qui propterea non dicuntur componere et enuntiare, sicut nec discurrere. — 1a, q. 14, a. 14, c; et q. 16, a. 5; 1. *c. Gent.* c. 58; *de Verit.* q. 2, a. 7; et ll. supra ad 4 et 5 cit.

ARTICULUS II

UTRUM DEFINITIO ENUNTIATIONIS RECTE SIT A PHILOSOPHO ASSIGNATA.

Videtur quod definitio enuntiationis non sit a Philosopho recte assignata, quod sit oratio, in qua est verum vel falsum.

1. Quia nemine interrogante qui sponte profert enuntiationem, non significat verum vel falsum, ut dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 4 al. 5). Et ratio est, quia non est necesse, quod quidquid quis dicit, hoc mente suscipiat vel opinetur; sed enuntiatio sic prolata vere est enuntiatio : ergo enuntiatio non semper est vera vel falsa. — 1. *Periherm.* l. 8; 4. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, definitio non debet convenire aliis a definito; sed hæc convenit aliis, nam et lapides dicuntur veri, et similiter vera domus: ergo enuntiatio non recte definitur per *esse veram*. — 1. *Periherm.* l. 3; *de Verit.* q. 1, a. 2, arg. 4; 1a, q. 16, a. 1, c.

3. Præterea, divisio fit per resolutionem in indivisibilia sive simplicia; sed in vocibus simplicibus non est verum et falsum: ergo nec erit in enuntiatione, in qua est divisio, puta in enuntiatione negativa. — 1. *Periherm.* l. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi. 1. *Periherm.* c. 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte fuit a Philosopho assignata definitio enuntiationis. — Ad cujus manifestationem considerandum, quod oratio, quamvis non sit instrumentum alicujus virtutis naturaliter operantis, est tamen instrumentum rationis. Omne autem instrumentum oportet definiri ex suo fine, qui est usus instrumenti; usus autem orationis, sicut et omnis vocis significativæ, est significare conceptum intellectus. Duæ autem sunt operationes intellectus, in quarum una non invenitur veritas vel falsitas, in alia autem invenitur utraque, et ideo orationem enuntiativam definit ex significatione veri et falsi, dicens, quod non omnis oratio est enuntiativa, sed in qua est verum vel falsum. Dicitur autem in enuntiatione esse verum vel falsum, sicut in signo intellectus veri vel falsi; sed sicut in subjecto est verum et falsum in mente, ut dicitur in 6. *Metaphys.*; in re autem est sicut in causa, quia, ut dicitur in *lib. Prædicam.*, ab eo, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est. Quoniam vero definitio soli definito convenit, unde et dicitur terminus rei, per hanc definitionem enuntiatio distinguitur ab aliis orationibus. Et quidem ab imperfectis, patet; nam manifestum est, quod non significant verum vel falsum. Ab aliis vero perfectis idem etiam patet. Sciendum enim est, quod perfectæ orationis, quæ complet sententiam, quinque sunt species, videlicet enuntiativa, deprecativa, imperativa, interrogativa, et vocativa, per quam non intelligitur solum nomen vocativi casus, quia oportet aliquid partium orationis significare aliquid separatim, ut dicitur 1. *Periherm.* c. 4, licet per vocativum provocetur sive excitetur animus audientis ad attendendum, sed intelligitur oratio, in qua plura conjunguntur, ut cum dico: « O bone Petre ». Harum autem orationum enuntiativa sola est, in qua invenitur verum vel falsum, quia ipsa sola significat absolute conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum. Sed quia intellectus vel ratio non solum concipit in se ipso veritatem retantum, sed etiam ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare, ideo necesse fuit, quod sicut per orationem enuntiativam significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis, secundum quem aliæ diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. *Primo* quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet vocativa oratio; *secundo* ad respondendum voce, et ad hoc pertinet oratio interrogativa, ad quam dubitativa reducitur; *tertio* ad exequendum in opere, et ad hoc pertinet quantum ad inferiores oratio imperativa, quantum autem ad superiores oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istæ quatuor species orationis non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem, inde est, quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in enuntiativa, quæ significat id, quod de re-

bus concipitur; et inde est, quod omnes modi orationum, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam. Et sic manifestum est, recte fuisse a Philosopho traditam enuntiationis definitionem. — 1. *Periherm.* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod voces significativæ formantur ad hoc, ut homo exprimat aliis suos conceptus internos. Nam si homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent ipsi passiones animi, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet; sed quia homo est animal naturaliter politicum et sociale, necesse fuit, quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis, quod fit per vocem, et ideo necesse fuit, esse voces significativas ad hoc, quod homines invicem convenirent; unde illi, qui sunt diversarum linguarum, non possunt bene convenire. Rursum vero si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quæ respicit solum hic et nunc, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa, sicut et cæteris animalibus, quæ per quasdam voces suas conceptiones sibi invicem manifestant; sed quia homo etiam utitur intellectuali cognitione, quæ abstrahit ab hic et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de præsentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quæ distant loco et tempore. Unde ut homo suas conceptiones etiam his, qui distant secundum locum et tempus, manifestet, necessarius fuit usus scripturæ. Quoniam ergo cum quis nullo interrogante et præsente sponte profert enuntiationem, nullus est, cui enuntiatio significet verum vel falsum, propterea nec ipsa enuntiatio dicitur enuntiare verum vel falsum, nec proprie dicitur enuntiatio, significativa scilicet, et multo minus, quam quando quis alteri interroganti una voce respondet, cum hæc adjuncta propositioni interrogantis significet verum vel falsum. — 1. *Periherm.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod lapides et domus dicuntur vera veritate rei, non autem veritate intellectus, cujus illa est causa. — 1a, q. 16, a. 1, ad 1; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, sol.

Ad tertium dicendum, quod cum intellectus conceptiones sint similitudines rerum, dupliciter possunt considerari : *uno modo* secundum se; et sic semper est compositio, ubi est veritas vel falsitas, quanunquam reperitur in intellectu nisi per hoc, quod intellectus comparat unum simplicem conceptum alteri; *alio modo*, ut sunt similitudines rerum, et hoc modo enuntiatio dicitur compositio, quatenus per illam apprehendimus conjunctionem rerum, divisio vero, quatenus apprehendimus res esse diversas; et per hunc modum etiam in vocibus affirmatio dicitur compositio, quatenus compositionem ex parte rei significat, negatio vero dicitur divisio, quatenus significat rerum separationem. — 1. *Periherm.* l. 3.

ARTICULUS III

UTRUM IN ENUNTIATIONE TANTUM SIT VERITAS.

Videtur quod veritas non sit tantum in enuntiatione.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod propter quod unumquodque, et illud magis; sed ex eo, quod res est vel non est, enuntiatio vel opinio est vera vel falsa, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* c. 5 : ergo veritas magis est in rebus, quam in enuntiatione, et sic non est tantum in illa. — 1a, q. 16, a. 1, arg. 3.

2. Præterea, veritati opponitur falsitas; sed hæc est in rebus (dicimus enim aurum falsum) : ergo et in illis erit invenire veritatem, et ita hæc non erit tantum in enuntiatione. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, arg. 4 *Sed contra.* (arg. 8.)

3. Præterea, quidquid est verum, veritate verum est; si igitur veritas est tantum in enuntiatione, nihil erit verum, nisi secundum quod enuntiatur, quod est error antiquorum philosophorum, qui dicebant omne, quod videtur, esse verum; ad quod sequitur, contradictoria simul esse vera cum contradictoria simul a diversis vera esse videantur : ergo veritas vel non est in enuntiatione, vel non est tantum in illa. — 1a, q. 16, a. 1, arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus definit enuntiationem, quod sit oratio, in qua est verum vel falsum; definitio autem convertitur cum definito.

RESPONDEO DICENDUM, quod verum

secundum primam sui rationem est in intellectu. Sicut enim bonum nominat id, in quod tendit appetitus, ita verum nominat id, in quod tendit intellectus. Cum autem omnis res sit vera, secundum quod habet propriam formam suæ naturæ, necesse est, quod intellectus, in quantum est cognoscens, sit verus, in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, in quantum est cognoscens. Et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur; unde conformitatem istam cognoscere, est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit; licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem, quæ est inter rem visam et id, quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest, sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est; sed quando judicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum, et hoc facit enuntiando, sive componendo et dividendo ; nam in omni enuntiatione aliquam formam significatam per prædicatum vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea. Et ideo bene invenitur, quod sensus est verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo quod quid est, sed non quod cognoscat et dicat verum ; et similiter est de vocibus complexis et incomplexis. — 1. *Periherm.* l. 3; 1a, q. 16, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod licet veritas intellectus nostri a re causetur, non tamen oportet, quod in re per prius inveniatur ratio veritatis, sicut neque in medicina per prius invenitur ratio sanitatis, quam in animali; virtus enim medicinæ, non sanitas ejus causat sanitatem, cum non sit agens univocum; et similiter esse rei, non veritas ejus causat veritatem intellectus. Unde Philosophus l. c. in argumento dicit, quod opinio et oratio vera est ex eo, quod res est, non ex eo, quod res vera est. — 1a, q. 16, a. 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod cum verum et falsum opponantur, opposita autem sint circa idem, necesse est, ut ibi quæratur falsitas, ubi primo invenitur veritas, hoc est in intellectu. In rebus autem neque veritas neque falsitas est, nisi per ordinem ad intellectum. Et veritas quidem simpliciter dicitur talis per ordinem ad intellectum divinum, cui per se comparatur res quælibet naturalis; veritas autem secundum quid dicitur per ordinem ad intellectum nostrum, cui per accidens comparatur; falsitas autem simpliciter nulla est in rebus per ordinem ad intellectum divinum; nam quidquid in rebus accidit, ex ordinatione divini intellectus procedit. Per ordinem tamen ad intellectum nostrum dupliciter dicuntur res falsæ secundum quid: *uno modo*, secundum rationem significati, quia significatur et repræsentatur oratione vel intellectu falso; *alio modo* per modum causæ, et sic dicuntur res falsæ, quæ natæ sunt facere de se opinionem falsam. Et totidem etiam modis dicuntur res veræ. — 1a, q. 16, a. 1, c.; *de Verit.* q. 1, a. 10.

Ad tertium dicendum, quod antiqui philosophi species rerum naturalium non dicebant procedere ab aliquo intellectu, sed a casu, et quia considerabant, quod verum importat comparationem ad intellectum, cogebantur veritatem rerum constituere in ordine ad intellectum nostrum, ex quo inconvenientia sequebantur, quæ Philosophus persequitur 4. *Metaphys. text.* 19 et seqq.; l. 3, c. 4, sqq.; quæ quidem inconvenientia non accidunt, si ponamus veritatem rerum consistere in comparatione ad intellectum divinum. — 1a, q. 16, a. 1, ad 2.

ARTICULUS IV

UTRUM ENUNTIATIONIS VERITAS SIT ÆTERNA.

Videtur quod veritas enuntiationis sit æterna.

1. Quia omne necessarium est æternum; sed multæ enuntiationes sunt necessariæ, sicut omnia principia demonstrationis, et omnes propositiones demonstrativæ : ergo multæ enuntiationes habent veritatem æternam. — 1a, q. 16, a. 1, arg 1.

2. Præterea, « omne totum est majus sua parte », est quædam veritas immutabilis; sed veritas immutabilis est æterna : ergo propositio prædicta habet veritatem

æternam. — 1. *Sent.* dist 19, q. 5, a. 3, arg. 7.

3. Præterea, si veritas enuntiationis non est æterna, ergo erit assignare, quando non erit enuntiationis veritas ; sed tunc hæc enuntiatio est vera : nulla veritas enuntiationis est; ergo veritas enuntiationis est, quod est contrarium ei, quod fuit datum: non ergo dici potest, quod veritas alicujus saltem propositionis non sit æterna. — *de Verit.* q. 1, a. 5, arg. 3.

4. Præterea, omne quod caret principio et fine, est æternum; sed veritas enuntiationis caret principio et fine ; quia si veritas incipit, cum ante non esset, verum erat, veritatem non esse, et utique aliqua veritate verum erat, et sic veritas erat, antequam inciperet; et similiter, si ponatur, veritatem habere finem, sequitur, quod sit, postquam desierit ; verum enim erit, veritatem non esse : ergo.—1a, q. 16, a. 7. arg. 4; *de Verit.* q. 1, a. 5, arg. 1.

5. Præterea, omne quod non potest intelligi non esse, est æternum, quia quidquid potest non esse, potest intelligi non esse; sed veritas enuntiationis non potest intelligi non esse, quia intellectus non potest intelligere aliquid, nisi intelligat illud esse verum : ergo. — *de Verit.* l. c. arg. 5.

6. Præterea, illud, quod est futurum, semper fuit futurum, et quod est præteritum, semper erit præteritum; sed ex hoc propositio de futuro est vera, quia aliquid est futurum, et similiter propositio de præterito: ergo veritas propositionis de futuro semper fuit, et de præterito semper erit, et ita veritas alicujus propositionis erit æterna. — *de Verit.* l. c. arg. 7.

Sed contra est : 1. quod ens et verum convertuntur, ut dicitur 4. *Metaphys.*; sed solum unum ens est æternum : ergo sola una veritas est æterna, et ita veritates enuntiationum, quæ plures sunt, non erunt æternæ. — *de Verit.* q. 1, a. 5, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, nullum creatum est æternum; sed omnis veritas præter primam est creata : ergo veritas enuntiationis, quæ non est prima, sed creata, non est æterna. — *de Verit.* l. c. arg. 4 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod nullius enuntiationis veritas est æterna. Veritas enim enuntiationis nihil est aliud, quam veritas intellectus; enuntiatio enim est in intellectu et voce. Secundum quod autem est in intellectu, habet per se veritatem; sed secundum quod est in voce, dicitur vera enuntiatio, secundum quod significat aliquam veritatem intellectus, non propter aliquam veritatem in enuntiatione existentem, sicut in subjecto. Sicut urina dicitur sana non a sanitate, quæ in ipsa sit, sed a sanitate animalis, quam significat; similiter etiam res denominantur veræ a veritate intellectus. Sicut enim bonum nominat id, in quod tendit appetitus, ita verum nominat id, in quod tendit intellectus; unde si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna, et consequenter nec veritas enuntiationis. Quia ergo solus intellectus divinus est æternus, in ipso solo veritas habet æternitatem; et ita in illo solo enuntiatio est vera, non autem in se ipsa; nam veritas, per quam dicitur enuntiatio ab æterno vera, quæ est veritas intellectus divini, est ipse Deus.—1a, q. 16, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod necessarium significat quemdam modum veritatis; verum autem secundum Philosophum (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3) est in intellectu. Secundum hoc igitur vera et necessaria sunt æterna, quia sunt in intellectu æterno, qui est solus divinus. Unde non sequitur, quod veritas enuntiationum necessariarum in se ipsis sit æterna, vel ab æterno fuerit, cum fuerit ab æterno in Deo, et non aliter, nisi ponerentur ab æterno creaturæ, sicut philosophi posuerunt. — 1a, q. 10, a. 3, ad 3; 1. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 2, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod veritas hujus propositionis : « omne totum est majus sua parte », et reliquarum necessariarum potest deficere per accidens quantum ad esse, quod habet in anima, vel in rebus, si res illæ deficerent; tum enim non remanerent istæ veritates nisi in Deo, in quo sunt una et eadem veritas. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 3, ad 7.

Ad tertium dicendum, quod ex prædicta ratione tantum ostenditur, quod sola veritas prima est æterna.

Ad quartum dicendum, quod quia intellectus noster non est æternus, nec veritas

enuntiabilium, quæ a nobis formantur, est æterna, sed quandoque incepit, et antequam hujusmodi veritas esset, non erat verum dicere talem veritatem non esse, nisi ab intellectu divino, in quo solum est veritas æterna; sed nunc verum est dicere, veritatem tunc non fuisse, quod quidem non est verum nisi veritate, quæ nunc est in intellectu nostro, non autem per aliquam veritatem ex parte rei, quia ista est veritas de non ente, non ens autem non habet ex se, ut sit verum, sed solum ex intellectu apprehendente ipsum. Unde in tantum est verum dicere, veritatem non fuisse, in quantum apprehendidimus non esse ipsius ut præcedens esse ipsius.— 1a, q. 16, a. 7, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod non potest intelligi simpliciter veritatem non esse, potest tamen intelligi nullam veritatem creatam esse, sicut et potest intelligi nullam creaturam esse; intellectus enim potest intelligere se non esse et se non intelligere, quamvis non intelligat sine hoc, quod sit vel intelligat. Non enim oportet, quod quidquid intellectus intelligendo habet, intelligendo intelligat, quia non semper reflectitur supra seipsum, et ideo non est inconveniens, si veritatem creatam, sine qua non potest intelligere, intelligat non esse. — *de Verit.* q. 1, a. 5, ad 5.

Ad sextum dicendum, quod id, quod est futurum, in quantum est futurum, non est, et similiter præteritum, in quantum præteritum; unde est eadem ratio de veritate præteriti et futuri, sicut et de veritate non entis, ex qua non potest concludi æternitas alicujus veritatis, nisi primæ. — Vel dic, quod illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublata causa non esset futurum illud fieri; sola autem causa prima est æterna; unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa æterna fuit, ut essent futura, quæ causa Deus est.— *de Verit.* l. c. ad 6 et 7; 1a, q. 16, a. 7, ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM FALSITAS SIT IN ENUNTIATIONE.

Videtur quod falsitas non sit in enuntiatione.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 51; c. 6), quod intellectus semper est rectus, ergo et ejus operatio semper est recta; sed enuntiatio est operatio intellectus : ergo in illa non est falsitas. — 1a, q. 17, a. 3, arg. 2.

2. Præterea, dicit *Augustinus* in libro 83 *Quæstionum*, q. 32, quod omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit; sed falsum dicitur in aliqua cognitione : ergo in intellectu et consequenter in enuntiatione sive mentali sive vocali, quæ est signum mentalis, non est falsitas. —l. c., arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus in 1. *Periherm.* c. 4 definit enuntiationem, quod sit oratio, in qua est verum vel falsum.

RESPONDEO DICENDUM, quod quia veritas vel falsitas est in enuntiatione vocali, sicut in signo intellectus veri et falsi, ut dictum est, ideo si in intellectu, seu in enuntiatione mentali invenitur falsitas, tanquam in subjecto, eadem erit in vocali, tanquam in signo, et per consequens dicetur enuntiatio falsa. Ut vero intelligatur, quomodo in intellectu vel in enuntiatione mentali reperiri possit falsitas, considerandum est, quod sicut res habet esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitæ; unde sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus, sicut homo ab hoc, quod est habere duos pedes, non autem ab hoc, quod est esse hominem, ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei, cujus similitudine informatur, potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam vel accidens ei; sicut visus non decipitur circa sensibile proprium, sed circa sensibilia communia, quæ consequenter se habent ad ea, et circa sensibilia per accidens. Sicut autem

sensus informatur directe similitudine propriorum sensibilium, ita intellectus formatur similitudine quidditatis rei. Unde circa *quod quid est* intellectus non decipitur, sicut neque sensus circa sensibilia propria ; in componendo autem vel dividendo sive in enuntiando potest decipi, dum attribuit rei, cujus quidditatem intelligit, aliquid, quod eam non sequitur, vel quod ei opponitur. Sic enim se habet intellectus ad judicandum de hujusmodi, sicut sensus ad judicandum de sensibilibus communibus, vel per accidens, hac tamen differentia servata, quæ circa veritatem supra allata est, quod falsitas in intellectu et in enuntiatione esse potest non solum, quia enuntiatio falsa est, sed quia intellectus eam cognoscit, sicut et veritatem; in sensu autem non est falsitas, ut cognita. Quia vero falsitas intellectus per se solum est circa compositionem intellectus, per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscitur *quod quid est*, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio admiscetur. Quod potest esse dupliciter : *uno modo,* secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri, ut si definitionem circuli attribuat homini — unde definitio unius rei est falsa de altera; *alio modo,* secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quæ simul sociari non possunt; sic enim definitio non solum est falsa respectu alicujus rei, sed est falsa in se, ut si formet talem definitionem: animal rationale quadrupes, falsus est intellectus sic definiendo, propterea quod falsus est in formando hanc compositionem: aliquod animal rationale est quadrupes; et propter hoc in cognoscendo quidditates simplices non potest intellectus esse falsus, sed vel est verus vel totaliter nihil intelligit. — V. supra art. 2, c.; 1a, q. 17, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus semper est rectus, secundum quod intellectus est principiorum, circa quæ non decipitur ex eadem causa, qua non decipitur circa *quod quid est*; nam principia per se nota sunt illa, quæ statim intellectis terminis cognoscuntur ex eo, quod prædicatum ponitur in definitione subjecti. — 1a, q. 17, a. 3, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod quia quidditas rei est proprium objectum intellectus, propter hoc tunc proprie dicimur aliquid intelligere, quando reducentes illud in *quod quid est,* sic de eo judicamus; sicut accidit in demonstrationibus, in quibus non est falsitas; et hoc modo intelligitur verbum Augustini, quod omnis, qui fallitur, non intelligit id, in quo fallitur, non autem ita, quod in nulla operatione intellectus et consequenter nec in enuntiatione aliquis fallatur. — l. c. ad 1.

ARTICULUS VI

UTRUM VERITAS ENUNTIATIONIS CONSISTAT IN RELATIONE CONFORMITATIS IPSIUS AD RES.

Videtur quod veritas enuntiationis non consistat in relatione conformitatis ipsius ad res.

1. Definit enim Avicenna veritatem, quod sit uniuscujusque rei proprietas sui esse, quod stabilitum est ei, et Hilarius dicit, quod verum est declarativum aut manifestativum esse. Alii vero dicunt, quod est adæquatio rei et intellectus; non ergo recte definitur, quod sit conformitas enuntiationis ad res.—1a, q. 16, a. 1, c.; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1 ; *de Verit.* q. 1, a. 1.

2. Præterea, veritas enuntiationis est conformitas ad suum principium; sed principium rerum omnium et consequenter intellectus creati, et cujuscumque operationis illius est intellectus divinus: ergo. 1a, q. 16, a. 5, ad 2.

3. Præterea, veritas proprie et per se non est in intellectu simplici, neque in enuntiatione vocali, tamquam in subjecto, ut dictum est, sed tantum in intellectu componente et dividente, atque adeo in enuntiatione mentali, ut dicitur 6. *Metaphys.* Sed ita intellectus simplex et enuntiatio vocalis conformantur rebus, sicut intellectus compositus et enuntians : ergo veritas enuntiationis non consistit in conformitate ad res. — *de Verit.* q. 1, a. 3, arg. 2; 1a, q, 16, a. 2, c.

4. Præterea, omnis relatio vel est realis vel rationis ; sed relatio conformitatis enuntiationis ad res neque est realis, quia hæc terminatur ad ens reale actu existens, ut dictum est; at conformitas enuntiationis est etiam ad ens reale futurum, ut cum

dicitur : Antichristus nascetur; neque est relatio rationis, quia verum convertitur cum ente; eadem enim est, inquit Philosophus (2. *Metaphys.*; l. 1 min., c. 1), dispositio rerum in esse et in veritate, et quia nihil intelligitur nisi sub ratione veri; at intellectus objectum est ens in communi : ergo veritas enuntiationis non consistit in relatione conformitatis ejusdem ad res. — 1a, q. 28, a. 1, c. et q. 16, a. 3, arg. 3 et *Sed contra*; *de Verit.* q. 1, a. 5, c.; *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 18 et 22.

Sed contra est, quod quælibet res est vera, secundum quod habet propriam formam suæ naturæ; sed propria forma intellectus enuntiantis est similitudo rei cognitæ : ergo intellectus enuntians est verus, secundum quod assimilatur rebus, et sic veritas enuntiationis consistet in ejus conformitate ad res. — 1a, q. 16, a. 2, c. et Cajetan. in hunc loc.

RESPONDEO DICENDUM, quod sicut bonum nominat id, in quod tendit appetitus, ita verum nominat id, in quod tendit intellectus; hoc autem distat inter appetitum et intellectum sive quamcumque cognitionem, quod cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente, appetitus autem est secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam; et sic terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili, sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu. Sicut autem bonum est in re, in quantum habet ordinem ad appetitum (et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum, secundum quod appetitus dicitur bonus, prout est boni), ita, cum verum sit in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectæ, necesse est, quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, secundum quod habet ordinem ad intellectum, a quo dependet non solum in cognoscibilitate, sed etiam in esse; — quomodo se habent res artificiatæ ad intellectum nostrum, et res naturales ad intellectum divinum; et sic principaliter veritas est in intellectu, secundario vero in rebus, ut comparantur ad intellectum ut ad principium; et secundum hoc veritas diversimode notificatur. Nam definitio veritatis, quam affert Avicenna, pertinet ad veritatem rei et datur secundum id, quod præcedit rationem veritatis, et in quo verum fundatur. Definitio vero Hilarii pertinet ad effectum consequentem rationem veritatis. Definitiones vero aliorum pertinent tam ad veritatem intellectus, quam rei. Sed definitio a nobis allata pertinet ad veritatem intellectus, magisque proprie secundum actum intellectus componentis et dividentis, seu secundum actum enuntiativum, quam secundum actum intellectus quidditates rerum formantis, in quo per posterius invenitur ratio veri ratione compositionis in eo implicatæ, ut dictum est, quam in actu enuntiativo, et sic manifestum est, quod veritas enuntiationis consistit in conformitate ipsius ad res. — 1a, q. 16, a. 1, c.; *de Verit.* q. 1, a. 1, c. et a. 2, c.; V. supra q. 16, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod prædictæ definitiones veritatis dantur de illa, secundum quod per prius et posterius pluribus convenit, ut dictum est in c.

Ad secundum dicendum, quod verum intellectus nostri *proxime* est, secundum quod conformatur suo principio, scilicet rebus, a quibus cognitionem accipit; et per consequens veritas enuntiationis est per ordinem ad res, a quibus causatur; *remote* autem reducitur tamquam in primam causam in ipsum Deum, quia ejus esse est causa omnis esse, sicut ejus intelligere est causa omnis cognitionis. — 1a, q. 16, a. 5, c. et ad 2; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod quia veritas, ut dictum est, per se tantum est in intellectu componente et dividente, et in intellectu definiente non nisi ratione compositionis in illo implicitæ, et in enuntiatione vocali non nisi tamquam in signo veritatis, in rebus vero tamquam in causa, in sola etiam enuntiatione mentali est proprie conformitas intellectus ad res; nam per illam solam habet intellectus aliquid proprium, ut dictum est, per quod possit adæquari et conformari rebus. — 1a, q. 16, a. 2, a. 7, a. 8, c.; *de Verit.* q. 1, a. 1 et a. 3, c.

Ad quartum dicendum, quod veritas enuntiationis mentalis est relatio confor-

mitatis ipsius ad res intellectas, ut dictum est, et hæc relatio est relatio rationis. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod eorum, quæ significantur nominibus, invenitur triplex diversitas : *quædam* enim sunt, quæ secundum esse totum completum sunt extra animam, et hujusmodi sunt entia completa, ut homo et lapis; *quædam* autem sunt, quæ nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimæræ ; *quædam* autem sunt, quæ habent fundamentum in re extra animam, sed complementum rationis eorum quantum ad id, quod est formale, est per operationem animæ, ut patet in universali. Humanitas enim est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalis, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis, sed secundum quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus intentio, secundum quam dicitur species ; et similiter dico de veritate, quod habet fundamentum in re, sed ratio ejus completur per actionem intellectus, quando scilicet apprehenditur res eo modo, quo est. Unde dicit Philosophus 6. (5) *Metaphys.*, quod verum et falsum sunt in anima, sed bonum et malum in rebus. Cum autem in re sit quidditas ejus et esse, veritas fundatur in esse rei magis, quam in quidditate, sicut et nomen entis ab esse imponitur, et in ipsa operatione intellectus accipientis esse rei, sicut est, per quamdam similitudinem ad ipsum completur ratio adæquationis, in qua consistit ratio veritatis. — Quod vero dicitur, verum cum ente converti, cum verum sit in rebus et in intellectu, ut dictum est, verum, quod est in rebus, convertitur cum ente secundum substantiam ; verum autem, quod est in intellectu, convertitur cum ente ut manifestativum cum manifestato.— Cum autem objicitur, nullum ens intelligi, nisi sub ratione veri, dupliciter potest intelligi : *uno modo*, quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri consequatur seu comitetur apprehensionem entis, seu nisi vero etiam simul existente, et sic locutio habet veritatem; non enim potest intelligi ens non existente vero, quia ens non potest intelligi sine hoc, quod correspondeat vel adæquetur intellectui. *Alio modo* potest sic intelligi, quod ens non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio veri, et hoc falsum est ; sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in rationem veri. Et est simile, sicut si compararemus intelligibile ad ens; non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens ita, quod non intelligatur ejus intelligibilitas; et similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligendo ens intelligitur verum. — *de Verit.* q. 1, a. 1, c. et ad 3 et a. 3, c.; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c. et ad 2 et 5 et a. 2, c. et a. 3, c. et ad 4; 1a. q. 16, a. 3, ad 1 et 3.

ARTICULUS VII

UTRUM ENUNTIATIO VOCALIS SIT TANTUM VERA IN ULTIMO INSTANTI PROLATIONIS IPSIUS.

Videtur quod enuntiatio vocalis sit vera tantum in ultimo instanti prolationis ipsius.

1. Copula enim significat compositionem ; sed compositio enuntiationis non potest intelligi sine partibus componentibus, ut dicitur 1. *Periherm.* c. 3 : ergo enuntiationis significatio, quæ maxime nititur significatione copulæ, et per consequens veritas, quæ illam sequitur, non est nisi in ultimo instanti prolationis. — 6. *Metaphys.* l. 4; 9. *Metaphys.* l. 11 (5); 1. *Periherm.* l. 5.

2. Præterea, veritas enuntiationis sequitur significationem illius, nam hæc est essentia enuntiationis, illa vero accidens illam consequens; sed significatio enuntiationis est tota simul, et non nisi post ultimam particulam, per quam completur : ergo et veritas non erit nisi in ultimo instanti prolationis. — *de Verit.* q. 1, a. 6, ad 4; 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 3, ad 6 et 7.

3. Præterea, veritas enuntiationis maxime consistit in significatione verbi, hoc enim significat compositionem, qua perficitur significatio enuntiationis, et adjunctum nomini, ut dicit Philosophus 1. *Periherm.* c. 3, significat verum vel falsum ; sed significatio verbi pendet ex prædicato, nam ex illo determinatur : ergo et veritas enuntiationis ex prædicato pendebit, illudque supponet, et sic tantum erit

in ultimo instanti prolationis. — 1. *Periherm.* l. 4 et 5.

4. Præterea, in enuntiatione non tantum significativa, sed etiam factiva veritas facit suum significatum; sed non est factiva sui significati, nisi in ultimo instanti suæ prolationis : ergo veritas enuntiationum saltem plurimarum est tantum in ultimo instanti prolationis ipsarum. — 3a, q. 78, a. 5, c.; 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 3, ad 6 et 7.

5. Præterea, enuntiatio quamvis secundum voces successiva sit, est tamen secundum sui significationem et veritatem simplex; sed hæc significatio et veritas simplex tantum completur in ultimo instanti suæ prolationis : ergo. — 3a, q. 78, a. 4, arg. 3 et ad 3 et q. 75, a. 7, ad 3.

Sed contra est : 1. quod veritas sicut et significatio enuntiationis vocalis consurgit ex significationibus partium; unde Philosophus dicit in 1. *Periherm.*, quod oratio est vox significativa, cujus pars significat separatim; sed partes enuntiationis successive proferuntur, una post aliam : ergo significant et habent suam veritatem ante ultimum instans prolationis. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 1, sol. 4, ad 1; 1. *Periherm.* l. 4 et 6.

2. Præterea, enuntiatio practica efficit significando, et per consequens per significationem et veritatem; sed efficit per virtutem existentem in tota enuntiatione, non autem in aliqua tantum parte : ergo veritas enuntiationis non tantum est in ultimo instanti prolationis, sed etiam ante. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 1, sol. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod dupliciter loqui possumus de enuntiatione : *uno modo* complete et formaliter, et hoc modo significatio et veritas illius tantum sunt in ultimo instanti suæ prolationis; nam significationes partium se habent ad significationem totius enuntiationis, sicut dispositio materialis ad formam, significatio vero totius enuntiationis est tota simul et completur per ultimam orationis particulam, seu completa tota locutione, quæ completur in ultimo instanti locutionis. Et hoc verum est non solum in enuntiatione speculativa, quæ scilicet tantum est significativa, quippe quæ accipitur a rebus, quas significat et præsupponit, sed etiam practica, quæ est et significativa et factiva sui significati, unde illud non præsupponit. Nam cum veritas locutionis practicæ suum effectum producat in instanti, et non successive, ut manifestum est in forma consecrationis, necessario debet illam efficere in ultimo instanti prolationis verborum; nam ante illud non est completa tota significatio et veritas enuntiationis, quæ est talis effectus operativa. — 3a, q. 75, a. 7 ad 3 et q. 78, a. 2, 5, 6, c; 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 1, sol, 4, ad 1 et a. 3, ad 6 et 7; V. Cajetan . in. 1am, q. 78, a. 5, Soto Dom. in 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 5; Ledesma Martin. in 4. *Sent.* q. 19, a. 5.

Alio modo loqui possumus de enuntiatione incompleta et materialiter, nimirum in toto tempore locutionis, et secundum significationem partium, et hoc modo enuntiatio significat et est vera etiam ante instans ultimum prolationis; quod potest probari tripliciter : *Primo*, quia significatio enuntiationis est composita ex significationibus partium. Ut enim dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 4), oratio est vox significativa, cujus partium aliquid significativum est separatim ad differentiam nominis, cujus nulla pars in ipso significat separatim: sed partes orationis proferuntur tempore ante ultimum instans prolationis totius enuntiationis : ergo et significatio et veritas illarum tempore antecedit illud instans. *Secundo*, quando enuntiationis factivæ significatio importat ordinem unius ad alterum, non potest fieri per unam dictionem, sed per enuntiationem; sed veritas sequitur significationem : ergo significatio et veritas talis enuntiationis existet tempore ante ultimum instans prolationis totius enuntiationis. *Tertio*, in omni propositione habente pronomen demonstrativum præsertim factiva pronomen vere significat aliquid, ut in forma consecrationis pronomen *hoc* vere demonstrat substantiam contentam sub accidentibus, quæ primo fuit panis, et postea est corpus; sed talis dictio tempore antecedit ultimum instans totius enuntiationis : ergo ante illud habet suam significationem et veritatem. Et ex his patet solutio *ad objecta*; nam prima quinque probant de enuntiatione completa et formali, postrema duo de imperfecta et materiali. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 3, ad 6 et a. 1. 10l. 4, ad 1; 3a, q. 78, a. 5, arg. 3, etc.

ARTICULUS VIII

UTRUM IN PROPOSITIONIBUS SINGULARIBUS DE FUTURO CONTINGENTI AD UTRUMLIBET UNA PARS SIT DETERMINATE VERA ET ALTERA DETERMINATE FALSA (1).

Videtur quod in propositionibus singularibus de futuro contingenti ad utrumlibet una pars sit determinate vera, et altera determinate falsa.

1. Dicit enim Philosophus 1. *Periherm.* c. 6 (9), quod affirmatio et negatio dividunt verum et falsum, quod patet ex definitione veri et falsi. Nam verum nihil aliud est, quam *esse, quod est*, vel *non esse, quod non est;* et falsum nihil aliud est, quam *esse, quod non est,* vel *non esse, quod est;* sed in contradictoriis singularibus de futuro contingenti ad utrumlibet una est affirmatio, altera negatio : ergo una pars est determinate vera, altera determinate falsa. — 1. *Periherm.* l. 13 et 14.

2. Præterea, in materia contingenti contradictoriarum, in quibus de subjecto universali aliquid universale prædicatur, ut dicit Philosophus 1. *Periherm.* c. 6, (9), una est determinate vera, et altera determinate falsa; sed eadem ratio videtur in eadem materia, si utraque sit singularis : ergo in enuntiationibus singularibus de futuro contingenti ad utrumlibet una pars est determinate vera, et altera determinate falsa. — *Ibid.*

3. Præterea, eadem est veritas in enuntiationibus singularibus in materia contingenti ad utrumlibet de futuro, atque de præsenti et præterito. Ubi enim eadem est causa, et idem effectus; eadem autem res est causa veritatis harum trium propositionum : Petrus sedebit, sedet, sedit; sed in præteritis et præsentibus, ut dicit Philosophus, necesse est, quod altera oppositarum determinate sit vera, et altera falsa : ergo et similiter erit in enuntiationibus singularibus de futuro. — 1a, q. 16, a. 8, arg. 4; *de Verit.* q. 1, a. 6, arg. 6; 1. *Periherm.* l. 13.

4. Præterea, id, quod est verum in præsenti, semper fuit verum esse verum; sed propositio de præsenti est determinate vera, vel falsa : ergo et propositio de futuro erit determinate vera, vel falsa. — 1a, q. 16, a. 7, arg. 3.

5. Præterea, illud, quod est futurum, semper fuit futurum; sed hæc propositio de futuro est vera, quia aliquid est futurum : ergo propositio de futuro semper fuit vera, et consequenter determinate vera. — *de Verit.* q. 1, a. 5, arg. 7.

6. Præterea, contradictoriarum de futuro contingenti, ut in pluribus vel ut in paucioribus, altera pars est determinate vera; sed eadem est ratio de futuro contingenti ad utrumlibet, cum hujusmodi fiant vel in pluribus, vel in paucioribus : ergo contradictoriarum de futuro contingenti ad utrumlibet una pars est determinate vera, et altera falsa. — 1. *Periherm.* l. 14.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *Periherm.* c. 6 (9), dicit, quod in enuntiationibus singularibus de futuro contingenti ad utrumlibet non est necesse, quod una sit determinate vera, et altera determinate falsa. — 1. *Periherm.* l. 13.

2. Præterea, quæ sunt in sua causa pure in potentia, quæ scilicet non est magis determinata ad unum, quam ad aliud, nullo modo potest de aliquo eorum determinate dici, quod sit vel non sit, et consequenter, cum veritas enuntiationis, ut dictum est, causetur ex rebus, non potest formari de illis enuntiatio determinate vera; sed futurum contingens ad utrumlibet est tantum in sua causa in potentia,

(1). Nota : 1. in hoc art. proxime quidem agi de veritate logica, quam enuntiabile ex eo habeat, quod sit « in intellectu et in voce ». Hanc futuris contingentibus relate ad intellectum *creatum* non competere, ex eo facile patet, quod ex causis indeterminatis conjecturalis tantum scientia colligi possit.

2. Imprimis vero quæritur de veritate metaphysica sive de intrinseca rei cognoscibilitate, quam intellectus non facit, sed supponit. Hanc vero futuris contingentibus competere, eo tantum sensu Auctor negat, quod eis non competat *ut futuris*, id est, ut necessario procedentibus ex causis certa ratione dispositis (cum enim in suis causis non sint sic præordinata, ita nec in eis spectari, nec ex eis cognosci possunt); quin etiam intrinsecam cognoscibilitatem et veritatem eis omnino competere ex mente Angelici Doctoris (1a, q. 14, a. 13 — cf. a. 9 et q. 57, a. 3; 2a 2æ, q. 171, a. 6, ad 2; *de Verit.* q. 2, a. 12, c. et q. 12, a. 6, c. post. med. ; 1. *c. Gent.* c. 66-68; 1. *Sent.* dist 38, q. 1, a. 3; 1. *Periherm.* l. 14 col. ult.) aperte fatetur, quatenus ut præsentia, id est ut extra causas in seipsis spectantur et a divina cognitione tempora omnia sua æternitate complectente ac cognoscibilia omnia ex hoc solo, quod in se cognoscibilia sint, attingente comprehendantur.

ad differentiam contingentis ut in pluribus, quod aliquo modo est actu in sua causa : ergo enuntiationum formatarum de illo non poterit una esse determinate vera, et altera determinate falsa. — *Ibid.*

3. Præterea, si contradictoriarum de futuro eadem est ratio, ac de præsenti, sequitur, quod sicut verum est de eo, quod est in præsenti, quod determinate est, ita et de futuro verum erit dicere, quod determinate erit ; sed hoc est falsum, nam Deus prædicit aliquid futurum, quod non erit, et Philosophus (2. *de Generat. text.* 64 ; c. 11) dicit, quod futurus quis incedere non incedet : ergo contradictoriarum singularium de futuro non est una pars determinate vera et altera determinate falsa. — 1. *Periherm.* l. 13 ; 1a, q. 19, a. 7, ad 2 ; *de Verit.* q. 12, a. 10, ad 7.

RESPONDEO DICENDUM, quod propositionum singularium de futuro contingenti ad utrumlibet non est necesse, unam esse determinate veram, et alteram determinate falsam, et hoc manifestum est ex multis : et *primo* ex enuntiatione relata ad intellectum. Veritas enim enuntiationis non est aliud, quam veritas intellectus ; enuntiabile enim est in intellectu et in voce, secundum quod autem est in intellectu, habet per se veritatem ; sed secundum quod est in voce, dicitur verum enuntiabile, secundum quod significat aliquam veritatem intellectus, non propter aliquam veritatem in ipso existentem. Et sic necesse est, quod enuntiatio singularis dicatur determinate vera, secundum quod significat intellectum determinate verum, cujus veritas cum consistat in conformitate et adæquatione ipsius ad res, necesse etiam est, quod intellectus cognoscat rem significatam per illam. Quoniam vero futurum contingens ad utrumlibet dupliciter potest cognosci : *uno modo* in seipso, et sic non potest nisi a Deo cognosci, cui jam præsens est id, quod in cursu rerum est futurum, in quantum ejus æternus intuitus fertur supra totum temporis decursum. *Alio modo* in sua causa, antequam per effectus possit innotescere, et sic a nullo intellectu etiam divino cognoscitur, quia tale futurum, antequam fiat, non est determinate verum, quia non habet causam determinatam, et sic nec propositio tale futurum significans potest esse determinate vera vel determinate falsa. — 1a, q. 14, a. 13, c. et q. 16, a. 7 et 8, c. et q. 57, a. 3 ; 1. *Sent.* dist. 38, q. 1. a. 5, c. et arg. 2 et ad 2 ; *de Verit.* q. 2, a. 12, c ; 1. *c. Gent.* c. 67 ; 1. *Periherm.* l. 13 ; *Tab. Aurea,* voce « futurum » n. 2.

Secundo ex enuntiatione relata ad veritatem rei significatæ. Cum enim verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse, quod est, hoc modo aliquid est verum, quo habet esse. Cum autem aliquid est in præsenti, habet esse in seipso, et pro illo tempore non potest non esse ; ut sic enim consideratur non ut futurum, sed ut præsens et consequenter non ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum, et ideo potest vere et determinate dici de eo, quod est ; unde et infallibiliter et certo potest cognosci, puta per sensum, ut cum quis videt Socratem sedere. Sed quamdiu est aliquid futurum, nondum est in seipso, est autem aliqualiter in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter : *uno modo*, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, et tunc determinate habet esse in sua causa. *Alio modo* aliquid est in sua causa, ut quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest, ut est contingens ut in pluribus, et hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter : et de hoc vere dici potest, quod erit, sed non per omnimodam certitudinem, sicut medicus de convalescente vere dicit : « iste sanabitur », licet forte ex aliquo accidente ejus sanitas impediatur. *Tertio* aliquid est in sua causa pure in potentia, quæ non magis est determinata ad unum, quam ad aliud, et hoc ab ullo intellectu non potest certo cognosci, et per consequens nec significari per enuntiationem determinate veram ; nam hujus veritas causatur a rei veritate, sicut et determinata veritas intellectus nostri, ut dictum est. — 1. *Periherm.* l. 13 ; 1. *c. Gent.* c. 67 ; 1a, q. 14, a. 13, c. et q. 16, a. 8, c. ; 1. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 5, c.

Tertio ex natura futuri contingentis ad utrumlibet, quæ tollitur, si datur, contradictoriarum singularium de tali futuro unam partem esse determinate falsam. Ejus enim quod est ad utrumlibet, proprium est, quod quia non magis determi-

natur ad unam partem, quam ad alteram, neque possit de eo determinate dici, quod erit, neque-quod non erit; sicut de eo, quod est magis determinatum ad unam partem, ut est in contingenti ut in pluribus, possumus determinate verum dicere, quod hoc erit, vel non erit; de eo enim, qui habet propositum ad incedendum, vere potest dici, quod incedet, licet per aliquod accidens impediatur ejus incessus. Quod si de neutra parte determinate dici potest, quod erit vel non erit, neutra pars enuntiationum contradictoriarum singularium de futuro contingenti ad utrumlibet erit determinate vera, vel determinate falsa. — 1. *Periherm.* l. 13.

Quarto ex duplici statu futuri. Futurum enim contingens dupliciter potest considerari: *uno modo*, secundum quod est futurum, et sic nihil aliud est cognoscere contingens futurum, quam cognoscere causas ejus secundum ordinem, quem habent ad ipsum. Nam effectus in quacumque causa efficiente existens non est aliud ab ipsa, si accipiatur illud, quod est causa per se, sicut domus in arte, quæ non est aliud, quam ars; quia secundum hoc effectus est in principio activo, quod principium actisum assimilat sibi effectum; hoc autem est ex hoc ipso quod agit; unde si aliquod principium activum agat per suam formam tantum, secundum hoc est effectus ejus in eo, quod habet formam illam, nec effectus ejus erit in eo distinctus a forma sua. Et quia causæ contingentium maxime ad utrumlibet non habent immutabilem ordinem ad suum effectum, ideo secundum hunc modum contingens futurum immutabiliter sciri non potest nec proinde significari determinate per propositionem de futuro. — *Alio modo* potest considerari contingens futurum ratione illius temporis, in quo futurum esse prædicatur, in quo quidem tempore futurum jam præsentialiter est et consequenter est determinatum ad unum, et sic certitudinaliter potest cognosci, utpote per se ipsum visum. Cæterum antequam sit in tali tempore præsens, solus Deus illud videt. Cum enim suæ cognitionis intuitus sit in momento æternitatis omnibus partibus temporis præsens, videt ab æterno rem secundum statum, quem habet in quolibet puncto temporis, et sic ab æterno videt Socratem sedere, non autem, ut futurum sibi, qui est extra tempus, sed ut præsens, futurum autem respectu aliorum, quæ in tempore præcedunt; quamquam etiam videt ordinem mutabilem causarum præcedentium ad hunc effectum. Et sic manifestum est, quod respectu futuri contingentis singularis ad utrumlibet non potest dari propositio, quæ sit determinate vera vel determinate falsa. — *de Verit.* q. 2, a. 3, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in contradictoriis singularibus de futuro contingenti neutra pars sit determinate vera vel determinate falsa, non tamen deest in utraque oppositarum veritas, ut dicit Philosophus cap. 6 (9); nam sub disjunctione altera pars contradictionis est vera vel falsa, non tamen hæc vel illa determinate, sed se habet ad utrumque, sicut similiter in contingentibus ut plurimum, in quibus altera pars magis est vera, (quod non contingit in contingentibus ad utrumlibet) non est necesse, quod ex necessitate altera earum determinate sit vera vel falsa. — 1. *Periherm.* l. 13 et 15.

Ad secundum dicendum, quod in enuntiationibus, in quibus de universalibus subjectis aliquid universaliter prædicatur, ideo necesse est, quod semper una pars sit vera et altera falsa, quia negatio enuntiationis universalis, in qua aliquid universaliter prædicatur, ut dicitur 1. *Periherm.* c. 5 (7), est negativa non universalis, sed particularis; unde oportet, quod una earum semper sit vera, altera falsa in materia contingenti, sicut et in quacumque alia materia. Neque enim contingit simul esse veras, aut simul falsas; quia verum nihil aliud est, nisi quando dicitur id, quod est, esse, et quod non est, non esse; sed in enuntiationibus singularibus de futuro contingenti non est talis negatio, et ideo neutra est determinate vera, vel determinate falsa. — 1. *Periherm.* l. 11, 12, 13.

Ad tertium dicendum, quod veritas propositionis causatur a veritate rei tali modo se habente, qui modus cum varietur per ordinem ad Petrum sedentem, sessurum, et postquam sedit, ideo non sequitur, quod sicut in enuntiationibus singularibus de præterito et præsenti una est determinate vera et altera determinate falsa, ita idem

sit in propositionibus de futuro. — Vel dicendum, quod identitas veritatis non tantum dependet ex identitate rei, sed etiam ex identitate intellectus, sicut et identitas effectus dependet ex identitate agentis et patientis. Quamvis autem sit eadem res, quæ significatur illis tribus propositionibus, non tamen est idem intellectus earum, quia in compositione intellectus adjungitur tempus; unde secundum variationem temporis sunt diversi intellectus. — 1a, q. 16, a. 8, ad 4; *de Verit.* q. 1, a. 6, ad 6.

Vel dicendum, quod hoc modo est aliquid verum, quo habet esse. Et quia cum aliquid est in præsenti, habet esse in se, ideo vere dici potest de illo, quod est, et similiter de eo, quod præteritum est, cum fuerit aliquando in præsenti. Quia vero futurum ut sic nondum est in seipso, sed tantum in causa, ideo nullo modo potest dici, quod determinate sit, nisi sit in causa determinata ad unum, sicut est causa necessario agens, cujusmodi non est causa agens ad utrumlibet, quippe quæ ad neutram partem est determinata, et propterea de futuro contingente ad utrumlibet non potest dici, quod sit determinate verum. — 1. *Periherm.* l. 13 et ll. cit. supra in c. rat. 2.

Ad quartum dicendum, quod illud, quod nunc est in præsenti, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublata causa non esset futurum illud fieri; et quia futurum contingens, antequam sit, non habet esse determinatum in causa ad utrumlibet, quia hæc est indeterminata et indifferens ad opposita, ideo ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa æterna fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est. — 1a, q. 16, a. 7, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod id, quod est futurum, in quantum est futurum, non est; unde est eadem ratio de veritate futuri, sicut de veritate non entis, ex qua non potest concludi veritas ulla creata, et per consequens nec veritas enuntiationis, sed sola veritas increata Dei, in ordine ad quem, utpote intuentem omnia futura in se ipsis tamquam præsentia, ut dictum est, enuntiatio de futuro contingente tantum est vera. — *de Verit.* q. 1, a. 5, ad 6 et 7; 1a, q. 14, a. 13, c.

Ad sextum dicendum, quod contingens ad utrumlibet nullam habet determinationem in sua causa, cum sit in illa in potentia; at contingens ut in pluribus habet aliquam determinationem in sua causa, et ideo potest de hoc dici, quod sit, licet non quod determinate sit verum; de illo vero nec potest dici, quod determinate sit verum, nec quod absolute sit. — 1. *Periherm.* l. 13, 14, 15.

QUÆSTIO XX

DE SYLLOGISMO SIMPLICITER.

Consideratis his, quæ pertinent ad directionem secundæ operationis, procedendum est ad ea, quæ spectant ad directionem tertiæ, secundum quam ratio discurrit ab uno in aliud, ut per id, quod est notum, deveniat in cognitionem ignoti, quod est proprium rationis, et ita scientiam acquirat, quæ est finis Logicæ, præcipuusque rationis actus. Quoniam vero scientia acquiritur per syllogismum demonstrativum, ideo considerandum est de syllogismo demonstrativo; et quia hic est species syllogismi in communi, omnis autem scientia præmittit ea, quæ de principiis sunt, genus autem et differentia sunt principia speciei, primum considerabimus de syllogismo in communi, deinde de syllogismo demonstrativo seu de demonstratione.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR SEPTEM:

1. Utrum discurrere sit ex uno noto in alterius ignoti cognitionem venire.
2. Utrum syllogismus sit actus intellectus simplex, an vero compositus.
3. Utrum notitia rei notæ sit causa efficiens notitiæ rei ignotæ.
4. Utrum recte tradita sit definitio syllogismi.
5. Utrum sufficienter dividatur syllogismus in demonstrativum, dialecticum et sophisticum.
6. Utrum figuræ syllogismorum sint tantum tres.
7. Utrum ex majori de necessario et minori de inesse sequatur conclusio de necessario.

ARTICULUS I

UTRUM DISCURRERE SIT EX UNO NOTO IN ALTERIUS IGNOTI COGNITIONEM VENIRE.

Videtur quod discurrere non sit per unum notum in alterius ignoti cognitionem venire.

1. Dicit enim Augustinus (*lib. de Divin. Dæmonum*), quod dæmones cognoscunt cogitationes cordium ex motibus, qui in corpore apparent; sed dæmones non discurrunt : ergo discurrere non est ex uno noto venire in cognitionem ignoti. — *de Verit.* q. 8, a. 15, arg. 4.

2. Præterea, omnes Angeli cum quædam cognoscant, et quædam ignorent, ex notis possunt venire in cognitionem ignotorum; sed Angeli non discurrunt : ergo. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, discursus intellectus attenditur secundum hoc, quod per unum aliud cognoscitur; sed hoc haberi potest absque eo, quod ex noto veniatur in cognitionem ignoti, nam Deus per unum cognoscit aliud, ut per bonum malum, et tamen non devenit ex noto in cognitionem ignoti: ergo. — *Ibid.* arg. 1; *Quodl.* 11, a. 2, arg. 2 et ad 2.

4. Præterea, ideo non est discursus in Deo, quia uno intuitu cognoscit omnia, et non successive unum post aliud; sed potest quis successive unum post aliud cognoscere absque eo, quod ex uno noto veniat in cognitionem ignoti : ergo. — 1a, q. 14, a. 7, c.

Sed contra est, quod discursus quemdam motum nominat; sed omnis motus est de uno priori in aliud posterius: ergo discursiva cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem ignoti. — 1a, q. 58, a. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, discursum formaliter in eo consistere, quod quis ex uno noto in alterius ignoti cognitionem perveniat. — Ad cujus manifestationem considerandum est, quod in nostra scientia duplex est discursus : *unus secundum successionem tantum*, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud, et hic discursus non est proprie dictus et formalis, sed tantum materialis; nam convenit etiam Angelis, quibus non convenit discursus. Cum enim plures species cognoscibilium habeant, nec simul cognoscant omnia, quorum habent species, sed quæ simul cognoscunt, per unam tantum speciem cognoscant, necesse est, quod ea omnia, quorum habent species, successive cognoscant. Non tamen convenit Deo. Multa enim, quæ successive intelligimus, si unumquodque eorum in seipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus, puta si partes intelligamus in toto, vel si plures res videamus in speculo; Deus autem videt omnia in uno, quod est ipse; unde simul, et non successive omnia videt. (*de Verit.* q. 8, a. 15, c.; 1. *Poster.* l. 1; 1a, q. 14, a. 7, c. et q. 58, a. 2 et 3). — *Alius discursus est secundum causalitatem* et formalis, sicut cum per principia venimus in cognitionem conclusionum, et hic secundus discursus præsupponit primum; procedentes enim a principiis ad conclusiones non simul utrumque considerant. Non enim ex hoc aliquis ratiocinatur, quod inspicit, qualiter conclusio ex præmissis sequatur, simul utrumque considerans (hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta dijudicando), sed alia consideratione ratiocinans intuetur principia, et alia conclusionem; non enim oporteret consideratis principiis ad conclusionem procedere, si ex hoc ipso, quod principia considerantur, conclusiones etiam considerantur. Et præterea hic discursus est procedentis ex noto ad ignotum; quando enim cognoscit primum, non cognoscit secundum, sed adhuc ignoratur, et secundum non cognoscit in primo, sed ex primo. Differt enim cognoscere aliquid in aliquo, et ex aliquo; quando enim aliquid in aliquo cognoscitur, uno motu fertur cognoscens in utrumque, sicut patet, quando cognoscitur aliquid in aliquo, ut in forma cogniti, et talis cognitio non est discursiva. Neque differt quantum ad hoc, utrum aliquid videatur in propria specie, vel in specie aliena; visus enim non dicitur conferre, neque videndo lapidem per speciem a lapide acceptam neque videndo lapidem per speciem illius in speculo resultantem. Sed tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem

motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud; et hic est perfectus discursus, sicut patet in discursu demonstrativo, qui perfectissimus est. Primo enim intellectus fertur in principium tantum, et secundario fertur per principia in conclusiones, tamquam in causatum per suam causam; sunt enim principia quodammodo causa efficiens conclusionis, unde et demonstratio dicitur syllogismus faciens scire; quod in solo intellectu humano reperitur, quippe qui intelligendo exit de potentia in actum, similitudinem quamdam habens cum rebus generabilibus, quæ non statim suam perfectionem habent. Nam intellectus Angelicus similitudinem corporum cœlestium referens, quæ statim ex ipsa sua natura ultimam perfectionem habent, in cognitione principii noti inspicit quasi notas omnes conclusiones consequentes, et ideo in illo talis discursus locum non habet, et multo minus in Deo, qui omnia in se ipso unico actu cognoscit, et in quo nihil potest esse causatum, cum illius cognitio et scientia sit ipse Deus; unde manifestum est, discursum in eo formaliter consistere, ut ex noto in cognitionem ignoti perveniatur. — 1. *c. Gent.* c. 57; *de Verit.* q. 8, a. 15, c. et q. 2, a. 3, ad 3; 1a, q. 14, a. 7, c. et q. 58, a. 3, c. et q. 85, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod cordis abscondita in motibus corporis intuentur Angeli, sicut causæ videntur in similitudinibus suorum effectuum absque omni discursu, sicut et sine discursu vident causas in effectibus et effectus in causis ad eum modum, quo res videtur in sua imagine sine discursu. — *de Verit.* q. 8, a. 15, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod Angelis non est ignotum aliquid eorum, ad quæ possunt per naturalem cognitionem pervenire, sed aliqua ignorant, quæ naturalem cognitionem excedunt, et in horum cognitionem ex se ipsis venire non possunt conferendo, sed solum ex revelatione divina; sed intellectus noster non novit omnia, quæ naturaliter cognoscere potest, et ideo ex his, quæ novit, potest in ignota devenire, non autem in ignota, quæ naturalem cognitionem excedunt, sicut ea, quæ sunt fidei. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod cum particula *per* aliquando significet habitudinem causæ formalis, aliquando efficientis, dupliciter potest unum cognosci per aliud: *uno modo*, tamquam per causam et rationem formalem cognoscendi, vel ex parte cogniti, vel ex parte cognoscentis, et sic cognoscere unum per aliud non est discurrere; nam Deus cognoscit res creatas per aliud, ex parte quidem ipsarum rerum cognitarum per essentialia ipsarum, atque adeo per ea, per quæ unaquæque res ab alia distinguitur, ex parte vero ipsius cognoscentis per suam essentiam et ideam tamquam per medium cognoscendi ex parte cognoscentis, et tamen nullo modo discurrit in intelligendo, ut dictum est (1. *Poster.* l. 10, al. 9; *de Verit.* q. 2, a. 4, ad 6 et 9). — *Alio modo*, tamquam per causam quodammodo efficientem, et hoc modo cognoscere unum per aliud est discurrere, discursus enim exigit, ut unum cognitum sit causa cognitionis alterius ignoti, et ex eo moveatur quis ad aliquod ignotum cognoscendum, quod cognoscit aliquid, ut patet in omni scientia discursiva, in qua principia sunt quodammodo causa conclusionis. — Vel dicendum, quod dupliciter cognoscitur unum per aliud: *uno modo*, tamquam per id, in quo cognoscitur aliud, et sic cognoscere unum per aliud non est discurrere; nam qui sic cognoscit unum per aliud, uno motu fertur in utrumque, ut dictum est, et consequenter sine motu et discursu. *Alio modo*, tamquam per id, ex quo cognoscitur aliud, et hoc modo cognoscere unum per aliud est discurrere; nam qui sic cognoscit unum per aliud, diverso motu fertur in utrumque et primo movetur in unum, deinde in aliud, et ex hoc movetur in aliud, quod est, ut dictum est, formaliter discurrere. — Vel dicendum, quod cognoscere discursive est cognoscere unum incognitum per aliud cognitum absolute; sed cognoscere unum incognitum per aliud cognitum, ad quod ordinatur, non est discurrere cognoscendo, et hoc modo cognoscitur malum a Deo. — 1a, q. 58, a. 3, c.; et q. 14, a. 7, c.; 1. *c. Gent.* c. 57; *de Verit.* q. 8, a. 15, c.; *Quodl.* 11, a. 2, ad 2. (1).

1.) Excidit hic solutio quarti argumenti, quæ ex loco S. Doctoris ibidem indicato facillime suppletur.

ARTICULUS II

UTRUM SYLLOGISTICUS DISCURSUS, SEU SYLLOGISMUS SIT ACTUS SIMPLEX INTELLECTUS, AN VERO COMPOSITUS.

Videtur quod syllogismus sit actus simplex intellectus, non autem compositus.

1. Quia cognoscere effectum per causam est scientiæ discurrentis; sed effectus per causam potest cognosci unico actu, ut patet in Deo, qui cognoscit alia per se ipsum, sicut effectus per causam, et in Angelis, qui cognoscunt creaturas per Verbum : ergo syllogismus est actus simplex. — 1a, q. 14, a. 7, arg. 2 et q. 58, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, intellectus simul plura considerans uno simplici actu illa considerat; sed intellectus noster in syllogismo simul intelligit conclusionem et principia (idem enim actus omnino simplex cadit supra objectum et supra rationem objecti, sicut eadem est visio coloris et luminis; principium autem est ratio assentiendi conclusioni) : ergo syllogismus est actus simplex. *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 53.

3. Præterea, eadem est ratio intellectus intelligentis in syllogismo conclusionem et principia, et voluntatis volentis medium et finem; sed voluntas uno actu simplici tendit in medium et finem : ergo et intellectus uno simplici actu in syllogismo tendit in præmissas et conclusionem. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, c. et q. 12, a. 4, c.; 2. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 4, c.; 3. *Sent.* dist. 14, a. 1, sol. 4; *de Verit.* q. 22, a. 14, c. et ad 3.

4. Præterea, uno simplici actu potest quis conclusionem et præmissas considerare, et judicare, quomodo conclusio ex præmissis inferatur; sed syllogismus nullam aliam cognitionem includit præter has : ergo syllogismus est actus simplex. — 1. *c. Gent.* c. 55 et 57; ll. cit. supra in c. art. præced.

Sed contra est : 1. quod intellectus successive multa considerantis impossibile est, esse unum actum simplicem; sed intellectus in syllogismo multa successive cognoscit, ut dictum est : ergo syllogismus non est actus simplex. — 1a, q. 58, a. 3, ad 1.

2. Præterea, syllogisticus discursus motum quemdam nominat; sed omnis motus est de uno priori in aliud posterius : ergo syllogisticus discursus plures cognitiones involvit, et sic non erit actus simplex. — *Ibid.* a. 3, c.

3. Præterea, ita se habet intellectus ratiocinans, seu syllogismus ad principia et conclusiones, sicut intellectus componens et dividens ad subjectum et prædicatum; sed, ut dictum est, intellectus componens et dividens multa successive cognoscit, et unum post aliud, prædicatum scilicet post subjectum : ergo similiter intellectus syllogizans plura successive cognoscit, et consequenter non uno actu simplici. — V. supra q. 19, a. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, syllogismum non esse unum actum intellectus simplicem, quod manifestum est : *primo*, quia in syllogismo necessario duplex discursus reperitur : *unus secundum successionem*, secundum quam plura distinctis cognitionibus successive cognoscuntur, puta principia et conclusiones; si enim in ipsa cognitione principiorum intellectus noster inspiceret quasi notas omnes conclusiones, syllogizare posset tamquam syllogismum cognoscens, sicut Angeli, non autem cognitionem veritatis ignotæ acquirens syllogizando ex causis in causata, et ex causatis in causas; *alter secundum causalitatem*, in quo quia procedimus de noto ad ignotum, præsupponitur prior discursus, et præterea requiritur, ut cognitio noti sit causa efficiens cognitionis ignoti, quae cognitiones in unam coalescere non possunt (1a, q. 14, a. 7, c.). — *Secundo*, quia syllogismus essentialiter importat cognitionem præmissarum et conclusionis. Definitur enim syllogismus a Philosopho, quod sit oratio, in qua quibusdam positis, puta præmissis, aliud quid, puta conclusio, colligitur; procedimus enim in syllogismo a notis ad ignota, quorum illa sunt præmissæ vel principia, hæc vero est conclusio; et syllogismus demonstrativus, qui est species præcipua syllogismi, definitur a Philosopho, quod sit syllogismus faciens scire; unde et subdit, debere demonstrationem constare ex principiis propriis. Oportet enim esse causas proportionatas effecti-

bus, propositiones autem demonstrationis sunt causæ conclusionis; ubi vero est causa et causatum in cognitione, ibi necesse est pluralitatem esse cognitionum, et successionem, ut dictum est (1. *Poster.* l. 1 et 2; 1a, q. 14, a. 7, c. et q. 58, a. 3, c.; *Opusc.* 48, tract. 7, c. 1). — *Tertio*, quia cum in syllogismo ad conclusionem inferendam duæ propositiones requirantur, major scilicet et minor, scita propositione majore nondum habetur cognitio conclusionis; unde major propositio præcognoscitur conclusioni non solum natura, sed etiam tempore; et similiter minor, si in ea assumatur aliquid contentum sub universali propositione, quæ est major, de quo manifestum non sit, quod sub illa universali contineatur, cognoscitur prius tempore, quam conclusio, quia nondum erat certa veritas minoris. Ubi vero cognoscitur unum post aliud tempore, ibi est necessario pluralitas cognitionum; nam sic intelligens quandoque est intelligens potentia, quandoque in actu; dum enim intelligit primum in actu, intelligit secundum in potentia, et consequenter non est una simplex cognitio (1. *c. Gent.* c. 55; 1. *Poster.* l. 12, al. 11). — *Quarto*, quia intellectus noster syllogizando movet seipsum effective, quod non contingit, quando simplici intuitu fertur in aliquid; sed movet se, quia per hoc, quod cognoscit principium, reducit se de potentia ad actum quoad cognitionem conclusionum (1a 2æ, q. 8, a. 3, c. et q. 51, a. 2, c.; *de Malo* q. 6, a. 1, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 4, ad 6). — *Quinto*, quia voces significant conceptiones intellectus, ut dictum est; sed in syllogismo vocali est compositio vocum: ergo et in syllogismo mentali erit compositio conceptuum.

Ad primum ergo dicendum, quod syllogizare non est quomodocunque cognoscere effectum per causam, sed illum cognoscere per causam prius cognitam; sic enim cognitio effectus est cum discursu et successione cognitionum; sine qua est, cum ita cognoscitur per causam, ut in causa cognoscatur; quomodo cognoscitur a Deo et Angelis, ut dictum est. — 1a, q. 14, a. 7, ad 2 et q. 58, a. 3, ad 1; v. supra a. præced. ad 4.

Ad secundum dicendum, quod principium et conclusio duobus modis considerari possunt: *uno modo*, absolute et secundum se et secundum quod sunt duo, et hoc modo alia est consideratio principii, alia conclusionis. *Altero*, prout principium est ratio conclusionis, seu secundum quod principium refertur ad conclusionem et cum illa aliquo modo est unum, et hoc modo eadem est consideratio utriusque. Cujus ratio est, quia ratio cognoscendi est forma rei, in quantum est cognita, quia per eam fit cognitio in actu; unde sicut ex materia et forma est unum esse, ita ratio cognoscendi et res cognita sunt unum cognitum, et consequenter utriusque in quantum hujusmodi, est una cognitio secundum habitum et secundum actum. Sed quia in syllogistico discursu non solum cognoscuntur principia, ut sunt ratio cognoscendi conclusionem, sed etiam absolute et secundum se; (nam primo intellectus intelligit ipsa principia secundum se, postmodum intelligit ea in ipsa conclusione, secundum quod assentit conclusioni propter principia; nam ita intelligit primo medium, ut in eo non sistat, sed ex eo noto procedat ad conclusionem cognoscendam, quod, ut dictum est, necessario importat successionem plurium cognitionum); — et quia eodem habitu cognoscitur conclusio et medium demonstrationis seu principium, ut est ratio cognoscendi, et tamen habitus principiorum demonstrationis est intellectus, habitus vero conclusionis est scientia, ut dicitur 1. *Poster. text.* 44; c. 33, propterea syllogismus necessario involvit in sui quidditate pluralitatem et successionem cognitionum. — *de Verit.* q. 22, a. 14, c. et ad 3; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 4; 1a 2æ, q. 8, a. 3, c. et ad 3; 1. *Poster.* l. 7 (6) et 44 (42).

Ad tertium dicendum, quod sicut quando intellectus intelligit primo medium, deinde ex illo noto procedit in cognitionem conclusionis ignotæ, plures cognitiones in tali successione reperiuntur; ita voluntas, quando primo vult finem, tum procedit ad volenda media, reperitur in illa pluralitas volitionum successive se habentium. — 1a 2æ, q. 12, a. 4, c. et ad 3; *de Verit.* q. 22, a. 14, c. et ad 2, 3, 4.

Ad quartum dicendum, quod tunc tantum est syllogistica nostra consideratio, quando a principiis consideratis transimus

in conclusiones ; non enim ex hoc aliquis syllogizat, quod inspicit, qualiter conclusio ex præmissis sequatur, simul utrumque considerans ; hoc enim non contingit arguendo, sed argumenta dijudicando, sicut nec cognitio materialis est ex hoc, quod materialia judicat. — 1. *c. Gent.* c. 57, rat. 1.

ARTICULUS III

UTRUM NOTITIA PRÆMISSARUM SIT CAUSA EFFICIENS NOTITIÆ CONCLUSIONIS.

Videtur quod notitia præmissarum non sit causa efficiens notitiæ conclusionis.

1. Dicit enim Philosophus 5. *Metaphys. text.* 3 ; l. 4, c. 2, et 2. *Physic. text.* 31 ; c. 3, quod propositiones conclusionis, ut id, ex quo fit aliquid, causæ sunt ; sed hoc est esse causam materialem ; sic enim definit Philosophus 2. *Phys. text.* 28 ; c. 3, et 5. *Metaphys. text.* 2 ; l. 4, c. 2., materia vero non coincidit cum efficiente, sicut cum illo coincidunt aliæ causæ, ut dicitur 2. *Phys. text.* 70 ; c. 9 : ergo notitia præmissarum non est causa efficiens notitiæ conclusionis. — 2. *Phys.* l. 5 ; 5. *Metaphys.* l. 3.

2. Præterea, medium demonstrationis se habet ad conclusionem, sicut forma ad materiam ; (sicut enim ex materia et forma est unum esse, ita ex medio et conclusione fit unum cognitum) ; sed forma respectu materiæ non se habet ut efficiens, sed ut causa formalis (nam forma et materia sunt partes essentiales et intrinsecæ rei, non autem causa efficiens) : ergo. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, quæstiunc. 4 ; 1. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 1, c.

3. Præterea, causa efficiens actu simul est et simul tollitur cum suo effectu actu (5. *Metaphys. text.* 2 ; l. 4, c. 2, et 2. *Phys. text.* 6 ; c. 1) ; sed notitia præmissarum ratione majoris semper tempore præcedit notitiam conclusionis, et ratione minoris aliquando, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 2 ; c. 1 : ergo. — 5. *Metaphys.* l. 3 ; 2. *Phys.* l. 6 ; 2. *Poster.* l. 18.

4. Præterea, omnis causa est naturaliter prior et notior effectu ; sed ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5 ; c. 2), dantur quædam conclusiones notiores suis principiis : ergo notitia antecedentis non est causa, et proinde nec efficiens notitiæ consequentis. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 6 (5).

5. Præterea, notitia consequentis necessario terminatur ad antecedens ; idem enim est motus in rem cognitam et rationem cognoscendi, ut dictum est ; sed idem non potest esse causa efficiens sui ipsius : ergo notitia antecedentis non est causa efficiens notitiæ consequentis. — V. supra a. præced. ad 3 ; 1. *Sent.* dist. 11, a. 1, ad 8.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 31 ; c. 3) causalitatem propositionum respectu conclusionis revocat ad causalitatem causæ efficientis, sic inquiens : « ut semen, medicus, quique consuluit, et omnino efficiens, omnia sunt causæ ». Alia vero littera habet : « et propositiones ». — 2. *Phys.* l. 5 ; 1. *Poster.* l. 3.

2. Præterea, Philosophus (1. *Poster. text.* 5 ; c. 2) definit demonstrationem, quod sit syllogismus faciens scire ; et quod propterea demonstratio debet constare propositionibus, quæ sint causæ conclusionis, quia non potest demonstratio facere scire, nisi per causam. Et (*ibidem, text.* 6) præmissas vocat principium scientiæ. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 7 (6) ; 5. *Metaphys.* l. 6.

RESPONDEO DICENDUM, quod notitia præmissarum est causa notitiæ conclusionis ; cujus ratio est, inquit Philosophus (1. *Poster. text.* 5 ; c. 2), quia tunc scimus, quando causas cognoscimus. Cujus etiam id signum est, quod quia omnis causa est naturaliter prior et notior effectu, oportet, quod præmissæ, quæ sunt causa conclusionis, sint notiores et priores conclusione. (1. *Poster.* l. 4. et 5 ; 5. *Metaphys.* l. 6 ; 2. *Phys.* l. 5 ; 1. *c. Gent.* c. 57). Non est tamen notitia præmissarum causa conclusionis in quocumque genere ; non enim est causa materialis illius, nam materia inest ei, cujus est materia. Unde Philosophus (2. *Phys. text.* 28 ; c. 3, et 5. *Metaphys. text.* 2 ; l. 4, c. 2) notificans causam materialem dixit, quod est, ex quo fit aliquid, cum insit ; propositiones autem sunt seorsum a conclusione. Neque ob eamdem rationem est causa formalis, nam etiam hæc est intrinseca rei, sicut causa efficiens et finalis sunt extrinsecæ. Neque est causa finalis ; nam cum ratione antecedentis seu præmissarum demonstratio faciat scire,

ut dicitur 1. *Poster. text.* 5 ; c. 2. et 5. *Metaphys. text.* 5 ; l. 4, c. 2. potius notitia conclusionis est finis notitiæ antecedentis, quam contra. Est ergo causa efficiens, non tamen per vim influxivam, sicut semen, et per consequens non est causa essendi, sed est aliis modis.

Et *primo* quidem, est efficiens secundum vim illativam, quæ dicitur causa inferendi et consequentiæ, secundum quod principium discursus rationis in conclusione est ex propositionibus. *Secundo*, aliquo modo est causa efficiens secundum vim originativam, non quidem per transmutationem, sed per quamdam quasi resultantiam. In his enim, quæ secundum ordinem naturalem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita quod est primo propinquius, est quodammodo causa cæterorum, quomodo unum accidens est causa alterius et una potentia originatur ab alia, quia unum accidens procedit mediante alio a substantia, quatenus illud supponit. Cum ergo similiter inter notitiam antecedentis et notitiam consequentis sit ordo, quia notitia antecedentis refertur ad notitiam consequentis, ut dictum est, et hæc necessario præsupponit illam in intellectu, (nam ex illa movetur in hanc, et hæc illam sequitur), ideo aliquo modo dici potest notitia antecedentis causa secundum originem notitiæ consequentis, quo etiam modo actio dicitur causare passionem, quia hæc illam sequitur (1a, q. 77, a. 7, c. et ad 1 et 3 ; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 3, c. et ad 2 ; *de Verit.* q. 25, a. 5, ad 1 et q. 8, a. 15, c. ; v. supra a. præced. ad 4 ; *Opusc.* 48, tract. 5, c. 9 ; 2. *de Anima* l. 12). — *Tertio*, secundum vim reductivam alterius de potentia ad actum, quomodo dicit Philosophus (2. *de Anima*, c. 5), quod activa operationis sensitivæ sunt objecta extrinseca, puta visibile, audibile, et voluntas dicitur efficienter movere se et omnes potentias, quatenus per hoc, quod vult finem, movet se ad volendum ea, quæ sunt ad finem, et consequenter et alias potentias ad suos actus ; intelligit enim quis, quia vult, et utitur aliis potentiis et habitibus, quia vult. Cum autem ita se habeant principia in intelligibilibus, sicut finis in appetibilibus, similiter et intellectus dicitur efficienter movere se ipsum, et per consequens antecedentis notitia dicetur causa efficiens notitiæ consequentis, quatenus per notitiam principiorum intellectus se reducit de potentia ad actum quantum ad notitiam conclusionum ; et sic patet, quod notitia antecedentis est causa efficiens notitiæ consequentis. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, c. et q. 51, a. 2, c. et q. 9, a. 1 et a. 3, c. ; *Quæst. disp. de Anima* a. 4 ad 6 ; *de Malo* q. 6, a. 1, c. et ad 20.

Ad primum ergo dicendum, quod ex terminis propositionum constituitur conclusio. Unde secundum hoc propositiones dicuntur materia conclusionis, in quantum termini, qui sunt materia propositionum, sunt etiam materia conclusionis, licet non secundum quod stant sub forma et ordine propositionum vel secundum virtutem illativam ipsarum, (sic enim reducuntur ad genus causæ efficientis), sicut farina dicitur materia panis, licet non secundum quod stat sub forma farinæ ; ideo tamen potius propositiones dicuntur materia conclusionis, quam contra, quia termini, qui conjunguntur in conclusione, separatim ponuntur in præmissis. — 2. *Phys.* l. 5 ; 5. *Metaphys.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod medium, sicut et præmissæ dupliciter considerari possunt : *uno modo* absolute et secundum se, et sic cognitio ipsius est causa efficiens notitiæ conclusionis. *Alio modo*, ut est ratio cognoscendi conclusionem, et sic non est causa efficiens, sed potius causa formalis, et cognoscitur per eamdem cognitionem, per quam cognoscitur conclusio. — 1. *c. Gent.* c. 57, rat. 1.

Ad tertium dicendum, quod causa efficiens multipliciter sumitur : *uno modo* sicut semen, quod est activum influens ; *alio modo* sicut medicus et sicut qui consulit ; *demum* sicut propositiones, quæ sunt causa efficiens secundum vim illativam, secundum quem modum causa efficiens potest tempore præcedere effectum, nam aliquando præmissæ necessario inferunt conclusionem, aliquando non. — 2. *Phys.* l. 5 ; 1. *Poster.* l. 2 (1) ; v. supra a, præced. c.

Ad quartum dicendum, quod licet principium, per quod probatur conclusio notissima per sensum, non sit simpliciter magis notum, est tamen magis notum in

via rationis procedentis ex causa in effectum et hoc sufficit. — Veldic, præmissas debere esse magis notas conclusione respectu illius, qui debet accipere disciplinam per demonstrationem; si enim aliunde conclusio esset nota, sicut per sensum, nihil prohiberet, principia non esse magis nota conclusione in via illa. — 1. *Poster.* l. 6.

Ad quintum dicendum, quod medium cognitum secundum se et absolute cognoscitur cognitione distincta a cognitione conclusionis; cognitum vero, ut est ratio cognoscendi conclusionem, cognoscitur eodem habitu et actu, quo cognoscitur conclusio, ut dictum est. — l. c. supra in a. præc. ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM RECTE SIT TRADITA DEFINITIO SYLLOGISMI.

Videtur quod non sit recte tradita definitio syllogismi, quod sit oratio, in qua quibusdam positis alterum quid a positis necesse est contingere, eo quod hæc sint.

1. Oratio enim, ut definit Philosophus, est vox; sed in syllogismo est pluralitas vocum, non una tantum: ergo non recte definitur syllogismus, quod sit oratio. — 1. *Periherm.* l. 6.

2. Præterea, syllogismus pertinet ad actum rationis, qui est compositio, non autem ad simplicem intelligentiam; sed compositio intellectus non est nisi duplex, universalis cum particulari, et accidentis cum subjecto, quarum neutri competit definitio syllogismi, ut patet: ergo nec syllogismus erit recte definitus. — 1. *Poster.* l. 1.

3. Præterea, termini conclusionis sunt materia propositionum; sed materia non ponit in numerum cum re, cujus est materia, sicut nec genus cum differentia vel specie: ergo conclusio non est alterum quid a positis, et consequenter syllogismus non erit recte definitus. — 2. *Phys.* l. 5; *de Malo* q. 2, a. 6, ad 12.

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis syllogismum (1. *Prior.* c. 1) modo prædicto.

RESPONDEO DICENDUM, quod tres sunt rationis actus, secundum quorum diversitatem Logicæ partes accipiuntur, quorum primi duo sunt rationis, secundum quod est intellectus quidam. *Una enim actio intellectus* est intelligentia indivisibilium sive incomplexorum, secundum quam concipit quid est res, et hæc operatio a quibusdam dicitur informatio intellectus sive imaginatio per intellectum, et ad hanc operationem rationis ordinatur doctrina, quam tradit Philosophus in libro *Prædicamentorum*. *Secunda vero operatio intellectus* est compositio vel divisio, in qua jam est verum vel falsum; et huic rationis actui deservit doctrina, quam tradit Philosophus in libro *Perihermenias*. *Tertius vero actus rationis* est secundum id, quod est proprium rationis, scilicet discurrere ab uno in aliud, ut per id, quod est notum, deveniat in cognitionem ignoti, et huic actui deserviunt reliqui libri. Attendendum est autem, quod actus rationis sunt similes quantum ad aliquid actibus naturæ; unde et ars imitatur naturam, quantum potest. In actibus autem naturæ triplex diversitas invenitur: *in quibusdam* enim natura ex necessitate agit, ita quod non potest deficere; *in quibusdam* vero natura ut frequentius operatur, licet quandoque possit deficere a proprio actu, unde in his necesse est esse duplicem actum: *unum*, qui sit ut in pluribus, sicut cum ex semine generatur animal perfectum; *alium*, quando natura deficit ab eo, quod est sibi conveniens, sicut cum ex semine generatur aliquod monstrum propter corruptionem alicujus principii. Et hæc etiam tria inveniuntur in actibus rationis; est enim *aliquis rationis processus*, in quo ratio a vero deficit propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum; est autem *alius rationis processus*, in quo ut in pluribus concluditur, nec tamen necessitatem habens; *tertius vero rationis processus* est necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum, et per hujus rationis processum certitudo scientiæ acquiritur. Pars autem Logicæ, quæ primo deservit, dicitur sophistica, de qua Philosophus agit in *libro Elenchorum;* secundo autem rationis processui deservit pars Logicæ, quæ dicitur inventiva (nam inventio non semper est cum certitudine, unde de his, quæ inventa sunt, judicium requiritur ad hoc, quod certitudo habeatur); pars autem, quæ tertio proces-

sui deservit, dicitur pars judicativa, eo quod judicium est cum certitudine scientiæ. Et quia judicium certum de effectibus haberi non potest, nisi resolvendo in prima principia, ideo pars hæc analytica vocatur, idest resolutoria. Quoniam vero certitudo judicii, quæ per resolutionem habetur, est *vel* ex ipsa forma syllogismi et materia simul, quia sumuntur propositiones per se et necessariæ, — et ad hoc ordinantur *libri Posteriorum analyticorum*, qui sunt de syllogismo demonstrativo, quem propterea Philosophus in illis definit ex materia dicens, quod demonstrativa scientia est, quæ procedit ex propositionibus veris, primis et immediatis; — *vel* ex ipsa forma syllogismi tantum, et ad hoc ordinantur *libri Priorum*, qui sunt de syllogismo simpliciter, cujus definitionem ibidem ex forma sumptam tradit, dicens, quod sit oratio, in qua quibusdam, et cæt. — 1. *Poster.* l. 1 et 4 3).

In qua definitione *oratio* habet locum generis, quia in illa convenit syllogismus cum omnibus orationibus et speciebus discursus; reliqua vero sunt loco differentiæ. Dicitur autem : *in qua quibusdam positis*, id est dispositis secundum formam et ordinem; propositiones enim sunt causa efficiens conclusionis secundum vim illativam, secundum quod stant sub tali forma et ordine. Dicitur : *alterum quid a positis;* nam ex propositionibus secundum formam dispositis infertur conclusio, cujus termini licet sint in præmissis, quia tamen non eodem modo, quo sunt in conclusione, (nam in conclusione sunt conjuncti, et in præmissis separati) ideo conclusio dicitur quid alterum a propositionibus secundum formam dispositis. Quamquam utrorumque diversus est habitus et diversa cognitio, nam habitus præmissarum est intellectus, conclusionis vero scientia, ut dicitur 1. *Poster. text.* 6; c. 3, et veritas conclusionis est ignota, et cognita per aliud, puta per præmissas, harum vero veritas est cognita per se, per cognitionem scilicet propriorum terminorum, ut dicit Philosophus loco citato; unde et rationabiliter cognitio illarum ponitur causa cognitionis hujus, quia semper id, quod est per se, est causa ejus, quod est per aliud. Dicitur demum : *necesse est contingere, eo quod hæc sunt,* quia ex præmissis sic dispositis seu ordinatis et cognitis necesse est sequi, ut dictum est, cognitionem conclusionis. Et sic patet definitio syllogismi. — *Opusc.* 48, tract. 7, c. 1; 1. *Poster.* l. 7 (6).

Ad primum ergo dicendum, quod in definitione orationis ponitur vox, ut est communis voci complexæ et incomplexæ, syllogismus autem continetur sub voce complexa. — 1. *Periherm.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod compositio intellectus est duplex : *una*, qua unum apprehensum alii componitur, et hæc spectat ad secundam operationem intellectus, et dividitur in compositionem universalis cum particulari, et accidentis cum subjecto; *alia* est compositio compositionum, et hæc spectat ad tertiam operationem; nihil enim est aliud ex una compositione ad aliam procedere, quam ratiocinari et syllogizare. — 1a. q. 85, a. 5, c. et ad 3.

Ad tertium dicendum, quod termini conclusionis non sunt materia propositionum, sed potius termini propositionum sunt materia conclusionis, ut dictum est (supra a. praeced ad. 1).

ARTICULUS V

UTRUM SUFFICIENTER DIVIDATUR SYLLOGISMUS IN DEMONSTRATIVUM, DIALECTICUM ET SOPHISTICUM.

Videtur quod sufficienter non dividatur syllogismus in demonstrativum, dialecticum et sophisticum, sed sint plures species.

1. Nam datur syllogismus expositorius; sed hic non est ulla species ex prædictis : ergo species syllogismorum sunt plures tribus. — *Opusc.* 47, c. 1.

2. Præterea, disputatio est actus syllogisticus; sed disputatio est quadruplex : doctrinalis seu demonstrativa, dialectica, tentativa, et sophistica : ergo syllogismi species sunt plures tribus. — *Opusc.* 39, c. 1 et 2.

3. Videtur quod species syllogismi sint pauciores tribus. Nam cum Dialectica sit scientia, syllogismus dialecticus erit ex necessariis, sicut et scientia; sed syllogismus constans ex necessariis, ut dicitur 1. *Poster. text.* 7; c. 4, est demonstrativus : ergo syllogismus dialecticus non differt a

demonstrativo, et sic species syllogismi erunt pauciores tribus. — 4. *Metaphys.* l. 1 (al. 4).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Topic.* c. 1) dividit syllogismum in tres species, in demonstrativum, dialecticum, et sophisticum.

RESPONDEO DICENDUM, quod sufficienter dividitur syllogismus in tres species. — Cujus ratio patet ex dictis. Cum enim in actibus rationis triplex processus reperiatur, triplex itidem erit syllogismus, in quo ratio procedit ab uno in aliud. Est enim *aliquis* processus necessitatem inducens, et iste continetur in syllogismo demonstrativo, quem Philosophus propterea a fine definit, quod sit syllogismus faciens scire. Est autem *alius* processus rationis, in quo ut in pluribus verum concluditur, nec tamen habet necessitatem, et hic exercetur in syllogismo dialectico, qui ex probabilibus est, quia nimirum procedit ex propositionibus probabilibus. *Tertius* vero rationis processus est, in quo ratio a vero deficit propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum, et iste processus exercetur in syllogismo sophistico, qui procedit ex his, quæ videntur probabilia et non sunt. Unde manifestum est, quod sufficienter dividatur syllogismus in tres species. — 1. *Poster.* l. 1, 4 (3), 13 (12).

Ad primum ergo dicendum, quod syllogismus expositorius non est vere syllogismus, sed magis quædam sensibilis demonstratio, seu quædam resolutio facta ad sensum ad hoc, ut consequentia, quæ bona erat, secundum intellectualem cognitionem declaretur in sensibili. — *Opusc.* 47.

Ad secundum dicendum, quod cum ratiocinari sive recte, sive non, competat uni homini et ad seipsum et ad alium (nam et secum aliquis considerans potest recte et non recte ratiocinari, et cum alio conferens), ratiocinatio, quæ ad seipsum est, syllogismus solum dici potest, sive aliqua alia species argumentationis; sed ratiocinatio, quæ est ad alterum, non solum dicitur syllogismus et argumentatio, sed etiam disputatio, vertitur enim inter duos, hoc est inter opponentem et disputantem. Quoniam vero cum aliquis secum considerans ratiocinatur non recte, præter intentionem hoc accidit, quia nemo sui ipsius deceptionem intendit, hoc autem aliquando per se intendit disputans cum alio, ideo recte disputatio in quatuor species dividitur, syllogismus vero in tres. — *Opusc.* 39, proœm. et c. 1.

Ad tertium dicendum, quod Dialectica potest considerari secundum quod est docens, et utens; priori modo est scientia, posteriori vero est opinio, ut dictum est. — 4. *Metaphys.* l. 4; v. supra q. 1, a. 2.

ARTICULUS VI

UTRUM FIGURÆ SYLLOGISMORUM SINT TANTUM TRES.

Videtur quod figuræ syllogismorum sint plures tribus.

1. Multiplicantur enim figuræ ex multiplici dispositione medii cum extremis; sed medium quadrupliciter potest disponi : aut enim subjicitur in majori propositione, et prædicatur in minore; aut prædicatur in majore et subjicitur in minori; aut prædicatur in utraque; aut subjicitur in utraque : ergo quatuor sunt figuræ.

2. Præterea videtur, quod sint pauciores. Nam ordinatio figurarum ostenditur bona per principia quædam per se nota; sed talia principia sunt tantum duo : dici de omni, et dici de nullo : ergo et figuræ erunt tantum duæ.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Prior* c. 23 docet, tres tantum esse figuras syllogismorum.

RESPONDEO DICENDUM, quod figura proprie reperitur in mathematicis, transumptive autem in syllogismo, et hoc ad similitudinem figuræ triangularis. Nam sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus angulis, ita syllogismus est concursus trium propositionum, scilicet majoris, minoris, et conclusionis in tribus terminis; est enim figura dispositio medii secundum subjectionem et prædicationem, quæ dispositio quia tripliciter tantum variatur, ideo tres tantum sunt figuræ syllogismorum. *Aut* enim medius terminus subjicitur et prædicatur semel in præmissis, et sic est *prima figura*, quia medium habet perfectam rationem medii, quod participat naturam extremorum, in subjiciendo minoris, et majoris in prædicando; subjicitur

enim et prædicatur. *Aut* prædicatur bis, et sic est *secunda figura*, quæ secunda dicitur, quia deficit a perfectione medii ; in prima enim figura medium est medium secundum rationem et positionem, in secunda autem est primum secundum positionem, cum sit supra extremitates ; præterea, quia dignius est prædicari, quam subjici, et ideo hæc figura secundum locum tenet. *Aut* subjicitur bis, et sic est *tertia figura*, quæ dicitur tertia, quia medium est tertium secundum positionem, cum sit infra extremitates, et quia medium non stat in medio, sicut in prima et subjicitur semper, quod est indignius. — *Opusc.* 47; *Opusc.* 48, tr. 7, c. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod medium est inventum ad syllogizandum unamquamque propositionem; est autem probanda quadruplex propositio : universalis affirmativa, universalis negativa, particularis affirmativa, et particularis negativa, ad quam probationem medium potest tantum disponi tribus modis prædictis. Ad syllogizandam enim propositionem universalem affirmativam sumendum est pro medio id, quod sequitur subjectum, et antecedit prædicatum, ut contingit in primo modo primæ figuræ, in quo solo syllogizatur universalis affirmativa. — Ad syllogizandum autem universalem negativam sumendum est pro medio id, quod sequitur subjectum, et repugnat prædicato, ut contingit in secundo modo primæ figuræ, et primo secundæ; vel quod repugnat subjecto et sequitur prædicatum, ut patet in secundo modo secundæ figuræ; nam in his tribus tantum modis syllogizatur universalis negativa; et in duobus primis medius terminus sequitur subjectum et repugnat prædicato, in tertio vero medius terminus repugnat subjecto et sequitur prædicatum. — Ad syllogizandum autem particularem affirmativam, sumendum est pro medio consequens ad subjectum et antecedens ad prædicatum, et antecedens ad subjectum et prædicatum; sic particularis affirmativa non concluditur nisi in prima et tertia figura; et ut concludatur in prima, oportet, quod medium antecedat prædicatum et subjiciatur ei, et quod sequatur subjectum, cum prædicatur de eo; ut vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere utrumque, scilicet subjectum et prædicatum, cum subjiciatur utrique. — Ad syllogizandam autem particularem negativam sumendum est pro medio id, quod sequitur subjectum et repugnat prædicato; vel id, quod repugnat subjecto et sequitur prædicatum; et ideo particularis negativa concluditur in omni figura; nisi quod ut concludatur in prima, oportet medium sequi subjectum, cum prædicetur de eo, et repugnare prædicato, cum removeatur ab eo; ut autem concludatur in secunda, oportet medium sequi subjectum et repugnare prædicato quoad tertium modum, vel repugnare subjecto et sequi prædicatum quoad quartum modum; ut vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere subjectum, cum subjiciatur ei, et repugnare prædicato, cum prædicatum removeatur ab ipso. Unde manifestum est, triplicem tantum esse dispositionem medii ad propositiones syllogizandas, et consequenter tres tantum esse posse figuras syllogismorum. — *Opusc.* 50.

Ad secundum dicendum, quod diversitas figurarum non sumitur ex principiorum diversitate, sed ex diversitate dispositionis medii cum extremis, ut dictum est, quamvis, quod talis dispositio sit bona, in prima figura ostendatur immediate per duo principia : *dici de omni*, et *dici de nullo;* et in reliquis immediate ostendatur per aliud principium, puta, quando ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis primæ conclusionis, tunc prima consequentia fuit bona, per quod deinde principium reducitur ad formam primæ figuræ. — *Opusc.* 48, tract. 7, c. 4 sqq.

ARTICULUS VII

UTRUM EX MAJORE DE NECESSARIO ET MINORE DE INESSE SEQUATUR CONCLUSIO DE NECESSARIO.

Videtur quod ex majore de necessario et minore de inesse non sequatur conclusio de necessario.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 17; c. 6), quod quando utraque præmissa est necessaria, conclusio est necessaria ; sed in syllogismo constante majore de necessario et minore de inesse utra-

que præmissa non est necessaria : ergo tunc conclusio non sequitur de necessario. — 1. *Poster.* l. 13 (al. 12).

2. Præterea, in hoc syllogismo : omnis currens movetur ; sed omnis homo currit : ergo omnis homo movetur, — conclusio est de inesse ; sed in hoc syllogismo major est de necessario et minor de inesse : ergo quando major est de necessario et minor, de inesse non semper sequitur conclusio de necessario (*Opusc.* 47). — Sed dices, quod in syllogismo allato minor est de inesse, ut nunc, de qua non loquitur Philosophus, sed de inesse simpliciter.

3. Contra, in hoc syllogismo : omne nigrum est congregativum visus ; sed omnis corvus est niger : ergo omnis corvus est congregativus visus, — major est de necessario, et minor de inesse simpliciter, et tamen conclusio est de inesse simpliciter : ergo ex majori de necessario et minori de inesse non sequitur conclusio de necessario. — *Ibidem.*

4. Præterea, si aliquod subjectum sit essentialiter sub aliquo prædicato, quidquid contingit sub subjecto, contingit etiam sub prædicato ; sed in aliquo syllogismo constante majore de necessario et minore de inesse potest subjectum essentialiter contineri sub prædicato et aliquod contingenter contineri sub subjecto, ut patet in hoc syllogismo : omnis philosophus est sciens ; sed omnis homo est philosophus : ergo, etc. — ergo et in conclusione poterit aliquid contingenter contineri sub prædicato, et consequenter conclusio erit de inesse, non autem de necessario. — *Opusc.* 48, tract. 7, c. 15.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Prior.* c. 9) dicit, quod ex majori de necessario et minori de inesse sequitur conclusio de necessario. — *Opusc.* 47.

Respondeo dicendum, quod syllogismus potest fieri mixtus ex una de necessario et altera de inesse ; et in hac mixtione semper de inesse debet accipi simpliciter, et non de inesse ut nunc. Dicitur autem propositio de inesse simpliciter, *vel* quando prædicatum per se inest subjecto, seu sit de quidditate ejus quantum ad primum modum per se, seu non, sed fluat ex principiis ejus, ut cum propria passio dicitur de subjecto quantum ad secundum modum ; *vel* quando prædicatur aliquod accidens commune, quod sequitur totam speciem secundum omne tempus, sicut nigredo inest corvo ; quando autem nullo istorum modorum prædicatur aliquid de subjecto, est de inesse ut nunc, ut hæc : omnis homo currit. Si ergo sit mixtio de inesse et necessario *in prima figura*, est talis regula : majore existente de necessario, et minore de inesse simpliciter et non ut nunc, sequitur conclusio de necessario ; si autem e converso fiat, scilicet majori de inesse, et minori de necessario, sequetur conclusio de inesse, et non de necessario. Quorum ratio est, quia cum conclusio participet cum majori in prædicato, modus autem necessitatis et contingentiæ sit dispositio prædicati in comparatione ad subjectum, conclusio participabit eodem modo, quod non potest fieri, quando minor est de necessario, et major de inesse ; in plus enim est inesse simpliciter, quam necessario ; quæ enim necessario insunt, insunt simpliciter, non contra. *In secunda vero figura* est talis regula : universali negativa de necessario existente et altera de inesse, sequitur conclusio de necessario ; si vero aliter fiat, non sequitur de necessario, quia si affirmativa fuerit de necessario et negativa de inesse, sequitur conclusio de inesse ; cujus ratio est, quia secunda figura quantum ad omnes suos modos descendit a secundo modo primæ figuræ, in quo major est universalis negativa, et in ipsum reducitur ; et ideo sicut oportet ibi universalem negativam, quæ est major, esse de necessario, ut sequatur talis conclusio, ita in hac figura oportet, quod talis negativa post reductionem in primam sit major. Ex quo patet, quod in quarto secundæ figuræ non potest fieri universalis mixtio, quantum ad conclusionem de necessario, cum non habeat aliquam universalem negativam. *In tertia figura* est talis regula : universali affirmativa vel negativa existente de necessario, sequitur conclusio de necessario, aliter non ; cujus potest reddi eadem causa, quæ supra, quia post reductionem ad primam figuram universalis fiet major, quam oportet in prima esse de necessario. Per quod patet, quod circa primum et secun-

dum tertiæ figuræ fiunt quatuor syllogismi universaliter mixti, accipiendo utrobique de necessario. Unde manifestum est, quomodo verum sit, quod dicit Philosophus, quod ex majore de necessario et minore de inesse sequitur conclusio de necessario. — *Opusc.* 47; *Opusc.* 48, tract. 7, c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod aliud est scire conclusionem necessariam, aliud colligere conclusionem necessariam; nam conclusio necessaria non potest sciri, nisi ex principiis necessariis, potest autem colligi ex aliquo principio non necessario. — 1. *Poster.* l. 13 (al. 12).

Ad secundum dicendum, quod cum Philosophus dicit, ex majori de necessario et minore de inesse sequi conclusionem de necessario, per propositionem de inesse intelligit illam, quæ est de inesse simpliciter, non autem eam, quæ est de inesse ut nunc, cujusmodi est minor propositio syllogismi in objecto allati. Nam si loquamur de hac, potest aliquando ex illa syllogizari conclusio de necessario, ut patet in hoc syllogismo : omnis philosophus est rationalis; omnis homo est philosophus : ergo omnis homo est rationalis; aliquando vero conclusio de inesse ut nunc, ut patet in hoc alio syllogismo : omnis philosophus est sciens; sed omnis homo est philosophus : ergo omnis homo est sciens. Cujus ratio est, quia quotiescumque subjectum aliquod essentialiter est sub aliquo prædicato, quidquid contingit sub subjecto, contingit etiam sub prædicato; unde si contingit sub subjecto contingenter, ita ut propositio ex subjecto et sumpto sub illo sit propositio de inesse ut nunc, ex vi hujus regulæ poterit colligi conclusio de inesse ut nunc; et ratio utriusque est, quia quando prædicatum latius patet medio, potest conjungi et cum eo, quod est essentialiter sub medio, et cum eo, quod accidentaliter; et consequenter quando conjungitur cum priore, colligitur conclusio de necessario; quando vero conjungitur cum posteriore, colligitur conclusio de inesse ut nunc. — *Opusc.* 47; *Opusc.* 48, tract. 7, c. 13.

Ad tertium dicendum, quod regula Aristotelica de sequela conclusionis ex majori de necessario et minore de inesse nititur alteri regulæ, quod in omni conditionali, quando antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium; ut enim dictum est, Philosophus in lib. *Priorum* consideravit syllogismum quoad formam, sicut in libr. *Poster.* consideravit illum quoad materiam, et sic ratione talis regulæ conclusio syllogismi prædicti est de necessario, licet, si consideretur materia, sit de inesse simpliciter. Neque huic obstat, quod sequeretur, etiam conclusionem syllogismi constantis ex majori de necessario et minori de inesse ut nunc semper esse de necessario, eo quod in illo vigeat etiam regula conditionalium. Nam cum antecedens ratione medii in eo inclusi sit forma consequentis, ut dictum est; sicut forma naturalis non unitur materiæ, nisi præcedat in illa dispositio necessitans vi agentis, ratione cujus talis materia sit proportionata tali formæ, ita in omni conditionali non potest ex antecedente necessario colligi consequens necessarium, nisi in se habeat aliquam necessitatem saltem materialem; hanc autem habet conclusio de inesse simpliciter; nam accidentia consequentia totam speciem secundum omne tempus, quæ sunt accidentia inseparabilia, consequuntur materiam, non autem conclusio de inesse in actu seu de contingenti. — Colligitur ex 1. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 5, ad 4 et 5; *de Verit.* q. 2, a. 12, ad 7; 1a 2æ, q. 112, a. 3, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod in syllogismo allato minor propositio non est de inesse simpliciter, sed de inesse ut nunc, seu de contingenti, de qua non loquitur Philosophus in regula allata de deductione conclusionis ex majori de necessario et minori de inesse, ut dictum est. — *Opusc.* 47; v. supra resp. ad. 2.

QUÆSTIO XXI

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

Post considerationem de syllogismo simpliciter considerandum est de syllogismo demonstrativo, qui est illius præcipua species. Et *primo* de præcognitione,

quæ antecedit ipsum syllogismum demonstrativum ejusque partes. *Secundo* de ipsa demonstratione. *Tertio* de scientia, qui est effectus illam consequens.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR NOVEM :

1. Utrum omnis cognitio intellectiva fiat ex præexistenti cognitione sensitiva.
2. Utrum cognitio principiorum fiat ex præexistenti cognitione experimentali.
3. Utrum conclusio sit præcognita in præmissis, antequam ex illis deducatur per demonstrationem.
4. Utrum sint tantum duæ præcognitiones, quia est, et quid est.
5. Utrum præcognitio *quia est* se extendat ad prædicamentum.
6. Utrum præcognitio *quid sit* contineat tantum præcognitionem *quid nominis*, an etiam *quid rei*.
7. Utrum *quid sit* se extendat ad principia.
8. Utrum de principiis semper sit præcognoscendum *quod sit*.
9. Utrum semper sit præcognoscendum de subjecto *quod sit*.

ARTICULUS I

UTRUM OMNIS COGNITIO INTELLECTIVA FIAT EX PRÆEXISTENTI COGNITIONE SENSITIVA.

Videtur quod cognitio intellectiva non fiat ex præexistenti cognitione sensitiva.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Phys. text.* 20; c. 3), quod anima quiescendo fit sciens; sed animæ cognitio intellectualis non posset derivari a cognitione præexistente sensibilium, nisi moveretur quodammodo ab eis : ergo cognitio intellectualis non fit ex præexistente cognitione sensitiva. — *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 9.

2. Præterea, objectum intellectus est quod quid est, ut dicitur 3. *de Anima;* sed quidditas nullo modo sensu percipitur : ergo cognitio mentis non derivatur a cognitione sensuum. — *Ibid.*, arg. 2.

3. Præterea, effectus non se extendit ultra virtutem suæ causæ; sed intellectualis cognitio se extendit ultra sensibilia, intelligimus enim quædam, quæ sensu percipi non possunt : ergo. — 1a, q. 84, a. 6, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 31 et 1. *Metaphys.*) probat, quod principium nostræ cognitionis est a sensu. — 1a, q. 84, a. 6, arg. *Sed contra; de Verit.* q. 10, a. 6, *Sed contra* arg. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus, et experimento probatur, quod cui deficit unus sensus, deficit una scientia, sicut cæcis deest scientia de coloribus; sed hoc non esset, si cognitio intellectiva aliunde derivaretur, quam ex præexistenti cognitione sensibilium : ergo cognitio intellectiva fit ex præexistenti cognitione sensitiva. — *de Verit.*, ibid. *Sed contra* arg. 1.

3. Præterea, natura nihil facit frustra, nec deficit in necessariis; sed frustra dati essent sensus animæ, nisi ex eorum cognitione præexistente oriretur cognitio illius : ergo omnis cognitio intellectiva fit ex præexistenti cognitione sensitiva. — Ibid., *Sed contra* arg. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod circa istam quæstionem triplex fuit philosophorum opinio. Democritus enim posuit, quod nulla est alia causa cujuslibet nostræ cognitionis, nisi cum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animas nostras, ut Augustinus dicit in *ep. ad Dioscorum*, et Aristoteles etiam dicit in *lib. de Somno et Vigilia*, quod Democritus posuit, cognitionem fieri per idola et defluxiones. Et hujus positionis ratio fuit, quia tam ipse Democritus, quam alii antiqui naturales non ponebant intellectum differre a sensu, ut Aristoteles dicit in 2. *de Anima text.* 150 et 151; l. 3, c. 3; et ideo quia sensus immutatur a sensibili, arbitrabantur omnem nostram cognitionem fieri per solam immutationem a sensibilibus, quam quidem immutationem Democritus asserebat fieri per imaginum defluxiones. — Plato vero contra posuit intellectum differre a sensu, et intellectum quidem esse virtutem immaterialem, organo corporeo, non utentem in suo actu; et quia incorporeum non potest immutari a corporeo posuit, quod cognitio intellectualis non sit per immutationem intellectus a sensibilibus, sed per participationem formarum intelligibilium separatarum; sensum etiam posuit virtutem quamdam per se operantem, unde nec ipse sensus, cum sit res quædam spiritualis, immutatur a sensibilibus, sed organa sensuum a sensibilibus immutantur;

ex qua excitatione anima quodammodo excitatur, ut in se species sensibilium formet. Et hanc opinionem tangere videtur Augustinus *super Genesim* ad litt. l. 12, ubi dicit, quod corpus non sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa, quod extrinsecus nuntiatur. Sic igitur secundum Platonis opinionem neque intellectualis cognitio a sensibili procedit, neque etiam sensibilis totaliter a rebus sensibilibus, sed sensibilia excitant animam intellectivam ad intelligendum. — Aristoteles autem media via processit; posuit enim cum Platone intellectum differre a sensu, sed sensum posuit propriam operationem non habere sine communicatione corporis, ita quod sentire non sit actus animæ tantum, sed conjuncti, et similiter posuit de omnibus operationibus sensitivæ partis. Quia igitur non est inconveniens, quod sensibilia, quæ sunt extra animam, causent aliquid in conjunctum, in hoc Aristoteles cum Democrito concordavit, quod operationes sensitivæ partis causantur per impressionem sensibilium in sensum, non per modum defluxionis, ut Democritus posuit, sed per quamdam operationem (nam et Democritus omnem actionem fieri posuit per influxionem atomorum, ut patet in 1. *de Generat. text.* 56; c. 8); intellectum vero posuit Aristoteles habere operationem absque communicatione corporis; nihil autem corporeum imprimere potest in rem incorpoream, et ideo ad causandam intellectualem operationem secundum Philosophum non sufficit sola impressio sensibilium corporum, sed requiritur aliquid nobilius, quia agens est honorabilius patiente, ut ipse dicit 3. *de Anima text.* 19; c. 5. Non tamen ita, quod intellectualis operatio causetur ex sola impressione aliquarum rerum superiorum, ut Plato posuit; sed illud superius et nobilius agens, quod vocat intellectum agentem, facit phantasmata a sensibus accepta intelligibilia in actu per modum abstractionis cujusdam. Secundum hoc ergo, ex parte phantasmatum intellectualis operatio a cognitione sensitiva præexistente causatur; sed quia phantasmata non sufficiunt ad immutandum intellectum possibilem, sed oportet, quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem, non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ. — 1a, q. 84, a. 6. c.; *de Verit.* q. 10, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quies, in qua perficitur scientia, excludit motum naturalem passionum, non autem motum et passionem communiter acceptam, secundum quod quodlibet recipere pati dicitur et moveri; sicut etiam Philosophus dicit in 3. *de Anima*, quod intelligere est quoddam pati. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 9.

Ad secundum dicendum, quod circa idem virtus superior et inferior operantur, non similiter, sed superior sublimius; unde per formam, quæ a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit, sicut intellectus; nam sensus per eam manuducitur in cognitionem exteriorum accidentium, intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei, secernendo eam a materialibus omnibus conditionibus. Unde non ex eo dicitur cognitio mentis a sensu originem habere et ex ejus cognitione præexistente fieri, quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat, sed quia ex his, quæ sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur, sicut etiam sensibilia intellecta manuducunt in intelligibilia divinorum. — *de Verit.* ibid. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod sensitiva cognitio non est tota causa intellectualis cognitionis, et ideo non est mirum, si intellectualis cognitio ultra sensitivam se extendit. — 1a, q. 84, a. 6, ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM COGNITIO PRINCIPIORUM FIAT EX PRÆEXISTENTE COGNITIONE EXPERIMENTALI.

Videtur quod cognitio principiorum non fiat ex præexistente cognitione experimentali.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3), quod principia indemonstrabilia non cognoscuntur per medium extraneum, sed in quantum terminos cognoscimus; sed termini cognoscuntur sine ulla experimentali ratiocinatione : ergo cogni-

tio principiorum non fit ex præexistente cognitione experimentali.

2. Præterea, dicit Philosophus 4. *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3, quod certissimum principium est illud, quod nec demonstratur, nec supponitur; sed quod per experimentalem ratiocinationem præcognoscitur, supponitur; ergo cognitio principiorum non fit ex præexistenti cognitione experimentali. — 4. *Metaphys.* l. 6 (2).

3. Præterea, præexistens cognitio est certior, cum sit causa certitudinis his, quæ per eam innotescunt; sed nulla cognitio certior est cognitione primorum principiorum : ergo horum cognitio non fit ex præexistenti cognitione experimentali. — 2. *Poster.* l. 20.

4. Præterea, effectus actionis relinquitur secundum virtutem suæ causæ ; sed cognitio experimentalis est singularium : ergo tantum potest efficere cognitionem singularium, non autem universalium, cujusmodi sunt prima principia, et sic non potest horum cognitio fieri ex præexistenti cognitione experimentali. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 7.

5. Præterea, quæ intellectus intelligit ut natura, non intelligit per collationem, sed naturaliter, secus vero ea, quæ intelligit ut ratio ; sed prima principia intellectus intelligit naturaliter : ergo eorum cognitio non fit ex præexistenti cognitione experimentali, ad quam requiritur ratiocinatio. — *de Verit.* q. 26, a. 9, ad 7; 4. *Metaphys.* l. 15 (3).

6. Præterea, cognitio universalis non potest fieri, ut dicitur 2. *Poster. text.* 27; c. 19, ex cognitione ejus, quod est tantum singularitatis ; sed sensus singularium est, sicut scientia universalium, ut dictum 1. *Poster. text.* 33; c. 18 et 2. *de Anima text.* 60; c. 5 : ergo cognitio universalium principiorum demonstrationis non potest fieri ex præexistenti cognitione experimentali. — 2. *Poster.* l. 20; 1. *Poster.* l. 30 (al. 29); 2. *de Anima* l. 12.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1) docet, hominibus evenire scientiam per experientiam. — 1. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 33; c. 18 et 2. *Poster. text.* 27; c. 19), quod universalium cognitionem accipimus ex singularibus, et ideo manifestum esse, quod necesse est universalia principia cognoscere per inductionem; at inductio non est sine cognitione sensitiva : ergo cognitio principiorum fit ex præexistenti cognitione experimentali. — 1. *Poster.* l. 30 (29); 2. *Poster.* l. 20.

3. Præterea, duplex est modus addiscendi, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 33; c. 18) : aut per inductionem, aut per demonstrationem; sed principia immediata demonstrationis non sciuntur per demonstrationem, ut dicitur 1. *Poster. text.* 6; c. 3 : ergo sciuntur per inductionem, et consequenter fiunt ex præexistenti cognitione experimentali. — 1. *Poster.* l. 7 (6) et 30 (29).

RESPONDEO DICENDUM, quod principia immediata syllogismi demonstrativi, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5, c. 2); sunt duplicia : *quædam* sunt non solum in se, sed etiam quoad nos per se nota, quibus necesse est quemlibet assentire, qui doceri debet, quæ sunt universalia principia omnium scientiarum, sicut : non contingit idem esse, et non esse; affirmatio et negatio non sunt simul vera; totum est majus sua parte, et similia; quæ omnes scientiæ accipiunt a Metaphysica, cujus est considerare ens simpliciter, et ea, quæ sunt entis; et dicuntur dignitates et maximæ propositiones propter eorum certitudinem ad manifestandum alia. Et horum cognitio principiorum non fit ex præexistenti cognitione experimentali ratione complexionis terminorum, sed solum ratione cognitionis ipsorum terminorum; ex ipso enim lumine naturali intellectus agentis hujusmodi prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationes, sed solum per hoc, quod eorum termini innotescunt, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 6; c. 3; scito enim, quid totum, quid pars, cognoscitur, quod omne totum est majus sua parte; quod quidem fit per hoc, quod a sensibilibus accipitur memoria, et a memoria experimentum, et ab experimento illorum terminorum cognitio, quibus cognitis cognoscuntur hujusmodi propositiones communes, quæ sunt artium et scientiarum principia. Quemadmodum enim virtutum habitus, ut docet Philosophus in 6. *Ethic.*, ante earum consummationem præexistunt

in nobis in quibusdam naturalibus inclinationibus, quæ sunt quædam virtutum inchoationes, sed postea per exercitium operum adducuntur ad debitam consummationem; ita in scientiarum acquisitione præexistunt in nobis quædam scientiarum semina, scilicet primæ conceptiones intellectus, quæ statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa, ut dignitates prædictæ, sive incomplexa, ut ratio entis et unius et hujusmodi, quæ statim intellectus apprehendit, ex quibus deinde principiis universalibus omnia alia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus. Quando enim ex istis universalibus principiis mens adjuvatur, ut actu cognoscat particularia principia, quæ prius in potentia et quasi in universali cognoscebantur, tunc dicitur aliquis scientiam acquirere. — 1. *Poster.* l. 5 (4); 4. *Metaphys.* l. 6 (al. 2); *de Verit.* q. 11, a. 1, c.

Quædam vero sunt, quorum termini non sunt apud omnes noti, quæque non est necesse habere in mente quemlibet, qui debet doceri in demonstrativa scientia, quæ positiones dicuntur, et hujusmodi principiorum cognitio ratione complexionis terminorum necessario debet fieri ex præexistenti cognitione experimentali, quod probat Philosophus dupliciter in 1. *Poster. text.* 33; c. 18. *Primo*, quia impossibile est universalia speculari absque inductione; quod, inquit, magis manifestum est in rebus sensibilibus, quia in illis per experientiam, quam habemus circa singularia sensibilia, accipimus notitiam universalem, sicut manifestatur in 1. *Metaphys.* Sed id etiam constat in his, quæ dicuntur secundum abstractionem, sicut in mathematicis; nam hujusmodi etiam contingit nota facere per inductionem, quia in unoquoque genere abstractorum sunt quædam particularia, quæ non sunt separabilia a materia sensibili, secundum quod unumquodque eorum est hoc. Quamvis enim linea secundum abstractionem dicatur linea communis, tamen hæc linea, quæ est in materia sensibili, in quantum est individuata, abstrahi non potest, quia individuatio ejus est ex hac materia; non manifestantur autem nobis principia abstractorum, ex quibus demonstrationes in his procedunt, nisi ex particularibus aliquibus, quæ sensu percipimus. — *Secundo*, quia si universalia, ex quibus procedit demonstratio, cognosci possent absque inductione, et consequenter sine præexistenti cognitione experimentali sensitiva, sine qua esse non potest inductio, sequeretur, quod posset homo accipere scientiam eorum, quorum non habet sensum, quod est impossibile. *Tertio*, idem confirmat Philosophus quadam similitudine in fine 2. *Poster.*; quia sicut in exercitu cum unus eorum cœperit immobiliter stare et non fugere, et alter stat adjungens se ei, et postea alter, quousque tot congregantur, quot faciunt principium pugnæ, ita ex sensu et memoria unius particularis, et iterum alterius et alterius pervenitur ad universale principium, quod est principium scientiæ. Et sic patet, quorumnam principiorum cognitio fiat ex præexistenti cognitione experimentali. — 1. *Poster.* l. 5 (4) et 30 (29); 2. *Poster.* l. 20.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de principiis immediatis demonstrationis, quæ sunt communia omnibus scientiis vel saltem plurimis, quæ tantum exigunt præcognitionem experimentalem ratione cognitionis terminorum, non autem ratione complexionis terminorum; et idem dicendum *ad secundum*. — Ll. cit. in c. hujus art. et ad arg. 1 et 2.

Ad tertium dicendum, quod licet posteriorum principiorum cognitio fiat ex præexistenti cognitione sensitiva experimentali, non tamen hæc præcognitio est notior cognitione principiorum, sicut cognitio principiorum est notior cognitione conclusionis, quia cognitio principiorum est causa totalis cognitionis conclusionis; principia enim se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effectus; certitudo enim scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia. At vero cognitio experimentalis seu sensitiva non est causa totalis cognitionis primorum principiorum, sed instrumentalis et secundaria, vel certe materialis; agens vero principale et primum est intellectus agens. — 2. *Poster.* l. 20; *de Verit.* q. 11, a. 1, ad 13 et ad 17

et q. 10, a. 6; 1a, q. 84, a. 6, c. et ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quia, ut dictum est, cognitio experimentalis et sensitiva non est causa totalis cognitionis principiorum, sed materialis vel instrumentalis et secundaria, ideo actionis effectus relinquitur secundum conditionem intellectus agentis, qui est agens principale, et cognitionis sensitivæ; nam intellectus possibilis recipit formas ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum. — *de Verit.* q. 10, a. 6. ad 7; 1a, q. 84, a. 6, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod licet utraque principia prima dicantur immediata, quia non possunt demonstrari per medium intrinsecum illorum, et ita pertineant ad intellectum, ut natura est, posteriora tamen egent ratiocinatione experimentali, non autem priora, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 5 (4) et ll. cit. in c. hujus art.

Ad sextum dicendum, quod singulare quidem sentitur proprie et per se, sed tamen sensus est quodammodo et ipsius universalis; cognoscit enim Calliam ut Calliam, et ut est hic homo, et similiter Socratem, in quantum esthic homo; et inde est, quod tali acceptione sensus præexistente anima rationalis potest considerare hominem in utroque. Si enim ita esset, quod sensus solum apprehenderet id, quod est particularitatis, et nullo modo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile, quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis, ut patet manifeste in processu, qui est a speciebus ad genus; anima enim stat per considerationem, quousque perveniatur ad aliquid impartibile in eis, quod est universale; considerat enim tale et tale animal, puta hominem et equum, quousque perveniat ad commune animal, quod est genus superius. — 2. *Poster.* l. 20.

Ad septimum, octavum, et nonum dicendum, quod tantum probant, quod posteriora principia fiunt ex præexistenti cognitione experimentali, quod nos asserimus, ut probatum est (supra in c.).

ARTICULUS III

UTRUM CONCLUSIO SIT PRÆCOGNITA IN PREMISSIS, ANTEQUAM EX ILLIS DEMONSTRATIVE COLLIGATUR.

Videtur quod conclusio non sit præcognita in præmissis, antequam ex illis demonstrative colligatur.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 2 (1); c. 1), quod dupliciter necessarium est præcognoscere, vel *quia est,* vel *quid est;* sed neutrum præcognoscitur de conclusione, nam *quia est,* inquit Philosophus ibidem, præcognoscitur tantum de subjecto et principiis, *quid* vero de passione : ergo conclusio non est præcognita in præmissis. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

2. Præterea, quod est præcognitum, de novo non addiscitur; sed conclusio de novo addiscitur per demonstrationem : ergo conclusio non est præcognita in præmissis ante illius deductionem per demonstrationem. (*Ibidem* l. 3 (2). — Sed dices, quod non addiscitur de novo id, quod est præcognitum in se, secus vero quod est præcognitum in alio, ut effectus in causa, quomodo præcognoscitur conclusio in præmissis.

3. Sed contra, effectus verius esse habet in causa, quam in se (sic enim verius esse habent creaturæ in Verbo, quam in seipsis); sed veritas sequitur esse rei, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min. c. 1) : ergo effectus verius etiam cognoscitur in sua causa, et consequenter conclusio non addiscitur de novo saltem perfecte per demonstrationem, cum perfectius ante illam sit præcognita. — *de Verit.* q. 4, a. 6, c.; 2. *Metaphys.* l. 2.

4. Præterea, cognoscere aliquid in universali est cognoscere perfectiori modo, quam cognoscere in particulari, sic enim Angeli, quo perfectiores sunt in intelligendo, eo per universaliores species intelligunt; sed conclusio præcognita in præmissis præcognoscitur in universali : ergo perfectius cognoscitur, quam per demonstrationem, et sic non magis addiscitur de novo, quam ante. — 1a, q. 55, a. 3, c.; *de Verit.* q. 8, a. 10.

Sed contra est, quod Philosophus (1.

Poster. text. 3 (2), c. 1) dicit, quod conclusio præcognoscenda est, antequam cognitio de illa sumatur per syllogismum vel inductionem. — 1. *Poster.* l. 3 (2).

RESPONDEO DICENDUM, quod antequam fiat inductio vel syllogismus demonstrativus ad faciendam perfectam cognitionem de aliqua conclusione, illa conclusio aliquo modo præcognoscitur et scitur, aliquo modo non ; simpliciter enim ignoratur, scitur autem secundum quid. Ut si probari debeat ista conclusio : triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, antequam demonstretur, ille, qui per demonstrationem accipit scientiam, eam nescivit prius simpliciter ; alias addisceret id, quod scivit simpliciter; sed scivit eam secundum quid, idest in potentia in præmissis; unde quodammodo præscivit, simpliciter autem non. — Cujus ratio est, quia sicut jam ostensum est, oportet principia conclusioni præcognoscere, principia autem se habent ad conclusiones in demonstrativis sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effectus, unde in 2. *Phys. text.* 31 ; c. 3, propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis. Effectus autem antequam producatur in actu, præexistit quidem in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse; et similiter antequam ex principiis demonstrationis deducatur conclusio in ipsis principiis præcognitis præcognoscitur conclusio virtute, non actu ; sic enim in eis præexistit. Et sic patet, quod non præcognoscitur simpliciter, sed secundum quid. — 1. *Poster.* l. 3 (2).

Ad primum ergo dicendum, quod de conclusione præcognoscitur in potentia seu virtute et in alio, quod per demonstrationem cognoscitur proprie et actu et in se; per demonstrationem autem cognoscitur *quia est* conclusionis, ut dicitur 2. *Poster. text.* 2 ; c. 3. Quæritur enim, an homo sit visibilis ; et per demonstrationem scitur id, quod quæritur. — 1. *Poster.* l. 3 (2) et 4 (3).

Ad secundum dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid præcognitum : *uno modo* simpliciter, actu et in se ; et quod est sic præcognitum, non addiscitur de novo, sed per deductionem aliquam rationis in memoriam reducitur ; *alio modo* in potentia seu virtute, vel secundum quid et in alio ; et quod est sic præcognitum, addiscitur de novo; et hoc modo est præcognita conclusio in principiis, antequam simpliciter addiscatur per demonstrationem. — 1. *Poster.* l. 3 et 4.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, quod effectus verius habet esse in causa, quam in re, ly verius potest designare *vel* veritatem rei, *vel* veritatem prædicationis. Si designat veritatem rei, sic verum est, quod major est veritas effectus in causa, quam in se; nam modus causarum est sublimior, quam ea, quæ de effectibus prædicantur, ut patet in omnibus causis æquivoce agentibus, cujusmodi sunt principia respectu conclusionis, et similiter major est veritas rerum in Verbo, quam in se ipsis. Si autem designetur veritas prædicationis, sic est e converso; verius enim est aliquid, ubi est per essentiam, quam per similitudinem. — *de Verit.* q. 4, a. 6, c.

Ad quartum dicendum, quod dupliciter potest intelligi, cognosci aliquid in universali : *uno modo*, ut referatur ad cognitionem ex parte cogniti ; et sic cognoscere aliquid in universali est vel cognoscere naturam universalem cogniti absque eo, quod cognoscatur ejus differentia; vel cognoscere rem in virtute et in alio tanquam in causa, atque adeo non cognitione propria et actuali; et sic cognoscere rem aliquam in universali est cognoscere illam modo imperfectiori, quam si cognoscatur in particulari. *Alio modo,* ut referatur ad cognitionem ex parte ejus, quo cognoscitur; et sic cognoscere aliquid in universali, idest per medium universale, est perfectius, dummodo cognitio usque ad propria reducatur; et hoc posteriori modo se habet cognitio superiorum Angelorum, priore vero cognitio conclusionis in præmissis. — *de Verit.* q. 8, a. 10, ad 1; 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a. 2, ad 3 ; 1. *Poster.* l. 3 (2).

ARTICULUS IV

UTRUM SINT TANTUM DUÆ PRÆCOGNITIONES, *quia est*, ET *quid est*.

Videtur quod sint plures præcognitiones, quam duæ.

1. Dicit enim Philosophus, quod tria sunt præcognita, subjectum, passio et dignitas; sed præcognitio multiplicatur secundum objecta : ergo præcognitiones sunt plures duabus. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

2. Præterea, quod quæritur cognoscendum, debet aliquo modo præcognosci, ut dictum est ; sed quatuor sunt quæstiones cognoscendæ de re, ut dicit Philosophus 2. *Poster. text.* 1 ; c. 1 : ergo quatuor etiam sunt præcognitiones. — 1. *Poster.* l. 1 ; 2. *Poster.* l. 1.

3. Præterea, videntur pauciores duabus. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 25; c. 10, quod quædam scientiæ non præcognoscunt de subjecto, quod sit ; sed præcognitio datur propter scientiam (unde Philosophus propositionem illam 1. *Poster. text.* 1, c. 1, quod omnis doctrina et disciplina fit ex præexistenti cognitione, manifestat maxime in scientiis) : ergo non datur nisi præcognitio *quid*. — 1. *Poster.* l. 18 (17) et l. 1.

4. Præterea, præcognitio non est quæstio ; suppositis enim quibusdam præcognitis, per demonstrationem quæruntur alia, ut maxime patet in scientiis mathematicis, quæ sunt de quantitate continua et discreta : sed *quid* cadit sub quæstionem — quærit enim Philosophus 4. *Phys. text.* 57 ; c. 6, quid significet nomen vacuum : ergo *quid* non cadit sub præcognitionem. — 1. *Poster.* l. 2 (1) ; 4. *Phys.* l. 9.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 2 (al. 1) ; c, 1) dicit, quod dupliciter necessarium est præcognoscere. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

Respondeo dicendum, quod duæ tantum sunt præcognitiones : *quia est*, et *quid est*. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod id, cujus scientia per demonstrationem quæritur, est conclusio aliqua, in qua propria passio de aliquo subjecto prædicatur ; quæ quidem conclusio infertur ex aliquibus principiis. Et quia cognitio simplicium præcedit cognitionem compositorum, necesse est, quod antequam habeatur cognitio conclusionis, cognoscatur aliquo modo subjectum et passio ; et similiter oportet, quod cognoscatur principium, ex quo conclusio infertur, cum ex cognitione principii conclusio innotescat. Horum autem, scilicet principii, subjecti et passionis, duplex est modus præcognitionis, scilicet *quia est*, et *quid est* ; ostendit autem Philosophus (7. *Metaphys. text.* 12, 13, 14 ; l. 6, c. 4 seqq.), quod complexa non definiuntur ; hominis enim albi non est aliqua definitio, et multo minus enuntiationis alicujus. Unde cum principium sit enuntiatio quædam, non potest præcognosci de ipso, quid est, sed solum, quia verum est. De passione autem potest quidem sciri quid est, quia ut in eodem libro ostenditur, accidentia quodammodo definitionem habent ; passionis autem esse, et cujuslibet accidentis est inesse subjecto, quod quidem in demonstratione concluditur. Non ergo de passione præcognoscitur quia est, sed solum quid est, subjectum autem definitionem habet, et ejus esse a passione non dependet, sed suum esse proprium præintelligitur ipsi esse passionis in eo ; et ideo de subjecto oportet præcognoscere et quid est, et quia est, præsertim cum definitio subjecti et passionis sumatur medium demonstrationis. Et sic patet, verissime dictum esse a Philosopho, quod dupliciter necessarium est præcognoscere, quia duo tantum sunt, quæ præcognoscuntur de his, quorum præcognitionem habemus : *quia est*, et *quid est*. — 7. *Metaphys.* l. 3 ; 1. *Poster.* l. 2 (1).

Ad primum ergo dicendum, quod duo possunt considerari in præcognitione : *unum* est id, quod præcognoscitur, seu modus præcognitionis ; *alterum* vero id, de quo aliquid præcognoscitur. Si consideretur in præcognitione primum, duæ tantum sunt præcognitiones, ut dictum est ; si vero consideretur secundum, sunt tria præcognita, ut dicit objectum. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

Ad secundum dicendum, quod duo possunt in aliqua demonstratione quæri cognoscenda : *unum* est conclusio aliqua, in qua propria passio de aliquo subjecto prædicatur, et quæ ex aliquibus principiis infertur ; *alterum* est medium, quo aliquid probatur. Si consideretur primum, duæ tantum sunt præcognitiones, ut dictum est ; si vero consideretur secundum, omnes quatuor quæstiones prædictæ quærunt, inquit Philosophus, medium ; et propterea revocantur ad duas, ad *an est*, et *quid est*, quæ non est necesse præsup-

poni et præcognosci, cum quærantur; sicut quia quæritur veritas, seu *an sit* conclusionis actu et in se, non præcognoscitur in se et actu, sed tantum in potentia et in universali, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 2 (1); 2. *Poster.* l. 1.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus non dicit de subjecto, non esse præcognoscendum *quid est* et *quod est*, sed quod non est necesse facere mentionem expressam de illo, quando manifestum est, quod sit. Sicut similiter et quædam scientiæ de passionibus non supponunt, quid significant, expressam mentionem de eis faciendo; sicut etiam non oportet, quod de communibus principiis semper scientiæ faciant mentionem, quia nota sunt. Nihilominus tamen tria prædicta naturaliter sunt in scientia qualibet præcognoscenda et supponenda. — 1. *Poster.* 18 (17).

Ad quartum dicendum, quod Philosophus non quærit quid nominis de vacuo; sed quia illud non erat ita manifestum, illud supponit, mentionem expressam de illo faciendo, ut dictum est. — Vel dicendum, quod Philosophus loquitur de quid nominis tanquam de medio. Cum enim quidam posuissent, vacuum esse, quidam vero negarent; ad cognoscendum, qualiter se habeat veritas, oportuit accipere tanquam principium, quid significet nomen vacui. Sicut enim cum dubitatur, an aliqua passio insit alicui subjecto, oportet accipere pro principio, quid sit res; ita cum dubitatur de aliquo, an sit, oportet accipere pro medio, quid significet nomen; quæstio enim *quid est* sequitur quæstionem *an est*. — *Ibid.* et 4. *Phys.* l. 10.

ARTICULUS V

UTRUM PRÆCOGNITIO *quia est* SE EXTENDAT AD PASSIONEM.

Videtur quod præcognitio *quia est* se extendat ad passionem.

1. Triangulus enim passio est, ut cum quæritur, an aliqua linea sit triangularis; sed de triangulo præcognoscitur an est, ut cum quæritur, an triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis : ergo præcognitio *quia est* se extendit ad passionem. 1. *Poster.* l. 2 (1). — Dices, id, quod est passio respectu unius, esse subjectum respectus alterius.

2. Contra, si, quod est passio respectu unius, est subjectum respectu alterius, sequitur, dari posse processum in infinitum; nam de quacumque re idem dici potest; sed hoc est inconveniens : ergo dicendum, quod præcognitio *quia* se extendit ad passionem. — *Ibid.*

3. Præterea, quæstio *quid est* supponit quæstionem *an est*; sed de passione præcognoscitur *quid est*, (hoc enim est medium demonstrationis, sicut et *quid est* subjecti : ergo etiam præcognosci potest, quia est, et sic præcognitio *quia est* se extendet ad passionem. — 1. *Poster.* l. 2 (1); 2. *Poster.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 2 (1); c. 1) dicit, de passione præcognoscendum esse quid est, de subjecto vero, quia est et quid est. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

RESPONDEO DICENDUM, quod de passione potest quidem sciri *quid est*, quia, ut in 7 (6) *Metaphys.* ostenditur, accidentia quodammodo definitionem habent, præcognosci autem non potest *an est*. Cujus ratio est, quia passionis esse, sicut et cujuslibet accidentis, est inesse subjecto; hoc autem in demonstratione concluditur, non autem supponitur : ergo de passione non præcognoscitur *quia est*, sed solum *quid est*. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod cum accidentia quodam ordine ad subjecta referuntur, non est inconveniens id, quod est accidens et passio respectu alicujus, esse subjectum respectu alterius, sicut superficies est accidens et passio respectu substantiæ corporalis, et tamen est primum subjectum coloris. Id autem, quod est subjectum ita, quod nullius est accidens, substantia est; unde in illis scientiis, quarum subjectum est aliqua substantia, id, quod est subjectum, nullo modo potest esse passio, sicut est in prima Philosophia et in scientia naturali, quæ est de subjecto mobili. In his autem scientiis, quæ sunt de aliquibus accidentibus, nihil prohibet id, quod accipitur ut subjectum respectu alicujus passionis, accipi etiam ut passionem respectu anterioris subjecti.

Ad secundum dicendum, quod non est in infinitum procedere; est enim devenire ad aliquod primum in scientia, quod ita accipitur ut subjectum, quod nullo modo ut passio, sicut patet in mathematicis scientiis, quæ sunt de quantitate continua vel discreta. Supponuntur enim in his scientiis ea, quæ sunt prima in genere quantitatis, sicut unitas, linea, superficies et alia hujusmodi; quibus suppositis per demonstrationem quæruntur quædam alia, sicut triangulus æquilaterus, quadratum in geometricis et alia hujusmodi. Quæ quidem demonstrationes quasi operativæ dicuntur, ut est illud : super lineam rectam datam triangulum æquilaterum constituere; quo adinvento, rursus de eo aliquæ passiones probantur, sicut : quod ejus anguli sunt æquales aut aliquid hujusmodi. Unde patet, quod triangulus in primo modo demonstrationis se habet ut passio, in secundo se habet ut subjectum, neque est processus in infinitum. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod quæstio *quid est simpliciter* supponit quæstionem *an est*, non autem *quid est quod dicitur*, de quo loquitur Philosophus, cum ait de passione præcognoscendum esse quid est. — Vel dicendum, quod definitio passionis non est medium demonstrationis, nisi perficiatur per definitionem subjecti; manifestum enim est, quod principia subjecti definitionem continentia sunt principia passionis. — 2. *Poster.* l. 1.

ARTICULUS VI

UTRUM PRÆCOGNITIO *quid sit* SUBJECTI COMPREHENDAT PRÆCOGNITIONEM *quid nominis* TANTUM, AN ETIAM *quid rei*.

Videtur quod præcognitio quid sit subjecti comprehendat præcognitionem quid nominis et quid rei.

1. In omni enim demonstratione a priori medium est definitio subjecti, atque adeo quid rei ipsius; et in aliquibus scientiis per effectus, tanquam per definitionem causæ probatur aliquid de causa tanquam de subjecto; sed medium demonstrationis præcognoscitur subjecto conclusionis : ergo de subjecto præcognoscitur etiam quid rei. — 1a, q. 1, a. 7, arg. 1; 1. *Poster.* l. 2, (1); 6. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, præmissæ præcognoscuntur conclusioni, (ut dicitur 1. *Poster. text.* 2. (1) et 3 (2); c. 1), tanquam causa effectui; sed præmissæ non sunt causa conclusionis, nisi quatenus continent definitionem et quid rei subjecti; nam hoc est causa prima, cur passio insit subjecto : ergo præcognitio quid sit subjecti continet quid nominis et quid rei. — 1. *Poster.* l. 3 (2); 2. *Poster.* l. 1.

3. Præterea, scientia particularis supponit de subjecto *quid* et *quia*; nam utrumque manifestum facere spectat, ut dicitur 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1, ad Metaphysicam, hæc enim manifestat an sit et quid rei de subjecto : ergo reliquæ scientiæ præcognoscunt et *an sit* et *quid rei* de subjecto. — 6. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 2, (1); c. 1,) quædam dicit oportere præcognoscere, quid est quod dicitur, puta passionem; quædam utrumque, quid est quod dicitur et quod est, ut triangulum quid hoc significat, et unitatem quid significet et quia est. — 1. *Poster.* l. 2, 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod præcognitio *quid est* tantum importat præcognitionem quid nominis, non autem quid rei. Cujus ratio est, *tum* quia antequam sciatur de aliquo an sit, non potest sciri proprie de eo quid est; non entium enim non sunt definitiones; unde quæstio an est præcedit quæstionem quid est; sed non potest ostendi de aliquo an sit, nisi prius intelligatur, quid significetur per nomen; propter quod etiam Philosophus in 4. (3) *Metaphys.* disputans contra negantes principia docet incipere a significatione nominum, quare per quid est quod dicitur, non potest importare quid est simpliciter sive subjecti, sive passionis; *tum* quia quid rei subjecti et passionis pertinet ad cognitionem præmissarum, et per consequens ad cognitionem complexorum et compositorum; sed cognitio simplicium præcedit cognitionem compositorum; ergo necesse est, quod cognitio subjecti et prædicati, quæ sunt simplicia, et prærequiritur ante cognitionem conclusionis,

non sit cognitio quid est simpliciter ipsorum, sed tantum quid est quod dicitur. — Et sic patet *ad objecta*; nam solum probant, præcognoscendum esse quid rei subjecti, non ut quid pertinens ad cognitionem termini simplicis, sed ut pertinens ad cognitionem terminorum complexorum, puta propositionum. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

ARTICULUS VII

UTRUM PRÆCOGNITIO *quid sit* SE EXTENDAT AD PRINCIPIA.

Videtur quod præcognitio quid sit, se extendat etiam ad principia.

1. Dicit enim Philosophus 1. *Poster. text.* 5; c. 2, quod principia præcognoscenda sunt non solum quid significent, sed etiam quod sunt; sed præcognoscere de aliquo, quod significet, est præcognoscere quid nominis: ergo præcognitio quid nominis etiam se extendit ad principia. — 1. *Poster.* l. 1 et 4 (3).

2. Præterea, dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 24; c. 10, quod tam principia, quam quæ sunt ex principiis, in hoc conveniunt, quod de utrisque oportet præcognoscere, quid significent; sed per principia et quæ sunt ex principiis intelligit præmissas et conclusiones: ergo præcognitio quid sit etiam convenit præmissis. — 1. *Poster.* l. 18 (17).

3. Præterea, non potest cognosci de aliquo an sit, nisi prius intelligatur quid nominis; sed principia debent præcognosci, an sint: ergo etiam debent præcognosci, quid sint, et sic præcognitio quid nominis conveniet principiis. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

Sed contra est, quod Philosopbus 1. *Poster. text.* 2 (1); c. 1, dicit, quod de principiis præcognoscendum est quod sint, de subjecto vero quod sit et quid sit. — *Ibid.*

RESPONDEO DICENDUM, quod duobus modis considerari potest præcognitio: *uno modo* per ordinem ad conclusionem, cujus scientia quæritur, cujusque cognitio ut habeatur, necessario aliqua præcognoscenda sunt, et hoc modo duplex est præcognitio, quod sit, et quid sit; et præcognitio *quid* tantum se extendit ad prædicatum et subjectum conclusionis, non autem ad principia; *quod* sit vero ad principia et ad subjectum. Cum enim sumi possit conclusio et secundum terminos simplices, et secundum se totam, ut est quid complexum: secundum terminos simplices præcognoscitur præcognitione immediate ordinata ad cognitionem conclusionis, puta præcognitione an sit præmissarum, hæc enim est præcognitio agens et efficiens, ut dictum est, cognitionem conclusionis. — *Alio modo* potest considerari præcognitio absolute, per ordinem scilicet ad quodcumque, de quo talis habetur præcognitio; et hoc modo principia præcognoscuntur præcognitione quid sit. Ut enim dictum est, prima principia demonstrationis cognoscuntur per cognitionem terminorum, si sint communia omnibus scientiis; si vero sint particularia, hæc necessario debent in primis principiis includi, alioqui non habetur per illa scientia de conclusione. Processus enim rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo, cui similis est processus ejusdem per alterius doctrinam, est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias et inde procedat ad aliquas particulares conclusiones. Unde si aliquis illa principia applicet ad ea, quæ in ipsis non includuntur vel includi non manifestantur, inde non accipiet scientiam, sed forte opinionem vel fidem; ex ipsis enim principiis per se notis considerat, quod ea, quæ ex eis necessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quæ vero eis sunt contraria, totaliter respuenda; aliis autem assensum præbere potest, vel non. Unde manifestum est, quam vere Philosophus aliquando dixerit, de principiis debere præcognosci quid est, et aliquando id negaverit. — Et sic patet *ad objecta* utriusque partis. — 1. *Poster.* l. 2 (1); *de Verit.* q. 11, a. 1, c.; V. supra q. 20, a. 3; a. 2, huj. quæst.

ARTICULUS VIII

UTRUM SEMPER DE PRINCIPIIS PRÆCOGNOSCENDUM SIT, QUOD SINT VERA.

Videtur quod de principiis non semper

præcognoscendum sit, quod sint vera.

1. Dicit enim Philosophus 1. *Poster. text.* 17; c. 6, quod est syllogizare verum ex non vero; sed hoc est ex præmissis non veris deducere conclusionem: ergo præmissæ seu principia non semper præcognoscenda sunt, quod sint vera. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 13 12.

2. Præterea, prima principia non sunt ex suppositione, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3; sed non supponi principia est illa non præcognosci, sicut supponi est præcognosci et accipi ut vera; ut patet ex 1. *Poster. text.* 23; c. 9: ergo prima principia non debent præcognosci quod sint vera, et multo minus reliqua, quæ habentur ex primis. — 4. *Metaphys.* l. 6 (2); 1. *Poster.* l. 18 (17).

3. Præterea, non est necesse ad demonstrandam conclusionem in particulari, quod quis præcognoverit propositionem hanc: impossibile est idem simul esse et nonesse, esse veram; sed hæc propositio est principium indemonstrabile, in quod omnes demonstrationes resolvunt suas propositiones: ergo de principiis non est præcognoscendum, quod sint vera. — 4. *Metaphys.* l. 6 (2).

4. Præterea, quod demonstratur non præcognoscitur, cum per demonstrationem quæratur et concludatur; sed Aristoteles demonstrat hoc principium: impossibile est idem simul esse et non esse, per hoc principium: impossibile est in eodem subjecto simul esse duo contraria: ergo prima principia non semper præcognoscuntur quod sint vera. — 1. *Poster.* l. 2, (1); 4. *Metaphys.* l. 6 (2).

5. Præterea, illud principium, quod non est necesse, aliquem docendum habere in memoria vel ei assentire, non est præcognoscendum an sit; sed principia immediata demonstrationis, quæ positiones dicuntur, sunt hujusmodi, ut ait Philosophus 1. *Poster. text.* 5; c. 2: ergo. — 1. *Poster.* l. 5 (4).

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 2 (1); c. 1) dicit, quod principia præcognosci debent, quod sint vera.

2. Præterea, principia scientiarum sunt ostium scientiæ, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 1; l. 1 min. c. 1; sed ostium scientiæ debet esse per se notum omnibus quoad an sit, sicut in simili ostium domus, a quo proinde nullus, ut est in proverbio, aberrat: ergo. — 2. *Metaphys.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod principia immediata demonstrationis sunt in duplici differentia, ut dictum est. Quædam enim positiones vocantur, quædam dignitates et maximæ propositiones, et utraque necessario præcognoscenda sunt quod sint. Et priora quidem, quia oportet præcognoscere principia, ex quibus conclusio immediate infertur, cum ex illorum cognitione conclusio innotescat; hujusmodi autem sunt positiones, quippe quæ sunt principia propria cujuslibet scientiæ, sicut dignitates sunt principia communia omnibus scientiis, ut dictum est. Est autem duplex modus præcognitionis, scilicet quia est, et quid est. Dicitur autem in 7. (6) *Metaph.* quod complexa non definiuntur; hominis enim albi non est definitio aliqua, et multo minus alicujus enuntiationis: unde cum principium sit quædam enuntiatio, non potest præcognosci de ipso quid est, sed solum quia verum est; præterquam quod positio, quæ est principium significans verum vel falsum, suppositio dicitur et ita dicitur, quia supponitur veritatem habens. — 1. *Poster.* l. 3 (4); 1a, q. 117, a. 1, c.; *de Verit.* q. 11, a. 1, c.

Posteriora vero simul præcognosci debere quod sint vera, constat *primo*, quia hujusmodi principia necesse est habere in mente et iis assentire quemlibet, qui doceri debet, secus vero priora. Sunt enim talia principia non solum in se, sed etiam quoad nos omnibus nota. *Secundo*, quia hæc principia sunt magis nota conclusione, cum tamen quædam non sint talia antequam probentur. (1. *Poster.* l. 6, al. 5). *Tertio*, quia ut principia propria demonstrationis generent scientiam, non autem opinionem vel fidem, debent vel includi in principiis per se notis, vel manifestari esse inclusa; alioqui si neutro modo proponantur vel assumantur, generabunt opinionem vel fidem, non autem scientiam. Ex ipsis enim principiis per se notis constat, quod ea, quæ ex eis necessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quæ vero eis sunt contraria, totaliter sunt re-

spuenda; aliis autem assensum præberi posse, vel non (*de Verit.* q. 11, a. 1, c.). *Quarto*, quia omnis scientia acquisita per demonstrationem est in cognitione primorum principiorum universalium, sicut in principiis activis; ex illis enim tota virtus et veritas conclusionis trahitur, pendet et ut ait Philsosophus (4 *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3) causatur, et ad illa omnia alia cognita examinantur, et ex illis omne verum approbatur et omne falsum respuitur, quippe quibus si aliquis error posset accidere, nulla certitudo in tota sequenti cognitione reperiretur. (1. *Sent.* d. 17, q. 1, a. 3, c; 4. *Metaphys.* l. 5, (2 ; *de Verit.* q. 16, a. 2, c. et q. 17, a. 1, ad 1; *Quodl.* 8, a. 4; 1. *Poster.* l. 3 (2 : 2. *Phys.* l. 5. *Quinto*, quia cum duplex sit operatio intellectus, una, qua cognoscit quod quid est, quæ vocatur indivisibilium intelligentia; alia, qua componit et dividit, in prima quidem operatione est aliquid primum, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc, quod dico ens; nec aliquid hac operatione potest concipi, nisi intelligatur ens. Et quia hoc principium : impossibile est idem simul esse et non esse, dependet ex intellectu entis, sicut et hoc principium : omne totum est maius sua parte, ideo etiam hoc principium est naturaliter primum in secunda scilicet operatione intellectus componentis et dividentis, nec aliquis potest secundum hanc operationem aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto. Sicut enim totum et partes non intelliguntur, nisi intellecto ente, ita nec hoc principium : omne totum est majus sua parte, nisi intellecto prædicto principio firmissimo ; et idem dicendum est de omnibus principiis propriis scientiarum. Nam eatenus hæc gignunt scientiam, quatenus per experientiam universalia principia illis applicantur ; utuntur enim particulares scientiæ primis et communibus principiis particulariter acceptis, et quatenus includuntur vel manifestantur inclusa, ut dictum est, et eorum termini intelligi nequeunt, nisi simul intelligatur ens. Unde patet, quod semper præcognosci debent demonstrationis principia, quod sint vera. — 4. *Metaphys.* l. 6. (2); 11. *Metaphys.* l. 4; 1a. q. 117, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut conclusio necessaria concludi potest per medium contingens, non tamen potest sciri, nisi per medium necessarium, ita conclusio vera potest concludi per medium falsum, non tamen potest sciri, nisi per medium verum.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter potest aliqua propositio esse ex suppositione : *uno modo*, quia est ex condictione seu ex condicto, quasi sit ignota quoad veritatem; et hoc modo prima principia universalissima non sunt ex suppositione ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3, quia illa necesse est habere in mente quemlibet, qui debet doceri, et ideo sunt omnibus notissima. *Alio modo*, quia præcognoscitur quia est, et hoc modo dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 24; c. 10, quod principia propria scientiarum, puta subjecta, ut unitas in Arithmetica, et puncta et lineæ in Geometria supponuntur. — 9. *Metaphys.* l. 6 (2); 1. *Poster.* l. 18 (17).

Ad tertium dicendum, quod cum omnes demonstrationes reducant suas propositiones in hanc, sicut in ultimam opinionem omnibus communem : impossibile est idem simul esse et non esse, quia ipsa est naturaliter principium et dignitas omnium dignitatum; debet hæc esse omnibus notissima, et consequenter præcognita quoad veritatem. — Vel dic, quod sicut quædam scientiæ de passionibus non supponunt quid significent, expressam mentionem de illis faciendo; ita etiam non oportet, quod de communibus principiis semper scientiæ faciant mentionem, quia nota sunt; quamquam verum est, quod principia, passio et subjectum naturaliter in qualibet scientia sunt supponenda. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod Philosophus non probat, hoc principium : impossibile est idem simul esse et non esse, per hoc aliud : impossibile est in eodem subjecto simul esse contraria, sed tantum ostendit, nullum hominem posse existimare, eamdem rem esse et non esse, quia contraria non possunt simul esse in eodem subjecto. Quare non probat Philosophus notum per ignotius, sed notum per notius; notius enim est, duo contraria non posse esse simul in eodem subjecto, quam eumdem hominem non posse simul existimare, eamdem rem esse. —4. *Metaphys.* l. 6 (2).

Ad quintum dicendum, quod omnia principia sunt præcognoscenda quod sint, antequam inducatur conclusio, ut dictum est (supra a. 3 et 5 ; verum ex illis quædam sunt, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 5; c. 2, quæ probatione indigent ad hoc, quod sint nota; et antequam probentur, non sunt magis nota conclusione; cum tamen necesse sit, ut ait Philosophus ibidem, non solum præcognoscere prima principia conclusionis, sed etiam ea magis cognoscere, quam conclusionem. — 1. *Poster.* l. 6 (3).

ARTICULUS IX

UTRUM SEMPER SIT PRÆCOGNOSCENDUM DE SUBJECTO, QUOD SIT.

Videtur quod non sit semper præcognoscendum de subjecto, quod sit.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1 ; l. 5, c. 1), quod ejusdem scientiæ est manifestare *quod quid est* et *si est* subjecti; sed quod fit manifestum quoad *si est*, non præcognoscitur esse : ergo de subjecto non semper præcognoscitur quod est, — 6. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, scientia tantum est de universalibus; sed universali non convenit existentia, sed singulari : ergo de subjecto scientiæ, quod est universale, non debet præcognosci quod est. — 2. *Metaphys.* l. 4; 7. *Metaphys.* l. 14; 11. *Metaphys.* l. 2; 2. *de Anima* l. 12; 1. *Poster.* l. 16 (15).

3. Præterea, Deus habet scientiam non entium; sed de non ente non potest præcognosci quod sit; ergo subjectum scientiæ non semper præcognosci debet quod sit. — 1a, q. 14, a. 9; *de Verit.* q. 2, a. 8, c.; 1. *Sent.* dist. 38, q, 1, a. 4.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 1. *Poster. text.* 2 (1); c. 1, quod de subjecto præcognoscendum est quod sit et 2. *Poster. text.* 8; c. 8 quærere, inquit, quid est, non habentes quia est, nihil est quærere. — 1. *Poster.* l. 2 (1); 2. *Poster.* l. 7.

RESPONDEO DICENDUM, quod de subjecto semper præcognoscitur in scientiis particularibus an est, quod ex tribus constare potest : *primo*, ex differentia inter scientias particulares et primam Philosophiam. Hujus enim solius est, ut dicit Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1 ; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7), considerare an est et quid est subjecti; nam hæc sola considerat ens ut ens, et consequenter quod quid est, ex quo causatur esse rei; quælibet enim scientia particularis de illo vel per suppositionem vel per sensum noto passiones ostendit, quia considerat particularia entia secundum propriam rationem. (6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7; 1. *Phys.* l. 1) — *Secundo*, ex fine particularis scientiæ ; hic enim est concludere esse passionis, quod est inesse subjecto; esse autem subjecti necessario præintelligitur ipsi esse passionis in illo. (1. *Poster.* l. 2, al. 1). — *Tertio*, ex medio demonstrationis in qualibet scientia particulari ; hoc enim est definitio subjecti et quod quid ipsius, unde debet præcognosci, et multo magis quæri ante conclusionem; quæstio autem et præcognitio quid est præsupponit quæstionem et præcognitionem an est. Unde manifestum est, quod de subjecto debent particulares scientiæ præcognoscere an est, illudque supponere. — *Ibid.* et 1. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut nulla scientia particularis dicit, quod quid est, sed ex illo ad alia procedit, utens eo quasi demonstrativo principio, vel per sensum et inductionem, vel per suppositionem ab aliqua alia scientia, ita etiam nulla earum determinat de genere, circa quod versatur, quod est aut non est; et hoc rationabiliter accidit, quia ejusdem scientiæ est determinare quæstionem an est, et manifestare quid est ; oportet enim accipere quod quid est, ut medium ad ostendendum an est; et utraque consideratio est solius primi philosophi, qui considerat ens in quantum ens. Unumquodque enim habet esse per suam quidditatem, et ideo quælibet scientia particularis supponit de suo subjecto quia est et quid est, et hoc est signum, quod nulla scientia particularis dicit de ente simpliciter, nec de aliquo ente in quantum est ens.—6. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod de universali, quod est subjectum scientiæ præcognoscendum est an sit; universale enim, ut ostendit Philosophus (7. *Metaphys. text*

37; l. 6, c. 16), non existit præter res, existit enim in singularibus et præter singularia. — 7. *Metaphys.* l. 16, al. 14).

Ad tertium dicendum, quod subjectum scientiæ Dei dicitur esse, quia vel est in actu, vel in potentia ipsius Dei vel creaturæ, licet nec sit nec fuerit nec futurum sit. — Vel dic, quod de subjecto semper præcognoscendum est quod est, quia vel existit in propria natura, vel in causa sua, vel in cognitione aliqua. — 1a, q. 14, a. 9; *de Verit.* q. 2, a. 8; 1. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 4, c. et ad 4.

QUÆSTIO XXII

DE DEMONSTRATIONE SECUNDUM SE.

Deinde considerandum est de demonstratione.

CIRCA QUAM QUERUNTUR TRIA:

Primo de demonstratione secundum se. *Secundo* de demonstratione quia. *Tertio* de demonstratione propter quid.

CIRCA PRIMUM QUERUNTUR DUO:

1. Utrum divisio demonstrationis in quia et propter quid sit recte assignata.
2. Utrum sit possibilis regressus demonstrativus.

ARTICULUS I

UTRUM DIVISIO DEMONSTRATIONIS IN QUIA ET PROPTER QUID SIT RECTE ASSIGNATA.

Videtur quod divisio demonstrationis in quia et propter quid non sit recte assignata.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster. text.* 3; c. 4), quod medium in demonstratione est quod quid est; sed medium demonstrationis quia non est quod quid est, ut patet : ergo demonstratio quia non est demonstratio, et ita male dividitur in demonstrationem quia et propter quid. — 2. *Poster.* l. 3; 1a, q. 2, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, causa non potest demonstrari per effectum sibi non proportionatum; sed omnis causa habet effectus non proportionatos, causa enim semper abundantius et perfectius habet aliquid, quam causatum, sicut ignis calorem, quam elementata : ergo non datur demonstratio quia, quæ causam per effectum demonstrat. — 1a, q. 2, a. 2, arg. 3; 2. *Sent.* dist. 42, q. 2, a. 4, c.

3. Præterea, signum contra causam dividitur et contra effectum; nam effectus est res, signum autem et res opponuntur; sed datur demonstratio a signo: ergo non sufficienter dividitur demonstratio in quia et propter quid.— 4. *Sent.* dist. q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 5, et quæstiunc. 2, arg. 1.

4. Præterea, Philosophus sæpe utitur demonstratione circulari (nam 1. *Poster. text.* 15 et 16; c. 6 ex eo, quod demonstratio est eorum, quæ sunt per se, probat demonstrationem esse necessariorum ; et *text.* 18, c. 6 ex eo, quod demonstratio est necessariorum, probat illam esse eorum, quæ sunt per se; et 2. *de Cœlo*, postquam probavit, stellas non moveri per se ipsas ex eo, quod sunt sphæricæ figuræ, *text.* 59, c. 11 probat, quod sunt sphæricæ figuræ per hoc, quod sunt immobiles secundum se ipsas); sed demonstratio circularis neque est demonstratio *quia*, neque *propter quid*, ut constat : ergo. — 1. *Poster.* l. 13 (12) et 14 (13) ; 2. *de Cœlo* l. 16.

5. Præterea, datur demonstratio a causa remota, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 30; c. 13); sed hæc neque est demonstratio quia, nam hæc est ab effectu, neque est propter quid, quia hæc est a causa proxima, ut dicit Philosophus ibidem : ergo iusufficienter dividitur demonstratio in *quia* et *propter quid*. — 1. *Poster.* l. 24 (23).

6. Præterea, scientia est finis syllogismi demonstrativi sive effectus ejus, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; sed scientia est triplex, ut dicitur 1. *Poster. text.* 42; c. 27, ubi habetur, quod certior est ea scientia, quæ est ipsius *quod* et *propter quid*, quam ea, quæ est ipsius *quod* seorsim ab ea, quæ est *propter quid* : ergo etiam dabuntur tres species demonstrationis : una faciens scire quid et propter quid, quæ dicitur potissima; secunda, quæ quid tantum, quæ est demonstratio *quia* ; tertia, quæ propter quid tantum, quæ dicitur demonstratio propter quid.— 1. *Poster.* l. 4 (3) et 40 (39).

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *Poster. text.* 18; c. 6 et *text.* 30; c. 13 duas tantum numerat demonstrationis species, quia et propter quid. — *Ibid* l. 13 (12) et 23 (22).

2. Præterea, omnis demonstratio debet procedere ex prioribus, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; sed priora sunt tantum duplicia : *vel* simpliciter, puta causæ, *vel* quoad nos, puta effectus; ergo demonstratio tantum est duplex : *vel* procedens ex prioribus simpliciter, puta ex causis, quæ dicitur demonstratio propter quid; *vel* ex prioribus quoad nos, puta ex effectibus, quæ dicitur demonstratio quia. — 1 a, q. 2, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod cum ex notis oporteat in cognitionem ignotorum devenire, omnis autem demonstratio adducatur causa notificandi aliud, necesse est, quod omnis demonstratio procedat ex notioribus quoad nos, quibus per demonstrationem fit aliquid notum. *In quibusdam* autem eadem sunt notiora quoad nos et secundum naturam, sicut in mathematicis, quæ sunt a materia abstracta; et in his demonstratio procedit ex notioribus simpliciter et secundum naturam, scilicet ex causis in effectus; unde dicitur *demonstratio propter quid. In quibusdam* autem non sunt eadem magis nota simpliciter et quoad nos, ut in naturalibus, in quibus plerumque effectus sensibiles sunt magis noti suis causis; et in his demonstratio plerumque procedit ab his, quæ sunt minus nota secundum naturam et magis nota quoad nos, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 1; c. 1), nimirum ex effectibus in causas, unde dicitur *demonstratio quia.*—2. *de Anima.* l. 3; 1. *Poster* l. 4 (3).

Ad primum ergo dicendum, quod cum demonstratur causa per effectum, necesse est uti effectu loco definitionis causæ ad probandum causam esse; quia ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio quid significet nomen illius, non autem quod quid est, quia quæstio quid est sequitur ad quæstionem an est. — 1a, q. 2, a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod per effectus non proportionatos causæ non potest haberi perfecta cognitio causæ; sed tamen ex quocumque effectu potest nobis manifeste demonstrari, causam esse, dummodo talis effectus sit magis notus quoad nos, quia cum effectus dependet a causa, eo posito necesse est causam præexistere. — *Ibid.* in c. et ad 3.

Ad tertium dicendum, quod signum, quantum est in se, importat aliquod notum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicujus occulti; et quia plerumque effectus sunt nobis manifestiores causis, ideo signum sumitur pro effectu, quamvis illi opponatur secundum propriam rationem; et ita quandoque contra causam dividitur, sicut demonstratio quia est, quæ dicitur esse per signum a communi, ut in 1. *Physc.*; demonstratio autem propter quid est per causam. Quandoque autem causa est manifesta quoad nos, utpote cadens sub sensum, effectus autem occultus, ut si expectetur in futurum; et tunc nihil prohibet, causam signum sui effectus dici; et sic demonstratio a signo non erit distincta a demonstratione quia et propter quid. — 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 1, quaestiunc. 1, ad 5 et sol. 2 et ad 1.

Ad quartum dicendum, quod demonstratio circularis est complexio duarum demonstrationum; fit enim in demonstratione circulari processus a principio ad conclusionem, et iterum a conclusione ad principium, subsumpta altera præmissarum conversa. Ut autem bene probat Philosophus, non contingit circulariter demonstrare in scientiis, sicut in dialecticis; nam contingeret, idem esse prius et posterius respectu unius et ejusdem, et notius et minus notum. Unde 1. *Poster. text.* 5; c. 2 Philosophus non solum ostendit, demonstrationem esse necessariorum propter hoc, quod est eorum, quæ sunt per se, sed ex definitione ejus, quod est scire; et hic fuit verus demonstrandi modus. Quod autem ostendit demonstrationem necessariorum esse propter hoc, quod est eorum, quæ sunt per se, non est vera demonstratio, sed est ostensio ad hominem, apud quem notum est, quod demonstratio sit eorum, quæ sunt per se. Ex probatione vero, qua utitur Philosophus . *de Cœlo*, respondet Alexander, nullum inconveniens sequi, quia Aristoteles probavit, stellas non moveri per se ipsas non solum

per hoc, quod sunt sphæricæ figuræ, sed etiam per quædam alia media. Objicit autem contra hoc Simplicius, quod non impeditur ratio circularis demonstrationis per hoc, quod utraque conclusio pluribus mediis ostenditur; sed dicendum est, quod licet per hoc non tollatur ratio circularis demonstrationis, tollitur tamen inconveniens, quod ex circulari demonstratione contingit, ut scilicet nihil manifestet; quia nihil potest manifestari, nisi per notius, non potest autem idem esse notius et minus notum; sed dum utraque conclusio per alia media manifestatur, una potest sumi ut manifestativa alterius ad ostendendam convertibilitatem conclusionum. — Addo tamen, quod licet non competat circulo demonstrare, si omnino sit unum et idem, quod prius fuit conclusio et postea est principium respectu ejusdem numero, ne sit idem notius et minus notum; si tamen non sit omnino idem, sicut accidit in his, quæ circulo generantur, non est ullum inconveniens. Inde tamen non sequitur, dari tertiam speciem demonstrationis, nam demonstratio circularis non est una, sed duæ simul, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 8 (7) et 14 (13); 2. *Poster.* l. 12; 2. *de Cælo.* l. 16.

Ad quintum dicendum, quod demonstratio quia non solum procedit per effectum, sed etiam per causam remotam, quæ proprie loquendo non est causa; nam illa dicitur causa proprie loquendo, propter quam res est, et quoniam illius est causa; causa vero remota non ita se habet; nam ipsa posita non ponitur effectus, ipsa tamen remota removetur effectus. — 1. *Poster.* l. 24 (23).

Ad sextum dicendum, quod Philosophus non constituit tres sciendi modos, sed tantum duos. Solum enim dicit, certiorem esse scientiam, quæ est ipsius *quod* et *propter quid* simul ea, quæ est ipsius *quod* tantum seorsim ab ea, quæ est ipsius *propter quid*; quod ex eo manifestum est, quod 2. *Poster. text.* 7 et 8; c. 2 et 3, ostendit idem esse scire quid est, et scire causam quæstionis an est, sicut idem est scire propter quid, et causam quæstionis quia est, et quod per omnes causas potest sciri quia est; et *text.* 8 manifeste docet, possibile quidem esse scire vel tantum quod est, vel quod est et quid est; impossibile vero esse scire quid est, et nescire an sit. — 2. *Poster.* l. 7.

ARTICULUS II

UTRUM SIT POSSIBILIS REGRESSUS DEMONSTRATIVUS.

Videtur quod non sit possibilis regressus demonstrativus.

1. Docet enim Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3), quod demonstratio circularis est impossibilis; sed regressus demonstrativus nihil aliud est, quam talis demonstratio; ergo non est possibilis. — 1. *Poster.* l. 8 (7).

2. Præterea, in regressu demonstrativo id, quod est conclusio unius demonstrationis, fit principium alterius; sed hoc videtur impossibile (nam cum principium demonstrationis debeat esse prius et notius conclusione, inde sequitur, quod idem esset prius et posterius, notius et ignotius respectu ejusdem, quod est impossibile): ergo et impossibilis est regressus demonstrativus. — *Ibid.*

3. Præterea, in regressu demonstrativo idem probatur per idem (dicitur enim: si homo est risibilis, est rationalis; si est rationalis, est risibilis; et per consequens nihil omnino scitur); sed hoc est contra definitionem demonstrationis, quæ est, quod sit syllogismus faciens scire: ergo non est possibilis regressus. — *Ibid.*

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3) damnans demonstrationem circularem excipit regressum demonstrativum a demonstratione quia ad propter quid. — *Ibid.*

2. Præterea, Philosophus (2. *de Cælo text.* 8 et 15; c. 2) assignat distinctionem partium in cœlo ex principio motus, quia scilicet motus cœli videtur incipere ab una parte et non ab alia, per demonstrationem a signo seu quia; deinde (*ibid. text.* 34; c. 5,) probat, cœlum sic moveri et non aliter, ex distinctione partium cœli, tanquam ex causa, per demonstrationem propter quid, — 2. *de Cælo* l. 7.

3. Præterea, Philosophus (2. *Poster. text.* 25; c. 16) expresse docet causam et

causatum invicem posse demonstrari, quia hæc duo invicem demonstrantur in diverso genere demonstrationis quia et propter quid; at hoc est esse possibilem regressum demonstrativum : ergo. — 2. *Poster.* l. 18.

RESPONDEO DICENDUM, quod tripliciter potest contingere regressus demonstrativus : *primo*, in eodem genere demonstrationis et causæ, ut si ex vapore probetur pluvia, et rursum vapor ex pluvia. *Secundo*, in eodem quidem genere demonstrationis, sed in diverso genere causæ, ut si per causam finalem demonstretur efficiens, et rursum per efficientem finalis. *Tertio*, in diverso genere demonstrationis et causæ, ut si in demonstratione *quia* per effectum probetur causa, et rursum in demonstratione *propter quid* per causam probetur effectus.

Et *primo quidem modo* non contingit regressus in causis per se, sed tantum in causis per accidens; neque tunc fit regressus ad idem numero, sed ad idem specie, ut patet in exemplo allato; non enim est necesse, ut ex aqua fiat vapor, nisi accedat extrinsecus vis caloris solis ; neque ex vapore facto ex aqua generatur aqua eadem numero, ex qua fuit ipse generatus, sed specie, et hunc modum ponit Philosophus 2. *Poster. text.* 15; c. 12. (2. *Poster.* l. 12) — *Secundo vero modo* possibilis etiam est regressus; nam ex fine demonstrari potest causa efficiens, et contra ; et hunc modum ponit Philosophus 2. *Poster. text.* 11; c. 11, ubi ex fine, puta ex sanitate, probat ambulationem post cœnam, et rursum ex hac probat illam ; et 1. *Poster. text.* 5; c. 2, ubi ex demonstrationis definitione ex fine sumpta probat definitionem materialem demonstrationis. (2. *Poster.* l. 9 ; 1. *Poster.* l. 4, al. 3). — *Tertio demum modo* possibilem esse regressum demonstrativum, multipliciter constare potest : et *primo* quidem, quia Philosophus et illum approbavit 1. *Poster. text.* 6; c. 3 et sæpius illo usus est. Nam 1. *de Anima text.* 11 ; c. 1, docet, cognoscere ipsum quid est, utile esse ad cognoscendas causas accidentium, sicut in mathematicis, quid rectum aut quid obliquum, aut quid linea et planum ad cognoscendum, quod rectis trianguli anguli æquales sunt; et contra, accidentia conferre magnam partem ad cognoscendum quod quid est; quibus verbis aperte significatur regressus demonstrativus. Nam hic in duplici demonstratione consistit, una procedente ex cognitione causæ ad cognoscenda propria accidentia substantiarum, quæ dicitur demonstratio propter quid ; altera procedente ex propriorum accidentium cognitione ad cognoscendam propriam causam illorum, quæ dicitur demonstratio quia; et 1. *Poster. text.* 30; c. 13 ait, fieri posse, ut demonstratio quia demonstretur per demonstrationem propter quid, ut, quod planetæ prope sunt, quia non scintillant, et quod non scintillant, quia prope sunt. Et 2. *Poster. text.* 25; c. 16 ostendit, causam et causatum non posse quidem invicem demonstrari demonstratione propter quid (quia causa est prior eo, cujus est causa; non autem contingit idem esse prius et posterius); sed tamen ita posse demonstrari, ut unum demonstretur demonstratione quia, alterum vero demonstratione propter quid, ut per fluere folia in demonstratione quia demonstratur, vitem habere folia lata, et rursum in demonstratione propter quid per habere folia lata tanquam per causam demonstratur, fluere folia vitis. — *Secundo*, quia conclusio demonstrationis propter quid cognita per priora simpliciter potest postea per inductionem, quæ est ex notioribus nobis, probata assumi in demonstratione quia ad concludendam alteram præmissarum demonstrationis propter quid. — *Tertio*, quia potest utraque conclusio demonstrationis quia et propter quid per multa media probari, et sic poterit una manifestare aliam. — *Quarto*, quia nihil prohibet, cum quæritur an aliquid sit, probare illud per signum in demonstratione quia tanquam per notum nobis, tum si quæratur de causa, propter quam illud est, signum ipsum ad causam reducere, et sic uti demonstratione propter quid. — *Demum*, quia ex quolibet effectu notiore nobis potest demonstrari, propriam causam illius esse; rursum autem talis effectus potest demonstrari per propriam causam, tanquam per quid naturaliter prius et notius. Unde manifestum est, quod possibilis est regressus demonstrativus. — 1. *Poster.* l. 13 (12), 8 (7), 4 (3) et 41 (40); 2. *Poster.* l.

18; 2. *de Cœlo*. l. 18 et 7; 1a, q. 2, a. 2, c. et ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod circulus damnatus a Philosopho est circulus in eodem genere demonstrationis et causæ. — 2. *de Cœlo* l. 16, et supra in c. huj. art.

Ad secundum dicendum, quod illud absurdum sequitur ex circulo in eodem genere demonstrationis et causæ, non autem ex circulo in diverso genere demonstrationis. — 1. *Poster*. l. 8 (7).

Ad tertium dicendum, quod in regressu demonstrativo aliquid de novo scitur; nam in priori demonstratione quia cognoscitur an sit rei; in posteriori vero demonstratione propter quid cognoscitur causa, propter quam illa res est, ut dictum est.

QUÆSTIO XXIII

DE DEMONSTRATIONE QUIA

Deinde considerandum est de demonstratione quia.

CIRCA QUAM QUERUNTUR DUO :

1. Utrum demonstratio quia sit vere et absolute demonstratio.
2. Utrum demonstratio quia procedat ex causa remota.

ARTICULUS 1

UTRUM DEMONSTRATIO QUIA SIT VERE ET ABSOLUTE DEMONSTRATIO.

Videtur quod demonstratio quia non sit vere et absolute demonstratio.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod ratiocinatio non constans ex primis immediatis et causis prioribus et notioribus non est demonstratio, sed syllogismus; sed demonstratio quia est talis ratiocinatio, cum tantum procedat vel ab effectu vel a causa remota, ut dicitur 1. *Poster. text.* 30; c. 13 : ergo. — 1. *Poster*. l. 4 (3), 23 (22) et 24 (23).

2. Præterea, demonstratio absolute sumpta facit scire simpliciter, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; sed demonstratio quia ex Philosopho ibidem non facit scire simpliciter : ergo absolute non est demonstratio. — 1. *Poster*. l. 4 (3).

3. Præterea, inter alias rationes, quibus negat Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3) circulum in demonstratione, una est, quia si fieret circulus procedendo primo est notioribus natura, tum ex notioribus nobis, talis processus a posteriori non esset demonstratio; sed demonstratio quia procedit a posteriori, ut dicitur 1. *Poster. text.* 30; c. 13 : ergo absolute non est demonstratio. — 1. *Poster*. l. 4 (3) et l. 8 (7).

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Poster. text.* 30; c. 13 demonstrationem quia absolute vocat demonstrationem. — 1. *Poster*. l. 13 (12) et 23 (22).

RESPONDEO DICENDUM, quod duplex est modus sciendi : *unus* proprius et perfectus, quo rem perfecte cognoscimus, cum nimirum causam cognoscimus, propter quam res est, et quoniam illius est, et non contingit aliter se habere; et hic est per demonstrationem propter quid. *Alter* est non ita perfectus, quo rem cognoscimus per effectus vel per causam mediatam et remotam; et hic est per demonstrationem quia. Quæ propterea absolute dicenda est demonstratio, tum quia vere facit aliquid scire (nam facit scire quia, seu quod res sit), tum quia solius demonstrationis proprium est ex necessariis concludere, ut docet Philosophus 1. *Poster. text.* 16; c. 6; demonstratio autem quia procedit ex necessariis, ut multipliciter probat Philosophus : et *primo* quidem 1. *Poster. text.* 18; c. 6, quia omne quod prædicatur, aut prædicatur per se, aut per accidens; et ea, quæ prædicantur per accidens, non sunt necessaria; ex his autem, quæ sunt per accidens, non fit demonstratio, sed magis sophisticus syllogismus, cujusmodi non est demonstratio quia. *Deinde* ibidem, quia conclusio demonstrationis quia est necesaria; at necessaria conclusio non nisi per necessarium medium haberi potest; alioqui nesciretur, quod conclusio sit necessaria, neque propter quid neque quia, cum necessarium non possit sciri per non necessarium. *Præterea ibid. text.* 30; c. 13, quia demon-

stratio quia procedit ex effectu convertibili et immediato, qui necessariam connexionem habet cum sua causa immediata. *Decimum*, quia in demonstratione quia servatur naturalis modus et ordo sciendi, ut veniatur a nobis notis ad ignota nobis: nam in illa devenimus ex notioribus nobis ad notiora naturæ; sunt autem notiora naturæ, quæ a sensibus longe absunt, et dicuntur nota naturæ, non quia natura cognoscat ea, sed quia sunt nota secundum se et secundum propriam naturam; nota autem nobis sunt sensibilia et materialia et intelligibilia in potentia; nam ab his est principium nostræ cognitionis; hujusmodi autem ut plurimum sunt effectus. Et sic manifestum est, quod demonstratio quia absolute dicenda est demonstratio, licet non sit ita perfecta, sicut demonstratio propter quid, et ab illa valde differat tum in eadem scientia, tum in diversis, ut probat Philosophus (1. *Poster. text.* 18; c. 6). — 1. *Poster.* l. 4 (3), 13 (12) et 23 (22); 1. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod demonstratio quia est absolute dicenda demonstratio, et ita vocatur a Philosopho, ut dictum est, licet ab illo vocetur aliquando syllogismus comparata ad demonstrationem propter quid. — Il. cit. supra in c. et in arg.

Ad secundum dicendum, quod demonstratio quia non est demonstratio faciens scire propter quid, quod est scire simpliciter, sed est faciens scire quia, quod est scire secundum quid. — 1. *Poster.* l. 23 (22) et 24 (23).

Ad tertium dicendum, quod Philosophus negat circulum in demonstratione simpliciter, ita ut utraque demonstratio sit demonstratio simpliciter et perfecta. Quod enim possit fieri circulus in diverso genere demonstrationis, ut una demonstratio sit propter quid et altera quia, constat tum ex Philosopho, ut dictum est, tum quia, ut idem ait 1. *Poster. text.* 30; c. 13, nihil prohibet, duorum convertibilium, quorum unum sit causa et alterum effectus, notius esse aliquando non causam, sed effectum magis; nam effectus aliquando notior est causa quoad nos et secundum sensum, licet causa sit notior simpliciter et secundum naturam, et ita per effectum notiorem potest fieri demonstratio, non quidem faciens scire propter quid, sed quia. — 1. *Poster.* l. 23 (22) et ll. cit. in art. præced.

ARTICULUS II

UTRUM DEMONSTRATIO QUIA PROCEDAT EX CAUSA REMOTA.

Videtur quod demonstratio quia non procedat ex causa remota.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 6 et 30; c. 3 et c. 13), quod demonstratio quia procedit ex notioribus nobis: sed effectus est notior nobis, causa vero est notior secundum se: ergo demonstratio quia non procedit a causa remota. — 1. *Poster.* l. 8 (7) et 23 (22); v. supra q. 22, a. 2.

2. Præterea, causa remota non est causa; non enim non esse animal est causa non respirandi, quia alioqui esse animal esset causa respirandi (nam si negatio est causa negationis, et affirmatio affirmationis, et sic omne animal respiraret, quod est falsum); sed omnis demonstratio vel est a causa vel ab effectu, ut dictum est: ergo demonstratio quia non procedit a causa remota. — 1. *Poster.* l. 24 (23); ll. cit. supra in q. 22, a. 1.

Sed contra est auctoritas Philosophi (1. *Poster. text.* 30; c. 13), dicentis, demonstrationem quia procedere ex causa remota. — 1. *Poster.* l. 24 (23).

RESPONDEO DICENDUM, quod demonstratio quia aliquando procedit per effectum, aliquando per causam remotam, ut dicitur 1. *Poster. text.* 30; c. 13, quod manifestum est. Nam procedit per effectum, quatenus procedit per notius nobis, nam alioqui non faceret scire; non enim pervenitur ad cognitionem ignoti nisi per aliquid magis notum; nihil autem prohibet duorum conversibilium, quorum unum sit causa, alterum effectus, notiorem esse quandoque effectum ipsa causa; nam effectus aliquando est notior causa quoad nos et secundum sensum, licet causa sit notior simpliciter et secundum naturam. Potest autem demonstratio quia dupliciter ab effectu procedere: *vel* affirmative ab effectu convertibili, ut si dicatur: omne non scin-

tillans est prope ; sed planetæ non scintillant : ergo sunt prope (nam esse prope est causa non scintillationis, non e contra) ; *vel* negative ab effectu non convertibili, qui scilicet a pluribus causis potest procedere, ut si dicatur : quicumque habet febrim, habet pulsum commotum ; sed talis non habet pulsum commotum : ergo non habet febrim (non enim affirmative ex commotione pulsus licet colligere, quod quis habeat febrim). Procedit etiam demonstratio quia ex causa remota seu non immediata negative, ut si probetur, quod paries non respirat, quia non est animal, sic : nullum non animal respirat ; paries non est animal : ergo non respirat ; non enim esse animal est causa immediata respirationis, ita ut posita animalitate statim ponatur respiratio, cum multa animalia non respirent, ut pisces ; sed habere pulmonem est tamen causa remota, quia illa sublata tollitur talis effectus. Et sic manifestum est, quod demonstratio quia potest procedere a causa remota, negative tamen. — 1. *Poster.* l. 23 (22) et 24 (23).

Ad primum ergo dicendum, quod juxta duas potissimas conditiones, quas habet demonstratio propter quid, puta quod sit ex causis et immediatis, ab illa differt demonstratio quia ; nimirum quia procedit vel ab effectu vel a causa remota, sive talis causa sit notior nobis, sive secundum se. Ideo enim dicitur demonstratio quia procedere ex notioribus nobis, quia maxime procedit ex effectibus, qui ut plurimum sunt notiores nobis, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 23 (22).

Ad secundum dicendum, quod omnis demonstratio vel est ab effectu vel a causa, et hæc si sit immediata, est medium in demonstratione propter quid ; si vero sit mediata vel remota, est medium in demonstratione quia. — 1. *Poster.* l. 23 ; v. supra ll. cit in q. 22, a. 1, c.

QUÆSTIO XXIV

DE DEMONSTRATIONE PROPTER QUID.

Deinde considerandum est de demonstratione propter quid.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. De demonstratione propter quid secundum se.
2. De præmissis demonstrationis propter quid.
3. De medio earundem.
4. De conclusione earundem.

CIRCA PRIMUM UNUM QUÆRITUR :

Utrum sit recte assignata definitio demonstrationis propter quid.

ARTICULUS 1

UTRUM RECTE SIT ASSIGNATA DEFINITIO DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID.

Videtur quod non sit recte assignata definitio demonstrationis propter quid a Philosopho (1, *Poster. text.* 5 ; c. 2), quod sit syllogismus procedens ex veris et primis, et immediatis et notioribus et prioribus et causis conclusionis.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Metaphys. text.* 10 ; l. 2, c. 3), quod unius rei una tantum est definitio ; sed Philosophus aliter definit in 1. *Poster. text.* 5 ; c. 2 demonstrationem propter quid, puta quod sit syllogismus faciens scire : ergo non bene assignavit aliam definitionem. — 3. *Metaphys.* l. 8 ; 1. *Poster.* l. 4 (3).

2. Præterea, verum potest syllogizari et concludi ex falsis, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 17 ; c. 6 ; sed non posset sic concludi, nisi præmissæ essent falsæ ; ergo non recte definitur demonstratio propter quid, quod debeat procedere ex veris. — 1. *Poster.* l. 13 (12).

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Topic.* c. 1), quod demonstratio est ex primis, aut ex his, quæ ex primis fidem acceperunt ; sed quæ ex primis fidem acceperunt, non sunt prima : ergo non semper demonstratio debet esse ex primis. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

4. Præterea, primum et immediatum opponuntur, sic enim quanto agens est posterius, est magis proximum et immediatum ; sed demonstratio debet esse ex primis : ergo non debet esse ex immediatis. — 1. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 4 ; 1. *Poster.* l. 4 (3) et 23 (22).

5. Præterea, si demonstratio debet esse ex notioribus et prioribus, *vel* debet esse

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

ex notioribus natura, *vel* secundum nos; at neutrum dici potest. *Non primum*, quia non alia ratione probat Philosophus, debere demonstrationem constare ex prioribus et notioribus quam quia debet constare ex causis universalibus, quæ magis remotæ sunt a sensu; sed secundum eumdem Philosophum (1. *Phys. text.* 3; c. 1) universalia sunt priora quoad nos et posteriora secundum naturam, et idem dicit Philosophus, quod innata est nobis via cognoscendi ex notioribus nobis. *Neque secundum*, quia demonstratio debet constare ex causis conclusionis; at omnis causa est naturaliter prior et notior suo effectu : ergo demonstratio non debet esse ex notioribus et prioribus. —1. *Poster.* l. 4(3).

6. Præterea, demonstratio non solum debet esse ex principiis primis et immediatis et causis conclusionis, sed etiam debet esse ex principiis propriis ; sed hæc conditio non est posita in definitione demonstrationis : ergo ejus definitio non fuit recte tradita. — *Ibid.*

7. Præterea, idem est demonstrationem constare ex primis et prioribus; sed nihil debet esse in bona definitione redundans : ergo non recte definitur, quod sit ex primis et prioribus. — *Ibid.*

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui (1. *Poster. text.* 5; c. 2) definit demonstrationem propter quid, quod sit syllogismus ex veris et primis et immediatis, et notioribus et prioribus et causis conclusionis. —1. *Poster.* l. 4(3), 8 (7), 23 (22).

RESPONDEO DICENDUM, quod recte assignata est a Philosopho definitio prædicta demonstrationis propter quid, quod probari potest dupliciter : *primo* ex fine demonstrationis propter quid, hic enim est facere scire; omnis autem syllogismus faciens scire debet constare ex primis veris. — *Secundo*, ex singularium conditionum inductione, debet enim *primo* demonstratio propter quid constare ex veris, quia quod non est, non contingit scire, cum scientia sit de ente; quod autem non est verum, non est ens, nam ens et verum convertuntur; quare et illud quod scitur, oportet esse verum et consequenter et conclusionem demonstrationis, quæ facit scire, et præmissas ejusdem; quia non contingit verum sciri ex falsis, etsi potest concludi ex eis. *Secundo*, debet esse ex propositionibus primis et immediatis, idest quæ per aliquod medium non demonstrantur, sed per se ipsas sunt manifestæ. Quæ quidem immediatæ dicuntur, quatenus carent medio demonstrante; primæ autem in ordine ad alias propositiones, quæ per eas probantur, quia non contingit aliquem per se et non secundum accidens habere scientiam, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest esse demonstratio. Dico, per se, et non secundum accidens, quia posset quis scire aliquam conclusionm non habens demonstrationem præmissarum, etiamsi essent demonstrabiles, quia sciret eam per alia principia, et hoc esset secundum accidens. Si ergo demonstrator in suis demonstrationibus procedit ex principiis mediatis et demonstrabilibus, aut habet demonstrationem illarum præmissarum, vel non. Si non habet, sequitur, quod non scit illas præmissas, et ita nec conclusionem propter præmissas; si autem habet, cum in demonstrationibus non sit procedere in infinitum, tandem erit devenire ad aliqua immediata et indemonstrabilia, et sic oportet, quod demonstratio procedat ex immediatis vel statim vel per aliqua media. Unde et in 1. *Topic.* c. 1 dicitur, quod demonstratio est ex propriis et veris aut his quæ per ea fidem sumpserunt. *Tertio*, debet esse ex causis conclusionis, quia tunc scimus, cum causas cognoscimus. *Quarto*, debet esse ex notioribus et prioribus, quia omnis causa est naturaliter prior et notior suo effectu. Oportet autem, quod causa conclusionis demonstrativæ sit notior non solum quoad cognitionem quid est, sed etiam quoad cognitionem quia est; non enim ad demonstrandum, quod eclipsis solis est, sufficit scire, quod est lunæ interpositio, sed etiam oportet scire, quod luna interponitur inter solem et terram. Quoniam vero prius et notius dicitur dupliciter, quoad nos et secundum naturam, ea, ex quibus procedit demonstratio propter quid, sunt priora simpliciter et secundum naturam, et non quoad nos; definitur enim sola demonstratio propter quid, quæ est per causam, quæ secundum naturam est prior et notior effectu; et sic manifestum est, quod recte tradita est

a Philosopho definitio demonstrationis propter quid. — 1. *Poster.* l. 4 (3), 8 (7), 23 (22).

Ad primum ergo dicendum, quod quia definitio significat quod quid esse rei, quod quid autem est causa ipsius rei, secundum diversas causas illius potest multipliciter assignari quod quid ipsius; ut quod quid est domus accipi potest per comparationem ad causam materialem, ut dicamus, quod est aliquod compositum ex lignis et lapidibus, et per comparationem ad causam finalem, ut dicamus, quod est artificium præparatum ad habitandum. Similiter in proposito, cum demonstrationis propter quid multa quod quid est assignari possint, puta finis, et materia, duplex definitio demonstrationis propter quid fuit a Philosopho assignata, una sumpta ex fine (et est: syllogismus faciens scire), altera ex materia (et est, quæ supra explicata fuit). — 1. *Poster.* l. 24 (23) et 4 (3); 7. *Metaphys.* l. 12.

Ad secundum dicendum, quod licet possit verum ex non veris concludi, non tamen contingit verum sciri ex falsis; demonstratio autem propter quid est syllogismus faciens scire; sicut et propterea in demonstrativis scientiis non accidit deceptio per fallaciam consequentis, quia in illis impossibile est syllogizare ex falsis. — 1. *Poster.* l. 13 (12) et 22 (21).

Ad tertium dicendum, quod sensus Philosophi est, quod demonstratio debet procedere ex primis vel statim, et tunc est perfectissima demonstratio propter quid, vel per aliqua media, et tunc non est adeo perfecta, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 4 (3); v. supra in c.

Ad quartum dicendum, quod propositio immediata est etiam prima; sed dicitur immediata, quatenus caret medio demonstrante, unde et a Philosopho definitur, quod sit propositio, qua non est alia prior, per quam probetur; dicitur autem prima in ordine ad alias propositiones, quæ per eas probantur. Quod similiter est in agentibus; nam licet si considerentur secundum rationem agentis, cujus est agere, quanto agens est posterius, tanto magis est proximum et immediatum ad actionem et ad id, quod per actionem educitur; si tamen considerentur quantum ad virtutem, quæ est principium operationis, quanto causa est magis prima, tanto est magis immediata, eo quod agens secundum non agit, nisi in quantum est motum a primo, et secundum quod virtus primi est in ipso. — 1. *Poster.* l. 4 et 23 (22); 1. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ea, ex quibus procedit demonstratio, debent esse priora et notiora simpliciter et secundum naturam, et non quoad nos. Et ad priorem auctoritatem Philosophi dicendum, quod cum 1. *Poster.* ait, universalia esse notiora et priora simpliciter, loquitur de ordine singularis ad universale simpliciter, quorum ordinem oportet accipere secundum ordinem cognitionis sensitivæ et intellectivæ in nobis; cognitio autem sensitiva in nobis est prior intellectiva, quia intellectualis cognitio ex sensu procedit in nobis, unde et singulare est prius et notius quoad nos, quam universale. In 1. autem *Phys.* non ponitur ordo universalis ad singulare simpliciter, sed magis universalis ad minus universale, ut animalis ad hominem, et sic oportet, quod quoad nos universalius sit prius et magis notum. In omni enim generatione quod est in potentia, est prius tempore et posterius natura; quod autem est completum in actu, est prius natura et posterius tempore. Cognitio autem generis est quasi potentialis in comparatione ad cognitionem speciei, in qua actu sciuntur omnia essentialia rei; unde et in generatione scientiæ nostræ prius est cognitione magis commune, quam minus commune. Ad posteriorem vero auctoritatem dicendum, quod in 1. *Poster.* loquitur Philosophus secundum quod id, quod est in sensu, est notius quoad nos eo, quod est in intellectu. In primo autem Physicorum loquitur secundum quod id, quod est notius quoad nos, est etiam in intellectu. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

Vel dicendum, quod in omni demonstratione oportet, quod procedatur ex his, quæ sunt notiora quoad nos, non tamen ex singularibus, sed ex universalibus. Non enim potest aliquid fieri notum nobis nisi per id, quod est magis notum nobis; quandoque autem id, quod est magis notum quoad nos, est etiam magis notum

simpliciter et secundum naturam, sicut accidit in mathematicis, in quibus per abstractionem a materia non fiunt demonstrationes nisi a principiis formalibus (et in talibus fiunt demonstrationes ex his, quæ sunt notiora simpliciter); item quandoque id, quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter, sicut accidit in naturalibus, in quibus essentiæ et virtutes rerum propter hoc, quod sunt in materia, sunt occultæ, sed innotescunt nobis per ea, quæ extrinsecus de ipsis apparent (unde in talibus fiunt demonstrationes ut plurimum per effectus, qui sunt notiores quoad nos, et non simpliciter). In 1. autem *Poster.* non loquitur Aristoteles de hoc secundo modo demonstrationum, sed de primo.

Ad sextum dicendum, quod ex conditionibus allatis in definitione demonstrationis colligitur, illam debere procedere ex principiis propriis; nam, quia propositiones demonstrationis sunt causæ conclusionis, necesse est, quod sint principia propria ejus; oportet enim esse causas proportionatas effectibus. Præterea, idem est esse ex primis principiis, et ex propriis ; idem enim videtur esse primum, et principium; nam primum in unoquoque genere et maximum est causa omnium, quæ sunt post, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4; l. 1. min., c. 1. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

Ad septimum dicendum, quod propositiones demonstrationis propter quid dicuntur primæ in ordine ad alias propositiones, per quas probari possint, ut dictum est, et dicuntur priores in ordine ad conclusionem; nam propositiones continent causam, conclusio effectum, quo semper est prior secundum naturam causa, ut dictum est. — V. supra in c. et ad 1 et 4.

QUÆSTIO XXV

DE PRÆMISSIS DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID.

Deinde considerandum est de præmissis demonstrationis propter quid.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR SEX :

1. Utrum præmissæ demonstrationis propter quid debeant esse de omni, per se, et universali.
2. Utrum debeant esse necessariæ, et propriæ.
3. Utrum sint majores conclusione, magisque sit illis credendum, quam conclusioni.
4. Utrum sint causæ efficientes conclusionis.
5. Utrum major propositio sit in quarto modo dicendi per se, et minor in primo.
6. Utrum major propositio prius tempore, et minor simul tempore cognoscatur cum conclusione.

ARTICULUS I

UTRUM PRÆMISSÆ DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID DEBEANT ESSE DE OMNI, PER SE, ET UNIVERSALI.

Videtur quod præmissæ demonstrationis propter quid non debeant esse de omni, per se, et universali.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Prior.* c. 1), quod syllogismus dialecticus constat propositione de omni; sed syllogismus dialecticus maxime differt a demonstrativo : ergo constare de omni non convenit præmissis demonstrationis propter quid tamquam quid essentiale illarum. — 1. *Poster.* l. 9 (8) et 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 11 ; c. 4), quod idem est per se, et secundum quod ipsum; sed non omnis demonstratio constat ex præmissis secundum quod ipsum (nam hæc propositio : omnis homo est animal, potest esse præmissa demonstrationis, cum sit de definitione hominis, et tamen non est secundum quod ipsum, nam secundum quod ipsum non debet excedere illud, cui convenit, sed esse ei convertibile; animal autem non convertitur cum homine): ergo non omnis demonstratio constat ex præmissis per se. — 1. *Poster.* l. 11 (10); 2. *c. Gent.* c. 15, ad 1.

3. Præterea, præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ, atque adeo de prædicato necessario inexistente subjecto, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 7; c. 4, quia conclusio demonstrationis cum sit necessaria, non potest colligi ex contingentibus; sed prædicatum universale non semper inest necessario suo subjecto, quia, ut dicit Porphyrius, universale præ-

dicatum dicitur illud, quod prædicatur de pluribus, quomodocumque illis insit; ergo præmissæ demonstrationis propter quid non debent esse necessario de universali. — 1. *Poster.* l. 9 (8) et 11 (10).

4. Præterea, ad demonstrationem sufficit præmissas esse de prædicato, quod sit vel definitio, vel pars definitionis subjecti; sed non omne prædicatum, quod sit pars definitionis subjecti, est prædicatum universale, (nam hoc est convertibile cum subjecto, de quo prædicatur, ut docet Philosophus 1. *Poster. text.* 11, 12 et 14; c. 4 et 5; et tamen non quælibet pars definitionis est convertibilis cum subjecto, ut cum genus vel passio generis prædicatur de specie) : ergo demonstrationis præmissæ non necessario debent esse de universali. — 1. *Poster.* l. 9 (8) et 12 (11).

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui (1. *Poster. text.* 7; c. 4) docet, quod demonstratio debet constare præmissis de omni, per se, et universali. — 1. *Poster.* l. 9 (8), 10 (9), 11 (10).

RESPONDEO DICENDUM, quod præmissas demonstrationis propter quid necesse est constare prædicato de omni, per se, et universali; quod manifestum est. Debent enim constare prædicato *de omni;* nam demonstratio debet constare ex iis, quæ important universalitatem temporis et subjecti; alioqui non esset ex necessariis, si deesset universalitas temporis; prædicatum autem de omni, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 8; c. 4), dicit utramque universalitatem. Debent præterea præmissæ demonstrationis constare prædicato *per se;* nam cum demonstrationis conclusio sit necessaria et per demonstrationem scita, debet demonstratio esse ex præmissis necessariis. Sunt autem præmissæ necessariæ, *primo,* quæ constant prædicato de omni, quod nimirum universalitatem temporis et subjecti importat; nam si universalitatem subjecti tantum importaret, non distingueretur syllogismus demonstrativus a dialectico, cum etiam hic utatur prædicato subjecti universalitatem importante. *Secundo,* quæ constant prædicato per se; prædicatum enim necessarium est prædicatum per se; sunt autem quatuor modi per se : *Primus* est, quando prædicatum vel est definitio, vel pars definitionis subjecti, sive sit genus sive differentia. *Secundus* est, quando subjectum est de definitione passionis; et hi dicuntur duo modi per se prædicandi. *Tertius* est per se essendi, et competit solis substantiis completis. *Quartus* est per se causandi, quando scilicet subjectum est causa efficiens prædicati. Cujus numeri sufficientia sic probari potest : particula « per » habitudinem causæ designat; *vel* ergo designatur causa intrinseca formalis, et habetur primus modus; *vel* materialis, et habetur secundus; vel extrinseca, sive efficiens sive finalis, et habetur quartus modus. Tertius vero est fundamentum aliorum, quia est substantia completa, de qua cætera prædicantur, et propterea dicitur modus per se existendi. — Demum quod constent prædicato *universali* præmissæ demonstrationis propter quid, probatur; quia demonstrator demonstrat passionem de subjecto proprio; passio autem respectu proprii subjecti est prædicatum universale; nam et omni illi, et per se, et primo inest, quæ tria sunt de ratione prædicati universalis, ex quo constare debent præmissæ demonstrationis. Et sic manifestum est, præmissas demonstrationis propter quid debere esse de omni, per se, et universali. — 1. *Poster.* l. 9 (8), 10 (9), 11 (10); 5. *Metaphys.* l. 19 (al. 22).

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est propositio de omni : *una* est prioristica, quæ communis est dialectico et demonstrativo; et ratio ejus in eo consistit, quod prædicatum insit cuilibet contento sub subjecto, sive illi semper insit sive non; *altera* est posterioristica, qua tantum utitur demonstrator, in qua prædicatum inest cuilibet contento sub subjecto, et semper illi inest. — 1. *Poster.* l. 9 (8).

Ad secundum dicendum, quod dupliciter accipitur prædicatum secundum quod ipsum : *primo* pro eo, quod convenit subjecto secundum ejus propriam et adæquatam rationem, qua ab omnibus aliis differt, quæ est ratio differentiæ, et est idem, quod primo conveniens, quomodo sumptum est inferius ad per se; omni enim secundum quod ipsum convenit per se, sed non contra. *Alio modo* pro eo, quod convenit alicui per aliquam causam sive existentem

in essentia subjecti, sive extra illam; quomodo sumptum secundum quod ipsum non convertitur cum prædicato primo, sed cum per se, et hoc modo sumitur a Philosopho (1. *Poster. text.* 11; c. 4), cum ait, idem esse per se, et secundum quod ipsum; quod plane constat, quia ibidem universale definit, quod de omni, per se, et secundum quod ipsum, et primo prædicatur, quæ ultima particula frustra esset addita, si secundum quod ipsum non esset idem, quod per se. — 1. *Poster.* l. 9, 10, 11 (8, 9, 10); v. Ferrariensem in 2. *c. Gent.* c. 15.

Ad tertium dicendum, quod universale non hoc modo accipitur a Philosopho, prout omne, quod prædicatur de pluribus, dicitur universale, secundum quod Porphyrius determinavit de quinque universalibus; sed dicitur hic universale secundum quandam adaptationem vel adæquationem prædicati ad subjectum, cum scilicet neque prædicatum invenitur extra subjectum, neque subjectum sine prædicato, seu quod est convertibile cum subjecto. — 1. *Poster.* l. 11 (10).

Ad quartum dicendum, quod perfectissima demonstratio tantum est de prædicato per se et primo, minus vero perfecta de prædicato per se, licet non primo; sicut demonstratio, ut dicit Philosophus 1. *Poster. text.* 11; c. 4, per se est passionis de subjecto, cui adæquate inest; quodammodo vero et non per se de aliis passionibus, quæ insunt inadæquate. — *Ibidem.*

ARTICULUS II

UTRUM PRÆMISSÆ DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID DEBEANT ESSE NECESSARIÆ ET PROPRIÆ.

Videtur quod præmissæ demonstrationis propter quid non debeant esse necessariæ, et propriæ.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 17; c. 6) quod nihil prohibet medium non necessarium esse, propter quod demonstratum est; contingit enim necessarium syllogizari ex non necessariis, sicut contingit syllogizari verum ex non vero; sed præmissæ demonstrationis continent medium, per quod demonstratur aliquid: ergo præmissæ demonstrationis non necessario debent esse necessariæ. — 1. *Poster.* l. 13 (12).

2. Præterea, scientia physica est de contingentibus, est enim de mobilibus; omne autem, quod movetur, in quantum hujusmodi, est contingens, ut probatur 9 (8) *Metaphys.*; sed contingens non potest concludi nisi ex contingentibus; nam ex necessariis semper concluditur conclusio necessaria, ut dicitur 1. *Poster. text.* 16; c. 6: ergo præmissæ demonstrationis facientis scire non necessario debent esse necessariæ. — 1. *Poster.* l. 13 (12); *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, arg. 4.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 22; c. 8), quod potest esse demonstratio et scientia eorum, quæ non semper fiunt, ut lunæ defectus; sed quæ non semper sunt, non sunt necessaria (necessarium enim est, quod secundum sui naturam tantum determinatum est ad esse, ita ut non aliquando sit, aliquando non sit); quod autem necessarium non est, non potest concludi ex præmissis necessariis: ergo præmissæ demonstrationis non debent esse necessariæ. — 1. *Poster.* l. 16 (15); 1. *Periherm.* l. 14.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 24; c. 10), quod principia, quibus utimur in demonstrativis scientiis, alia quidem propria sunt cujusque scientiæ, alia communia; sed demonstrativa scientia habetur per demonstrationem, cum sit ejus effectus: ergo præmissæ demonstrationis non necessario debent esse propriæ, sed possunt esse communes. — 1. *Poster.* l. 18 (17) et 1.

5. Præterea Metaphysica, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 23; c. 9), considerat principia communia, per quæ probantur principia propria singularum scientiarum; sed Metaphysica est perfecta scientia: ergo scientia potest in suis demonstrationibus procedere ex principiis et præmissis communibus. — 1. *Poster.* l. 17 (16).

6. Præterea id, quod est unius scientiæ, potest altera scientia probare, ut dicitur 1. *Poster. text.* 20; c. 7; sed hoc est demonstrationem constare ex principiis extraneis et consequenter non propriis: ergo. — 1. *Poster.* l. 15 (14).

Sed contra est auctoritas Philosophi

1. *Poster. text.* 15, 16 et 23; c. 6 et 9, ubi docet, præmissas demonstrationis debere esse necessarias, et proprias. — 1. *Poster.* l. 13 (12) et 17 (16).

RESPONDEO DICENDUM, quod præmissæ demonstrationis propter quid debent esse necessariæ et propriæ, quod manifeste patet. Debent enim esse necessariæ, *tum* quia demonstratio facit scire conclusionem necessariam (nam in hoc differt ab aliis syllogismis); necessaria vero conclusio sciri non potest nisi ex necessariis principiis; *tum* quia ea, quæ per se prædicantur, necessario insunt, ut maxime patet in duobus primis modis per se, ex quibus potissimum constant præmissæ demonstrationis. (1. *Poster.* l. 13, al. 12) — Debent etiam esse propriæ; cum enim proprium dupliciter sumi possit, *vel* ut distinguitur contra extraneum, *vel* ut dividitur contra commune, utroque modo præmissæ demonstrationis debent esse propriæ (1. *Poster.* l. 15, al. 14). Et *primo quidem modo*, quia cum in demonstratione sint tres termini, sicut et in quolibet syllogismo, scilicet major extremitas, minor et medium, quod est definitio passionis cum definitione subjecti, — si medium esset extraneum a majore vel minore extremitate, ita ut non esset definitio utrumque comprehendens, tunc major extremitas non prædicaretur de eo per se, nec ipsum de subjecto per se prædicaretur, cum tamen doceat Philosophus (1. *Poster.*), quod in majore propositione major extremitas prædicatur per se de medio in secundo et quarto modo per se, et in minori propositione prædicatur medium de minori extremitate per se in primo modo. (*Opusc.* 48, tract. 7, c. 6; *Opusc.* 38; 1 *Poster.* l. 2 (1); 2. *Poster.* l. 1, 7, 19). — *Secundo vero modo* debent præmissæ demonstrationis esse propriæ, *tum* quia alioqui bene demonstrasset Briso quadraturam circuli, quod tamen est falsum, cum illam tantum demonstrarit per principia communia sic : In quocumque genere est invenire aliquod majus et minus alio, in eodem est invenire et illi æquale; sed in genere quadratorum est invenire aliquod majus circulo, intra quod scilicet circulus describatur, et aliquod minus circulo, quod scilicet scribatur intra circulum: ergo est invenire aliquod quadratum æquale circulo; — *tum* quia nullum principium commune facit scire rem per se, sed tantum per accidens, at demonstratio facit scire rem simpliciter. — 1. *Poster.* l. 17 (16).

Ad primum ergo dicendum, quod licet conclusio necessaria possit concludi ex medio non necessario per syllogismum dialecticum, non tamen potest sciri per demonstrationem propter quid, nisi per medium necessarium. — 1. *Poster.* l. 13 (12).

Ad secundum dicendum, quod scientia est de aliquo dupliciter : *uno modo* primo et principaliter, et sic scientia est de universalibus rationibus, super quas fundatur. *Alio modo* est de aliquibus secundario, et quasi per reflexionem quamdam, et sic de rebus illis est, quarum sunt rationes illæ, in quantum rationes illas applicat ad res particulares, quarum sunt, adminiculo inferiorum virium; ratione enim universali utitur sciens et ut re scita et ut medio sciendi (per universalem enim hominis rationem possum judicare de hoc vel illo); rationes autem universales rerum sunt omnes immobiles, et ideo quantum ad hoc omnis scientia est de necessariis; sed rerum, quarum sunt illæ rationes, quædam sunt necessariæ et immobiles, quædam contingentes et mobiles, et quantum ad hoc, de rebus contingentibus et mobilibu dicuntur esse scientiæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod lunæ defectus, et hujusmodi, quæ sunt frequenter, secundum quod de illis dantur demonstrationes, sunt semper; secundum quod vero non sunt semper, sunt particularia, de quibus non potest esse demonstratio; licet enim defectus lunæ non sit semper secundum tempus, est tamen semper, si comparetur ad causam, quia nunquam deficit, quin semper sit lunæ eclipsis, quandocunque terra diametraliter interponitur inter solem et lunam. Et hoc modo habetur scientia et fit demonstratio de similibus, quæ non semper sunt; imo et de iis, quæ non semper sunt etiam comparata ad causam, ut quod homo habeat duas manus, potest haberi scientia et fieri demonstratio, ita ut ex universalibus propositionibus inferatur conclusio universalis, si removeantur ea, in quibus potest esse defectus

vel ex parte temporis, vel ex parte causæ. — 1. *Poster.* l. 16 (15).

Ad quartum dicendum, quod tam demonstratio, quam demonstrativa scientia semper procedunt ex principiis propriis, quia communia principia semper sumuntur in unaquaque scientia, secundum quod sunt proportionata illi scientiæ. — 1. *Poster.* l. 15 (14).

Ad quintum dicendum, quod Metaphysica ita se habet ad principia communia, sicut singulæ scientiæ ad sua propria; jamvero proprium subjectum Metaphysicæ est ens, quod tamen est commune ad omnia. — *Ibid.* l. 17 (16).

Ad sextum dicendum, quod id, quod est in scientia subalternata, potest probari a scientia subalternante; at nos loquimur hic de demonstratione et scientia demonstrativa, quæ facit scire propter quid, et non quia. — *Ibid.* l. 15 (14), 24 (23) et 25 (24).

ARTICULUS III

UTRUM PRÆMISSÆ DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID DEBEANT ESSE NOTIORES CONCLUSIONE MAGISQUE ILLIS CREDENDUM SIT, QUAM CONCLUSIONI.

Videtur, quod præmissæ demonstrationis propter quid non debeant esse notiores conclusione, nec magis illis credendum sit, quam conclusioni.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod non solum præcognoscere oportet prima aut omnia, aut quædam, sed magis; sed si sufficit, ut quædam tantum magis præcognoscenda sint, fieri potest, ut in aliqua demonstratione conclusio sit notior præmissis: ergo præmissæ non debent esse notiores conclusione. — 1. *Poster.* l. 6 (5).

2. Præterea, quod est notum per sensum, magis notum est eo, quod non est sic notum; sed potest alicui nota esse conclusio per sensum, non autem præmissæ, unde deducitur: ergo præmissæ demonstrationis non debent semper esse notiores conclusione. — *Ibidem.*

3. Præterea, si præmissæ debent esse notiores conclusione, illisque magis credendum est, quam conclusioni, maxime ob rationem Philosophi (l. c. *text.* 5; c. 2), quia propter quod unumquodque, et illud magis, scimus autem conclusiones propter præmissas; sed hoc principium est falsum, nam res cognoscuntur ab anima propter habitus et species intelligibiles, et tamen habitus et species minus cognoscuntur ab anima: ergo præmissæ demonstrationis non sunt notiores conclusione, neque illis magis credendum est, quam conclusioni. — *Ibid.*; 1a, q. 87, a. 2, arg. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi 1. *Poster. text.* 5; c. 2, ubi dicit, oportere principia magis cognoscere et magis ipsis credere, quam ei, quod demonstratur. — 1. *Poster.* l. 6 (5).

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, præmissas notiores esse debere conclusione, et illis magis credendum esse, quam conclusioni. Quod manifeste patet *tum* per rationem ostensivam, quia « propter quod unumquodque est, et illud magis », ut si magistrum amamus propter discipulum, discipulum amamus magis; scimus autem conclusiones et illis credimus propter principia; *tum* per rationem ducentem ad impossibile; nam principia præcognoscuntur conclusioni, ut manifestum est, et tunc quando principia cognoscuntur, nondum conclusio cognita est; si ergo principia non essent magis cognita, quam conclusio, sequeretur, quod homo vel plus vel æqualiter cognosceret ea, quæ non novit, quam ea, quæ novit; hoc autem impossibile est; quare et impossibile est, quod principia non sint magis nota conclusione. — 1a, q. 87, a. 2, ad 3; 1. *Poster* l. 6 (5).

Ad primum ergo dicendum, quod non solum necesse est præcognoscere prima principia conclusionis, sed et ea magis cognoscere, quam conclusionem, ut dictum est. Addidit autem Philosophus « aut omnia, aut quædam », quia *quædam* principia probatione indigent ad hoc, quod sint nota, et antequam probentur, non sunt magis nota conclusione; sicut quod angulus exterior trianguli valeat duos æquales intrinsecos sibi oppositos, antequam probetur, ita ignotum est, sicut quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; *quædam* vero principia sunt, quæ statim posita sunt magis nota conclusione. — Vel aliter: quædam conclusiones sunt,

quæ sunt notissimæ, utpote per sensum sumptæ seu acceptæ, sicut quod sol eclipsatur; unde principium, per quod probatur, non est notum magis simpliciter, scilicet quod luna interponatur inter solem et terram, licet sit magis notum in via rationis procedentis ex causa in effectum. — Vel aliter : hoc ideo dicit, quia etiam dixerat supra, quod *quædam* principia tempore prius cognoscuntur, quam conclusio, *quædam* vero simul tempore cognita sunt cum conclusione. — 1. *Poster.* l. 6 (5).

Ad secundum dicendum, quod id, quod dictum est, quod necesse est magis credere principiis, quam conclusioni, intelligendum est de illo, qui debet accipere disciplinam per demonstrationem; si enim aliunde nota esset conclusio, sicut per sensum, nihil prohiberet, principia non esse magis nota conclusione in via illa; et ob hanc rationem non dixit absolute Philosophus, credendum esse magis omnibus principiis, quam conclusioni, sed : omnibus, aut quibusdam. — *Ibidem.*

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur « propter quod unumquodque, et illud magis », veritatem habet, si intelligatur in his, quæ sunt unius ordinis, puta in uno genere causæ; puta si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter vitam, sequitur, quod vita sit magis desiderabilis. Si autem accipiantur ea, quæ sunt diversorum ordinum, non habet veritatem; ut si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam, non ideo sequitur, quod medicina sit magis desiderabilis, quia sanitas est in ordine finium, medicina autem in ordine efficientium. Sic igitur, si accipiamus duo, quorum utrumque sit in ordine objectorum cognitionis, illud, propter quod aliud cognoscitur, erit magis notum, sicut principia conclusionibus ; sed habitus non est de ordine objectorum, in quantum est habitus, nec propter habitum aliqua cognoscuntur sicut propter objectum cognitum, sed sicut propter dispositionem vel formam, qua cognoscens cognoscit; et ideo ratio non sequitur. — 1a, q. 87, a.2, ad 3 ; *Tabula Aurea* voce « propter » n. 5.

ARTICULUS IV

UTRUM PRÆMISSÆ DEMONSTRATIONIS SINT CAUSA EFFICIENS CONCLUSIONIS.

Videtur, quod præmissæ demonstrationis non sint causa efficiens conclusionis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text* 31; c. 3), quod præmissæ demonstrationis sunt causa ex qua, seu materialis conclusionis; sed causa materialis non coincidit cum efficiente, sed ab illa distinguitur, ut dicit Philosophus (2. *Poster. text.* 11; c. 11) : ergo præmissæ demonstrationis non sunt causa efficiens conclusionis. — 2. *Phys.* l. 11.

2. Præterea, præmissæ demonstrationis continent medium, et eo mediante sunt causa conclusionis; sed medium est ratio formalis cognoscendi conclusionem : ergo præmissæ demonstrationis non sunt causa efficiens, sed formalis conclusionis. — *de Carit.* q. 1, a. 13, ad 6; 1. *Poster.* l. 41 (39).

3. Præterea, ad scientiam, quæ est de conclusione, non requiritur alia causa efficiens, quam lumen, et species; sed neutrum est cognitio præmissarum : ergo hæc non est causa efficiens cognitionis conclusionis. — 1a, q. 117, a. 1. arg. 3; *de Verit.* q. 11, a, 1, arg. 14.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 31 ; c. 3), dicit propositiones esse causas conclusionis in genere causæ efficientis. — 2. *Phys*, l. 5; 1. *Poster.* l. 3 (2).

2. Præterea, præmissæ sunt causa conclusionis, quia tunc scimus, quando causas cognoscimus; sed non sunt causa materialis, quia materia inest ei, cujus est materia, propositiones autem sunt seorsum a conclusione; neque sunt causa formalis, ob eandem rationem, nam etiam hæc est causa intrinseca; neque finalis, sed potius contra, nam cognitio præmissarum ordinatur in demonstratione ad cognitionem conclusionis, unde et hæc dicitur esse effectus et finis demonstrationis : ergo sunt causa efficiens conclusionis. — 2. *Phys.* l. 5; 1. *Poster.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod propositiones sunt causa conclusionis; nam ob id continent principia propria illius, et de

bent esse notiores conclusione, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5 ; c. 2). Verum dupliciter possunt considerari propositiones : *uno modo* quantum ad terminos, seu ratione majoris et minoris extremitatis, et sic sunt materia conclusionis; nam ex terminis propositionum constituitur conclusio; iidem enim termini, qui sunt materia propositionum, sunt etiam materia conclusionis, licet non secundum quod stant sub ordine propositionum (sicut farina dicitur materia panis, licet non secundum quod stat sub forma farinæ); ideo tamen potius dicuntur propositiones materia conclusionis, quam e converso, quia termini, qui conjunguntur in conclusione, separatim ponuntur in præmissis. — *Altero modo* quantum ad vim illativam ipsarum propositionum et ratione medii, et sic reducuntur ad genus causæ efficientis; nam principium discursus rationis in conclusione est ex propositionibus, quod potest esse manifestum ex tribus. *Primo*, ex natura perfectionis acquisitæ; nam hujusmodi perfectio est in natura ipsius animæ in potentia non pure potentiali, sed etiam activa, qua aliquid est in causis seminalibus; sicut patet in virtutibus moralibus, quæ sunt in ipsa rectitudine rationis et ordine sicut in quodam principio seminali. Dicit enim Philosophus in 7. *Ethic.*, quod sunt quædam virtutes naturales, quæ sunt quasi semina virtutum moralium; et similiter omnis scientia acquisita est in cognitione primorum principiorum, quæ naturaliter vera sunt, sicut in principiis activis, ex quibus concludi potest. Unde sequitur, quod operationes animæ se habent ad perfectiones acquisitas, non solum per modum dispositionis, sed etiam principii activi. (2. *Phys.* l. 5; 1. *Poster.* l. 4, al. 3. — *Secundo*, ex similitudine, quam habet conclusio per ordinem ad præmissas cum effectu per ordinem ad causam efficientem. Sicut enim effectus antequam producatur in actu, præexistit in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse; ita similiter antequam ex principiis demonstrationis deducatur conclusio, in ipsis principiis præcognitis præcognoscitur conclusio virtute, non autem actu, sic enim in illis præexistit. (1. *Poster.* l. 3, al. 2). — *Tertio*, ex modo acquirendi scientiam. Hic enim est per duplicem discursum : *unum* secundum successionem unius post alterum, ex notis ad ignota procedentem; *alterum* secundum causalitatem activam per unum in alterum, quia scilicet ex uno noto devenitur in cognitionem ignoti, per vim nimirum illativam ex principiis conclusiones deducendo. — 1a, q. 14, a. 7, c. et q. 58, a. 3. c. et q. 117, a. 1, c; 3a, q. 11, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod præmissæ non sunt causa efficiens conclusionis per transmutationem et influxum, sed per illationem, quomodo sumptum efficiens potest coincidere cum causa materiali, et sic præmissæ vario modo consideratæ sunt causa materialis et effectiva conclusionis, ut dictum est. — 2. *Phys.* l. 5 ; v. supra q. 20, a. 3 et 5.

Ad secundum dicendum, quod medium et est ratio formalis sciendi, et est principium activum cognitionis conclusionis; non est autem absurdum, causam formalem coincidere cum efficiente, ut dicitur 2. *Phys. text.* 31; c; 3.

Ad tertium dicendum, quod, cum scientia sit ex illis effectibus, quæ partim ab interiori principio, partim ab exteriori proveniunt, variæ causæ illius assignantur; nam lumen intellectus est causa principalis scientiæ, magister vero docens est tantum sicut coadjuvans principale agens, quod est principium interius, confortando ipsum, in quantum proponit discipulo ordinem propositionum ad conclusionem, (qui forte per se ipsum non haberet tantam virtutem collativam, ut ex principiis posset conclusiones deducere), et ministrando instrumenta et auxilia, quibus utatur ad acquirendam scientiam; propositiones vero seu præmissæ sunt hujusmodi instrumenta et auxilia cognitionis conclusionis, nam ex his intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotæ; species vero intelligibilis est principium, quo formatur conceptio conclusionis, cujus signa sibi proponuntur exterius. — 1. *Poster.* l. 41 (39) et 22 (21); 2. *Phys.* 5 et 11; 1a, q. 117, a. 1, c. et ad arg.; *de Verit.* q. 11, a. 1, c.

ARTICULUS V

UTRUM MAJOR PROPOSITIO DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID SIT IN QUARTO MODO DICENDI PER SE, ET MINOR IN PRIMO.

Videtur quod major propositio demonstrationis propter quid non sit in quarto modo per se, nec minor in primo.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 9; c. 4), quod secundus modus per se est, quando subjectum est de definitione passionis; sed quod dicitur de subjecto, idem dicitur de definitione subjecti, nam secundum rem idem omnino sunt definitio et definitum, et ad invicem convertuntur : ergo major propositio demonstrationis, in qua de definitione subjecti prædicatur passio, erit in secundo modo, non in quarto. — 1. *Poster.* l. 10 (9); 1. *Sent.* dist. 25, q. 1, a. 1, ad 2; 3a, q. 60, a. 2, *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 9; c. 4), quod quæ neque primo, neque secundo modo sunt, sunt per accidens, et per consequens ex his, ut idem docet (*ibid. text.* 15; c. 6), non fit demonstratio; sed quartus modus distinguitur a primo et secundo : ergo major propositio demonstrationis non debet esse in quarto modo, sed tantum in primo vel secundo. — 1. *Poster.* l. 10 (9) et 23 (22).

3. Præterea, causæ ingredientes quartum modum sunt maxime causæ extrinsecæ, ut dictum est; sed solæ causæ extrinsecæ ingrediuntur demonstrationem; (nam medium demonstrationis, quod est causa passionis, est quod quid, ut ait Philosophus (2. *Poster. text.* 1; c. 2 et *text.* 8; c. 8); quod quid autem, ut idem docet (7. *Metaphys. text.* 2; l. 6, c. 1 et *text.* 59; c. 17) significat substantiam rei, quam solæ causæ intrinsecæ intrant, puta materia et forma, ut dicitur 1. *Phys. text.* 65 et 66; c. 7 : ergo major propositio demonstrationis non debet esse in quarto modo per se. — V. supra a. 1, c. huj. quæst.; 2. *Poster.* l. 1; 2. *Phys.* l. 5; 7. *Metaphys.* l. 1 et 17 (15).

Sed contra est, quod in majori propositione passio prædicatur de sua causa, et in minori definitio subjecti prædicatur de subjecto; sed illud pertinet ad quartum modum, hoc ad primum : ergo major propositio est in quarto modo. — 1. *Poster.* l. 10 (9) et 13 (12).

RESPONDEO DICENDUM, quod cum in demonstratione propter quid probetur passio de subjecto per medium, quod est definitio subjecti, oportet, quod *prima* propositio, cujus prædicatum est passio, et subjectum est definitio subjecti, quæ continet principia passionis, sit per se in quarto modo; ut enim dictum est, subjectum est causa efficiens propriæ passionis; *secunda* vero, cujus subjectum est ipsum subjectum propriæ passionis, et definitio subjecti est prædicatum, sit in primo modo; conclusio vero in secundo et in quarto. — *Ibid.*; v. supra q. 6, a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod quia definitio subjecti per se continet principia passionis, major propositio, in qua prædicatur passio de definitione subjecti, est per se in quarto modo, per accidens autem in secundo ratione subjecti, cum quo ejus definitio convertitur. — 1. *Poster.* l. 10 (9) et 13 (12).

Ad secundum dicendum, quod quartus modus realiter coincidit cum secundo; nam propria subjecta non solum ponuntur in definitione accidentium, sed etiam sunt causæ eorum; continet enim definitio subjecti, quæ cum subjecto convertitur, principia et causas passionum. — 1. *Poster.* l. 10 (9).

Ad tertium dicendum, quod metaphysice loquendo causæ extrinsecæ non ponuntur in definitione quidditativa rei; secus vero loquendo logice. —7. *Metaphys.* l. 13; v. infra q. 30, a. 2, c.

ARTICULUS VI

UTRUM MAJOR PROPOSITIO PRIUS TEMPORE, ET MINOR SIMUL TEMPORE COGNOSCATUR CUM CONCLUSIONE.

Videtur quod major propositio non prius tempore, nec minor simul tempore cognoscitur cum conclusione.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 37; c. 3), quod causa in actu est simul cum effectu in actu; sed major pro-

positio est causa conclusionis, ut dictum est; ergo major simul tempore cognoscitur cum conclusione. — 2. *Phys.* l. 6; 5. *Metaphys.* l. 2 (3).

2. Præterea, idem actus simplex simul tempore cadit supra objectum et rationem objecti, sicut eadem est visio coloris et luminis; sed major propositio ratione medii, quod includit, quod est ratio formalis objecti scientiæ est, ratio assentiendi conclusioni; ergo major propositio simul tempore cognoscitur cum conclusione. — V. supra q. 20, a. 2 et 3.

3. Præterea, impossibile est intellectum simul plura intelligere (dicit enim Philosophus 2. *Topic.* c. 4, quod intelligere est unum solum, scire vero multa); sed minor propositio et conclusio sunt plura objecta, sunt enim duæ enuntiationes : ergo minor propositio non simul intelligitur cum conclusione. — 1a, q. 85, a. 4.

4. Præterea, intellectus in quocumque syllogismo successive plura intelligit, et consequenter unum post aliud, (omnis enim syllogisticus discursus motum quemdam nominat, motus autem omnis est de uno priori in aliud posterius); sed minor propositio et conclusio intelliguntur in syllogismo : ergo intelliguntur successive et una post aliam, et consequenter non simul. — *Ibid.*; v. supra q. 20, a. 2, Sed contra arg. 1 et 2.

5. Præterea, sicut voluntas libera est circa quodcumque bonum particulare, ita ut possit libere operari vel non operari circa illud, ita et intellectus circa quodlibet particulare verum liber est per dependentiam a voluntate, ita ut ab illa possit applicari ad operandum circa illud, vel ab operatione diverti, vel suspendi, ut non statim, sed paulo post operetur (nam quodlibet verum particulare et operatio intellectus circa illud est etiam particulare bonum); sed voluntas circa particulare bonum est libera, ut possit nunc velle, vel nolle, vel actum suspendere, vel differre, et cum voluerit illum elicere circa tale objectum : ergo et liberum erit voluntati, posito assensu majoris et minoris, applicare intellectum vel statim vel paulo post ad assensum conclusionis, et sic minor propositio non simul tempore cognoscetur cum conclusione. — 1a 2æ, q. 9, a. 1, ad 3.

6. Præterea, potentia non est capax habitus, nisi in ordine ad objectum, circa quod potest operari libere, unde potentiæ naturales nullam habentes libertatem in suis operationibus non sunt capaces habitus; sed intellectus per assensum principiorum acquirit habitum intellectus, et per assensum conclusionis habito assensu principiorum acquirit habitum scientiæ : ergo habet aliquam libertatem in assensu principiorum, et illo habito assensum conclusionis poterit suspendere vel differre, ut non simul tempore cum assensu principiorum illum eliciat, et sic minor propositio non simul tempore cognoscetur cum conclusione. — 1a 2æ, q. 50, a. 1 et 3.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 2; c. 1) dicit, majorem propositionem prius tempore, minorem vero aliquando prius, aliquando simul tempore cognosci cum conclusione. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

Respondeo dicendum, quod cum aliquid sit prius altero et secundum tempus et secundum naturam, duplex hic ordo in præcognitione præmissarum considerandus est; nam in demonstratione *aliqua* propositio semper prius natura et tempore præcognoscitur quam conclusio; *aliqua* vero aliquando prius utroque modo, aliquando vero simul tempore, prius tamen natura. Cum enim ad conclusionem inferendam duæ propositiones requirantur, major scilicet et minor, scita propositione majore, nondum habetur cognitio conclusionis; quare major propositio præcognoscitur conclusioni non solum natura, sed etiam tempore; natura quidem, quia ejus termini sunt magis universales, et consequenter magis noti; tempore vero, quia prius scimus, medium inesse termino universaliori, quam minus universali. Rursum autem, si in minore propositione assumitur aliquod contentum sub universali propositione majori, de quo manifestum non sit, quod sub hoc universali contineatur, nondum habetur cognitio conclusionis, quia nondum erat certa veritas minoris propositionis; si autem in minore propositione assumatur terminus, de quo manifestum sit, quod contineatur sub universali in majori propositione, patet veritas minoris propositionis, quia id, quod

accipitur sub universali, cognoscitur sub illo contineri, et sic statim habetur cognitio conclusionis. Ut si sic demonstraret aliquis : omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, ista cognita, nondum habetur cognitio conclusionis; sed cum postea accipitur : hæc figura in semicirculo descripta est triangulus, statim scit, quod habet tres angulos æquales duobus rectis; si autem non esset manifestum, quod hæc figura in semicirculo descripta esset triangulus, nondum statim inducta assumptione sciretur conclusio, sed oportet ulterius aliquod medium quærere, per quod demonstraretur, hanc figuram esse triangulum. Potest autem hoc a simili probari in syllogismo practico, cum in hoc conveniat cum speculativo, ut docet Philosophus (7. *Ethic.* c. 3, al. 5); nam in practico, etiam posita opinione universali et particulari, statim sequitur conclusio; nisi quod in speculativo anima tantum dicit conclusionem, at in practico necesse est, quod, posita majori et minori, anima agat, si possit et nullum sit impedimentum intrinsecum. Unde manifestum est, quod major propositio prius tempore cognoscitur quam conclusio; minor vero aliquando prius, aliquando simul. — 1. *Poster.* l. 2 (1); *Opusc.* 48, tract. 7, c. 4; 7. *Ethic.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod causa naturalis et sufficiens in actu est simul cum effectu in actu, ut ædificans actu hoc ædificium est simul cum hoc ædificio, quod ædificatur; sed major propositio non est causa naturalis sufficiens; nam scita propositione majore, non habetur cognitio conclusionis; secus vero, si subsumatur minor propositio. — 2. *Phys.* l. 6; 5. *Metaphys.* l. 2 (3); 1. *Poster.* l. 2 (1).

Ad secundum dicendum, quod ratio formalis assentiendi est medium conjunctum cum prædicato et subjecto; nisi enim sub majori, in qua medium unitur prædicato, sumatur minor, in qua idem medium unitur subjecto, non poterit haberi cognitio conclusionis. — Vel dic, sicut supra q. 20, a. 2, ad 2; unde solvitur *tertium* et *quartum* objectum. — 1. *Poster.* l. 2 (1).

Ad quintum dicendum, quod sicut habitus intellectus non dependent a voluntate quoad sui generationem, ita nec assensus conclusionis, posito assensu præmissarum, ex quo gignitur habitus scientiæ, ad differentiam habituum et actuum virtutum moralium et vitiorum oppositorum, ut infra dicendum est; licet plerumque in potestate voluntatis sit, quod intellectus se applicet ad cogitandum hoc objectum potius quam illud. — V. infra q. 28, a. 3.

Ad sextum dicendum, quod habitus scientiæ generatur per actum necessariut um, ad differentiam habituum voluntatis, infra dicendum est. — *Ibidem.*

QUÆSTIO XXVI

DE MEDIO DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum medium demonstrationis propter quid sit definitio formalis passionis, an vero causalis, quæ est definitio subjecti.
2. Utrum omnia quatuor genera causarum sint apta media demonstrationis propter quid.

ARTICULUS I

UTRUM MEDIUM DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID SIT DEFINITIO FORMALIS PASSIONIS, AN VERO CAUSALIS, QUÆ EST DEFINITIO SUBJECTI.

Videtur quod medium demonstrationis propter quid sit definitio formalis passionis, non autem causalis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster. text.* 1; c. 1), quod quando quæritur aliquid de subjecto, ut eclipsis de luna, quæritur propter quid eclipsis seu quid illius, ac proinde medium in tali demonstratione est privatio luminis in luna; sed hæc est definitio formalis, non autem causalis passionis : ergo medium demonstrationis propter quid est definitio formalis passionis, non autem causalis. — 2. *Poster.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *Poster. text.* 8; c. 8), quod medium in demonstratione est ratio primi termini seu majoris extremi; sed talis ratio est definitio formalis passionis : ergo hæc est medium. — 2. *Poster.* l. 7.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *Po-*

ster. text. 1 et 8; c. 2 et 8), quod idem est propter quid, et quid rei; sed in demonstratione propter quid medium est id, propter quod inest passio subjecto, ut Philosophus docet ibidem : ergo in demonstratione propter quid medium est quid passionis, et consequenter definitio formalis, non causalis; quid enim rei significat substantiam illius, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 2 et 59; l. 6, c. 1 et 17. — 2. *Poster.* l. 1 et 7; 7. *Metaphys.* l. 1 et 17 (15).

4. Præterea, demonstratio propter quid debet procedere per causam propriam et immediatam, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 5 et 23; c. 2 et 9); sed causa propria et immediata passionis non est definitio subjecti, sed passionis, ut patet exemplis Philosophi 2. *Poster. text.* 8; c. 8: ergo definito formalis passionis est medium demonstrationis propter quid. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 17 (16); 2. *Poster.* l. 7.

5. Præterea, si medium demonstrationis esset definitio subjecti, committeretur fallacia petitionis principii (ut si quis ad probandum, quod homo currit, sic argueret : animal rationale currit; homo est animal rationale : ergo), ut docet Philosophus (2. *Prior.* c. 8), et per consequens talis syllogismus esset sophisticus; sed demonstratio propter quid non est talis syllogismus; ergo medium illius non est definitio subjecti, sed formalis ipsius passionis. — *Opusc.* 39.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (8. *Metaphys. text.* 13; l. 7, c. 4) dicit, quod definitio formalis passionis non manifestat passionem de subjecto, nisi sit conjuncta cum causa passionis, quæ est definitio subjecti; sed medium demonstrationis est manifestativum passionis de subjecto, ut docet Philosophus (2. *Poster. text.* 8; c. 8) : ergo medium demonstrationis est definitio subjecti. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 2. *Poster.* l. 7.

2. Præterea, (1. *Poster. text.* 24; c. 10) dicit Philosophus, quod propria principia scientiæ cujuslibet sunt definitio subjecti et passionis : ergo. — 1. *Poster.* l. 17.

Respondeo dicendum, quod necesse est medium domonstrationis propter quid esse definitionem subjecti, vel definitionem passionis conjunctam cum definitione subjecti. Demonstratio enim debet resolvere in primam causam passionis, hæc autem est subjectum, et consequenter ejus definitio, quæ continet principia passionis, ut dictum est (supra q. 21, a. 5, c.); unde Philosophus 4. *Phys. text.* 31; c. 4 dicit, definiendum esse locum, quia ex ejus definitione tanquam causa proprietatum loci poterunt illæ de loco demonstrari, et 2. *de Anima text.* 12; c. 2 vanam, inquit, et dialecticam esse definitionem illam rei, quæ ejus accidentia eorumque causam non declarat; cujus ratio est, quia proprietates fluunt ab essentia subjecti, tamquam a causa propria effectiva. (*Opusc.* 38; 1. *Poster.* l. 2, al. 1 et 10, al. 9; 2. *Poster.* l. 1, 7, 19; 4. *Phys.* l. 5; 1a, q. 77, a. 6, ad 3; *de Verit.* q. 2, a. 7, c.). *Præterea*, sicut passio est demonstrabilis de subjecto, ita et definitio passionis, cum definitio et definitum realiter idem sint et ad invicem convertantur, ut dictum est (supra q. 25, a. 5, arg. 1); non potest autem definitio formalis passionis demonstrari de subjecto per definitionem passionis itidem formalem, nam idem demonstraretur per idem, quare debet demonstrari per definitionem subjecti. — *Deinde*, necessario præcognoscendum est quid est tam de subjecto, quam de passione; at hoc non oporteret, nisi definitio passionis concluderetur de subjecto per definitionem subjecti, ut patet per hoc exemplum. Si enim velimus de triangulo demonstrare, quod habet tres angulos æquales duobus rectis, et accipiamus primo pro medio definitionem passionis, puta quod est figura habens angulum extrinsecum æqualem duobus intrinsecis, sibi oppositis; rursum poterimus talem definitionem demonstrare de triangulo per definitionem subjecti, sic : Omnis figura tribus lineis rectis contenta habet angulum exteriorem æqualem intrinsecis sibi oppositis; sed triangulus est hujusmodi : ergo. — *Demum*, medium demonstrationis propter quid est, de quo, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 59; l. 6, c. 17) non quæritur per quæstionem propter quid, sed in ipsum reducitur propter quid aliorum; at de quod quid subjecti non quæritur propter quid (non enim quæritur propter quid homo est homo, vel animal rationale), quæri autem potest de definitione formali passionis, puta propter quid homo est ri-

sibilis vel aptus ad ridendum : ergo dicendum est, quod demonstrationis medium vel est definitio subjecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subjecti. — 7. *Metaphys.* l. 12 et 17 (15).

Ad primum ergo dicendum, quod demonstratio per definitionem formalem passionis non est perfecta; nam perfici debet per definitionem subjecti, ut dictum est. — 2. *Poster.* l. 1 et ll. cit supra in c.

Ad secundum dicendum, quod demonstratio, in qua medium est ratio definitiva passionis, non est perfecta; nam si oporteat accipere aliquod aliud medium ad hoc demonstrandum, hoc assumetur ex reliquis rationibus, id est ex definitione minoris extremitatis et aliarum causarum extrinsecarum; cum enim subjectum sit causa passionis, necesse est, quod definitio passionis demonstretur per definitionem subjecti. Et sic patet *ad tertium* objectum. — 2. *Poster.* l. 2 et 7.

Ad quartum dicendum, quod causa immediata est illa, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quæ non potest per aliud medium probari; eiusmodi autem non est definitio formalis passionis, sed subjecti, ut dictum est. — 1. *Poster.* l. 5 (4) et 7 (6); ll cit. supra in c.

Ad quintum dicendum, quod in demonstratione, qua per definitionem subjecti probatur passio de subjecto, tunc petitur principium, quando sumuntur propositiones continentes talem definitionem, ut petitæ; nam tunc non est demonstratio ex notioribus contra Philosophum; non autem petitur principium, quando sumuntur tales propositiones non ut petitæ, sed ut magis notæ. — *Opusc.* 39, c. de petit. princ.

ARTICULUS II

UTRUM OMNIA QUATUOR GENERA CAUSARUM SINT APTA MEDIA DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID.

Videtur quod non omnia quatuor genera causarum sint apta media demonstrationis propter quid.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 29; c. 12), quod in demonstrationibus non assumantur plura media, sed unum tantum ad conclusionem demonstrandam; sed medium in demonstratione est causa passionis, ut dicitur 2. *Poster. text.* 1; c. 2 : ergo in demonstratione non possunt omnes quatuor causæ esse medium, — 1. *Poster.* l. 22 (21); 2. *Poster.* l. 1.

2. Præterea, in demonstratione assumitur definitio pro medio, ut dicitur 2. *Poster. text.* 2; c. 3; sed unius rei est una definitio : ergo et unum medium; medium autem est causa passionis, ut dictum est : ergo in demonstratione una tantum causa, et non omnes quatuor possunt esse medium. — 2. *Poster.* l. 2; 1. *Sent.* dist. 1, in exposit. *text.*; 3. *Metaphys.* l. 8.

3. Præterea, demonstratio debet esse ex notioribus, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; sed materia ignota est, est enim quid infinitum et indeterminatum, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 40; l. 6, c. 11 : ergo materia non potest esse medium in demonstratione. — 1. *Poster.* l. 4 (3); 7. *Metaphys.* l. 11.

4. Præterea, demonstratio debet procedere ex causis, propter quas res est, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; sed cum materia non habeat esse ex se, sed illud recipiat a forma, non potest dare esse rei; ergo materia non potest esse medium in demonstratione. — 1. *Poster.* l. 4 (3); 7. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 10.

5. Præterea, tunc maxime arbitramur scire unumquodque per demonstrationem, cum scimus propter quid, seu quid est illius, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 27; c. 3); sed quid est, ut dicitur ibidem et 7. *Metaphys. text.* 2 et 56; l. 6, c 1 et 17, significat substantiam rei, quam non constituunt causæ extrinsecæ, sed intrinsecæ : ergo causæ extrinsecæ non sunt media apta demonstrationis. — 2. *Phys.* l. 5; 1. *de Anima* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 1 et 17 (15).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Poster. text.* 11; c. 11) dicit, quod omnes quatuor causæ possunt esse medium demonstrationis. — 2. *Poster.* l. 9.

2. Præterea, Physica est vera et perfecta scientia, ut dicitur 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7; sed Physica demonstrat per omnes quatuor causas, ut dicit Philoso-

phus 1. *Phys. text.* 1; c. 1, et 2. *Phys. text.* 70; c. 7) : ergo omnes quatuor causæ possunt esse medium demonstrationis. — 11. *Metaphys.* l. 7; 1. *Phys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 11.

RESPONDEO DICENDUM, quod omnes quatuor causæ possunt esse medium, tum ad demonstrandas res diversas, tum ad eamdem (2. *Poster.* l. 9). — Et ad diversas quidem manifestum est ; nam causa *materialis* potest sic assumi in demonstratione, si dicatur : omne compositum ex contrariis est corruptibile; lapis est hujusmodi : ergo. *Formalis* vero sic : omne rationale est risibile; homo est rationalis : ergo est risibilis. *Efficiens* sic : qui injurias aliis intulerunt, merito ab illis sunt debellati ; sed Athenienses injurias intulerunt Medis : ergo merito ab illis fuerunt debellati. *Finalis* sic : non eminere cibos in ore stomachi est esse sanum ; sed deambulare post cœnam facit non eminere cibos in ore stomachi : ergo facit esse sanum. Et ratio est, quia id potest esse medium demonstrationis, per quod responderi potest ad interrogationem factam : propter quid? quomodo probat Philosophus (2. *Phys. text.* 72; c. 7), Physicam per omnes causas demonstrare; sed quodlibet genus causæ est hujusmodi : ergo. (2. *Phys.* l. 11) — Ad eamdem vero rem demonstrandam pro medio assumi itidem posse omnes quatuor causas, manifestum etiam est; nam medium in demonstratione perfecta propter quid est perfecta definitio rei, quæ una est cujuslibet rei, et complectitur omnes quatuor causas, ut patet in rebus naturalibus, ut ostendit Philosophus 2. *Phys. text.* 70 ; c. 7 : ergo dicendum est, omnes quatuor causas posse esse medium in demonstratione propter quid. — 2. *Phys.* l. 5 ; 1. *Sent.* dist. 1, in exposit. textus; *Tabula Aurea* voce « diffinitio » n. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod in demonstrationibus non assumuntur plura media, quæ sint causæ primæ et immediatæ in eodem genere; ejusdem enim effectus esse plures causas per se ejusdem generis impossibile est, licet possint esse plures in eodem genere subordinatæ, ut dicit Philosophus 5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2. — 5. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 5; 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, ad 4; 1a, q. 52, a. 3, c.

Ad secundum dicendum, quod unius rei est una definitio perfecta comprehendens omnes quatuor causas. — 2. *Phys.* l. 5; 1. *Sent.* dist. 1, in exposit. textus.

Ad tertium dicendum, quod materia individualis est quid infinitum et indeterminatum, et per consequens non pertinet ad quod quid rei, nec ingreditur compositi definitionem; secus vero materia simpliciter seu specifice sumpta. — 7. *Metaphys.* l. 11.

Ad quartum dicendum, quod licet sola forma det ipsi materiæ et composito esse in actu, materia tamen, sicut et reliquæ causæ, dant composito, quod de potentia ens sit actu ens. — 2. *Phys.* l. 10.

Ad quintum dictum est (supra in c. et q. 25, a. 5, ad 3).

QUÆSTIO XXVII

DE CONCLUSIONE DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID.

Deinde considerandum est de conclusione demonstrationis propter quid.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum conclusio demonstrationis propter quid sit in quarto modo per se.
2. Utrum conclusio sit tota essentia demonstrationis propter quid, seu syllogismi.

ARTICULUS I

UTRUM CONCLUSIO DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID SIT IN QUARTO MODO PER SE.

Videtur quod conclusio demonstrationis propter quid non sit in quarto modo per se.

1. Ponit enim Philosophus quartum modum ut distinctum a secundo, ut patet 1. *Poster. text.* 9; c. 4; sed conclusio demonstrationis propter quid est in secundo modo, nam in illa de subjecto, quod est de definitione passionis, prædicatur passio : ergo conclusio non est in quarto modo per se. — 1. *Poster.* l. 10 (9) et 13 (12).

2. Præterea, materia contradistingui-

tur et non coincidit cum efficiente, ut dicitur 2. *Phys. text.* 70; c. 7; sed subjectum conclusionis est materialis causa passionis, quæ in conclusione de subjecto prædicatur: ergo non est causa efficiens illius, et per consequens conclusio est in quarto modo. — 2. *Phys.* l. 11; 1a, q. 77, a. 6, ad 2.

3. Præterea, cum nihil moveat seipsum, non potest subjectum esse causa efficiens vel per transmutationem, vel per emanationem suarum passionum (nam etiam emanatio quemdam motum importat et nominat), sed non alia ratione dicitur esse conclusio in quarto modo, quam quia subjectum est causa efficiens passionum: ergo conclusio non est in quarto modo, sed tantum in secundo. — 1a, q. 77, a. 6, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Poster. text.* 10; c, 4 dicit, conclusionem demonstrationis propter quid esse in secundo et quarto modo. — 1. *Poster.* l. 10 (9).

Respondeo dicendum, quod conclusio includit duplicem modum dicendi per se, scilicet secundum et quartum; secundum quidem, quia subjectum, de quo prædicatur passio in conclusione, est de definitione passionis; quartum vero, quia subjectum est causa activa passionum, ut dictum est, — 1. *Poster.* l. 10 (9) et 13 (12); v. supra q. 6, a. 2 et q. 25, a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod conclusio est in secundo et quarto modo, quia subjectum, quod est de definitione passionis, est principium activum illius. — *Ibidem.*

Ad secundum dicendum, quod subjectum et est causa materialis et principium activum passionis per emanationem, non autem per transmutationem; non implicat autem, coincidere causam materialem cum tali principio activo. — 1a, q. 77, a, 6, ad 2 et 3.

Ad tertium dicendum, quod emanatio propriorum accidentium a subjecto non est per aliquam transmutationem, sed per naturalem resultantiam, sicut ex uno naturaliter resultat aliud, ut ex luce color. — *Ibidem* ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM CONCLUSIO SIT TOTA ESSENTIA SYLLOGISMI.

Videtur quod conclusio sit tota essentia syllogismi.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Anima text.* 48; c. 3), quod ratiocinatio est similis quieti et statui; at ratiocinatio, et per consequens syllogismus esset similis motui, si includeret in sua essentia cognitionem præmissarum, cum illa, ut dictum est, antecedat tempore cognitionem conclusionis: ergo conclusio est tota essentia syllogismi. — 1. *de Anima* l. 8; 7. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, scientia tantum est conclusionis, ut dicit Philosophus 2. *Poster. text.* 27; c. 19; sed ut idem docet eodem libro *text.* 26; c. 18, idem est scientia demonstrativa et demonstratio: ergo sola conclusio est essentia demonstrationis, et per consequens syllogismi. — 1. *Poster.* l. 7 (6); 2. *Poster.* l. 19 et 20.

3. Præterea, omnis doctrina et disciplina discursiva et consequenter demonstrativa fit ex præexistenti cognitione, ut dicit Philosophus (1. *Poster.* initio); sed sola conclusio fit ex præexistenti cognitione præmissarum, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2: ergo sola conclusio est doctrina demonstrativa, atque adeo essentia syllogismi. — 1. *Poster.* l. 1 et 4 (3).

Sed contra est, quod in eo, quod facit scientiam conclusionis, consistit essentia demonstrationis, atque adeo syllogismi; nam scientia est effectus demonstrationis, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2); sed scientiam conclusionis gignunt præmissæ, ut dictum est (supra q. 25, a. 4): ergo non sola conclusio est de essentia demonstrationis et syllogismi. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

Respondeo dicendum, quod syllogismus demonstrativus duobus modis potest accipi: *uno modo* pro solo antecedente; nam ratione illius ei competit efficere scientiam, ut dictum est, et hoc modo sumitur syllogismus demonstrativus seu demonstratio a Philosopho 1. *Poster. text.* 5; c. 2, ubi demonstrationem definit, quod sit syllogismus faciens scire; effectus enim

debet distingui a sua causa efficiente, cum hæc sit extra essentiam illius. (1. *Poster.* l. 4, al. 3; 1. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 1, c.) — *Altero modo* pro antecedente et consequente simul; nam ratione utriusque syllogismus, quod est genus demonstrationis, definitur a Philosopho; oratio, in qua quibusdam positis aliud quid a positis necesse est contingere. In qua definitione ponitur tam antecedens, quam consequens de essentia syllogismi, nisi quod antecedens ponitur tanquam pars materialis et activa consequentis, consequens vero dicitur pars formalis; nam materia ordinatur ad formam tanquam ad finem, et utrumque comparatur ad syllogismum demonstrativum, sicut materia ad formam, nam omnes partes comparantur ad totum, ut imperfectum ad perfectum. Quoniam vero consideratio partium rei in ordine ad totum est longe perfectior, quam consideratio earumdem ad invicem (nam omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam; partes enim sunt quasi materia totius, et bonum totius, est finis cujuslibet partium ejus), ideo simpliciter dicendum est, quod essentia syllogismi consistit in præmissis et conclusione simul, ut dictum est. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 84; v. supra q. 20, a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ratiocinatio dicitur similis statui et quieti, non autem motui, sumendo motum sive corporis sive partis sensitivæ, non autem motum spiritualem intellectus; nam ille motus est in causa, cur pueri discendo et judicando sint ineptiores senibus, ut dicit Philosophus 7. *Phys. text.* 20; c. 3. — 7. *Phys.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod a Philosopho dicitur esse idem scientia demonstrativa et demonstratio, quia agere de syllogismo et demonstratione quid sit, et quomodo utrumque fiat, et quomodo fiat scientia demonstrativa in nobis, ad idem pertinet, quia demonstratio est syllogismus faciens scire. (2. *Poster.* l. 19) — Vel dic quod, sicut dici potest, et eumdem esse habitum conclusionis et præmissarum, quatenus unus habitus est ratio alterius, et esse diversum, secundum quod accipiuntur conclusio et præmissæ secundum se, (nam harum habitus dicitur intellectus, illius vero scientia); ita potest dici, quod scientia et demonstratio *sunt idem*, quatenus demonstratio continet id, quod est ratio assentiendi, et conclusio id, cui assentimur, fit autem unum quid ex ratione cognoscendi et cognito, sicut ex materia et forma, ut dictum est (supra q. 20, a. 2, ad 2); et quod *non sunt idem*, si sumatur demonstratio vel pro solo antecedente, ut manifestum est, vel etiam pro aggregato ex antecedente et consequente. Nam tunc distinguitur scientia et demonstratio, quod *hæc* in recto dicit utrumque tamquam partes materiales sui, ut dictum est; nam demonstratio, sicut et syllogismus, ut dictum est, nominat discursum atque adeo motum animi, motus autem in sui ratione partes priores et posteriores involvit, cujusmodi sunt respectu syllogismi antecedens et consequens; *illa* vero in recto dicit tantum cognitionem conclusionis, et connotat cognitionem principiorum seu præmissarum tamquam rationem assentiendi. — 1a 2æ, q. 57, a. 2, ad 2; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 4, ad 6; 1. *Poster.* l. 7 (6); 2. *Poster.* l. 20.

Ad tertium dicendum, quod ideo omnis discursiva doctrina fit ex præexistenti cognitione, quia in tali doctrina et termini simplices præcognoscendi sunt, et antequam inducatur conclusio, præcognoscendæ sunt præmissæ, et ipsæ præmissæ, cum sint immediata principia, cognoscuntur per cognitionem propriorum terminorum. — 1. *Poster.* l. 2 (1) et 7 (6).

QUÆSTIO XXVIII

DE EXISTENTIA SCIENTIÆ

Consequenter considerandum est de scientia, quæ est effectus demonstrationis, et primo secundum considerationem absolutam, et deinde secundum comparativam. Oportet autem absolute considerare *primo* existentiam scientiæ; *secundo* essentiam; *tertio* proprietates; *quarto* varias divisiones: nam quæstio *quid est* simpliciter supponit quæstionem *an est*; divisio autem supponit cognitionem ejus, quod dividitur, sive illud sit genus dividendum in species, sive subjectum in accidentia.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum sit aliqua scientia actualis de rebus.
2. Utrum scientia actualis fiat in nobis per syllogismum, seu per aliquam scientiam in nobis præexistentem a sensibus acceptam.
3. Utrum necessarium sit esse habitum scientiæ.
4. Utrum per unum actum generari possit habitus scientiæ.

ARTICULUS I

UTRUM SIT ALIQUA SCIENTIA ACTUALIS DE REBUS.

Videtur quod non sit aliqua scientia actualis de rebus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod scire est per demonstrationem intelligere; sed hoc posito sequitur, non dari scientiam actualem de rebus; nam principia demonstrationis vel procedunt in infinitum, vel est status in illis; si proceditur in infinitum, non est in eis accipere principia, quia infinita non est pertransire, ut ad prima veniatur, quibus ignoratis necesse est ignorari postrema; si autem statur in principiis, oportet, quod principia nesciantur, nam principia non habent aliqua priora, per quæ demonstrentur; si autem principia ignorantur, oportet iterum posteriora non scire simpliciter, nec proprie, sed solum sub hac conditione, si principia sint. Non enim potest aliquid per aliquod ignotum cognosci, nisi sub hac conditione, si illud principium, quod est ignotum, sit : ergo sive sit processus in infinitum in principiis, sive non, nullius rei potest dari actualis scientia. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 7 (6).

2. Præterea, non est possibile, quod de aliquo sciatur quid est, nisi cognoscatur ejus differentia ad omnia alia (id enim, a quo aliquid non differt, est idem ei; illud autem, a quo differt, est alterum ab ipso); sed non potest cognosci differentia alicujus ad omnia entia, nisi omnia alia cognoscamus : ergo non potest haberi scientia actualis de re, nisi simul habeamus de aliis omnibus; sed hoc est impossibile, ergo et illud, et per consequens non potest dari scientia actualis ullius rei. — 2. *Poster.* l. 15.

3. Præterea, scientia est necessariorum, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2, et 6. *Ethic.* c. 6 ; sed res fere omnes cum sint sensibiles, sunt mobiles, et non eodem modo se habentes : ergo saltem de rebus sensibilibus non datur actualis scientia. — 1. *Poster.* l. 4 (3) ; 6. *Ethic.* l. 3, 5 6; 1a, q. 84, a. 1, arg. 3.

4. Præterea, principium scientiæ, sicut et cujuslibet intellectionis, est sensus, ut probat Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1, et 2. *Poster. text.* 27; c. 19); sed a sensibus non potest haberi sincera veritas, cum phantasia aliquando fallatur, ut dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 24; l. 3, c. 5), et aliquando etiam sensus exteriores, cum interdum aliter apprehendant, quam res sit : ergo idem quod prius. — 1a, q. 84, a. 6; *de Verit.* q. 1, a. 11, c. et arg. 3 *Sed contra.*

5. Præterea, sicut se habet sensus ad intelligibilia, ita intellectus ad sensibilia; sed anima per sensum nullo modo cognoscere potest spiritualia, quæ sunt intelligibilia : ergo nullo modo per intellectum potest cognoscere corpora, quæ sunt sensibilia : ergo saltem de corporibus et sensibilibus non potest dari actualis scientia. — 1a, q. 84, a. 1, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 1; c. 1) ex eo, quod datur scientia, tamquam ex fine probat necessitatem syllogismi demonstrativi, necessitas enim rei ordinatæ ad finem sumitur ex fine : ergo datur scientia actualis de rebus. 1. *Poster.* l. 1.

2. Præterea, processus rationis imitatur processum naturæ; sed natura tripliciter procedit, in aliquibus ut in paucioribus, in aliquibus vero ut in pluribus, in aliis necessario : ergo similiter processus rationis erit triplex : *unus*, in quo ratio deficit a vero propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum; *secundus*, in quo in pluribus verum concluditur, non tamen necessitatem habet; *tertius* vero necessitatem inducens, in quo non est possibile, esse veritatis defectum, et consequenter gignens actualem scientiam de rebus. — *Ibidem.*

RESPONDEO DICENDUM, quod circa hanc quæstionem duplex est antiquorum philosophorum opinio. *Prior* est negantium, dari certam cognitionem et scientiam de rebus; qui tamen in hac sua positione di-

verso fundamento processerunt. *Quidam* enim, ut Anaxagoras et alii, propterea scientiam negabant, quia dicebant, ut ait Philosophus (4. *Metaphys. text.* 19; l. 3, c. 5), contradictoria esse simul vera, cum tamen scientia, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2, sit acceptio determinatæ partis, quia nimirum demonstratio, cujus est effectus, non habet viam, nisi ad verum demonstrandum, quod uni tantum parti contradictionis inest. In eam vero opinionem ex sola dubitatione, ut inquit Philosophus ibidem, prædicti philosophi inciderunt, quod scilicet solvere nesciebant sophisticam quamdam rationem, ex qua talis positio sequi illis videbatur. Cum enim ex aliquo uno viderent fieri contraria, ut aerem, qui est calidus, ex aqua frigida, et terram, quæ est frigida, et omne quod fit, fieri dicerent ex prius existente, (quod enim non est, non contingit fieri, cum ex nihilo nihil fiat), inde colligebant oportere, quod res fuerit simul in se habens contradictionem; quia si ex uno et eodem fit calidum et frigidum, per consequens fit calidum et non calidum. Duobus autem modis solvitur hæc ratio a Philosopho, unde falsitatis prædictam positionem arguit : *uno modo* dicens, quidquid fit, fieri quidem ex prius existente, sed in potentia, non autem in actu, et sic non sequi in eodem esse contradictoria; *altero modo* solvit, dicens, quod saltem datur aliqua substantia ingenerabilis et incorruptibilis, in qua non sunt contraria, et de qua potest esse scientia. — 4. *Metaphys.* l. 10 (3); 1. *Poster.* l. 5 (4).

Alii vero apud eumdem Philosophum (4. *Metaphys. text.* 21 ; l. 3, c. 5) ut Empedocles, Democritus, et alii, non ponentes aliam viam cognoscitivam præter sensum, neque aliqua entia præter sensibilia, similiter dixerunt, nullam certitudinem de veritate rerum a nobis haberi posse nullamque scientiam, et hoc propter duo : *Primo* quidem, quia ponebant sensibilia semper in fluxu; quod vero est in continuo fluxu, prius labitur, quam mente dijudicetur; sicut Heraclitus dixit, quod non est possibile, aquam fluvii currentis bis tangere, vel hominem bis de eadem re loqui, imo nec semel, et quod non sunt res verbis ostendendæ, sed digito, ut dixit Cratylus, quod nimirum veritas dicenda prius transiret, quam oratio illam explicans finiretur, breviori vero spatio digitus moveretur. *Secundo*, quia inveniuntur circa idem aliqui diversimode judicantes, sicut aliter vigilans, aliter dormiens, et aliter infirmus, et aliter sanus; nec potest aliquid accipi, quo discernatur, quis horum verius existimet, cum quilibet aliquam similitudinem veritatis habeat; unde concludebant, id esse verum, quod cuilibet apparet. — Verum et hæc positio falsa est; falsum enim est, idem esse sensum et intellectum, et in sensibilibus nihil esse determinatum; licet enim in illis multum sit de natura indeterminata, quia in eis est materia, quæ quantum est de se, indeterminate se habet ad multas formas, unde non mirum, si non determinatam cognitionem ingerit sensibus, sed huic sic, et alteri aliter, — quia tamen per formam determinatur ad unum modum essendi, et res per suam formam magis, quam per materiam cognoscitur, non est dicendum, quod non possit haberi de rebus aliqua certa cognitio; præterquam quod præter sensibilia corruptibilia dantur etiam aliqua sensibilia incorruptibilia, de quibus potest esse scientia, et sic solvitur horum philosophorum fundamentum a Philosopho l. c., ubi fusius etiam eorum positionem refellit. — 4. *Metaphys.* l. 11 et 12 (al. 3); *de Spirit. Creat.* a. 10, ad 8; 1a, q. 84, a. 2; 3. *de Anima* l. 4; 1. *Poster.* l. 4 (3).

Est ergo *posterior* opinio vera aliorum dicentium, posse dari certam cognitionem et scientiam de rebus; quamquam hi ita diverso fundamento nituntur, ut nonnulli positionem suam minus verisimilem reddant, quam sit prior jam confutata. Nam *quidam* admittunt, dari scientiam de rebus, sed illam dicunt consistere in ipsa perceptione sensus, quæ opinio pertinere videtur etiam ad illos, qui non ponunt intellectum differre a sensu; quos refellit Philosophus (1. *Poster. text.* 43; c. 31) duabus potissimum rationibus : quod nimirum sensus singularium est, scientia vero universalium; et quod scientia sit honorabilior sensu, cum sit cognitio per universalem rationem, quam nequit sensus apprehendere. — 1. *Poster.* l. 42 (40).

Alii vero, ut Epicharmus, ut docet Phi-

losophus (4. *Metaphys. text.* 22; l. 3, c. 5), scientiam rerum ideo admittebat, quia existimabat, omnia esse immobilia et necessaria, quod fundamentum, inquit Philosophus, ex eo falsum esse manifeste constat, quod licet cœlestia corpora sint immobilia, nisi quantum ad motum localem, sublunaria tamen omnia sunt generationi et corruptioni obnoxia, atque adeo aliter et aliter se habentia. — 4. *Metaphys.* l. 12 et 13 (al. 3).

Alii vero ut dicitur 1. *Poster. text.* 6; c. 3, scientiam de rebus admittebant, quod putabant, omne scire esse per demonstrationem, et omnia posse ad invicem demonstrari circulariter. Quod utrumque dictum falsum esse probat Philosophus ibidem. Et *primum* quidem, quia necesse est aliqua certo sciri per demonstrationem, ut conclusiones, aliqua sine demonstratione, ut principia immediata, ut patet; nam necesse est scire priora, ex quibus est demonstratio; sed hoc contingit aliquando reducere ad immediata, (alioqui dicendum esset, inter duo extrema, subjectum scilicet et prædicatum, esse infinita media in actu, et præterea non esse aliqua duo accipere, inter quæ non essent media infinita); at immediata cum sint priora, oportet esse indemonstrabilia; ergo necesse est, aliquorum haberi scientiam sine demonstratione. *Secundum* vero patet ex tribus absurdis, quae inde sequerentur: sequeretur enim *primo*, idem esse prius et posterius, notius et ignotius respectu unius et ejusdem; *secundo*, idem probari per idem; *tertio*, cum demonstratio circularis tantum admitti possit in terminis convertibilibus, omnia ad se invicem converti, sicut propria, quod est manifeste falsum. — 1. *Poster.* l. 7 (6) et 8 (7).

Alii vero, ut Plato, ut posset salvare, certam cognitionem veritatis de aliquibus saltem rebus a nobis per intellectum haberi, consentiens antiquis philosophis in hoc, quod sensibilia semper sunt in motu et in fluxu, et quod sensus circa sensibilia non habet certum judicium de rebus, posuit quidem ex una parte in homine virtutem cognoscitivam supra sensum, scilicet mentem, vel intellectum illustratum a quodam superiore sole intelligibili, sicut illustratur visus a sole visibili; ex alia vero parte posuit præter ista corporalia aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat species sive ideas, per quarum participationem unumquodque ipsorum singularium et sensibilium dicitur homo, vel equus, vel aliquid hujusmodi; et de his entibus separatis dicebat esse scientias et definitiones, non autem de corporibus sensibilibus, ita ut anima non intelligat ista corporalia, sed horum corporalium species separatas. — Sed hæc positio a Philosopho (1. et 7. (6) *Metaphys.*) sufficienter refutata est, ubi ostendit, quod non est ponere formas sensibilium rerum, nisi in materia sensibili, cum etiam nec sine materia sensibili in universali formæ universales intelligi possint, sicut nec simus sine naso; alioqui cum illæ species sint immateriales et immobiles, excluditur a scientiis cognitio motus et materiæ, quod est proprium scientiæ naturalis, et demonstratio per causas moventes et materiales; præter quam quod derisibile videtur, ut dum rerum, quæ nobis manifestæ sunt, notitiam quærimus, alia entia in medium afferamus, quæ non possunt esse eorum substantiæ, cum ab eis differant secundum esse, et sic illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus. — *de Spirit. Creat.* a. 10, ad 8; 1a, q. 84, a. 1, 3, 4, 6, c.; *de Verit.* q. 10, a. 6, c.; 1. *Poster.* l. 16 (15); 1. *Metaphys.* l. 14 (9).

Aristoteles autem, cujus sententiam omnes alii philosophi sequuntur, per aliam viam processit, ut patet 1. *Poster.*, et 4. *Metaphys. text.* 22; l. 3, c. 5. *Primo* enim multipliciter ostendit, in sensibilibus esse aliquid stabile; nam in illis sunt quædam rationes immobiles et necessariæ, de quibus est immediate scientia; et quod licet ista sensibilia corruptibilia sint in particulari, tamen in universali quamdam sempiternitatem habent, et quod hoc modo de illis est demonstratio et scientia. (1. *Poster.* l. 16, al. 15; *Opusc.* 70, q. 5, a. 2; 1a, q. 84, a. 1, ad 3 et q. 86, a. 3, c.; 6. *Ethic.* l. 3) — *Secundo*, quod judicium sensus verum est de sensibilibus propriis, sed decipitur circa sensibilia communia, magis autem circa sensibilia per accidens. *Tertio*, quod supra sensum est virtus intel-

lectiva, quæ judicat de veritate, non per aliqua intelligibilia extra existentia, sed per lumen intellectus agentis quod facit intelligibilia *de Spirit. Creat.* a. 10, ad 8. — *Quarto*, quod præter substantias corruptibiles et mutabiles sunt aliæ incorruptibiles et immobiles, nisi quantum ad motum localem, de quibus potest esse scientia. 4. *Metaphys.* l. 13, al. 3) — *Quinto*, quod non omnium est demonstratio, sed quod principia immediata sciuntur per medium, non quidem extrinsecum, quomodo sciuntur ea, quorum est demonstrativa scientia, sed per intrinsecum, puta per cognitionem propriorum terminorum; scito enim, quid sit totum, et quid pars, statim cognoscitur, quod totum est majus sua parte; quia scilicet in talibus propositionibus prædicatum est in ratione subjecti, quare sine ullo medio extrinseco illi inest. Et sic manifestum est, dari scientiam actualem de rebus. — 1. *Poster.* l. 7 (6; *de Verit.* q. 14, a. 1, c.; 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnis scientia est per demonstrationem; nam ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3 et 2. *Poster. text.* 27; c. 19), principiorum immediatorum datur scientia indemonstrabilis seu non per demonstrationem accepta; conclusionum vero ex istis principiis per evidentem consequentiam deductarum est scientia demonstrativa seu per demonstrationem accepta. — 1. *Poster.* l. 7 (6); 2. *Poster.* l. 20.

Ad secundum dicendum cum Philosopho (2. *Poster. text.* 20; c. 13), quod oportet, quod quicumque scit, quid est aliquid, cognoscat omnia alia in communi, non autem in speciali; puta qui scit, quid est homo, oportet quod sciat, hominem per hoc, quod est animal, distingui ab omnibus, quæ non sunt animalia, et per hoc, quod est rationale, distingui ab omnibus, quæ non sunt rationalia; non enim oportet, quod illa cognoscat, nisi secundum hoc commune, quod est animal et rationale. — 2. *Poster.* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod omnis motus supponit aliquid immobile. Cum enim transmutatio fit secundum qualitatem, remanet substantia immobilis, rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines, (sicut Socrates, etsi non semper sedeat, tamen immobiliter est verum, quod quando sedet, in uno loco manet); et propter hoc nihil prohibet, de rebus mobilibus immobilem scientiam habere. — 1a, q. 84, a. 1, ad 3; 4. *Metaphys.* l. 13 (3); v. supra in c. ad sentent. Aristot. *quarto.*

Ad quartum dicendum, quod ex eo, quod in sensu tam comparato ad intellectum, quam ad ipsas res aliquando reperiatur aliqua falsitas, tantum colligitur, quod veritas non est totaliter a sensibus expectanda; requiritur enim lumen intellectus agentis, per quod immutabiliter veritatem in rebus mutabilibus cognoscamus, et discernamus ipsas res a similitudinibus rerum. — 1a, q. 84, a. 6, ad 1; *de Verit.* q. 1, a. 11, c.

Ad quintum dicendum, quod sicut Augustinus dicit (*de Civit. Dei* l. 22, c. 29), non est dicendum, quod sicut sensus cognoscit sola corporalia, ita intellectus cognoscat sola spiritualia, quia sequeretur, quod Deus et Angeli corporalia non cognoscerent. Hujus autem diversitatis ratio est, quia inferior virtus non se extendit ad ea, quæ sunt superioris virtutis; sed virtus superior ea, quæ sunt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur; et sic, sicut intellectio potest esse de sensibilibus, ita et scientia, quæ est certa et perfecta eorumdem intellectio. — 1a, q. 84, a. 1, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM SCIENTIA ACTUALIS FIAT IN NOBIS EX PRÆEXISTENTI COGNITIONE A SENSIBUS ACCEPTA.

Videtur, quod actualis scientia non fiat in nobis ex præexistenti cognitione a sensibus accepta.

1. Probat enim expresse Philosophus (7. *Phys. text.* 20; c. 3), quod acceptio scientiæ a principio propterea neque est generatio neque alteratio, quia homo fit actualiter sciens per solam remotionem perturbationum animi. Quod probat dupliciter: *primo*, quia sciens dicitur ad aliquid; proprium autem est eorum, quæ sunt ad aliquid, quod eis adveniat aliquid sine mutatione eorum; quare scientia advenire debet sine mutatione scientis — quod non

esset, si fieret ex præexistenti cognitione a sensibus accepta; nam in ejus acquisitione sciens mutaretur et alteraretur. *Secundo*, quia non aliter gignitur in nobis scientia actualis a principio, atque cum quis post somnum, ebrietatem, vel infirmitatem fit actualiter sciens, quia tolluntur impedientia usum scientiæ, puta somnus, ebrietas, vel infirmitas : ergo similiter cum quis fit primo actualiter sciens, id tantum est per remotionem principiorum, non quia ex sensibus acquirat aliquam cognitionem, ex qua gignatur scientia. — 7. *Phys.* l. 6; *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 9.

2. Præterea, medium in demonstratione, per quod acquiritur scientia de aliqua re, est quod quid est subjecti et passionis; sed quidditas rei nullo modo sensu percipitur : ergo actualis scientia non percipitur a sensu. — 1. *Poster.* l. 2 (1); *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 2.

3. Præterea, si scientia actualis gignitur ex cognitione accepta a sensu, hoc est, quatenus species, quæ a sensibus accipitur, movet intellectum possibilem; non enim movet ipsum adhuc existens in phantasia, quia ibi nondum est actu intelligibilis, sed potentia tantum; similiter non movet illum in intellectu agente existens, quia hic nullius speciei est receptivus, alioqui non differret a possibili; neque existens in ipso possibili, quia forma jam inhærens subjecto non movet ipsum, sed in ipso quodammodo quiescit; neque etiam per se existens, nam species intelligibiles non sunt substantiæ, sed de genere accidentium : ergo scientia actualis nullo modo oritur a sensibilibus. — *de Verit.* l. c. arg. 7.

4. Præterea, si scientia actualis dependet a sensu, maxime, quia cognitio principiorum universalium, ex quibus in syllogismo gignente scientiam deducitur conclusio (1. *Poster.* l. 20, al. 19), causatur ex apprehensione sensus; sed hoc est impossibile, nam sensus non potest percipere nisi singularia; at ex sola apprehensione ejus, quod est singulare, nullo modo potest causari cognitio universalis : ergo.

5. Præterea, nullus potest verum respondere nisi de eo, quod scit; sed aliquis idiota non habens scientiam acquisitam respondet verum de singulis, si tamen ordinate interrogetur, ut narratur in *Menone* Platonis de quodam : ergo, antequam aliquis acquirat scientiam, habet rerum cognitionem per species inditas et non acceptas a sensibilibus, et proinde scientia actualis non erit ab illis. — 1a, q. 84, a. 3, arg. 3; 1. *Poster.* l. 3 2.

6. Præterea, nullus effectus se extendit ultra virtutem suæ causæ; sed actualis scientia se extendit ultra sensibilia, scimus enim quædam, quæ sensu percipi non possunt : ergo scientia actualis non gignitur ex præexistenti cognitione a sensibus accepta. — 1a, q. 84, a. 6, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus dicit in 3. *de Anima text.* 14; c. 4 de intellectu loquens, quod est sicut tabula rasa; ergo scientia actualis necessario debet oriri ex cognitione a sensibus accepta. — 1a, q. 84, a. 3, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, omnis nostra cognitio originaliter consistit in notitia primorum principiorum indemonstrabilium; sed horum cognitio in nobis a sensu oritur, ut probat Philosophus 2. *Poster. text.* 27; c. 19, sicut et omnis cognitio intellectiva, ut dicitur 1. *Metaphys.* c. 1 : ergo scientia actualis oritur a cognitione a sensibus accepta. — *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 2 *Sed contra;* 1a, q. 84, a. 6, arg. *Sed contra;* 2. *Poster.* l. 20.

RESPONDEO DICENDUM, quod circa hanc quæstionem multiplex fuit antiquorum opinio. *Quidam* enim posuerunt, ortum scientiæ nostræ totaliter esse a causa exteriori, quæ est a materia separata; quæ in duas sectas dividitur : *quidam* enim, ut Platonici, posuerunt, formas rerum sensibilium esse a materia separatas, et sic esse intelligibiles actu, et per earum participationem a materia sensibili effici individua in natura, earum vero participatione humanas mentes scientiam habere, et sic ponebant, secundum dictas formas esse principium generationis et scientiæ, ut Philosophus narrat 1. *Metaphys.* — Sed hæc positio sufficienter a Philosopho reprobata est, qui loco citato et 7. *Metaphys.* a *text.* 44 usque ad 58; l. 6, c. 13, 14, 15, 16 ostendit, quod non est ponere formas sensibilium rerum, nisi in materia sensibili, cum etiam nec sine materia sensibili in universali formæ universales in

.elligi possint, sicut nec simus sine naso. — Et ideo *alii*, inter quos Avicenna, non ponentes formas sensibilium separatas, sed intelligentias tantum, quas nos Angelos dicimus, posuerunt, originem nostræ scientiæ totaliter ab hujusmodi substantiis separatis esse. Unde voluit Avicenna, quod sicut sensibiles formæ non acquiruntur in materia sensibili nisi ex influentia intelligentiæ agentis, ita et formæ intelligibiles humanis mentibus non imprimuntur, nisi ex intelligentia agente, quæ non est pars animæ, sed substantia separata, ut ipse posuit; indiget tamen anima sensibus quasi excitantibus et disponentibus ad scientiam, sicut ista inferiora agentia præparant materiam ad suscipiendam formam ab intelligentia agente. — Sed ista opinio non videtur rationabilis. *Primo*, quia sic non esset necessaria dependentia inter cognitionem mentis humanæ et virtutes sensitivas. Cujus apparet contrarium manifeste, tum ex hoc, quod deficiente sensu deficit scientia de sensibilibus illius; tum ex hoc, quod mens nostra non potest actu considerare etiam ea, quæ habitualiter scit, nisi formando aliqua phantasmata; unde etiam læso organo phantasiæ impeditur consideratio. *Secundo*, quia secundum hanc positionem sufficiens ratio assignari non potest, quare anima nostra corpori uniatur; non enim potest dici, quod uniatur corpori propter corpus, quia forma non est propter materiam, nec motor propter mobile, sed contra. Maxime autem videtur corpus esse necessarium animæ intellectivæ ad ejus operationem propriam, quæ est intelligere, quia secundum esse suum a corpore non dependet. Si autem anima secundum suam naturam apta nata esset recipere species intelligibiles per influentiam aliquorum principiorum separatorum tantum, et non acciperet eas a sensibus, non indigeret corpore ad intelligendum, unde frustra corpori uniretur. Si autem dicatur, quod anima indiget sensibus ad intelligendum, quia per illos excitatur, ut se convertat ad intelligentiam agentem, a qua recipit species, hoc non sufficit, quia si in natura animæ est, ut intelligat per species ab intelligentia agente influxas, sequitur, quod quandoque anima possit se convertere ad intelligentiam agentem ex inclinatione suæ naturæ, vel etiam excitata per alium sensum, ut convertat se ad intelligentiam agentem ad recipiendum species sensibilium, quorum sensum aliquis non habet, et sic cæcus natus potest habere scientiam de coloribus, quod est manifeste falsum. — *de Verit.* q. 10, a. 6, c. et q. 11, a. 1, c.; 1a, q. 84, a. 4.

Alia opinio fuit ponentium, nostræ scientiæ originem totaliter esse a causa interiori; quæ etiam in duas sectas dividitur : *Quidam* enim, ut Plato, posuerunt, intellectum hominis esse naturaliter plenum omnibus speciebus intelligibilibus, sed per unionem ad corpus prædictam cognitionem obtenebrari et impediri, ne exeat in actum; et ideo dicebant, nos indigere studio et sensibus, ut impedimenta scientiæ tollerentur, dicentes, addiscere nihil aliud esse, quam reminisci; sicut et manifeste apparet, quod ex his, quæ audivimus et vidimus, reminiscimur ea, quæ prius sciebamus. — Sed hæc etiam positio non videtur rationabilis : *primo* quidem, quia si anima habet notitiam naturalem omnium, non videtur esse possibile, quod hujus naturalis notitiæ tantam oblivionem capiat, quod nesciat, se hujusmodi scientiam habere; nullus enim obliviscitur ea, quæ naturaliter cognoscit. Præcipue autem videtur hoc esse inconveniens, si ponatur, esse naturale animæ uniri corpori; nam inconveniens est, quod naturalis operatio alicujus rei totaliter impediatur per id, quod est sibi secundum naturam. *Secundo* apparet hujus positionis falsitas ex hoc, quod deficiente aliquo sensu deficit scientia eorum, quæ apprehenduntur secundum illum sensum, sicut cæcus natus nullam potest habere scientiam de coloribus; quod tamen non esset, si intellectui animæ essent naturaliter inditæ omnium intelligibilium rationes, et ejus scire tantum esset reminisci. — *Alii* vero dixerunt, quod anima est sibi ipsi causa scientiæ; non enim a sensibus scientiam accipit, quasi actione sensibilium aliquo modo similitudines rerum ad animam perveniant, sed ipsa anima ad præsentiam sensibilium similitudines illorum format. — Sed hæc etiam positio non videtur totaliter rationabilis. Nullum enim agens agit, nisi secun-

dum quod est actu; unde si anima formet in se omnium rerum similitudines, oportet, quod ipsa in se actu habeat illas similitudines rerum, et sic redibit in prædictam opinionem, quæ ponit omnium rerum scientiam animæ naturaliter insitam.

Et ideo præ omnibus videtur rationabilior *sententia Philosophi* ponentis, scientiam partim esse ab extrinseco, ratione phantasmatum a sensibus acceptorum, partim ab intrinseco, puta ab intellectu agente et possibili, quippe quod phantasmata sunt potius materia causæ, quam causa, nedum totalis et sufficiens cognitionis intellectualis, et per consequens asserit, scientiam actualem gigni ex præcedenti cognitione a sensibus accepta, seu per syllogismum demonstrativum. Nam cum duobus modis possit quis fieri actualiter sciens, vel per propriam inventionem, vel per doctrinam et disciplinam, *priori modo* contingit ex eo, quod quis per lumen intellectus agentis cognoscit naturaliter universalia quædam principia scientiarum, quorum tamen cognitionem, ut docet Philosophus (2. *Poster. text.* 27; c. 19), accipit a sensibus, et illa intellectus applicat ad particularia, quorum memoriam et experimentum per sensum accepit, et sic ex notis per sensum ad ignota certo devenit, quod est, per syllogismum fieri scientiam actualiter; *posteriori vero modo* efficitur aliquis sciens ex eo, quod a docente proponuntur illi vel minus universales propositiones, quas tamen qui addiscit, facile ex præcognitis dijudicare potest, vel ordo principiorum ad conclusiones, ut has ex illis possit deducere; quod similiter est per syllogismum fieri aliquem scientem; ut enim ait Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), demonstratio est syllogismus faciens scire. — *de Verit.* q. 10, a. 6, c.; 1a, q. 84, a. 3 et 6, c. et q. 117, a. 1, c.; 1. *Poster.* l. 1; 2. *c. Gent.* c. 92; 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 2, sol. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod quies, in qua perficitur scientia, excludit motum naturalem passionum, non autem motum et passionem communiter acceptam, secundum quod quodlibet recipere dicitur pati et moveri, sicut etiam dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 12; c. 4), quod intelligere est quoddam pati. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 9.

Vel dic, Aristotelem loqui de acceptione scientiæ secundum opinionem Platonis. Cum enim posuerit Plato, quod sicut formæ separatæ sunt causæ generationis et existentiæ rerum naturalium per hoc, quod materia corporalis participat aliqualiter hujusmodi formas separatas, ita sunt etiam causa scientiæ in nobis per hoc, quod anima nostra aliqualiter eas participat; sic verum erit dicere, et quod accipitur scientia a principio, non per generationem alicujus scientiæ in anima, sed solum per quietationem corporalium et sensibilium passionum, quibus impediebatur in anima scientiæ usus, et quod nulla mutatione facta in intellectu, ad solam præsentiam sensibilium, quorum experientiam accipimus, fit homo sciens, sicut de relativis accidit, quia sensibilia secundum hanc positionem non sunt necessaria ad scientiam, nisi ut ab eis quodammodo excitetur. Neque est inconveniens, quod Aristoteles hac opinione Platonis utatur; est enim consuetudinis suæ, ut antequam probet suam sententiam, utatur sententia aliorum, sicut in 3. *Phys. text.* 53; c. 5 usus est, quod omne corpus sensibile habet gravitatem vel levitatem, secundum opinionem Platonis, cujus contrarium ipse ostendit in 1. *de Cœl. text.* 17; c. 3. Responderi tamen potest duabus prædictis rationibus secundum opinionem Aristotelis asserentis, scientiam fieri in anima per hoc, quod species intelligibiles abstractæ ab intellectu agente, concurrente phantasmatis cognitione, recipiuntur in intellectu possibili. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod susceptivum aliquod tripliciter se habere potest ad formam suscipiendam. *Quandoque* enim est in ultima dispositione ad susceptionem formæ, nullo impedimento existente nec in ipso nec in alio, et tunc statim ad præsentiam activi susceptivum recipit formam aliqua alteratione, sicut patet in aere illuminato ad præsentiam solis; *aliquando* autem susceptivum non est in ultima dispositione ad susceptionem formæ, sicut cum de aere fit ignis; *aliquando* vero susceptivum est in ultima dispositione ad formam; sed adest aliquod impedimentum,

sicut cum aer impeditur ad susceptionem luminis, vel per clausionem fenestræ, vel per nebulas, et tunc requiritur alteratio vel mutatio per accidens, quæ removeat prohibens. Intellectus ergo possibilis secundum se consideratus semper est in ultima dispositione ad recipiendam speciem intelligibilem. Si ergo non sit impedimentum, statim ad præsentiam objectorum per experimentum acceptorum advenit ei species intelligibilis, sicut speculo forma specularis ad præsentiam corporis, et secundum hoc procedit ratio prior; si vero sit impedimentum, sicut juvenibus accidit, oportet hujusmodi impedimenta auferri ad hoc, quod species intelligibilis in intellectu recipiatur, et sic per accidens est necessaria alteratio, et sic patet ad posteriorem rationem. — 7. *Physic.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod circa idem virtus superior et inferior operantur, non tamen similiter, sed superior sublimius. Unde et per formam, quæ a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit, sicut intellectus; sed sensus per eam manuducitur in cognitionem exteriorum accidentium, intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei, secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus. Unde pro tanto dicitur cognitio mentis a sensu originem habere, non quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat, sed quia ex his, quæ sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur, sicut etiam sensibilia intellecta manuducunt in intelligibilia divinorum.—*de Verit.* q. 10, a. 6, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in receptione, qua intellectus possibilis recipit species rerum a phantasmatibus, phantasmata se habent ut agens principale, et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque et non alterius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit species ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum a cognitione phantasmatum. — *Ibid.* ad 7.

Ad quartum dicendum, quod licet singularia sentiantur proprie et per se, sensus tamen etiam est quodammodo ipsius universalis; nam alioqui si tantum id quod est singulare, cognosceret, impossibile esset ex apprehensione sensus gigni cognitionem universalis (cognoscit enim sensus Calliam, non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est hic homo); et inde est, quod tali acceptione in sensu præexistente, anima intellectiva potest considerare hominem in utroque; et similiter procedendo a specie ad genus, potest considerare animal in Socrate et bucephalo, conceptis illis per sensum, in quantum sunt hæc animalia, et sic ex singulis hoc modo sensu perceptis formare cognitionem universalis. — 2. *Poster.* l. 20.

Ad quintum dicendum, quod ordinata interrogatio procedit ex principiis communibus per se notis ad propria; per talem autem processum scientia causatur in anima addiscentis. Unde, cum verum respondet de his, de quibus secundo interrogatur, hoc non est, quia prius ea noverit, sed quia tunc ea de novo addiscit. Nihil enim refert, utrum ille, qui docet, proponendo vel interrogando procedat de principiis communibus ad conclusiones; utrobique enim animus audientis certificatur de posterioribus per priora. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 3.

Ad sextum dicendum, quod sensitiva cognitio non est tota causa intellectualis cognitionis, et proinde nec scientiæ; et ideo non est mirum, si scientia vel intellectualis cognitio ultra sensitivam se extendat. — *Ibid.* et in c.

ARTICULUS III

UTRUM NECESSARIUM SIT ESSE SCIENTIAM HABITUALEM.

Videtur quod non sit necessarium, esse scientiam habitualem.

1. Quia hæc importat ordinem ad actum; sed potentia intellectiva importat principium sufficiens talis actus, nam et potentiæ naturales absque habitibus sunt principia actuum : ergo non est necesse dari scientiam habitualem. — 1a 2æ, q. 49, a. 4, arg. 2; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, eadem videtur ratio intellectus agentis et possibilis in ordine ad suas operationes, nam utraque est poten-

tia activa; sed intellectus agens nullo eget habitu superinducto ad suam operationem exercendam : ergo nec egebit intellectus possibilis ad suam, et ita nec ad scientiam actualem; unde non erit necesse dari scientiam habitualem. — *de Virt. in com.* a. 1, c.; *de Spirit. Creat.* a. 10, ad 15; *de Verit.* q. 16, a. 1, ad 13 et q. 20, a. 2, ad 3; 1a 2æ, q. 50, a. 5, ad 2.

3. Præterea, cum habitus ex Philosopho 3. *Ethic.* c. 5 (7) subjaceat voluntati quoad suam generationem actus, ex quo generatur habitus, debet esse in potestate voluntatis, ita ut possit fieri vel non fieri; sed actus, ex quo dicitur generari habitus scientiæ, non est hujusmodi; nam postquam quis assensit principiis et videt ordinem conclusionis ad illas, non potest intellectus non assentiri : ergo per illum non generabitur ullus habitus scientiæ. — 1. *Periherm.* l. 13; 3. *Ethic.* l. 12.

4. Præterea, habitibus indigemus ad tria : primo, ut sit firmitas in operationibus; secundo, ut operatio perfecta in promptu habeatur, seu ut potentia alioqui indeterminata ad multa determinetur ad unum; tertio, ut operatio delectabiliter compleatur. Sed posito assensu principiorum, et cognitione consequentiæ, intellectus possibilis habet maximam firmitatem, delectationem et determinationem ad assensum conclusionis, cum illis positis intellectus, ut dictum est, necessario assentiatur conclusioni. Ergo intellectus non eget ullo habitu ad assensum conclusionis, et ita non necessario dabitur scientia habitualis. — *de Virt. in com.* a. 1, c.; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.; ll. cit. in arg. præc.

Sed contra est, quod scientia habitualis est perfectio quædam intellectus possibilis, sicut et omnis habitus est perfectio quædam ejus, cujus est habitus; sed perfectio est maxime necessaria rei, cum habeat rationem finis : ergo necesse est, dari habitum scientiæ. — 1a 2æ, q. 49, a. 4. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod, cum dupliciter quæri possit, an detur scientia habitualis, *uno modo*, ut sciatur ipsam esse; *alio modo* ut sciatur, quare sit, de *primo* quærere est hominis sensu carentis; nam, ut docet Philosophus 3. *Ethic.* c. 5 (7), nemo ignorare potest, ex operationibus habitus generari, nisi sit sensus expers, quoniam ipsa experientia notissimum est, quod homo aliquando actu considerat, quod est actualiter scire, ut contingit in vigilia; aliquando potest considerare, sed actu non considerat, quod est scire habitualiter, ut contingit in somno. Unde Philosophus 2. *de Anima text.* 5; c. 1 scientiam dividit in actualem et habitualem, et hanc vocat actum primum et assimilat somno; illam vero appellat actum secundum et comparat vigiliæ. — 3. *Ethic.* l. 12; 2. *de Anima* l. 1; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 4, ad 1.

Si vero quæratur *secundum*, duplici ex capite manifestum esse potest, necessarium esse, dari habitum scientiæ, et *primo* quidem, ex parte actus. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod duplex est agens : *unum* est, in quo est solum principium sui actus, sicut in igne est tantum principium calefaciendi, et in tali agente non potest aliquis habitus causari ex proprio actu; et inde est, quod res naturales non possunt aliquid consuescere, vel dissuescere, ut dicitur 2. *Ethic.* *Alterum* vero est, in quo est principium activum et passivum sui actus, sicut patet in actibus humanis; nam actus appetitivæ virtutis procedunt a vi appetitiva, secundum quod movetur a vi apprehensiva repræsentante objectum; et similiter vis intellectiva, secundum quod ratiocinatur de conclusionibus, habet sicut principium activum propositionem per se notam, et ex talibus actibus generatur habitus in principio actionis, quod movet motum. Nam omne, quod patitur et movetur ab alio, disponitur per actum agentis; unde ex multiplicatis actibus generatur quædam qualitas in potentia passiva et mota, quæ nominatur habitus; sicut habitus virtutum moralium causantur in appetitivis potentiis, secundum quod moventur a ratione; et habitus scientiarum causantur in intellectu possibili, secundum quod movetur a primis propositionibus. — 1a 2æ, q. 51, a. 2, c.; ll. cit. in arg.

Secundo, idem manifestum est ex parte potentiæ, cujus perfectio et complementum est habitus. Duplex enim est genus potentiarum dicentium ordinem ad actus, quorum sunt principia. *Unum* est earum, quæ sunt limitatæ ad determinatas actio-

nes, et per consequens sunt determinatæ ad unum vel objectum vel modum agendi; et hæ potentiæ non egent ullo habitu; nam ex se sine ullo alio addito sunt perfectæ, et ex ipsa natura potentiæ sufficienter habent rectitudinem, et subjectum per illas ex sua natura habet debitam habitudinem ad tales actus, quemadmodum contingit in potentiis naturalibus, quæ propterea non agunt operationes suas mediantibus aliquibus habitibus, quia secundum seipsas sunt determinatæ ad unum. *Alterum* genus est earum, quæ non sunt limitatæ ad aliquid unum sive objectum sive modum agendi, sed plura et diversa objecta respiciunt, vel idem objectum pluribus et diversis modis, quia nimirum secundum diversa et diversimode rectitudinem habere possunt; et hæ potentiæ indigent aliquo habitu, a quo in suis operationibus determinentur. Quia ergo intellectus possibilis est hujusmodi potentia, (est enim in potentia ad assensus plurium et diversarum conclusionum et ad plures et diversos modos assentiendi eidem conclusioni), ideo necessarium est, dari habitus scientiarum, ratione quorum per modum naturalis inclinationis determinatur potius ad assensum hujus conclusionis, quam alterius, vel ad assentiendum uni conclusioni tali modo et non alio. — 1a 2æ, q. 49, a. 4, c. et ad 1 et 2; *de Virt. in com.* a. 1, c.; *de Carit.* a. 1, c.; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia quandoque se habet ad multa, ut est in proposito intellectus possibilis respectu diversarum conclusionum, et ideo oportet, quod aliquo alio superinducto determinetur, quod dicitur scientia habitualis. — ll. cit. in arg. 1 et 2.

Ad secundum dicendum, quod non oportet, quod si intellectus agens non eget habitu, et intellectus possibilis illo non egeat. Quod enim intellectus agens non egeat habitu ad suam operationem, ex hoc contingit, quod intellectus agens nihil recipit ab intelligibilibus, sed magis formam suam eis tribuit, faciendo ea intelligibilia actu; intellectus autem possibilis e contrario se habet. Ideo vero intellectus agens nihil recipit ab intelligibilibus, et consequenter nec recipit habitum, quia est tantum potentia activa, et nullo modo passiva; subjectum autem habitus est potentia passiva; esse enim susceptivum habitus convenit ei, quod est in potentia; intellectus vero possibilis est simul potentia activa et passiva. — *de Verit.* q. 20, a. 2, ad 5; 1a 2æ, q. 50, a. 5, ad 2 et q. 51, a. 2; ll. cit. in arg.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus loquitur de habitibus appetitus seu virtutibus moralibus et vitiis oppositis, non de habitibus intellectus seu de virtutibus intellectualibus, cujusmodi est scientia. Differunt enim hi habitus inter se, quod, cum scientia sicut et cæteræ virtutes intellectuales tantum ordinent intellectum ad objectum, seu ad cognoscendum verum, ac proinde tantum efficiant hominem potentem et scientem, non autem volentem, quoad sui generationem non pendent a voluntate, sed tantum ex doctrina et cognitione, et per consequens nec in illis remanet aliqua inclinatio ex voluntate, sed tantum ex ratione. Virtus vero moralis in appetitu existens, quia tantum ordinat appetitum ad recte volendum, gignitur ex more et consuetudine. Quoniam vero cognitio, ex qua gignitur habitus scientiæ, unicus actus est et is necessarius, quia primum principium activum respectu illius uno actu totaliter vincit potentiam principii passivi (una enim propositio per se nota convincit intellectum ad firmiter assentiendum conclusioni, quod non facit vel propositio probabilis vel unus rationis actus respectu appetitus in virtutibus moralibus); ideo habitus scientiæ potest generari per unum actum et hunc necessarium, et virtus moralis per plures et liberos. — 3. *Ethic.* l. 1; *de Virt. in com.* a. 7 et a. 12, c.; *de Verit.* q. 14, a. 3, ad 5 et a. 9, arg. 4; 1a 2æ, q. 51, a. 3, c.

Ad quartum dicendum, quod firmitas et determinatio potentiæ ex sua natura indeterminatæ ad multa debet esse per qualitatem permanentem et inhærentem potentiæ; ex eo enim aliquis actus prompte et delectabiliter efficitur, quod potentia secundum aliquam formam sibi inhærentem et permanentem illi conformatur et in illum per modum inclinationis naturalis inclinatur. Quia ergo assensus propositionis per se notæ non est qualitas perma-

nens, cujusmodi est habitus, sed est actus, ideo non dat eam determinationem ac firmitatem potentiæ, quæ requiritur, ut operatio perfecta ab illa producatur; quod non contingit, nisi sit illi facta connaturalis per formam ei permanenter inhærentem. — *de Virt. in com.* a. 1, c.; *de Carit.* a. 1, c.; 2a 2æ, q. 23, a. 2, c.

ARTICULUS IV

UTRUM PER UNUM ACTUM GENERARI POSSIT HABITUS SCIENTIÆ.

Videtur quod habitus scientiæ non possit generari per unum actum.

1. Dicit enim Philosophus 1. *Ethic.* c. 7 (6), quod una hirundo non facit ver, nec una dies facit beatum et felicem; sed beatitudo est operatio secundum habitum perfectæ virtutis, ut dicitur 1. *Ethic.* c. 7 et 8 (9): ergo habitus virtutis, et eadem ratione habitus scientiæ, quæ est virtus intellectualis, non causatur per unum actum. — 1a 2æ, q. 51, a. 3, *Sed contra.*

2. Præterea, omnes habitus voluntatis, ut sunt virtutes et vitia et inter habitus intellectus opinio, generantur ex pluribus actibus : ergo similiter et reliqui habitus intellectus ; et consequenter habitus scientiæ generabitur ex pluribus actibus. — *de Virt. in com.* a. 9, ad 11; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 3, ad 4.

3. Præterea, eadem est ratio generationis et corruptionis; sed nullus habitus corrumpitur per unum actum, quia habitui non contrariatur actus, sed habitus, similiter et actui actus (continuatio autem habitus in subjecto non requirit continuitatem actus, unde ex superveniente contrario actu non statim habitus acquisitus excluditur) : ergo similiter nullus habitus acquisitus, cujusmodi est habitus scientiæ humanæ, generabitur ex uno tantum actu. — 1a 2æ, q. 63, a. 2, ad 2; 2a 2æ, q. 24, a. 12, c.

Sed contra est : 1. quod demonstratio est actus rationis; sed per unam demonstrationem causatur scientia, quæ est habitus conclusionis unius : ergo habitus scientiæ potest causari ex uno actu. — 1a 2æ, q. 51, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, sicut contingit actus crescere per multiplicationem, ita contingit et crescere per intensionem; sed multiplicatis actibus generatur habitus : ergo si multum intendatur unus actus, poterit esse causa generationis habitus. — *Ibid.* arg. 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod habitus per actum generatur, in quantum potentia passiva movetur ab aliquo principio activo. Ad hoc autem, quod aliqua qualitas causetur in passivo, oportet, quod activum totaliter vincat passivum; unde videmus, quod quia ignis non potest totaliter vincere suum combustibile, non statim inflammat ipsum, sed paulatim abjicit contrarias dispositiones, ut sic totaliter vincens ipsum similitudinem ipsi imprimat. Manifestum est autem, quod principium activum, quod est ratio, non potest totaliter supervincere potentiam appetitivam in uno actu, eo quod appetitiva potentia se habet diversimode et ad multa, judicatur autem per rationem in actu uno aliquid appetendum secundum determinatas rationes et circumstantias; unde ex hoc non totaliter vincitur appetitiva potentia, ut feratur in idem, ut in pluribus per modum naturæ, quod pertinet ad habitum virtutis, et ideo habitus virtutis non potest causari per unum actum, sed per multos. In apprehensivis autem potentiis, quia respectu scientiæ necesse est esse duplex passivum, scilicet intellectum possibilem et alium intellectum, quem Philosophus 3. *de Anima. text.* 20; c. 5 passivum vocat, qui est ratio particularis, id est vis cogitativa cum memorativa et imaginativa, quæ sunt vires sensitivæ interiores, ut manifeste patet ex actibus, ex quibus habitus scientiæ acquiritur (nam habitus sunt similes actibus, ex quibus acquiruntur, ut dicitur 2. *Ethic.* c. 1 et 2; actus enim, ex quibus in præsenti vita scientia acquiritur, sunt per conversionem intellectus ad phantasmata, quæ sunt in prædictis viribus sensitivis interioribus); — ideo per tales actus et ipsi intellectui possibili acquiritur facultas quædam ad considerandum per species susceptas, et in prædictis interioribus viribus sensitivis acquiritur quædam habilitas, ut facilius per conversionem ad ipsas intellectus possit intelligibilia speculari. Verum sicut actus

intellectus principaliter quidem et formaliter est in ipso intellectu, materialiter vero et dispositive in viribus sensitivis internis, ita idem dicendum est de habitu, et propterea respectu primi passivi, puta intellectus possibilis, potest esse aliquod activum, quod uno actu totaliter vincat potentiam illius; nam una propositio per se nota convincit intellectum ad assentiendum firmiter conclusioni, quod non facit propositio probabilis; et ideo ex multis actibus rationis oportet habitum opinionis causari, etiam ex parte intellectus possibilis; habitum autem scientiæ possibile est causari ex uno actu rationis quantum ad intellectum possibilem. Sed quantum ad secundum principium passivum, seu ad inferiores vires apprehensivas, necessarium est eosdem actus pluries iterari, ut aliquid firmiter memoriæ mandetur et imprimatur. Unde Philosophus in lib. *de Memor. et Reminisc.* c. 2 (1 dicit, quod meditatio confirmat memoriam. — 1a 2æ, q. 51, a. 3, c. et q. 50, a. 3, ad 3 et q. 53, a. 1, c.; 1a, q. 89, a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus scientiæ ratione virium sensitivarum apprehensivarum generatur ex pluribus actibus, ratione vero intellectus possibilis potest ex uno tantum actu generari. — Ll. cit. in c.

Ad secundum dicendum, quod quanto actio agentis est efficacior, tanto velocius inducit formam, et ideo in intellectualibus una demonstratio, quia est maxime efficax ratione suæ certitudinis et firmitatis, est proportionata et æqualis in virtute habitui scientiæ acquirendæ, qui de ratione sua habet, quod sit difficile mobilis, id est habeat firmitatem; unde totaliter vincit potentiam passivam intellectus possibilis et ideo causat habitum scientiæ. Quia vero unus syllogismus dialecticus ratione suæ debilitatis et infirmitatis non habet efficaciam ad superandam eamdem potentiam intellectus possibilis, ideo non potest in illo gignere habitum opinativum, sed requiruntur plures; quod similiter in agibilibus contingit. Quia enim actus humanæ voluntatis non sunt ita efficaces et firmi, sicut in demonstrationibus, propter hoc quod agibilia sunt contingentia et probabilia, et voluntas indeterminate se habet ad multa (unde nec unus actus rationis potest illius potentiam passivam vincere), ideo ad habitum virtutis generandum non sufficit unus actus, sed requiruntur plures. — Ll. cit. in arg.; 1a 2æ, q. 51, a. 3.

Ad tertium dicendum, quod habitus scientiæ, quia est in intellectu possibili, per accidens non potest corrumpi, id est ad corruptionem subjecti, cum sit talis intellectus incorruptibilis; per se autem potest corrumpi a contrario, non quidem ex parte sua, sed ex parte suæ causæ. Verum sicut talis habitus per unum actum generari potest, ita etiam potest per unum actum contrarium corrumpi, puta per unam propositionem falsam vel per unum falsum discursum; nam uterque actus est contrarius actui, a quo causatur habitus scientiæ. Habitus vero scientiæ, qui est in viribus sensitivis interioribus (nam exteriores non sunt susceptivæ aliquorum habituum), per se corrumpitur per oblivionem seu per deletionem specierum, per accidens vero per corruptionem subjecti, quod est corruptibile. Unde Philosophus in lib. *de Longit. et Brev. Vitæ* c. 2 ait, quod scientia duobus modis corrumpitur: oblivione et deceptione.

QUÆSTIO XXIX

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD OBJECTUM.

Deinde considerandum est de essentia scientiæ habitualis, et quia hæc est per ordinem ad actum, actus autem specificatur ex objecto, *primo*, dicemus de illa quantum ad objectum; *deinde*, quantum ad actum; *tertio*, quantum ad habitum.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum scientia sit tantum de universalibus.
2. Utrum sit tantum de necessariis.
3. Utrum sit tantum de iis, quæ sunt per se et non per accidens.

ARTICULUS I

UTRUM SCIENTIA SIT TANTUM DE UNIVERSALIBUS.

Videtur quod scientia non sit tantum

de universalibus, sed sit etiam de singularibus.

1. Dicit enim Philosophus 2. *Metaphys. text.* 11; l. 1 min. c. 2, quod impossibile est scire, antequam ad individua deveniatur : ergo scientia etiam est de individuis et singularibus. — 2. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, Deus habet scientiam perfectissimam de seipso; sed Deus est singularis : ergo etiam de singularibus potest esse scientia. — *de Verit.* q. 2, a. 2, ad 4.

3. Præterea, scientia naturalis est de his, quæ sunt in motu et in materia; sed hæc sunt singularia, materia enim est principium individuationis : ergo de singularibus potest esse scientia. — *Opusc.* 70, q. 5, *Sed contra* arg. 2.

4. Præterea, sicut datur demonstratio, ita et scientia de defectu lunæ, qui non semper est; sed quod non semper est, singulare est : ergo de singularibus potest esse scientia. — 1. *Poster.* l. 16 (15).

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Poster. text.* 21 et 44; c. 8 et 33 et 6. *Ethic.* c. 6 dicit, quod scientia est universalium, et 2. *de Anima text.* 60; c. 12 et 1. *Poster. text.* 43; c. 33 in hoc distinguit sensum a scientia, quod sensus est singularium, scientia vero universalium. — 1. *Poster.* l. 16 (15) et 42 (40); 2. *de Anima*. l. 12.

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia tantum est de universalibus, non de singularibus, quod manifestum esse potest ex tribus. *Primo* ex demonstratione, cujus effectus est scientia, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2. Nam demonstratio debet esse ex propositionibus universalibus, seu quæ sint de omni (1. *Poster. text.* 11; c. 4). Dici autem de omni duo continet, nimirum, quod non est in quodam sic, et in quodam non et quod non aliquando sic, aliquando non, quæ duo non reperiuntur in singularibus, nam in illis quippe corruptibilibus invenitur aliquando sic, aliquando non; — sed ubi conclusio non est universalis, atque adeo de universali, debet aliqua præmissarum esse singularis : ergo conclusio non est de singularibus, sed de universalibus, et consequenter et scientia, quæ est habitus conclusionis (1. *Poster. text.* 5; c. 2). — *Secundo*, ex natura scientiæ, hæc enim est de necessariis, seu de eo, quod non contingit aliter se habere, ut docet Philosophus pluribus in locis; at singularia non sunt hujusmodi, cum sint corruptibilia et mutabilia, sed tantum universalia : ergo. — *Tertio*, ex comparatione scientiæ ad sensum, quod hic est singularium, illa universalium, cujus ratio est, quia sensus est virtus in organo corporali, intellectus vero est virtus immaterialis, quæ non est actus alicujus organi corporalis. Cum enim unumquodque recipiatur in aliquo per modum sui, cognitio autem omnis fiat per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem (nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu), oportet quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem ejus, quod intelligitur incorporaliter et immaterialiter; individuatio autem naturæ communis in rebus corporalibus et materialibus est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta, universale autem est per abstractionem ab hujusmodi materia et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei recepta in sensu repræsentat rem, secundum quod est singularis; recepta autem in intellectu repræsentat rem secundum rationem universalis naturæ; et inde est, quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalia, et horum sunt scientiæ. — 1. *Poster.* l. 4 (3), 16 (15).

Ad primum ergo dicendum, quod nomine individui non intelligit Philosophus singulare (nam de illo non est scientia), sed vel ipsam rationem speciei specialissimæ, quæ ulterius non dividitur per essentiales differentias, ita ut sit sensus, quod non habetur perfecta scientia de re, quousque perveniatur ad speciem specialissimam, quia ille, qui scit aliquid in genere, nondum habet perfectam scientiam de re. Vel intelligit, quod est congruentius textui, id, cujus definitio non resolvitur in partes definientes, puta supremum genus, ut sit sensus, quod non potest haberi scientia de re per aliquam definitionem, nisi deveniatur ad suprema genera, quibus ignoratis, impossibile est aliquid posterius sciri. — l. c. in arg.

Ad secundum dicendum, quod de re separata a materia haberi potest scientia,

licet non sit universalis, quia universale catenus est intelligibile et scibile, quatenus est a materia abstractum; unde illa, quæ non sunt per actum intellectus nostri separata, sed per se ipsa sunt ab omni materia libera, maxime cognoscibilia sunt, et sic Deus maxime cognoscibilis est, licet non sit universalis. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod materia non est principium individuationis, nisi secundum quod est sub dimensionibus determinatis et signatis existens, et scientia naturalis a materia sic considerata abstrahit. — l. c. in arg.

Ad quartum dicendum cum Philosopho 1. *Poster. text.* 22; c. 8, quod defectus lunæ et hujusmodi, secundum quod de illis demonstrationes et scientiæ dantur, sunt semper et sunt universalia; sed secundum quod non sunt semper, sunt particularia, et de illis non est demonstratio nec scientia. — l. c. in arg.

ARTICULUS II

UTRUM SCIENTIA SIT TANTUM DE NECESSARIIS.

Videtur quod scientia non sit tantum de necessariis.

1. Quia scientia Dei perfectissima est; sed hæc est de contingentibus; nam scire est causam rei cognoscere, Deus autem scit omnium contingentium causas; scit enim Deus se ipsum, qui est causa omnium. — 1a, q. 14, a. 13, c.; *de Verit.* q. 2, a. 12, *Sed contra* arg. ult. et a. 13, arg. 2.

2. Præterea, scientia naturalis in universum est de rebus mobilibus, et quoad aliquam partem est de generabilibus et corruptibilibus; sed hujusmodi sunt contingentia : ergo scientia non est tantum de necessariis. (1a, q. 84, a. 1, ad 3 et q. 86, a. 3, arg. *Sed contra*; *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, arg. 4) — Sed dices, quod scientia est de rebus generabilibus et corruptibilibus, quatenus in eis sunt rationes aliquæ ingenerabiles et incorruptibiles.

3. Sed contra, quia etiam tales rationes non sunt omnes in scientia naturali immobiles et necessariæ, sicut est hominem habere duas manus et in singulis quinque digitos : ergo scientia non tantum est de necessariis. — 1. *Poster.* l. 16 (15).

4. Præterea, humanæ scientiæ ut plurimum sunt de creaturis; sed omnis creatura est mutabilis, cum natura immutabilis soli Deo conveniat : ergo scientia non est tantum de necessariis et immutabilibus. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, arg. 7; 1a, q. 9, a. 2.

5. Præterea, scientiæ practicæ sunt circa contingentia, in quantum talia, et tamen sunt veræ scientiæ, cum Aristoteles (2. *Metaphys. text.* 2; l. 1 min. c. 1 et 6. *Metaphys. text.* 1 et 2; l. 5, c. 1) dividat scientiam in practicam et speculativam : ergo scientia potest esse de non necessariis.— 6. *Ethic.* l. 3; 1a 2æ, q. 6, proœm.; 3. *c. Gent.* c. 75. ad 7.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 44 (42); c. 33) dicit, quod scientia non est de contingentibus, et *ibid. text.* 5; c. 2, et 6. *Ethic.* c. 3 definit, id quod scitur, esse, quod non posse aliter se habere existimamus, et 6. *Ethic.* c. 6 dicit, quod scientia est de universalibus et necessariis. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 44 (42); 6. *Ethic.* l. 3 et 5.

2. Præterea, scientia est tantum de illis, quorum notitiam potest intellectus resolvere in quod quid est; sed contingentia ut sic propter incertitudinem sui esse non sunt nata resolvi in quod quid est : ergo de illis non potest esse scientia, et consequenter tantum erit de necessariis, quæ aliter se habere non possunt. — *de Verit.* q. 15, a. 2, ad 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia tantum est de necessariis, non autem de contingentibus, quod manifestum esse potest ex tribus. *Primo*, ex materia scientiæ. Nam certa ratio scientiæ inde accipitur, quod omnes suspicantur de eo, quod scimus, quod non contingat illud aliter se habere; alioqui non esset certitudo scientis, sed dubitatio opinantis. Hujusmodi autem certitudo, quod scilicet non possit aliter se res habere, non potest haberi circa contingentia; tunc enim solum potest de illis certitudo haberi, cum cadunt sub sensum, sed quando desinunt videri seu sentiri, tunc latet, utrum sint vel non sint, sicut patet circa hoc, quod est Socratem sedere. Sic ergo constat, quod omne

scibile est ex necessitate (6. *Ethic.* l. 3). — *Secundo*, ex causa scientiæ; nam scientia per demonstrationem acquiritur; at demonstrationem ex necessariis principiis oportet esse. Ut autem ostenditur in lib. *Priorum*, ex duabus propositionibus necessariis sequitur conclusio necesssaria: ergo quod scitur, est necessarium, et per consequens scientia est de necessariis; præterquam quod, si, quod scitur, non est necessarium, nec medium demonstrationis potest esse necessarium, quia necessarium non potest sciri per non necessarium, medium autem demonstrationis debet esse necessarium: ergo et scientia, quæ est effectus demonstrationis, erit ex necessariis (6. *Ethic.* l. 3; 1. *Poster.* l. 13 (12) et 42 (40). — *Tertio*, ex definitione tum ejus, quod scitur, quæ est secundum Philosophum (6. *Ethic.* c. 3): quod est impossibile aliter se habere; tum ipsius scire, quæ est ex eodem (1. *Poster. text.* 5; c. 2): cognoscere rem per causam, propter quam res est, et quod ejus est causa et non contingit aliter se habere. — 6. *Ethic.* l. 3; 1. *Poster.* l. 4 (3).

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis scitum a Deo secundum se consideratum sit possibile aliter se habere, atque adeo contingens, divinæ tamen cognitioni substat, secundum quod aliter se habere non potest. — Il. cit. in arg.

Ad secundum dicendum, sicut dictum est in objectione, quod scientia naturalis est de mobilibus et corruptibilibus, secundum quod in eis reperiuntur rationes quædam immobiles et necessariæ, non autem quatenus generationi et corruptioni et mutabilitati subduntur. — Il. cit. in arg.

Ad tertium dicendum in universum, quod omnes demonstrationes, quæ in Physica sunt in rebus, quæ aliter esse possunt, sunt de illis, secundum quod aliter se habere non possunt, ut verbi gratia de defectu lunæ et similibus. Est tamen differentia inter illa. Nam *quædam* non sunt semper secundum tempus, sunt autem semper per comparationem ad causam, quia nunquam deficit, quin posita tali causa sequatur effectus; sicut patet in exemplo lunæ, nunquam enim deficit, quin semper sit eclipsis lunæ, quandocumque terra diametraliter interponitur inter solem et lunam. In *quibusdam* vero contingit, quod non semper sunt etiam per comparationem ad causam, quia videlicet impediri possunt causæ; non enim semper ex semine hominis generatur homo duas manus vel quinque digitos in singulis manibus habens; sed quandoque fit defectus vel propter impedimentum causæ agentis vel materiæ. In utrisque tamen ita ordinandæ sunt demonstrationes, ut ex universalibus propositionibus inferatur conclusio universalis, removendo illa, in quibus potest esse defectus vel ex parte temporis vel ex parte causæ. (1. *Poster.* l. 16, al. 15). — Vel dic, quod conclusio syllogismi demonstrativi debet esse necessaria, vel sic vera, sicut frequenter. Et ideo quia id, quod est a fortuna, neque est necessarium, neque verum ut in pluribus, sed accidit ut in paucioribus, ut probatur in 2. *Phys. text.* 51; c. 5 et *text.* 77 et 85; c. 8, demonstrativa scientia non potest esse de eo, quod est a fortuna. Id vero, quod est verum ut plurimum, cadit sub demonstrationem et scientiam, in quantum est in eo aliquid necessitatis. Necessarium enim, ut dicitur 2. *Phys.*, aliter est in naturalibus, quæ sunt vera ut frequenter et deficiunt in minori parte, et aliter in disciplinis, idest in mathematicis, quæ sunt semper vera; nam in disciplinis est necessitas a priori, in naturalibus a posteriori, quod tamen est prius secundum naturam, scilicet a fine et forma. Unde sic docet Aristoteles ostendere propter quid, ut sic hoc debeat esse, puta quod oliva generetur, necesse sit hoc præexistere, scilicet semen olivæ; non autem ex semine olivæ generatur ex necessitate oliva, quia potest impediri per aliquam corruptionem generatio. Unde si fiat demonstratio ex eo, quod est prius in generatione, non concluditur ex necessitate, nisi forte accipiamus, hoc ipsum esse necessarium, semen olivæ ut frequenter esse generativum olivæ proprie, quia hoc facit secundum proprietatem suæ naturæ, nisi impediatur. — 1. *Poster.* l. 42 (40), 8 (7), 44 (42).

Ad quartum dicendum, quod duplex est mutabilitas: *una*, quæ competit omni creaturæ, et non est secundum motum aliquem naturalem, sed secundum dependentiam ad Deum, a quo si desererentur,

deficerent ab eo, quod sunt, et de hac mutabilitate loquendo, verum est, quod omnis creatura est mutabilis, et talis mutabilitas potius spectat ad considerationem philosophi divini, quam naturalis; *altera* est, quæ competit rebus generabilibus et corruptibilibus, et spectat ad philosophum naturalem, sed modo prædicto, puta secundum rationes universales, immutabiles, convenientes rebus, quibus inest prædicta mutabilitas. — Il. cit. in arg.

Ad quintum dicendum, quod est peculiare scientiarum practicarum versari circa contingentia ut sic, sicut speculativarum versari circa necessaria, et propterea Philosophus (6. *Ethic.* c. 3) non comprehendit practicas sub nomine scientiæ, quam numerat inter habitus, qui sunt virtutes intellectuales; sed comprehendit solas scientias speculativas. Ratio autem utriusque est, quia cognitio contingentium non potest habere certitudinem veritatis repellentem falsitatem; et ideo quantum ad solam cognitionem pertinet, contingentia prætermittuntur ab intellectu, qui perficitur per cognitionem veritatis, atque adeo per scientias speculativas, quarum finis est veritas, quæ primo et per se in immaterialibus, universalibus et necessariis consistit. Quia vero eorumdem cognitio maxime utilis es tad directionem humanarum operationum, circa quam versantur scientiæ practicæ, ideo illorum cognitio ad has spectat, quippe quarum finis est operatio, quæ est circa singularia, quæ sunt contingentia. — Il. cit. in arg; 1. *Poster.* l. 4 (3).

ARTICULUS III

UTRUM SCIENTIA SIT ETIAM DE HIS, QUÆ SUNT PER ACCIDENS.

Videtur quod scientia sit etiam de his, quæ sunt per accidens.

1. Quia de illo potest esse scientia, quod habet propriam rationem et causam; scire enim arbitramur unumquodque, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2, cum causas ejus cognoscimus; sed secundum eumdem (6. *Metaphys. text.* 5; l. 5, c. 2) ens per accidens et habet propriam rationem, puta esse defectum ejus, quod est in pluribus, et propriam causam, puta id, quod est in pluribus: ergo scientia potest esse de his, quæ sunt per accidens. — 1. *Poster.* l. 4 (3: 6. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, nomine entis secundum accidens vel intelligitur id, quod est in genere accidentium, vel id, quod est conflatum ex duobus prædicamentis, puta ex substantia et accidente; sed utroque modo sumptum est scibile. *Primo*, quidem quia plurimæ scientiæ tractant de accidentibus, quæ habent speciem determinatam et determinatas causas in subjecto. *Secundo* vero, quia conclusiones cujuslibet scientiæ sunt tale aggregatum ex subjecto scilicet, quod est ut plurimum substantia, et passione, quæ est accidens: ergo scientia potest esse de ente per accidens. — 11. *Metaphys.* l. 8.

3. Præterea, musica est de numero sonoro tanquam de subjecto, et similiter perspectiva est de linea visuali; sed tam numerus sonorus, quam linea visualis sunt entia per accidens: ergo potest esse scientia de ente per accidens. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 3, arg. 6 et 7.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 43; c. 30) docet, scientiam demonstrativam non esse ejus, quod est secundum accidens. — 11. *Metaphys.* l. 8; 1. *Poster.* l. 42 (40); 6. *Metaphys.* l. 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod de ente per accidens neque est scientia, neque potest esse, ut fuse probat Philosophus (6. *Metaphys. text.* 4 et 5; l. 5, c. 2 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 2; l. 10, c. 8). Et quidem *quod non sit* scientia de ente per accidens, manifestum est *primo*, inductione in omnibus scientiis, quia nulla scientia sive practica sive speculativa de illo considerat. Neque enim ars ædificatoria considerat, quid per accidens eveniat habitantibus in domo, quam facit, utrum accidat eis aliquod triste, vel prosperum, vel talia simul facit cum ipsa domo; hæc enim sunt infinita, quæ non possunt cadere sub artem. Similiter neque ars textoria considerat, quid accidat utentibus panno texto; et sic de singulis practicis. Similiter neque etiam speculativæ; Geometria enim non considerat ea, quæ per accidens conveniunt figuris, sed quæ per se; et similiter de aliis speculativis. — *Secundo*, idem

patet ratione, quia scientia speculatur de ente; sed ens secundum accidens non est ens, sed magis non ens, sicut non est per se et proprie unum; ens enim et unum convertuntur.

Quod autem nec possit esse scientia de ente per accidens, manifestum est ex tribus: *primo*, ex definitione ipsius entis per accidens. Nam omnis scientia, ut dicitur 1. *Poster. text.* 43; c. 30, est de eo, quod est vel semper vel ut plurimum; at ens per accidens neque est semper, neque ut plurimum, sed ut in paucioribus, cum sit defectus ejus, quod est in pluribus. — *Secundo* ex eo, quod ens per accidens caret principiis et causis determinatis, quales habet ens per se. Nam omnis scientia est ex principiis et causis per se et determinatis; at ens per accidens non habet causam per se determinatam, *tum* quia causa et effectus debent esse proportionata ad invicem, ut nimirum sicut effectus per se et determinatus habet causam per se et determinatam, ita effectus per accidens habeat causam per accidens et non determinatam; *tum* quia alioqui sequeretur, quod omnia essent ex necessitate. — *Tertio*, ex proprio objecto scientiæ. Scientia enim omnis speculatur de his, quæ sunt entia secundum rem; at ens per accidens est ens solo nomine, ut patet *tum* auctoritate Platonis, qui ordinando diversas scientias circa diversa subjecta ordinavit scientiam sophisticam circa non ens (rationes enim sophistarum maxime sunt circa accidens; secundum fallaciam enim accidentis fiunt maxime latentes paralogismi, ut dicitur 1. *Elench.* c. 4; c. 5; *tum* ex rationibus, quibus utuntur sophistæ; nam entium per accidens est alio modo generatio et corruptio, atque entium per se (horum enim una est generatio, ut hominis risibilis, illorum vero plures, ut musici, grammatici); *tum demum*, quia eatenus unumquodque est ens secundum rem, quatenus est unum; sed ex duobus, quorum unum accidit alteri, non fit unum, nisi secundum nomen, quatenus scilicet unum de altero prædicatur, ut cum musicum dicitur esse album, vel e contra, non autem ita, quod aliqua res una constituatur ex albedine et musica. Manifestum ergo est, quod de ente per accidens nullo modo est neque potest esse scientia. — Il. cit. in arg. *Sed contra*.

Ad primum ergo dicendum, quod licet ratio entis per accidens possit per aliquam scientiam considerari, ea tamen, quibus convenit esse per accidens, non cadunt sub considerationem ullius scientiæ; quod est dicere, ens per accidens formaliter sumptum spectare ad aliquam scientiam, non materialiter, de quo tamen est quæstio. Sicut similiter de infinito, secundum quod est infinitum, est aliqua scientia, non tamen de eo, quod est infinitum, cum sit ignotum; de ente autem per se et materialiter et formaliter scientiæ pertractant. — Il. cit. in arg.

Ad secundum dicendum, quod nomine entis per accidens intelligitur illud, quod neque habet speciem aliquam in se, neque aliquam causam determinatam, sicut album esse musicum; nam cum unaquæque scientia consideret proprium subjectum et accidentia per se illius, non nisi entia per se et secundum rem, quorum neutrum est ens secundum accidens, considerat. — 11. *Metaphys.* l. 8; 6. *Metaphys.* l. 2.

Ad tertium dicendum, quod musica non considerat numerum et sonum formaliter, sed considerat formaliter numerum, et materialiter sonum; considerat enim numerum in sono, seu sonos secundum quod sunt secundum numerum proportionabiles. Et similiter perspectiva non considerat formaliter lineam visualem, sed lineam in visu tanquam formale applicatum materiali. — l. c. in arg.

QUÆSTIO XXX

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD ACTUM.

Deinde considerandum est de essentia scientiæ quantum ad actum.

CIRCA HOC QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum scire convenienter a Philosopho definiatur.
2. Utrum scire simpliciter sit tantum per causas internas.

ARTICULUS I

UTRUM SCIRE CONVENIENTER A PHILOSOPHO DEFINIATUR.

Videtur quod non convenienter a Philosopho definiatur scire, quod sit cognoscere rem per causam, propter quam res est, et quod ejus est causa, et non contingit aliter se habere.

1. Dicit enim Philosophus 1. *Poster. text.* 30; c. 13, quod scire est effectus demonstrationis; sed ex eodem ibidem, sicut duplex est demonstratio: *quia* et *propter quid*, ita et est duplex scire: unum per effectum, alterum per causam: ergo male definitur scire absolute, quod sit cognoscere causam. — 1. *Poster* l. 4 (3) et 23 (22.)

2. Præterea, multa sciuntur, quæ tamen non cognoscuntur per causam, ut ea, quæ sciuntur in se, ut principia indemonstrabilia; vel in alio sive tanquam pars in toto, sive tanquam accidens in subjecto, sive tanquam effectus in causa: ergo scire absolute non est cognoscere rem per causam. — 1. *Poster.* l. 7 (6.)

3. Præterea, scire est conclusionum, sicut intelligere principiorum; sed in conclusione non est causa, cum medium, quod est causa, non sit in conclusione: ergo scire non est cognoscere causam. — 1. *Poster.* l. 7 (6) et 44 (42); 3. *Sent.* dist. 28, q. 1, a. 6, c.

4. Præterea, Deus est maxime scibilis; sed Deus non habet causam essendi, nec per consequens suæ veritatis: ergo scire non est cognoscere causam, propter quam res est, et quod illius sit causa. — *Opusc.* 70, q. 2, a. 2, arg. 2 et 3.

5. Præterea, potest aliquis per medium probabile vel per auctoritatem cognoscere causam rei, et quod illius sit causa, et quod non contingit aliter se habere, et tamen non dicetur scire: ergo male definitum est scire. — 1. *Poster.* l. 44 (42).

6. Præterea, scientia naturalis est vere scientia; sed ista non procedit ex causis et immutabiliter habentibus eosdem effectus (nam est vere scientia naturalis de hoc, quod homo est bipes vel habens duas manus cum decem digitis, et tamen nascuntur aliquando monstra; et similiter non semper ex semine olivæ nascitur oliva): ergo falsum est, quod ponitur in ultima parte definitionis, nimirum quod scire est cognoscere, non contingere rem aliter se habere posse.—1. *Poster.* l. 16 (15).

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Poster. text.* 5; c. 2 definit scire, quod sit cognoscere etc.—1. *Poster.* l. 4 (3) et 16 (15).

RESPONDEO DICENDUM, quod prædicta definitio recte tradita est, ut patet consideranti singulas ejus partes. Nam scire est rem perfecte cognoscere, perfecte autem cognoscere rem est perfecte apprehendere veritatem ipsius; sed eadem sunt principia esse rei et veritatis ipsius, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4; l. 1. min. c. 1. Cum ergo causa sit principium esse rei, et per consequens veritatis ipsius, oportet scientem, si est perfecte cognoscens, cognoscere causam rei, propter quam res est; sed qui cognoscit causam tantum, non cognoscit effectum in actu, quod est scire simpliciter, sed virtute tantum, quod est scire secundum quid et per accidens. Cum ergo hic definiatur scire simpliciter, ut dicit Philosophus, oportet scientem, ut simpliciter sciat, etiam cognoscere applicationem causæ ad effectum; unde dicitur in prædicta definitione: « *et quoniam illius est causa* ». Et quia scientia est certa cognitio rei, quod vero contingit aliter se habere, nullus potest per certitudinem cognoscere, ideo oportet, quod illud, quod scitur, non possit aliter se habere; unde additur in prædicta definitione: « *et non contingit rem aliter se habere* ». Cæterum hæc definitio magis est definitio dicens quid nominis, quam quid rei. Nam si quis recte consideret, per talem definitionem magis ostenditur, quid significet nomen, quam directe aliquid significetur; non enim notificat scientiam, de qua proprie posset definitio assignari, cum sit species alicujus generis, puta si diceremus, quod esset qualitas quædam facilitans intellectum ad recte judicandum de re per propriam causam, sed notificat ipsum scire; unde et a principio dixit: *scire autem opinamur*, et non dixit: *scire est aliquid tale*. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de proprio et perfecto modo sciendi; nam alius modus, quo scitur res per effectum, vel quo dicuntur

sciri principia indemonstrabilia, de quo dicit, se postea acturum, non est ita proprius et perfectus. — 2a 2æ, q. 9, a. 1 et 2, c.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus definit scire simpliciter, non autem scire secundum quid seu secundum accidens; quod est, quando scito aliquo per se sciuntur ea, quæ accidunt ei quodammodo; et hoc modo sciri dicuntur ea, quæ sciuntur in alio. Et propterea Philosophus antequam definiat ipsum scire, ut notificet, quodnam scire sit illud, quod est definiendum, ita habet : « *scire autem opinamur simpliciter, sed non sophistico modo* », quod est secundum accidens. Prima vero principia conclusionum sec undum Philosophum 1. *Poster. text.* 6; c. 3 proprie non sciuntur, sed intelliguntur ; nam proprie scientia est conclusionum, intellectus autem principiorum. — 2a 2æ, q. 9, a. 1 et a. 2, c.; 1. *Poster.* l. 7 (6).

Ad tertium dicendum, quod duplex est actus proprius scientiæ : unus est, cognoscere conclusiones, non tamen simpliciter, sed resolvendo illas ad prima principia, quod fit per discursum et inquisitionem; alter et perfectior est contemplari conclusiones per inquisitionem resolutas in sua principia et causas, seu certo cognoscere conclusiones, secundum quod jam sunt reductæ ; et habitus scientiæ est qualitas quædam hominem habilitans ad prædictos actus. — *de Verit.* q. 20, a. 3, ad 3; 3. *Sent.* dist. 31, q. 2, a. 4, c. et ad 6; 1a, q. 89, a. 6, ad 3.

Vel dic, quod illud, in quo aliquid videtur, est ratio cognoscendi illud, quod in eo videtur, ratio autem cognoscendi est forma rei in quantum est cognita, quia per eam fit cognitio in actu. Unde sicut ex materia et forma est unum esse, ita ratio cognoscendi et res cognita sunt unum cognitum; et propter hoc utriusque in quantum hujusmodi, est una cognitio secundum habitum et secundum actum, et ita non est alius habitus, quo cognoscitur medium demonstrationis et conclusio, secundum quod medium ad conclusionem ordinatur, sicut nec est alius habitus, quo cognoscitur Verbum et ea, quæ in Verbo dicuntur. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 4.

Vel dic, sicut dictum est supra q. 20, a. 4, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod sicut de ratione scientiæ non est, quod ejus subjectum habeat partes præsertim componentes, vel partes subjectivas et passiones, ita nec veras causas, sed sufficit, quod habeat aliquid loco passionis et causæ. In Deo igitur loco passionum sunt attributa, quæ secundum nostrum modum intelligendi consequuntur substantiam ejusdem, ut dicit Damascenus, et habitudines et operationes ejus respectu creaturæ; loco vero causæ sunt variæ rationes, ut uniformitas in respectu æternitatis, et similia. — *Vel dic*, quod scientia, cujus actus definitur a Philosopho, consistit in motu rationis discurrentis a principiis prioribus ad proprietates, et ideo, si qua res est, quæ non habeat principia priora, ex quibus ratio procedere possit, ut sunt in proposito substantiæ separatæ, horum non potest esse scientia, secundum quod a Philosopho accipitur, scilicet prout est demonstrationis effectus. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 41 (39).

Ad quintum dicendum secundum Philosophum 1. *Poster. text.* 6 et 44; c. 3 et 33, quod prima principia, ex quibus procedit demonstratio ad causandam scientiam, non cognoscuntur per habitum opinionis, sed per intellectum, qui dicitur scientia indemonstrabilis et principium scientiæ, quia est certa cognitio propositionis indemonstrabilis et per se et necessariæ. — 1. *Poster.* l. 7 (6) et 44 (42).

Ad sextum dicendum, quod conclusiones physicæ sunt in triplici differentia. Nam, ut dictum est, *aliæ* sunt de rebus, quæ sunt semper et quantum ad tempus et quantum ad causam, ut hominem esse risibilem; *aliæ* sunt de rebus, quæ non sunt semper secundum tempus, sunt tamen semper per comparationem ad causam, quia nunquam deficit, quin posita tali causa sequatur effectus, ut lunam esse privatam lumine; *aliæ* denique sunt de rebus, quæ non semper sunt quoad tempus neque quoad causam, ut quod homo sit bipes, quod sit habens duas manus cum decem digitis, quod ex semine olivæ nascatur oliva. Et de his omnibus est demonstratio et scientia, cum hac tamen differentia, quod primæ demonstrantur sine ullo addito; secundæ vero et tertiæ demonstrantur cum addito, ratione cujus removetur om-

nis defectus sive ex parte temporis, sive ex parte causæ, ita ut ea, de quibus sunt, licet non semper sint, de illis tamen possit esse demonstratio. — V. supra q. 29, a. 2, ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM SCIRE SIMPLICITER SIT TANTUM PER CAUSAS INTRINSECAS.

Videtur quod scire simpliciter non sit tantum per causas intrinsecas.

1. Id enim expresse docet et probat Philosophus 2. *Poster. text.* 11; c. 11. Sic enim argumentatur: scire tunc arbitramur, cum causam novimus; sed causæ sunt quatuor; ergo scire est per quatuor causas. — 2. *Poster.* l. 9.

2. Præterea, Philosophus 3. *Metaphys. text.* 3; l. 2, c. 2 probat, scire simpliciter esse posse per causam efficientem et finalem; sed hæ causæ sunt extrinsecæ rei: ergo scire simpliciter potest esse per causas extrinsecas. — 3. *Metaphys.* l. 4.

3. Præterea, Philosophus 2. *Phys. text.* 91; c. 9 dicit, quod Physica debet demonstrare per causam materialem, sed præcipue per finalem, quia ab illa sumitur ratio necessitatis materiæ; sed Physica est vera scientia, ut dicit Philosophus 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys. text.* 6; l. 10, c. 7: ergo demonstratio et scire, quod est ejus effectus, possunt esse per causas extrinsecas. — 2. *Phys.* l. 15; 5. *Metaphys.* l. 1.

4. Præterea, in omnibus, quæ aguntur propter finem, ut in naturalibus, moralibus et artificialibus, demonstratio potissima sumitur a fine; sed finis est causa extrinseca: ergo demonstratio et scientia possunt esse per causas extrinsecas. — 5. *Metaphys.* l. 1 et 3.

5. Præterea, major demonstrationis affirmativæ est in quarto modo dicendi per se, sicut minor in primo, conclusio vero in secundo et quarto; sed quartus modus est causæ efficientis: ergo scire, quod est effectus demonstrationis, est per causam efficientem, quæ est extrinseca. — 2. *Phys.* l. 15; *Opusc.* 48, tr. 8, c. 4; 1. *Poster.* l. 10 (9) et 12 (11).

6. Præterea, Deus habet perfectissimam scientiam rerum omnium, et tamen non cognoscit illas per causas intrinsecas, sed per extrinsecas, puta per efficientem et finalem; nam cognoscit illas per suam essentiam, quæ est respectu illarum causa efficiens et finalis; vel per ideas, quæ cum sint magis remotæ a re, quam essentialia et accidentalia rei, non possunt habere rationem causæ intrinsecæ, sed extrinsecæ. — *de Verit.* q. 2, a. 3, arg. 20 et a. 4, arg. 4 et 6.

7. Præterea, unius rei est una tantum causa, ut dicitur 2. *Poster. text.* 26; c. 17; sed hæc est aliquando extrinseca, puta efficiens, ut ejus quod est fluere folia, condensari succum seminis in contactu scilicet folii ad ramum, ut dicit Philosophus ibidem: ergo scientia etiam est per causas extrinsecas. — 2. *Poster.* l. 19.

Sed contra est, quod dicit Philosophus 2. *Phys. text.* 27; c. 3, quod tunc maxime scire arbitramur unumquodque, cum scimus propter quid, seu quid est illius; sed quid est, ut idem docet ibidem et 7. *Metaphys. text.* 2 et 59; l. 6, c. 1 et 17, significat substantiam rei, quam non constituunt causæ extrinsecæ, sed intrinsecæ rei: ergo scientia est tantum per causas intrinsecas. — 2, *Phys.* l. 5; 1. *de Anima* l. 2.

RESPONDEO DICENDUM, quod in demonstratione propter quid, quæ est faciens scire simpliciter, medium est quod quid est; verum, ut docet Philosophus 7. *Metaphys. text.* 59; l. 6, c. 17, diverso modo consideratur quod quid est a logico et a philosopho. Cum enim logicus consideret modum prædicandi, et non existentiam rei, quidquid respondetur ad quid est, dicit pertinere ad quod quid est, sive sit intrinsecum, sive extrinsecum rei. Et propter hoc quia quærenti propter quid verbi gratia lapides et lateres sunt domus, potest responderi per causam finalem; ut si dicas, ut defendat a frigore temporisque injuriis; et per efficientem, ut si respondeas, illa esse domum propter artem ædificativam; ideo causa finalis et efficiens logice pertinent ad quod quid est, et consequenter logice potest fieri demonstratio non solum per causas intrinsecas, sed etiam per extrinsecas. Sed philosophus, quia existentiam rerum quærit, finem vel agentem, cum sint extrinseca rei, non comprehendit sub quod quid erat esse, et ideo demonstratio

philosophica non procedit nisi ex causis intrinsecis. — Et sic patet *ad duo prima objecta;* nam tantum probant logice loquendo posse fieri demonstrationem simpliciter per causas extrinsecas, non tamen loquendo philosophice. — 7. *Metaphys.* l. 17 (15); 1. *de Anima.* l. 2.

Ad tertium ergo et *quartum* dicendum, quod ea, quæ sunt ad finem, sumunt suam speciem a fine proximo, ut sunt moralia, artificialia et quædam naturalia; non tamen ita, quod finis sit causa intrinseca, sed quia debita proportio illorum ad finem est illis intrinseca, et veluti eorum forma. — 1a 2æ, q. 1, a. 3, c. et ad 1 et a. 4, c. et q. 18, a. 4, ad 2; *de Malo* q. 2, a. 4, ad 9.

Ad quintum dicendum, quod quartus modus continet quidem causam efficientem passionis, sed non subjecti, de quo dicitur esse scientia; est enim hæc causa definitio subjecti, quæ non nisi causas intrinsecas complectitur.—Il. cit. in arg. et c.

Ad sextum dicendum, quod quamvis agens naturale, ut dicit Avicenna, non sit causa nisi fiendi, cujus signum est, quod eo destructo non cessat esse rei, sed fieri solum; agens tamen divinum, quod est influens esse rei, est causa essendi; et quamvis rerum constitutionem non ingrediatur, est tamen similitudo principiorum essentialium ipsius, et idem dico de idea, quæ est ipsamet essentia Dei. — l. cit. in arg.; 7. *Metaphys.* l. 17 (15).

Ad septimum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod unius rei est una causa, id est unum medium in demonstratione, quod est definitio formalis majoris extremi; quæ tamen, si demonstrari indiget de subjecto, demonstratur per definitionem subjecti. Manifestum est autem, quod unius est una definitio; unde oportet, quod unius rei una tantum sit causa, quæ est medium demonstrationis. Cæterum hæc definitio potest esse ex pluribus causis internis; ut si quæras, propter quid homo est corruptibilis, responderi potest, tanquam per causas intrinsecas adæquatas, per causam formalem et materialem; ut si dicas : quia constat ex materia, quæ est potentia contradictionis; vel : quia constat forma affecta qualitatibus habentibus contrarium. — 2. *Poster.* l. 19.

QUÆSTIO XXXI

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD HABITUM.

Deinde considerandum est de essentia scientiæ quantum ad habitum.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum scientia habitualis sit collectio specierum intelligibilium.
2. Utrum sit collectio plurium habituum, an vero sit simplex qualitas.
3. Utrum recte definiatur, quod sit qualitas facilitans intellectum ad recte judicandum de re per propriam causam.

ARTICULUS I

UTRUM SCIENTIA HABITUALIS SIT COLLECTIO SPECIERUM INTELLIGIBILIUM.

Videtur quod scientia habitualis sit collectio specierum intelligibilium.

1. Quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed in Angelis scientia habitualis nihil importat præter coordinationem specierum intelligibilium: ergo idem etiam importabit in homine. — 1a, q. 58, a. 1; 1a 2æ, q. 50, a. 6 et q. 54, a. 4.

2. Præterea, in anima Christi Domini augebatur scientia acquisita secundum essentiam ipsius habitus sicut in nobis; sed non augebatur in illa, nisi per successivam generationem specierum intelligibilium : ergo et in nobis augebitur eodem modo, et ita scientia habitualis nihil aliud erit, quam collectio specierum intelligibilium. — 3a, q. 12, a. 2; 1a 2æ, q. 52, a. 2, c.

3. Præterea, species intelligibilis se habet ad scientiam ut formale, sicut phantasmata se habent ut materiale, scientia enim fit per assimilationem ; sed hæc fit per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ : ergo scientia formaliter nihil aliud est, quam species intelligibiles ordinatæ. — 1a 2æ, q. 67, a. 2; 1a, q. 14, a. 2, ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 5, c.

4. Præterea, scientia habitualis impor-

tat ordinem ad actum; sed potentia intellectiva simul cum speciebus intelligibilibus ordinatis est sufficiens principium talis actus : ergo habitus scientiæ sufficienter ex duobus consistet : lumine intelligibili, quod est intellectus agens producens species, et similitudine rei cognitæ, quæ est ipsa species intelligibilis : ergo habitus scientiæ consistit formaliter in ordinatione specierum. — 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, arg. 1 et d. 14, q. 1, a. 1, sol. 2 et 3; 1a 2æ, q. 49, a. 4, arg. 2, et q. 50, a. 2, c.

5. Præterea, ad actus naturales et necessarios non requiritur ullus habitus superinductus potentiæ agenti naturaliter et necessario, ut patet in omnibus agentibus naturalibus, ut in igne calefaciente et similibus (et inde est, quod res naturales non possunt aliquid consuescere vel dissuescere, ut dicitur 2. *Ethic.* c. 1, quomodo acquiritur habitus, ut dixit Philosophus 3. *Ethic* c. 5); sed posito assensu principiorum et speciebus intelligibilibus diversarum conclusionum, intellectus est naturaliter et necessario determinatus ad illis assentiendum : ergo scientia habitualis nihil importat præter species intelligibiles ordinatas. — 1a 2æ, q. 51, a. 2, c.; 3. *Ethic.* l. 11 et 12.

Sed contra est : 1. quod Philosophus in *Prædicam.* c. 9 ponit scientiam in prima specie qualitatis, et 6. *Ethic.* c. 3 scientiam definit esse habitum demonstrativum; sed nulla species qualitatis est composita ex pluribus speciebus, cujusmodi sunt species intelligibiles diversarum conclusionum : ergo scientia habitualis non est ordinatio specierum intelligibilium. — 6. *Ethic.* l. 3; 1a 2æ, q. 50, a. 4, *Sed contra* et q. 51, a. 2, c.

2. Præterea, per habitum scientiæ homo est promptus ad judicandum de conclusionibus; sed species intelligibiles non pertinent ad judicium, sed ad apprehensionem : ergo scientia habitualis non est ordinatio specierum intelligibilium. — 1a 2æ, q. 53, a. 3, c.; 2a 2æ, q. 9, a. 2, ad 3; *de Malo* q. 16, a. 12, c.

3. Præterea, singulæ species et omnes carent contrariis; sed scientia habet contrarium : ergo scientia habitualis non est species intelligibilis ordinata, vel ordinatio specierum intelligibilium. — 1a, q. 89, a. 5, c; 1a 2æ, p. 53, a. 1, c. et ad 2.

Respondeo dicendum, quod de scientia habituali varie opinati sunt Philosophi. Nam *quidam*, ut Avicenna dicunt scientiam habitualem esse habilitatem quamdam in anima ad recipiendas species intelligibiles ab intelligentia agente. — Sed hæc opinio non videtur rationabilis. *Primo*, quia talis habilitas est naturalis, et scientia habitualis est acquisita per actus; *secundo*, quia per species intelligibiles redditur intellectus paratior ad perfectius recipiendum cognitionem per influentiam superioris substantiæ, quare frustra datur alia habilitas præcedens in anima. — *de Verit.* q. 10, a. 2, c. et q. 12, a. 1, ad 1 et q. 20, a. 2, c; 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a.2, c. et ad 3 ; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 2 et 3; 1a 2æ, q. 50, a. 5, arg. 1; 1. *c. Gent.* c. 56, ad 5; 7. *Phys.* l. 6.

Dicunt ergo *alii*, ut Algazel, scientiam esse sigillationem scibilis in intellectu possibili scientis, seu fieri scientiam in illo, quatenus species intelligibiles per intellectum agentem abstracte recipiuntur in illo; quos sequuntur ex Philosophis, quotquot asserunt, scientiam habitualem esse collectionem vel ordinationem specierum intelligibilium. — Sed hæc opinio etiam non est conveniens; nam licet ad scientiam necessario requirantur species intelligibiles ordinatæ repræsentantes conclusiones varias, de quibus est scientia, non tamen in hac ordinatione formaliter consistit habitualis scientia, sed tantum causaliter. — *de Verit.* q. 2, a. 1, ad 6 et q. 24, a. 4, ad 9; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 4 et dist. 31, q. 2, a. 4, c.; 1a, q. 89, a. 5, c; *de Virt. Card.* a. 4, ad 9.

Quod potest esse manifestum ex multis. Et *primo*, ex parte ordinationis specierum; nam hæc, sicut et quælibet ordinatio aliquorum ad invicem, est dispositio, ut definit Augustinus dist. 19, late sumpto tali nomine; at hujusmodi dispositio distinguitur contra habitum non solum specie et genere, sed etiam prædicamento : ergo cum scientia secundum Philosophum loc. supra cit. spectet ad primam speciem qualitatis, puta ad habitum, non potest essentialiter consistere in tali ordinatione. — *Secundo*, ex parte ipsarum specierum per ordinem ad intellectum; nam illæ ne-

cessario requiruntur ad hoc, ut intellectus sit simpliciter potens considerare conclusionem; at scientia habitualis non requiritur simpliciter ad considerationem, sed tantum ad bene, seu ad facile, prompte ac delectabiliter considerandum, quomodo requiritur quilibet habitus ad actum. (1a, q. 14, a. 2, ad 3 et q. 88, a. 1, ad 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a. 1; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1; *de Virt. in com.* a. 12, ad 4). — *Tertio*, ex parte specierum per ordinem ad intelligentem ut sic; nam species intelligibilis, sicut et intelligere, est, quo intelligens formaliter intelligit. Scientia enim actualis, sicut et quælibet intellectio fit formaliter per assimilationem, hæc autem inest actui per speciem intelligibilem; at scientia habitualis non est, quo quis formaliter intelligit, sed tantum efficienter; nam sine illa potest quis intelligere conclusionem, non tamen potest sine principio formali. (1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 2, sol. 1; 1a, q. 14, a. 2, ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 5, c.) — *Quarto* ex parte specierum per ordinem ad actum sciendi; nam scientia habitualis gignitur ex actu sciendi, cum sit promptitudo et facilitas quædam operandi ex operandi consuetudine comparata imo et ex uno tantum actu, sicut et unica demonstratione, ut dictum est; at species intelligibilis non generatur ex actibus intellectus possibilis considerantis conclusionem, cum illos antecedat, sed ex actibus intellectus agentis. — *Quinto* ex contrariis proprietatibus habitualis scientiæ et specierum intelligibilium; nam hæ et singulæ et omnes simul, carent contrariis, at scientia habet contrarium (3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c; 1a, q. 89, a. 5, c; 1a 2æ, q. 51, a. 2, c. et ad 3 et a. 3, c; *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 7; *Quodl.* 8, a. 3; ll. cit in *Sed contra* h. art.; *Tabula Aurea* voce « cognitio » n. 22; v. supra q. 28, a. 4). — *Sexto* ex diverso modo augmenti scientiæ habitualis et specierum intelligibilium; nam istæ augentur per veram additionem aliarum specierum supervenientium præcedentibus speciebus : at habitus scientiæ non augetur per additionem alterius habitus advenientis præcedenti; nam per primam demonstrationem totus acquiritur, et per reliquas demonstrationes diversarum conclusionum augetur tantum extensive, quia ad plura extenditur. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 3.

Rationabilius ergo *alii* dicunt, quod scientia formaliter importat qualitatem de prima specie, puta habitum, quem sequitur respectus ad scibile. Cujus propositionis veritas ex tribus manifesta esse potest. *Primo*, a sufficienti partium enumeratione; non enim scientia habitualis est vel habilitas ad suscipiendas species intelligibiles ab intelligentia agente, vel ordinatio talium specierum, ut dictum est : ergo erit qualitas prædicta seu habitus. *Secundo*, ex ordine intellectus ad habitum; nam omne, quod patitur et movetur ab alio, disponitur per actum agentis, unde ex multiplicatis actibus, si unus tantum non habeat firmitatem, vel uno, si illam habeat, generatur quædam qualitas in potentia passiva et mota, quæ nominatur habitus (sic enim habitus virtutum moralium causatur in voluntate, ut movetur a ratione) : ergo similiter in intellectu, quatenus ad assentiendum conclusioni movetur a primis principiis per se notis, ex hujusmodi assensu generabitur quædam qualitas seu habitus scientiæ. — 1a 2æ, q. 49, a. 1 et 2 ad 3 et a. 3, ad 1 et q. 54, a. 4, ad 4; *de Verit.* q. 4, a. 5, c. et q. 21, a. 6, c; *de Virt. in com.* a. 1, c. et ad 11 et 13; *de Carit.* a. 2, c.; 1a, q. 84, a. 5, c.; 3. *Sent.* d. 31, q. 2, a. 4, c. et ad 6.

Tertio ex convenientia scientiæ cum habitu; nam illa sunt omnino essentialiter eadem, quibus convenit eadem definitio et eadem ratio necessitatis per comparationem ad actum, et idem generationis et augmenti modus; ita vero se habent scientia habitualis et habitus, quæ est prima species qualitatis, ut patet discurrenti. Nam *primo*, sicut habitus est qualitas non dans simpliciter posse, sed faciliter (unde non est simpliciter necessarius ad agere, sed tantum ad bene agere), ita et scientia habitualis; nam sine hac homo potest assentiri conclusioni, non tamen faciliter et perfecte. — *Secundo*, sicut ad tria necessarius est habitus, nimirum *primo* ad hoc, ut quis firmiter et uniformiter operetur; quæ enim ad agendum habituali propensione carent, instabilia sunt facileque mutantur. *Secundo*, ut actio perfecta in promptu habeatur, seu ut potentia alioqui indeter-

minata ad plura ad unum potius determinetur, quam ad aliud; nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, præcedere inquisitionem de opere, ut contingit in eo, qui vult considerare nondum habens habitum scientiæ, et qui vult secundum virtutem agere habitu virtutis carens; unde Philosophus 3. *Ethic.* c. 7, ait, quod repentina sunt ab habitu. *Tertio*, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur, quod fit per habitum, qui, cum sit per modum cujusdam naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit. Unde Aristoteles 2. *Ethic.* c. 2 ait, delectationem in opere esse signum generati habitus. Ita scientia habitualis propter eadem tria requiritur, et illa tribuit intellectui, ut eidem eadem tribui per species intelligibiles non possint, ut colligi potest ex dictis; præterquam quod intellectiva potentia ad judicium et assensum non solum indiget aliquo determinante ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ. Nam cum potentia intellectiva sit affecta speciebus diversarum conclusionum, debet habere aliquid, per quod determinetur ad prompte, firmiter et delectabiliter utendum his speciebus potius quam aliis, et similiter ad considerandum per has potius species susceptas, quam per alias; at species intelligibiles non determinant nisi ex parte objecti, atque adeo ad solam apprehensionem, non autem ad judicium; habitus vero scientiæ determinat intellectum ex parte potentiæ, et determinat ad assensum judicativum. — *Tertio*, sicut habitus generatur ex actibus potentiæ cui inest, ita habitus scientiæ, cum sit in intellectu possibili, generatur ex ejus actu, ut dictum est. — *Postremo*, sicut habitus intellectuales, qui ex unico actu ratione suæ firmitatis et certitudinis generantur, non augentur, ut dictum est, nisi extensive, ita et habitus scientiæ. — *Dicendum ergo est,* quod scientia habitualis non est ordinatio vel collectio specierum intelligibilium, sed est qualitas de prima specie, puta habitus cum quodam respectu ad scibile. — 1a 2æ, q. 50, a. 2, c.; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.; 1a, q. 83, a. 2, c.; 1a 2æ, q. 49, a. 1, a. 2 et a. 4, c. et q. 89, a. 4, c.; *de Virt. in com.* a. 1, c. et ad 13; *de Carit.* a. 2, c.; *de Malo* q. 16, a. 12, c.; ll. cit. supra contra primam et secundam opinionem.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est discrimen inter intellectum humanum et angelicum, quod ille, qui est infimus in ordine intellectuum, est in potentia respectu omnium intelligibilium, et ideo præter species intelligibiles eget habitu; at hic, quia est in ordine intelligibilium partim actus partim potentia, quatenus potentia eget speciebus, quatenus actus potest sine habitu se et alia suo modo intelligere. — 1a 2æ, q. 50, a. 6.

Ad secundum dicendum, quod scientia acquisita in anima Christi augebatur secundum essentiam terminative, quia scilicet extendebatur ad plura scibilia secundum unam rationem scibilis, quam ipsa secundum suam essentiam respicit, et ad quam terminatur per novarum specierum abstractionem et acquisitionem; in nobis vero, licet augmentum scientiæ sit duplex, *aliud* secundum essentiam, puta secundum extensionem seu extensive per acquisitionem novarum specierum circa diversas conclusiones (non autem per acquisitionem novi habitus; nam habitus ille, qui fuit per primam demonstrationem acquisitus post secundam et tertiam et alias consequentes circa alias conclusiones fit perfectior, utpote ad plura se extendens, eo quod conclusiones et demonstrationes unius scientiæ ordinatæ sunt, et una derivatur ex alia); *aliud* vero secundum participationem subjecti seu per intensionem, quatenus expeditius et clarius unus homo se habet alio in eisdem conclusionibus considerandis; neutro tamen modo habitus scientiæ componitur ex pluribus entitatibus, ut patet. — 3a, q. 12, a. 2, c.; cf. Cajetan. in h. loc.; 1a 2æ, q. 54, a. 4 et q. 52, a. 2.

Ad tertium dicendum, quod species intelligibiles sunt formale scientiæ actualis, ex qua producitur scientia habitualis; nam actualis scientia, quatenus est similitudo objecti sciti, producitur a speciebus intelligibilibus et ab illis dependet secundum suam substantiam simpliciter, ab habitu vero scientiæ tantum quoad modum. — 1a, q. 14, a. 2, ad 2; *de Pot.* q. 7, a. 5, c.; 4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 1, c.

Ad quartum dicendum, quod ad assensum perfectum conclusionis eget intellectus aliquo determinante non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ; species autem intelligibilis est tantum determinans ex parte objecti, habitus vero determinat ex parte potentiæ. Unde habitus scientiæ sufficienter constat ex lumine intellectus agentis et specie intelligibili, si sumatur primum principium activum illius ex parte objecti; secus vero, si sumatur principium actus, quod movet motum ex parte potentiæ. — l. c. in corp. h. art.; 1a 2æ, q. 51, a. 2, c.

Ad quintum dicendum, quod assensus conclusionis, licet posito assensu principiorum sit necessarius, potest tamen habitum generare, quia hic non ponitur ad hoc, ut inclinet ad actum consimilem illi, a quo genitus est, quoad modum, sed tantum quoad substantiam seu speciem; nam actus, a quo generatur habitus scientiæ, est inquisitionis; actus vero procedens ex habitu generato est contemplativus rei jam inquisitæ. — *Vel dic*, quod datur habitus scientiæ, ut inclinet in assensum conclusionis per medium tamquam per rationem assentiendi, non tamquam rem cognitam; nam hoc secundo modo pertinet ad habitum intellectus, et præcedit generationem scientiæ, et debet tale medium esse in figura dispositum; primo vero modo pertinet ad habitum scientiæ, et unico actu virtualiter cum conclusione cognoscitur, et non est in figura dispositum. — *Vel dic*, sicut in c. ad 4. — *de Verit.* q. 20, a. 3, ad 3; 1a 2æ, q. 8, a. 3, c.; cf. Cajetan. in h. loc.; 1a 2æ, q. 52, a. 2, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM SCIENTIA HABITUALIS SIT COLLECTIO PLURIUM HABITUUM, AN VERO SIT SIMPLEX QUALITAS.

Videtur quod scientia habitualis non sit simplex qualitas, sed composita ex pluribus.

1. Illud enim, cujus generatio non simul perficitur, sed successive, constituitur ex multis partibus; sed generatio scientiæ non est simul, sed successive ex pluribus actibus : ergo scientia constituitur ex pluribus habitibus — 1a 2æ, q. 54, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, de una sola conclusione potest haberi scientia actu et habitu; sed multæ conclusiones pertinent ad unam scientiam totam, sicut ad Geometriam, vel Arithmeticam : ergo tota scientia constituitur ex pluribus. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, nulla qualitas vel forma simplex potest diminui; nam vel tota habetur, vel tota amittitur; sed scientia potest diminui : ergo non est forma simplex, sed composita. — 1a 2æ, q. 53, a. 2, arg. 1.

4. Præterea, scientia particularis de una conclusione est diversa a scientia alterius conclusionis; sed tota scientia, puta Geometria vel Physica comprehendit sub se diversas scientias particulares : ergo tota scientia non est unus habitus et forma simplex, sed constituitur ex pluribus habitibus. — *de Verit.* q. 8, a. 16, a. 4.

5. Præterea, habens habitum scientiæ, si non fuerit impeditus ebrietate vel amentia, potest operari per illum; sed habens habitum scientificum primæ conclusionis in Geometria, non potest exire in actum sciendi cæteras Geometriæ conclusiones, quas nunquam consideravit : ergo habitus scientificus primæ conclusionis distinguitur ab habitu secundæ et tertiæ et consequentium, et sic tota scientia non erit simplex qualitas. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 3 et q. 65, a. 1, ad 2; *de Virt. Card.* a. 2, ad 2 et 5.

6. Præterea, habitus habentes diversas generationes et corruptiones, intensiones et remissiones sunt diversi; sed habitus primæ conclusionis geometricæ et tertiæ vel decimæ sunt hujusmodi (nam habitus primæ potest seorsum generari et intendi absque eo, quod generetur habitus tertiæ vel decimæ; potest quis oblivisci decimæ, manente habitu primæ et tertiæ et reliquarum conclusionum usque ad decimam): ergo non est idem habitus primæ et decimæ, et proinde tota scientia constituetur ex pluribus habitibus. — *de Verit.* q. 20, a. 4, ad 10 et 14; v. Cajetan. in 1am 2æ, q. 54, a. 4.

7. Præterea, habens habitum scientiæ primæ conclusionis potest habere positivum errorem decimæ : ergo non est idem

habitus primæ et decimæ ; alioqui possent esse simul scientia et error positivus circa eamdem conclusionem. — *de Virt. Card.* a. 2, ad 4, 8, 11 ; 1a 2æ, q. 65, a. 1, ad 4.

8. Præterea, specie contraria, cum differant diversitate rerum, non possunt ad eumdem habitum pertinere (nam scientiæ secantur sicut res, ut dicit Philosophus 3. *de Anima text.* 38 ; c. 8) ; sed ad Physicam pertinent contraria specie, ut patet in elementis et primis eorum qualitatibus : ergo Physica non potest esse una simplex qualitas. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 1.

Sed contra est: 1. quod scientia, cum sit qualitas quædam, est forma simplex ; sed nullum simplex constituitur ex pluribus, ut dicitur 12. *Metaphys. text.* 37 ; l. 11, c. 7 : ergo scientia non constituitur ex pluribus habitibus, sed est unus habitus. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, arg. *Sed contra* ; 12. *Metaphys*, l. 7 (5).

2. Præterea, omne prædicatum multiplicatur ad multiplicationem subjectorum (verum enim est dicere, quod homo et equus sunt duo animalia, et similiter, quod Petrus et Paulus sunt duo homines ; et ratio est, quia, multiplicato superiori, necesse est multiplicari inferius ; nam impossibile est, quod multiplicatum superius pertineat ad naturam unius hominis, ut quod plura animalia pertineant ad naturam Petri) ; sed habitus est quid superius ad scientiam, ut patet, et quilibet habitus ad scientiam requisitus, cum sit certus et evidens, est scientia : ergo scientia non est collectio plurium habituum. — *Opusc.* 42, c. 5 (3) et 9 (4).

3. Præterea, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ, et omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum ejus, Deus infundit supernaturalia per modum naturalium ; sed habitus virtutum theologicarum et virtutum moralium infusarum sunt simplices habitus : ergo et scientia naturaliter acquisita erit simplex habitus, et consequenter, sicut sub objecto fidei et virtutum infusarum continentur objecta partialia specie diversa, et actus specie diversi ab illis proveniunt, ita similiter sub objecto scientiæ. — 1a 2æ, q. 49, a. 4, c., et passim in 1a 2æ et 2a 2æ.

4. Præterea, habitus, cum sit perfectio potentiæ illi commensurata, ita se habet ad suum objectum, sicut potentia ad suum ; sed eadem potentia se extendit ad plura objecta specie diversa per actus specie diversos, ut potentia visiva ad colores et lumen, et tactiva ad plures qualitates tangibiles specie differentes : ergo et idem habitus scientiæ poterit se extendere per plures actus specie diversos ad objecta specie diversa ; — cum præsertim habitus sit medius inter potentiam et actum, et aliquando sit magis spiritualis, quam sint potentiæ sensitivæ, quæ sunt immersæ in materia, ut est in proposito habitus scientiæ. — *Tabula Aurea* voce « habitus » n. 1 ; 1a 2æ, q. 54, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod cum scientia sit habitus ad operationem ordinatus, est perfectio quædam potentiæ intellectivæ ; omnis autem perfectio proportionatur et commensuratur suo perfectibili. Unde sicut potentia intellectiva, cum sit una, ad plura se extendit, secundum quod conveniunt in uno aliquo, id est in generali quadam ratione objecti ; ita et habitus scientiæ ad multa se extendit, secundum quod habent ordinem ad aliquod unum, puta ad unam rationem specialem objecti. Si ergo consideremus habitum scientiæ secundum ea, ad quæ se extendit, sic inveniemus in eo quamdam multiplicitatem ; sed quia ista multiplicitas est ordinata ad aliquod unum, ad quod principaliter respicit scientia, inde est, quod scientia est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad plura se extendat ; non enim se extendit ad illa, nisi in ordine ad unum, ex quo habet unitatem. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod successio in generatione habitus scientiæ non contingit ex hoc, quod pars ejus generatur post partem ; sed ex eo, quod subjectum non statim consequitur dispositionem firmam et difficile mobilem, et ex eo, quod incipit imperfecte esse in subjecto, et paulatim perficitur, sicut etiam est de aliis habitibus et qualitatibus. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ille, qui acquirit in aliqua scientia per demonstrationem scientiam unius conclusionis, habet quidem habitum, sed imperfecte ; cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam alterius conclusionis, non

aggeneratur in eo alius habitus; sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, utpote ad plura se extendens, eo quod conclusiones et demonstrationes unius scientiæ ordinatæ sunt, et una derivatur ex alia. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod habitus scientiæ secundum se consideratus est forma simplex, et secundum hoc non accidit ei diminutio; sed secundum diversum modum participandi, qui provenit ex indeterminatione potentiæ ipsius participantis, quæ scilicet potest diversimode unam formam participare vel quæ potest ad plura vel pauciora extendi. — 1a 2æ, q. 53, a. 2, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod per scientiam particularem vel intelligitur habitus totalis scientiæ ut determinatus per demonstrationem et medium particulare ad particularem conclusionem, vel ipsa demonstratio particularis conclusionis; hæc enim ratione medii, quod in se includit, est activum principium habitus scientiæ et pars potentialis illius, ad modum, quo species intelligibiles in Angelo dicuntur partes illius secundum potentiam. — 1. *Sent.* dist. 35, a. 5, ad 2; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 2 et q. 50, a. 5, ad 3; v. Cajetan. in 1am 2æ, q. 54, a. 4.

Ad quintum dicendum, quod cum habitus scientiæ totus acquiratur et generetur per primam demonstrationem, et augeatur per alias demonstrationes, quatenus per illas præcedens habitus fit perfectior, utpote ad plura se extendens, nunquam talis habitus dicitur principium proximum assentiendi conclusionibus reliquarum demonstrationum, sicut primæ conclusioni, donec earum species intelligibiles acquirantur et inter se ordinentur; dicitur tamen principium remotum assentiendi conclusionibus illarum, quatenus tales conclusiones ordinatæ sunt cum prima et ex illa derivantur. Hinc enim est, quod geometer verbi gratia, qui acquisivit scientiam primæ conclusionis per primam demonstrationem, modicos tudio potest acquirere scientiam aliarum conclusionum, quas nunquam consideravit, proprio scilicet studio vel præceptoris opera in se acquirendo et ordinando species reliquarum demonstrationum, ex quibus reliquæ conclusiones deducuntur. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, ad 3 et q. 65, a. 1, ad 1; *de Virt. Card.* a. 2, ad 5.

Ad sextum dicendum, quod cum in scientia sit duplex quantitas, una extensiva penes numerum scitorum, et altera intensiva, quæ est ex efficacia cognitionis, potest habitus genitus per primam demonstrationem, atque adeo in actu completo respiciens conclusionem illius demonstrationis et in potentia cæteras conclusiones, secundum quantitatem intensivam augeri circa unam conclusionem, et extensive minui circa aliam conclusionem ratione oblivionis. — *de Verit.* q. 20, a. 4, ad 10 et 14; v. Cajetan. in 1am 2æ, q. 54, a. 4.

Ad septimum dicendum, quod in eadem scientia, puta Geometria, error unius principii inducit errorem in totam scientiam, non tamen error unius conclusionis causat errorem alterius. Cujus quidem duplex ratio afferri potest: *una* est, quia in scientiis speculativis non convertibiliter se habent principia et conclusiones, sicut contingit in moralibus. *Altera* est, quia in diversis conclusionibus unius scientiæ sunt diversa media, per quæ probantur, quorum unum potest cognosci alio ignorato; et ideo potest quis habere scientiam unius conclusionis, et non alterius, nisi remote propter connexionem, quam habet una conclusio cum alia per ordinem ad idem principium. Unde non erit inconveniens, quod eamdem conclusionem quis remote et in potentia sciat, et proxime et in actu circa illam erret, ratione demonstrationis falsæ, ex qua deductus est falsus assensus conclusionis, et consequenter, quod idem habitus sit in actu completo circa primam conclusionem, ex cujus demonstratione genitus fuit, et sit tantum in potentia circa aliam conclusionem, circa quam quis habet habitum erroris. — *de Virt. Card.* a. 2, ad 4, 8, 11; 1a 2æ, q. 65, a. 1, ad 4; 2a 2æ, q. 5, a. 3, ad 2.

Ad octavum dicendum, quod licet specie contraria differant diversitate rerum, eadem tamen est ratio cognoscendi utrumque, quia unum per aliud cognoscitur; et ideo in quantum conveniunt in una ratione cognoscibilis, pertinent ad unum habitum cognoscitivum; sola enim diversitas in ratione cognoscibilis, seu in ratione formali

objecti, ut objectum est et ut scibile est, non autem in ratione rei, inducit diversitatem scientiarum. — l. c. in arg.; *Tabula Aurea* voce « scientia » n. 102.

ARTICULUS III

UTRUM SCIENTIA SIT HABITUS INTELLECTUS JUDICATIVUS VERITATIS REI PER PROPRIAM CAUSAM.

Videtur quod scientia non sit habitus judicativus veritatis rei per propriam causam.

1. Quia cum habitus pertineat ad primam speciem qualitatis, est prior, quam potentia, quæ pertinet ad secundam speciem; sed scientia non est prior intellectu: ergo scientia non est habitus intellectus. — 1a 2æ, q. 50, a. 2, arg. 3.

2. Præterea, scientia, ut docet Philosophus (*de Longit. et Brev. Vitæ* c. 2), per se corrumpitur oblivione; ergo scientia est in parte memorativa tamquam in subjecto; sed pars memorativa est sensitiva: ergo scientia est habitus sensus interioris, non autem intellectus. — 1a, q. 89, a. 5, c.

3. Præterea, in cognitione perfecta non solum est judicium, sed etiam perceptio et apprehensio; sed scientia est principium cognitionis perfectæ: ergo non tantum est judicativum principium, sed etiam apprehensivum veritatis rei. — *de Verit.* q. 20, a. 1, ad 2; *de Malo* q. 16, a. 12, c.

4. Præterea, scientia, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 2), est tantum conclusionum, sicut intellectus est principiorum; sed causa rei seu medium non est in conclusione, sed in præmissis: ergo scientia non est habitus judicativus rei per propriam causam. — 1. *Poster.* l. 7 (6); 1a 2æ, q. 57. a. 1, arg. 2.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2) definiens proprium actum scientiæ habitualis dicit, quod est cognoscere rem per causam. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

2. Præterea, cum homo per naturalem rationem assentiat secundum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa illam veritatem: *primo* quidem, quia capit eam, *secundo*, quia de ea certum judicium habet; sed posteriori modo perficitur per scientiam (nam quia homo consequitur certum judicium de veritate per discursum rationis, ideo scientia humana ex ratione demonstrativa acquiritur): ergo scientia est habitus judicativus. — 2a 2æ, q. 9, a. 1, c.

3. Præterea, certum judicium de re aliqua maxime datur ex causa, unde secundum ordinem causarum est ordo judiciorum; sed per scientiam habetur certum judicium de re, ut dictum est: ergo scientia est habitus judicativus. — *Ibid.* a. 2, c.; v. arg. præced. et ll. cit. in c. huj. a.

RESPONDEO DICENDUM, quod prædicta definitio scientiæ habitualis recte tradita est; indicat enim quidditatem scientiæ habitualis, quod est proprium bonæ definitionis. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod dupliciter potest scientiæ quidditas definitione explicari: *uno modo*, secundum communem modum, quo quidditas cujuslibet rei metaphysice definibilis explicatur, puta per essentialia seu per causas intrinsecas (nam per causas extrinsecas, agentem scilicet et finalem, non nisi logice res definitur); *alio modo*, secundum proprium modum, quo solet quidditas habitus definiri, quod est genus propinquum scientiæ, puta per ordinem ad actum et ad objectum. — 2a 2æ, q. 4, a. 1, c.; 1a 2æ, q. 54, a. 2, c.; 7. *Metaphys.* l. 13 et 15 (14); 1. *de Anima* l. 2.

Utroque autem modo prædicta definitione explicatur scientiæ quidditas. *Priore quidem;* nam in illa continentur causæ intrinsecæ scientiæ, formalis scilicet et materialis; formalis enim causa scientiæ sicut et cujuslibet rei, accipitur ex ejus genere et differentia, quæ duo designantur, cum dicitur: habitus judicativus rei per propriam causam; genus enim propinquum scientiæ est habitus; habitus enim proprie dicitur qualitas, quæ secundum suam rationem habet, quod non de facili transmutatur, quia habet causas immobiles, quæque est principium prompte et faciliter agendi, ad distinctionem potentiæ intellectivæ, quæ est principium cognoscendi, seu agendi absolute; utrumque autem convenit scientiæ; nam processus ex necessariis gignit scientiam, omne vero necessarium est immobile. Præterea scientia est principium, quo

intellectus prompte et facile judicat de proprio objecto. Differentia vero designatur, cum dicitur : judicativus rei per propriam causam; nam scientiæ nomen significat certitudinem judicii. (1a 2æ, q. 55, a. 4, c. et q. 49, a. 2, ad 3; 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1. sol. 1; *de Virt. in com.* a. 8, ad 6; *de Verit.* q. 14, a. 9, arg. 4; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1; 2a 2æ, q. 9, a. 1 et 2) — Duplex autem est objectum judicii : *unum* est notum per se, et habitus perficiens intellectum ad considerationem et judicium hujus objecti dicitur intellectus; *alterum* est notum per aliud, puta per causam, et habitus perficiens intellectum ad judicium istius objecti dicitur scientia. Non habet autem scientia causam materialem ex qua, sicut nec alia accidentia, sed habet materiam circa quam et in qua; quarum hæc est subjectum, quod designatur per particulam : intellectus; illa vero est objectum scientiæ, quod indicatur per illa verba : rei per causam propriam. — 1a 2æ, q. 57, a. 2, c.; 2a 2æ, l. c.

Posteriori vero modo eadem definitione explicatur etiam scientiæ quidditas; nam cum scientia sit habitus, debet definiri per ordinem ad actum et ad objectum; actus autem proprius scientiæ est judicium, ut dictum est, hoc enim est completivum cognitionis, ad cujus perfectionem pertinet scientia; objectum autem est notum per aliud, hoc autem est res habens propriam causam suarum passionum. Et sic manifestum est, quod recte tradita est definitio scientiæ habitualis. — 2a 2æ, q. 4, a. 1, c. et q. 173, a. 2, c.; 4. *Sent.* dist. 4, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus præmittitur potentiæ, secundum quod importat dispositionem ad naturam, potentia autem semper importat ordinem ad operationem, quæ est posterior, cum natura sit operationis principium; sed habitus, cujus potentia est subjectum, ut est in proposito scientia, non importat ordinem ad naturam, sed ad operationem, unde est posterior potentia. — *Vel potest dici*, quod habitus præponitur potentiæ, sicut completum incompleto, et actus potentiæ; actus enim naturaliter est prior, est tamen posterior potentia ordine generationis et temporis, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 13-19; l. 8, c. 8. — 1a 2æ, q. 50, a. 2, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod habitus scientiæ partim est in viribus sensitivis, partim in intellectu, ut patet ex actibus ex quibus habitus scientiæ acquiritur, qui sunt per conversionem ad phantasmata, quæ sunt in prædictis viribus; sed sicut actus intellectus principaliter quidem et formaliter est in ipso intellectu, materialiter autem et dispositive est in viribus inferioribus, ita et habitus. Quare quantum ad id, quod est materiale in habitu scientiæ, est in sensu, et ideo corrumpitur oblivione; quantum autem ad id, quod est formale, non corrumpitur oblivione, sed tantum, ut docet Philosophus (*de Longitudine Vitæ* c. 2), per falsam argumentationem. — 1a, q. 89, a. 5, c. et ad 4; 1a 2æ, q. 50, a. 4, ad 3 et q. 67, a. 2, c. et ad 1 et 2.

Ad tertium dicendum, quod habitus scientiæ non est inchoativus cognitionis, sed perfectivus et completivus illius, et ideo non consistit in eo, quod sit perceptivus vel apprehensivus objecti, sed in eo, quod sit judicativus; judicium enim est completivum cognitionis. — 2a 2æ, q. 173, a. 2, c.; *de Verit.* q. 12, a. 3, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod principia demonstrationis dupliciter possunt considerari : *uno modo*, seorsim, absque eo, quod considerentur conclusiones. *Secundo*, simul cum conclusionibus, prout principia in conclusiones deducuntur, seu medium in ipsis ordinatur ad conclusionem. Considerare principia et medium secundo modo pertinet ad scientiam, quæ considerat conclusiones; sed considerare principia et medium primo modo, seu secundum se ipsa spectat ad intellectum. (1a 2æ, q. 57, a. 2, ad 2; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1. sol. 4). — *Vel dic*, quod causa vel principium dupliciter potest considerari : *uno modo* secundum se et formaliter, et hoc modo consideratio causæ et principii spectat ad intellectum. *Alio modo*, quatenus causa virtualiter est in effectu et principium in conclusione, quatenus nimirum assentimur conclusioni propter principium virtualiter participatum in illa, et hoc modo consideratio causæ et principii pertinet ad scientiam. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, c. et q. 12, a. 4, c.

QUÆSTIO XXXII

DE PROPRIETATIBUS SCIENTIÆ.

Deinde considerandum est de proprietatibus scientiæ.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR SEPTEM :

1. Utrum una sit scientia rerum omnium.
2. Utrum scientia sumat suam unitatem a subjecto, ut res est, an ut scibile est.
3. Utrum distinctio scientiarum sumatur ex principiis an ex subjecto.
4. Utrum certitudo sit propria scientiae.
5. Utrum una scientia sit alia certior.
6. Utrum una scientia sit alia nobilior.
7. Utrum una scientia minus certa de objecto nobiliore sit simpliciter dignior scientia certiore, sed de objecto minus nobili.

ARTICULUS I

UTRUM SIT UNA SCIENTIA RERUM OMNIUM.

Videtur, quod sit una scientia rerum omnium.

1. Docet enim Philosophus et probat (3. *Metaphys. text.* 5; l. 2, c. 2), quod datur una scientia de omnibus substantiis, et per consequens de omnibus per se accidentibus, quia, inquit, si non est una scientia de omnibus substantiis, non posset assignari, cujus substantiæ esset considerativa scientia metaphysica vel naturalis; nam cum omnis substantia, in quantum substantia, sit principaliter ens, non videtur, quod ad scientiam principalem, qualis est Metaphysica, magis pertineat una substantia, quam alia, et sic dabitur tantum una scientia de omnibus substantiis, puta Metaphysica, quæ similiter considerabit omnia per se accidentia illius, et sic nihil relinquetur considerandum alii scientiæ. — 3. *Metaphys.* l. 6.

2. Præterea, Philosophus (4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2.) dicit, quod unius scientiæ genere est speculari, quot sunt species entis et species specierum; sed res omnes vel sunt species entis vel species specierum : ergo datur una scientia rerum omnium. — 4. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, dixit Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 2, c. 2; l. 10, c. 4.), quod Naturalis et Mathematica sunt partes Metaphysicæ; sed totum non dividitur contra partes : ergo datur una scientia rerum omnium. — 11. *Metaphys.* l. 4; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1.

4. Præterea, definitio seu *quod quid* est ratio ostensiva alicujus de aliquo, puta passionis de subjecto, cum sit principium demonstrationis, ut dicitur 2. *Poster. text.* 2; c. 2; sed ad solam Metaphysicam, ut dicitur 6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1. spectat considerare *quod quid* est rei et *an est;* unde et quælibet scientia particularis utrumque supponit de suo subjecto : ergo etiam ad Metaphysicam spectabit considerare omnes passiones rerum, et sic præter illam non erit ulla alia scientia. — 6. *Metaphys.* l. 1; 2. *Poster.* l. 1.

5. Præterea, scientia, cum sit perfectio intellectivæ potentiæ, debet esse illi proportionata tamquam proprio perfectibili : ergo sicut potentia intellectiva est una, ita et ejus perfectio erit una, et per consequens erit tantum una scientia. (1a 2æ, q. 54, a. 4, c.) — Sed dices, quod proportio scientiæ ad intellectum tantum in eo est, quod sicut intellectus unus existens se extendit ad plura convenientia in una ratione, ita et habitus scientiæ.

6. Sed contra, diversæ perfectiones sunt diversorum perfectibilium, cum proprius actus respiciat propriam potentiam; sed scientia est perfectio : ergo in una potentia intellectiva erit tantum una scientia, non plures, et sic una tantum erit scientia rerum omnium. — *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 11.

7. Præterea, eorum, quæ secundum idem distinguuntur, multiplicato uno multiplicatur et aliud; sed secundum idem distinguuntur intellectus et scientia, puta secundum actus et objecta : ergo similiter multiplicabuntur; sed potentia intellectiva est una : ergo et scientia rerum omnium erit una. — 1a 2æ, q. 54, a. 1, arg. 1; *de Virt. in com.* a. 12, arg. 4.

8. Præterea, quæcumque conveniunt in una ratione, possunt ad unam scientiam pertinere; nam propterea tantum una scientia theologica datur de rebus omnibus; sed omnes res possunt convenire in una aliqua ratione tum materiali, puta

in ratione entis, tum formali, puta in abstractione a materia et motu : ergo potest dari una scientia rerum omnium. — 1. *Sent.* prolog. a. 2, *Sed contra* arg. 1; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *Metaphys. text.* 5; l. 2, c. 2) expresse dicit, quod non est rationabile ponere unam scientiam omnium substantiarum, quia sequeretur, inquit, quod esset una scientia de omnibus per se accidentibus, quod est falsum. — 3. *Metaphys.* l. 6.

2. Præterea, Philosophus (6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 1; l. 10, c. 7) dividit scientiam in tria genera, nimirum in Naturalem, Mathematicam et Metaphysicam : ergo non est una scientia rerum omnium, sed plures. — 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 3 et 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, plures esse scientias, non unam rerum omnium. Quod enim non possit esse una scientia, quæ simul sit practica et speculativa, sed necesse sit, illas esse inter se distinctas, tripliciter patet. Et *primo*, ex communi ratione habitus. Nam habitus specie vel genere distinguuntur secundum diversitatem specificam vel genericam objectorum, quæ attenditur penes rationem formalem specificam vel genericam ipsorum; ratio autem formalis omnium, quæ sunt ad finem, attenditur ex parte finis, et ideo necesse est, quod ex relatione ad diversos fines diversificentur species habituum, et consequenter scientiæ; diversi autem fines sunt cognitio veritatis et operatio, quarum illa est finis scientiæ speculativæ, hæc practicæ, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 2; l. 1 min. c. 1. (2a 2æ, q. 47, a. 11, c.; 1a 2æ, q. 54, a. 2 et q. 63, a. 4, c.; 2. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4) — *Secundo*, ex processu, qui reperitur in scientia. Cum enim processus cujuslibet scientiæ sit quasi quidam motus rationis, cujuslibet autem motus unitas et distinctio sumatur principaliter ex termino, oportet, quod distinctio scientiarum sumatur ex distinctione terminorum; sunt autem termini genere distincti cognitio subjecti et constructio ejusdem : ergo cum scientia speculativa terminetur ad cognitionem sui subjecti, et practica ad constructionem, necessario erunt inter se genere distinctæ. (1. *Poster.* l. 41, al. 39.) — *Tertio*, ex conditione sapientiæ, quæ est inter scientias speculativas nobilissima; hæc enim, ut probat Philosophus (6. *Ethic.* c. 7, nullo modo potest esse eadem cum scientia civili, quæ est practica. Nam si eadem esset, inquit, cum illa, sequeretur, quod essent multæ sapientiæ; non enim potest esse una aliqua ratio circa ea, quæ sunt bona omnibus animalibus, sed oportet, quod circa singula animalia sit altera consideratio, considerando quid sit bonum unicuique, ut patet in simili in Medicina, quæ non potest esse una omnium; sanum enim, sicut et bonum, alterum est in hominibus et piscibus; oportet autem esse unam solum sapientiam, quia ad eam pertinet considerare, quæ sunt communia omnibus entibus. Unde relinquitur, quod Politica, quæ est gubernativa humanæ multitudinis, non potest esse sapientia simpliciter, et per consequens non potest esse eadem scientia practica et speculativa. — 6. *Ethic.* l. 6.

Quod vero scientia speculativa non possit esse una, sed necessario tres esse debeant ad minimum, manifestum esse potest ex duplici capite : et *primo*, ex medio demonstrationis, cujus effectus est scientia. Cum enim definitio sit medium demonstrationis et per consequens principium scientiæ, oportet, quod ad diversum modum definiendi sequatur diversitas in scientiis speculativis; datur autem triplex modus definiendi genere diversus. *Quædam* enim definiuntur cum materia, ut corpora naturalia, et horum est scientia naturalis; *quædam* definiuntur sine materia sensibili, non autem sine materia intelligibili, ut numeri, figuræ et quantitas, et de his est Mathematica; *quædam* denique definiuntur sine materia sensibili et intelligibili, ut ens in communi et substantiæ immateriales, et de his est Metaphysica. (6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7; *Opusc.* 70, q. 6, a. 3, c.; 1a, q. 85. a. 1, ad 2). — *Secundo*, ex genere scibili, quod potissimum consideratur in scientia. Sicut enim unitas scientiæ sumitur ab unitate principiorum in genere scibili, ita etiam scientiarum diversitas sumitur ex diversitate principiorum in genere scibili; distinguun-

tur autem genera scibilium ex modo cognoscendi; modi vero cognoscendi diversi sunt tres. Nam alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia sensibili vel intelligibili, et ea, quæ sine ulla materia; nam aliud genus scibilium est corpus naturale, et corpus mathematicum, et ens in communi : ergo scientiæ genere diversæ tres sunt. Unde manifestum est, quod non est una scientia rerum omnium. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

Ad primum ergo dicendum, quod omnes substantiæ dupliciter possunt considerari : *uno modo*, quatenus sunt substantiæ, *altero*, quatenus sunt tales substantiæ. Consideratio substantiarum priori modo spectat ad metaphysicum, et consequenter spectat ad eumdem consideratio communium accidentium illarum. Consideratio vero substantiarum posteriori modo spectat ad diversas scientias; nam cum inter substantias quatenus tales sunt seu materialiter sumptas sit ordo (nam primæ substantiæ sunt substantiæ immateriales, secundæ vero sunt mobiles et corporales), illarum consideratio proprie pertinet ad primum philosophum, harum vero ad naturalem. — 3. *Metaphys.* l. 6; 4. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod cum omnia entia sint unius generis, aliquo modo oportet, quod omnes species ejus, in quantum sunt ens, pertineant ad considerationem unius scientiæ, quæ est generalis, et species entis, quatenus sunt diversæ, pertineant ad species scientiæ generalis, seu ad speciales scientias. Et hunc sensum planius declarat alia versio, quæ ita habetur : quapropter et entis, in quantum ens est, quascumque species speculari unius est scientiæ genere, et species specierum. Sic ergo Metaphysica considerat omnia entia omnesque substantias, in quantum sunt substantiæ et entia; cæteræ vero speciales scientiæ considerant particulares substantias et entia secundum particularem et propriam rationem ipsorum, nimirum in quantum sunt tales substantiæ, puta leo, bos et similes. — 4. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 4.

Ad tertium dicendum, quod duobus modis possunt Physica, Mathematica et Metaphysica considerari : *uno modo*, ex parte rei, quam considerant, et sic, quia Metaphysica considerat ens, in quantum ens, et per consequens omnia entia, quatenus conveniunt in ratione entis, Naturalis vero et Mathematica considerant entia particularia secundum proprias rationes, ideo Metaphysica dicitur scientia universalis et generalis; Physica vero et Mathematica dicuntur scientiæ particulares et speciales, atque adeo species et partes illius. — *Alio modo*, considerari possunt ex parte rationis formalis, sub qua considerant sua objecta, et sic, quia ratio formalis objecti Metaphysicæ est specialis et particularis, sicut ratio formalis objecti Naturalis et Mathematicæ, propterea sicut hæ dicuntur scientiæ speciales, ita et Metaphysica, et per consequens illæ non sunt partes hujus, sed sunt scientiæ ab ista distinctæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 6; 3. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 2, c.; 11. *Metaphys.* l. 5.

Ad quartum dicendum, quod sicut metaphysicus non considerat entia in particulari secundum propriam rationem, sed secundum quod sunt entia, ita cum unumquodque habeat esse per suam quidditatem, considerat quidditates eorum secundum prædicata communia, non secundum propria, sicut et principia communia particulariter accepta a scientiis particularibus considerat in sui communitate. Et ideo necesse est præter Metaphysicam dari alias scientias, quæ per definitionem sui subjecti (quam tamen accipiunt, ut docet Philosophus 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5. c. 1, vel per sensum et motum, quomodo accipit scientia naturalis, quid sit animal; vel a superiori scientia, quomodo geometer accipit a primo philosopho, quid sit magnitudo,) secundum propria prædicata demonstrant de illo accidentia per se illius. — 5. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 4.

Ad quintum dicendum, quod proportio habitus ad potentiam consistit in eo, quod dictum est ad argumentum, non autem in eo, quod objectio supponit; nam sicut in eadem potentia possunt esse plures habitus, ita et plures scientiæ. Cujus ratio est quia subjectum scientiae, sicut et cujuslibet habitus, est potentia passiva; potentia enim activa tantum non est alicujus habi

tus subjectum. Potentia autem passiva comparatur ad actum determinatum unius speciei, sicut materia ad formam; eo quod sicut materia determinatur ad formam unam per unum agens, ita et potentia passiva ratione unius objecti activi determinatur ad unum actum secundum speciem. Unde sicut plura objecta possunt movere eamdem potentiam passivam intellectus ita illa potest esse subjectum diversorum actuum et perfectionum secundum speciem; habitus autem et consequenter scientiæ sunt quædam qualitates et formæ inhærentes potentiæ, quibus determinatur potentia ad determinatum actum secundum speciem. Unde ad unam potentiam possunt pertinere plures habitus, et consequenter plures scientiæ. — 1a 2æ, q. 54, a. 1 et 4, c.

Ad sextum dicendum, quod quando perfectio complet perfectibile secundum totam ejus capacitatem, impossibile est, unius perfectibilis esse plures perfectiones in eodem ordine, et ideo non potest esse, quod materia perficiatur simul duabus formis substantialibus, quia una materia non videtur esse capax nisi unius formæ; secus autem est de formis accidentalibus, quæ non perficiunt sua subjecta secundum totam suam potentiam; unde possibile est, plura accidentia esse unius perfectibilis. Quia ergo habitus sunt accidentales perfectiones potentiarum (nam supervéniunt post completam rationem potentiæ), ideo possunt esse plures, et proinde plures scientiæ possunt esse in eodem intellectu. — *de Verit.* q. 15, a. 2, ad 11.

Ad septimum dicendum, quod, cum in una potentia sint plures habitus, et in uno intellectu consequenter plures scientiæ, non secundum eamdem rationem formalem objecti distinguuntur potentiæ et habitus, atque adeo intellectus ab aliis potentiis animæ, et scientiæ inter se, sed major diversitas objecti requiritur ad diversitatem potentiarum, quam ad diversitatem habituum et scientiarum, ut scilicet, sicut in rebus naturalibus diversitas specierum est secundum formam, diversitas autem generum est secundum materiam, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 9 (ea enim sunt diversa genere, quorum materia est diversa), ita etiam diversitas objectorum secundum genus faciat distinctionem potentiarum (unde Philosophus 6. *Ethic.* c. 1. dicit, quod ad ea, quæ sunt genere altera, sunt etiam animæ particulæ aliæ). — diversitas vero objectorum secundum speciem, seu secundum minus generalem rationem, quam sit ea, secundum quam distinguuntur potentiæ, faciat diversitatem actuum secundum speciem, et consequenter habituum atque adeo scientiarum.

Sumitur autem diversitas generica potentiarum ex objecto secundum rationem generalem, seu secundum quod objectum respicit actum simpliciter, quia potentia est, secundum quam simpliciter possumus aliquid, est enim principium agendi absolute; diversitas vero habituum et scientiarum sumitur ex specialibus rationibus objecti, et in proposito diversitas scientiarum sumitur ex diversitate principiorum et mediorum. Nam cum habitus sit principium agendi prompte et faciliter, debet illorum distinctio sumi ex iis, ex quibus provenit talis facilitas, quæ in scientiis sunt media seu modi cognoscendi et definiendi, qui cum sint varii et diversi inter se, necessario debent variare et diversificare ipsas scientias, ita ut una scientia de rebus omnibus sufficere non possit; præterquam quod medium in scientia est formale objecti, id autem, quod consideratur in scientia, est materiale; potius autem est in scientia formale, quam materiale. — 2a 2æ, q. 47, a. 5, c.; 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, sol. 1, c. et dist. 35, q. 2, a. 3, sol. 2, ad 3; *de Virt. in com.* a. 12, ad 4; 1a 2æ, q. 55, a. 1, ad 1 et a. 4, c.; 2a 2æ, q. 1, a. 1, c. et q. 9, a. 2, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod potest dari una scientia theologica de rebus omnibus, non solum secundum rationes communes, sed etiam proprias; non sic una scientia philosophica. Cujus ratio est, quia quanto cognitio altior est, tanto est magis unita et ad plura se extendens; unde intellectus Dei, qui est altissimus, per lumen, quod est ipse Deus, omnium rerum cognitionem distinctam habet. Quia ergo scientia nostra theologica altissima est, et per lumen divinæ inspirationis efficaciam habens, ipsa unica manens, non multiplicata, di-

versarum rerum considerationem habet, tam in communi, quam in particulari. At vero scientia philosophica una existens non potest omnia considerare; vel enim illa tantum considerat, ut sunt entia, seu secundum communem rationem entis, quomodo facit Metaphysica, et tunc necessario dandæ sunt præter Metaphysicam aliæ scientiæ, puta Physica et Mathematica, considerantes entia in particulari secundum proprias eorum rationes (nam cum ratio entis sit diversificata in diversis, non est sufficiens ad specialem rerum cognitionem) — vel illa considerat secundum proprias rationes singulorum, et tunc, cum istæ rationes exigant diversos modos cognoscendi et definiendi, ex quibus sumitur diversitas rationum scibilium, ut dictum est, necessario constituuntur plures scientiæ. — 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 1, c.; II. cit. in corp. hujus art.; 8. *Metaphys.* l. 1; 4. *Metaphys.* l. 1.

ARTICULUS II

UTRUM SCIENTIA SUMAT SUAM UNITATEM A SUBJECTO, UT RES EST, AN VERO UT SCIBILE EST.

Videtur quod scientia sumat suam unitatem a subjecto, ut res est, non ut scibile est.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 38; c. 8), quod scientiæ secantur sicut res; ergo quælibet scientia habet suam unitatem a subjecto ut res. — 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 2, arg. 4; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 7.

2. Præterea, ita se habet scientia ad scibile, sicut potentia ad possibile; sed potentia non refertur ad possibile, ut possibile; nam sic in definitione potentiæ committeretur circulus: ergo nec scientia refertur ad scibile ut sic. — 1a, q. 25, a. 3, c.; *de Pot.* q. 1, a. 7, quæstiunc. 3, arg. et *Sed contra*.

3. Præterea, Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 28) dicit, diversitatem scientiarum sumi ex diversitate principiorum, et unitatem scientiarum ex unitate principiorum; sed principia consequuntur res: ergo scientia sumit unitatem a subjecto, ut res est. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

4. Præterea, res eatenus cognoscibilis est et consequenter scibilis, quatenus est ens; nam, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min. c., 1, unumquodque sicut se habet secundum esse, ita etiam secundum veritatem; sed ab eodem habet scientia unitatem, a quo habet esse: ergo scientia habet unitatem a subjecto, ut ens est, seu ut res est, non autem ut scibile est. — 2. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 28) dicit, scientiam esse unam, quæ est unius generis, quod non potest intelligi de genere prædicamentali; nam ens, ut ens, est subjectum Metaphysicæ, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 1; l. 3, c. 1, et tamen non est genus prædicabile, ut dicitur ibidem *text.* 2; c. 2, et 11. *Metaphys. text.* 2; l. 10, c. 1: ergo est genus scibile; unde scientia erit una ex unitate subjecti, ut est scibile, non autem ut est res. — 1. *Poster.* l. 41 (39); 4. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, unitas scientiæ sumpta ab objecto est specifica, et tamen unitas objecti, ut res est, est aliquando generica; nam idem habitus et scientia specie est contrariorum, ut Medicina sani et ægri, contraria vero specie distinguuntur, et consequenter genere conveniunt; aliquando vero est analoga, ut est in objecto Metaphysicæ, quod est ens: ergo cum scientia sumat suam unitatem specificam ab objecto, debet illam sumere ab objecto, ut est scibile, nam ut sic habet unitatem specificam, sicut et ipsa scientia. — 3. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 2, c.; 1a 2æ, q. 54, a. 2, arg. 1.

3. Præterea, de eodem objecto, ut res est, agunt Metaphysica et Theologia, non tamen de eodem, ut est scibile; ergo scientiæ distinguuntur ex objecto, ut scibile est, non autem ut res est. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 4, c.

4. Præterea, scientia sumit suam unitatem a medio, non autem a re, quæ cognoscitur, quia medium formale est atque adeo quid potius in scientia, quam id, quod cognoscitur, quod est materiale objectum; sed res est scibilis per medium: ergo scientia sumit suam unitatem a subjecto, ut scibile est, non autem ut res est. — 2a 2æ, q. 1, a. 1, c.; *Tabula Aurea* voce « scientia » n. 98, 102, 103.

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia su-

mit suam unitatem ab unitate subjecti, ut scibile est, non autem ut est res. — Cujus ratio est, quia processus cujuslibet scientiæ est quasi quidam motus rationis, cujuslibet autem motus unitas ex termino principali consideratur, ut patet 5. *Phys. text.* 35; c. 6; et ideo oportet, quod unitas scientiæ consideretur ex fine seu ex termino scientiæ. Est autem cujuslibet scientiæ finis et terminus genus, circa quod est scientia, ut patet inductione in omnibus scientiis, tam speculativis, quam practicis; in illis enim nihil aliud quæritur, quam cognitio generis subjecti, ut in Geometria cognitio magnitudinis, quæ est ipsius subjectum; in practicis vero intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti, ut in scientia ædificativa constructio domus, quæ est hujus artis subjectum. Unde relinquitur, quod cujuslibet scientiæ unitas secundum unitatem subjecti est attendenda. — 1. *Poster.* l. 41 (39); *Opusc.* 48, tract. 8, c. 14.

Sed rursus, sicut in termino est considerare duo : materiale, quod est res, ad quam tendit motus, et formale, quod est ratio, secundum quam illa terminat motum, ut verbi gratia in descensu lapidis ad terram vel aquam, terminus materialis descensus est aqua vel terra, formalis vero est aqua vel terra non in quantum hujusmodi sunt, sed quatenus sunt deorsum — ita in subjecto vel objecto scientiæ consideratur aliquid ut materiale, et aliquid ut formale. Formale est id, secundum quod objectum refertur ad potentiam vel habitum, seu id, secundum quod objectum redditur proportionatum et unius generis cum potentia et habitu, quod est talis independentia vel dependentia a materia et motu. Sicut enim in intellectu immaterialitas est ratio, cur sit cognoscitivus, ita eadem est ratio, cur objectum sit illi proportionatum et consequenter ab illo cognoscibile, et sicut de ratione scientiæ est, ut sit de necessariis, et per consequens de immobilibus, nam omne necessarium est immobile, ita ad hoc, ut objectum sit scibile per scientiam, debet esse aliquo modo abstractum a motu, atque adeo immobile. Materiale vero in objecto est id, in quo fundatur talis ratio, nimirum res ipsa, quæ scitur. Quoniam vero in scientia potius est id, quod est formale, quam materiale, ab illo potius sumi debet unitas scientiæ, quam ab hoc. Et sic manifestum est, quod unitas scientiæ sumitur ex unitate subjecti ut scibile est, non autem ut res est. — 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, sol. 1, c. et dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 2, c.; *de Carit.* a. 4, c.; 1. *Metaphys.* procem.; 1a, q. 14, a. 1, c.; 1. *Phys.* l. 1; *Opusc.* 70, q. 3, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod scientiæ dividuntur per res, ut scibiles sunt, seu per ordinem ad medium, ut dictum est; sensus autem Philosophi est, quod scientia et sensus condividuntur in res, id est dividuntur in actum et potentiam, quemadmodum et res, quia nimirum sensus et scientia in potentia ordinantur ad sensibilia et scibilia in potentia; sensus vero et scientia in actu ordinantur ad sensibilia et scibilia in actu. — V. supra a. 1, ad 7 et 8.

Ad secundum dicendum, quod sicut potentia refertur ad possibile absolutum, quod est fundamentum possibilis relativi, seu respectus ipsius possibilis absoluti ad potentiam, cujus est objectum; ita scientia refertur ad scibile absolutum, super quod fundatur respectus scibilitatis ad scientiam. Est autem ratio absoluta in scibili ratio independentiæ tum a motu, per quam proportionatur scientiæ, tum a materia, per quam proportionatur potentiæ intellectivæ, ut dictum est (ll. cit. in arg.) — *Vel dic*, non esse eandem rationem potentiæ et possibilis, et scientiæ et scibilis; nam scibile dicitur secundum potentiam, scientia autem secundum habitum vel secundum actum. Unde scibile secundum modum suæ significationis præexistit scientiæ, licet si accipiatur secundum actum, sit simul cum scientia secundum actum; nam scitum non est aliquid, nisi sit ejus scientia, sed possibile dicitur secundum potentiam (5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 11) et similiter potentia. — 1a, q. 13, a. 7, ad 6 et q. 25, a. 3, c.

Ad tertium dicendum, quod sicut ad unitatem scientiæ non sufficit unitas primorum principiorum simpliciter, sed requiritur unitas in eodem genere scibili; ita ad distinctionem requiritur diversitas principiorum in genere scibili, quæ oritur ex diverso modo cognoscendi. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

Ad quartum dicendum, quod, cum in

objecto scientiæ sit duo considerare, materiale scilicet et formale, si particula reduplicativa reduplicat materiale, id est id, quod per scientiam attingitur, eatenus aliquid est scibile, quatenus est ens; si vero reduplicat formale, eatenus est aliquid scibile, quatenus est a materia et motu separatum, sic enim redditur objectum proportionatum intellectus et scientiæ, ut dictum est. — 1. *Metaphys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 1; 1a, q. 14, a. 1, c.

ARTICULUS III

UTRUM DISTINCTIO SCIENTIARUM SUMATUR EX PRINCIPIIS, AN EX SUBJECTO.

Videtur quod distinctio scientiarum sumatur ex subjecto, non autem ex principiis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 28), quod scientia sumit suam unitatem a subjecto; sed ab eodem sumitur distinctio, a quo unitas, per idem enim constituitur aliquid unum et distinctum ab alio : ergo scientia sumit suam distinctionem a subjecto, non autem a principiis. — 1. *Poster.* l. 41 (39 : v. Cajetanum in 1. *Poster. text.* 42.

2. Præterea, in una et eadem scientia, ut in Musica, considerantur plura et diversa principia. Cum enim voces humanæ sint diversæ naturæ a sonis inanimatorum corporum, necessario debent etiam habere diversa principia : ergo diversitas principiorum non est sufficiens ad scientias diversificandas. — *Ibid.*

3. Præterea, scientia est habitus dicens ordinem ad objectum; sed omnia, quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur : ergo scientiæ distinguuntur secundum distinctionem subjectorum vel objectorum, non autem principiorum. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, c.

4. Præterea, scientia actualis, sicut et quilibet actus, ab alio differt specie secundum objecta; sed habitus, et per consequens habitualis scientia est dispositio ad actum : ergo etiam scientia differt ab alia scientia specie per subjectum, non autem per principium. — *Ibid. Sed contra* et a. 3 et q. 60, a. 1, c.

Sed contra est : 1. auctoritas Philosophi 1. *Poster. text.* 42; c. 28, ubi dicit, quod scientiæ sunt diversæ, quarum principia sunt diversa.

2. Præterea, ita se habet principium in demonstrativis, sicut finis in practicis, ut dicitur 2. *Phys. text.* 89; c. 9; sed diversitas finium diversificat virtutes : ergo et diversitas principiorum activorum diversificabit scientias. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 3.

3. Præterea, diversæ scientiæ eandem conclusionem demonstrantes non aliter inter se distinguuntur, quam quia per diversa media illam demonstrant; ut naturalis probat, terram esse sphæricam, quia partes ejus undique et æqualiter concurrunt ad medium; Astrologia vero, quæ est scientia media inter naturalem et mathematicas, eandem conclusionem probat alio modo, puta ex figura eclipsis lunaris, vel ex hoc, quod non eadem sidera ex omni parte terræ aspiciuntur; sed medium demonstrationis est principium activum scientiæ : ergo scientiæ diversificantur per diversa principia. — *Ibid.* arg. 2; 1a, q. 1, a. 1, ad 2; 2. *Phys.* l. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod diversitas scientiarum sumitur ex diversitate principiorum in genere scibili, et non ex subjecto. Tribus autem modis potest hoc esse manifestum. Et *primo*, ex diversa habitudine, quæ inest potentiæ et habitui, cujusmodi est scientia, ad objectum. Cum enim in potentia intellectiva sint plures scientiæ, sicut et habitus, aliqua diversitas sufficit ad distinguendum habitus et scientias, quæ non sufficit ad distinguendas potentias, quia potentia alio modo comparatur ad actum, quam habitus; unde et secundum alteram rationem objectum utrique respondet. Potentia enim est principium agendi absolute, sed habitus est principium agendi prompte et faciliter: et ideo objectum secundum illam rationem, secundum quam se habet ad facilitatem actus, respondet habitui; et ideo diversitas materiæ vel objecti in ordine ad ea, quæ faciunt facilitatem in actu, facit diversitatem habitus, et non potentiæ. Quia ergo in scientiis facilitas considerationis est ex medio, propterea diversitas materiæ, secundum quod est determinabilis per diversa media et principia, facit diversas scientias, sicut naturalis, quæ ex

effectibus et his, quæ apparent in sensu, demonstrat, a mathematica differt, quæ circa suam materiam ex iisdem principiis et mediis procedere non potest. — 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, sol. 1.

Secundo, ex diversitate rationis materialis et formalis in objecto scientiæ. Cum enim scibile sit proprium objectum scientiæ, non diversificantur scientiæ secundum diversitatem materialium scibilium, sed secundum diversitatem formalium. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio scibilis accipitur secundum media, quæ sunt activa principia, per quæ aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia jam non erunt diversa, in quantum sunt scibilia, sunt enim per sua principia scibilia; sicut patet, quod voces humanæ multum differunt secundum suam naturam a sonis inanimatorum corporum, sed quia secundum eadem principia attenditur consonantia in vocibus humanis et sonis inanimatorum corporum, eadem est scientia musica, quæ de utrisque considerat. Si vero sint aliqua eadem secundum naturam, et tamen per diversa principia considerentur, manifestum est, quod ad diversas scientias pertinent; sicut corpus mathematicum non est separatum subjecto a corpore naturali; quia tamen cognoscitur per principia quantitatis, corpus autem naturale per principia motus, non est eadem scientia Geometria et naturalis. Et similiter una et eadem conclusio potest ad diversas scientias pertinere, ut quod terra sit rotunda, ad astrologum et naturalem; quia tamen uterque illam demonstrat per omnino diversa principia in esse scibili, — astrologus enim illam demonstrat per media mathematica, ut per figuras eclipsium, vel per aliud hujusmodi; naturalis vero per medium naturale, sicut per motum gravium, vel per aliud hujusmodi. — tota vero virtus demonstrationis, quæ est syllogismus faciens scire, dependet ex medio, quod est tanquam principium activum, propterea ratione diversorum principiorum activorum astrologus et naturalis tum in ordine ad prædictam conclusionem, tum in ordine ad alias conclusiones, quas considerant, essentialiter inter se distinguuntur. — 1. *Poster.* l. 41 (39); *de Carit.* a. 13, ad 6; 1a, q. 1, a. 1, ad 2; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 2 et q. 57, a. 2, ad 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c.; 2a 2æ, q. 1, a. 1, c. et q. 9, a. 2, ad 3.

Tertio, ex diversitate scibilium; hæc enim oritur ex diverso modo cognoscendi, hic vero ex diverso modo definiendi; nam alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia, atque ea, quæ sine materia. Unde aliud genus scibilium est corpus naturale, et aliud corpus mathematicum; at definitiones sicut sunt, ut dicitur 2. *Poster. text.* 2; c. 2, principia demonstrationum, ita sunt principia scientiæ, quæ est effectus demonstrationis: ergo scientiæ diversificantur secundum diversa principia in genere scibili. — 6. *Metaphys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 1; 1. *Poster.* l. 41 (39; 3. *Sent.* dist. 14, a. 3, sol. 4, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod distinctio scientiarum est a subjecto per ordinem ad diversa principia et media, ut dictum est; nam res diversæ non faciunt diversitatem scientiarum, nisi quatenus requirunt diversam rationem cognoscendi, quæ est per varios modos definiendi, atque adeo per diversa principia in genere scibili.

Ad secundum dicendum, quod non quæcumque pluralitas simpliciter principiorum facit diversitatem scientiarum, sed diversitas in genere scibili, sicut et unitas eorumdem in eodem genere scibili facit unitatem scientiarum. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

Ad tertium dicendum, quod licet ad idem objectum referantur potentia et habitus, diverso tamen modo, ut dictum est, ab illo habent suam distinctionem. Nam potentiæ distinguuntur ab objecto, secundum quod objectum respicit actum simpliciter; at habitus et consequenter scientiæ sumunt suam distinctionem ab objecto, secundum quod respicit facilitatem actus; et quia hæc facilitas in scientiis oritur ex mediis et principiis, ideo diversitas scientiarum sumitur ex diversitate principiorum, non ex subjecto; non sic diversitas potentiarum. — 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, sol 1.

Ad quartum dicendum, quod objecta

diversa non diversificant actus secundum speciem, nisi sit diversitas secundum illam rationem, secundum quam est objectum, quam scilicet potentia et habitus principaliter attendunt; videre enim album et nigrum propinquum et distans non sunt diversi actus secundum speciem, quia utrumque est objectum visus secundum unam rationem, in quantum scilicet sunt colorata visibilia actu per lucem. Quia ergo in scientiis diversitas formalis objecti, ut dictum est, sumitur secundum diversam proportionem objecti ad actum animæ, in qua sunt potentiæ, seu secundum diversum modum cognoscendi, et consequenter secundum diversa specie media et principia, ideo et actus specie diversificantur secundum principia specie diversa. — 3. *Sent.* dist 27, q. 2, a. 4, sol. 1, ad 3 et sol. 2, c. et dist. 33, l. c.

ARTICULUS IV

UTRUM CERTITUDO SIT PROPRIA SCIENTIÆ.

Videtur quod certitudo non sit propria scientiæ.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Ethic.* c. 3), quod non distinguuntur opinantes a scientibus, quod opinantes debiliter inhæreant opinatis quasi dubitantes, scientes vero per certitudinem sciant; nam etiam opinantes æstimant, se per certitudinem scire, et non minus inhærent suis opinatis, quam scientes. — 7. *Ethic.* l. 3.

2. Præterea, illud, cujus veritas est immobilis, oportet esse certum; sed in quacumque causa determinata ad suum effectum est talis veritas : ergo et certitudo, unde hæc non est propria scientiæ. — *de Verit.* q. 6, a. 3, *Sed contra* arg. 2.

3. Præterea, certitudo tribuitur motui appetitus sensitivi et naturalis, dicitur enim, quod lapis certitudinaliter tendit deorsum; et quod quis aliquid certitudinaliter sperat : ergo certitudo non est propria scientiæ. — 1a 2æ, q. 40, a. 2, ad 3.

4. Præterea, quod est commune multis, non potest esse proprium unius; sed certitudo convenit pluribus, convenit enim intellectui, sapientiæ, fidei divinæ et opinioni sive veræ sive falsæ : ergo non est propria scientiæ. — *Quodl.* 6, a. 6, c.; 1a 2æ, q. 112, a. 5, ad 2.

Sed contra est, quod certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium; sed hoc tantum convenit scientiæ, in qua habetur certitudo de conclusionibus per principia indemonstrabilia : ergo certitudo est propria scientiæ. — 1a 2æ, q. 112, a. 5, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod certitudo nihil aliud est, quam determinatio intellectus ad unum; unde tanto major est certitudo, quanto fortius est id, quod determinationem causat; determinatur autem intellectus tripliciter, secundum quod tripliciter potest considerari. Potest enim intellectus considerari *primo*, secundum se, et sic determinatur ab intelligibili immediate, quando scilicet ex ipsis intelligibilibus statim veritas propositionum intelligibilium infallibiliter apparet; et hæc est certitudo propria intellectus, qui est habitus primorum principiorum, quæ statim lumine intellectus agentis cognitis terminis cognoscuntur. *Secundo*, potest considerari secundum ordinem ad rationem, quæ ad intellectum terminatur, dum resolvendo conclusiones in principia per se nota eorum certitudinem efficit; et sic determinatur ab objecto intelligibili mediate, quia nimirum cognitis definitionibus terminorum intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis virtute primorum principiorum, et hæc est certitudo propria scientiæ. *Tertio*, consideratur intellectus in ordine ad voluntatem, quæ imperat intellectui et cæteris potentiis, et sic determinatur a voluntate; et hæc est certitudo fidei divinæ et humanæ, et opinionis in illis, qui suis opinatis firmiter adhærescunt non minus, quam scientes. Nam in his omnibus voluntas eligit assentire uni parti determinate et præcise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum; quia nimirum neque per se videtur, neque per ea, quæ per se videntur, resolvi potest, puta propter aliquam rationem, qua bonum videtur ei illi parti adhærere, quamvis talis ratio non sufficiat ad determinandum intellectum propter imbecillitatem ipsius intellectus, qui neque videt per se hoc, cui assentiendum esse ratio judicat, neque ipsum ad principia per se nota resolvere valet.

Unde Philosophus (2. *Metaphys. text.* 14; l. 1 min., c. 3) docet, ex prava consuetudine et educatione et affectione voluntatis erga auctorem aliquem, vel ex falso syllogismo oriri firmitatem adhæsionis seu certitudinem ex parte subjecti in nonnullis opinantibus ad suas opiniones non minorem, quam habeant scientes.

Ex his vero tribus certitudinibus tertia, quia non nascitur ex ratione sufficiente ad determinationem intellectus, dicitur certitudo seu firmitas adhæsionis; priores vero duæ, quia desumuntur ex objecto ipso intelligibili immediate vel mediate per principia indemonstrabilia cognito, dicuntur certitudines evidentiæ. Unde certitudo scientiæ consistit in duobus : in evidentia et in firmitate adhæsionis, quarum illa se tenet ex parte causæ, hæc ex parte subjecti, et oritur ex illa. Certitudo vero fidei et opinionis consistit in sola firmitate adhæsionis. Unde manifestum est, quomodo certitudo sit propria scientiæ. — *de Verit.* q. 14, a. 1, c.; 3. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 1 et 3, c. et ad 1 et dist. 26, q. 2, a. 1, c.; 2. *Metaphys.* l. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de certitudine adhæsionis, non de certitudine evidentiæ. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod duplex est certitudo : cognitionis et ordinis; et certitudo quidem cognitionis est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo existimatur de re, sicut est; et quia certa existimatio habetur de re præcipue per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ad ordinem causæ ad effectum, ut dicatur ordo causæ ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit, quomodo prædestinatio, quia præter præscientiam, in qua inest certitudo cognitionis, includit habitudinem causæ ad effectum, dicitur certa certitudine cognitionis et effectus. — *de Verit.* q. 6, a. 3, c.

Ad tertium dicendum, quod certitudo invenitur in aliquo dupliciter : *uno modo* essentialiter; *alio modo* participative. *Primo modo* invenitur in vi cognoscitiva. *Secundo vero modo* in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad suum finem; secundum quem modum dicitur, quod natura certitudinaliter operatur, tanquam mota ab intellectu divino certitudinaliter movente unumquodque ad suum finem, ut lapidem deorsum; et per hunc etiam modum virtutes morales dicuntur operari certius arte, in quantum per modum naturæ moventur a ratione ad suos actus; et similiter motui appetitus sensitivi et naturalis tribuitur certitudo, quia habent infallibilitatem ex certitudine cognitionis, quæ præcedit tales motus. — 2a 2æ, q. 18, a. 4, c.; 3. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 4, c. et ad 1; 1a 2æ, q. 40, a. 2, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod in intellectu est certitudo evidentiæ immediata; at in scientia, sub qua comprehendimus etiam sapientiam, est certitudo evidentiæ mediata, et hæc est propria illius. — Il. cit. in c.

ARTICULUS V

UTRUM UNA SCIENTIA SIT CERTIOR ALIA.

Videtur quod una scientia non sit certior alia.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Phys. text.* 17; c. 3), quod certitudo scientiæ, sicut et ipsa scientia est perfectio quædam intellectus; sed perfectio, cum importet finem et terminum, non potest recipere magis et minus : ergo certitudo scientiæ non potest esse major vel minor, et consequenter nec una scientia potest esse certior alia. — 1a 2æ, q. 52, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, in his, quæ recipiunt magis et minus, contingit esse alterationem; alterari enim dicitur, quod de minus calido fit magis calidum; sed in certitudine scientiæ, sicut et in ipsa scientia, ut docet Philosophus (7. *Phys. text.* 15 et 17; c. 3), non est alteratio : ergo in certitudine una scientia non est magis vel minus certa, quam alia. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, cum certitudo sit determinatio intellectus ad unum, eo est certitudo major, quo est fortius id, quod determinat intellectum; sed in omnibus scientiis id, quod causat talem determinationem, est causa intrinseca rei, quæ est æqualis in omnibus causatis, est enim quod quid est subjecti, ut dictum est (supra q. 30, a. 2) : ergo una scientia non est certior alia. — *de Verit.* q. 14, a. 1.

4. Præterea, illud videtur esse certius, quod minus potest habere de dubitatione, sicut est albius, quod est nigro impermixtius; sed nulla scientia habet dubitationem circa ea, quorum est : ergo nulla scientia est certior vel incertior alia. — 3. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, quæstiunc. 3, arg. 2; 2a 2æ, q. 4, a. 8, arg. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui 1. *Poster. text.* 42; c. 27, docet quod una scientia est certior alia. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

RESPONDEO DICENDUM, quod unam scientiam tripliciter contingit esse certiorem alia, ut dicit Philosophus 1. *Poster.* Nam *primo*, illa scientia est certior, quæ facit scire *quia* et *propter quid*, ut scientia subalternans, quam ea, quæ facit scire *quia* separatim a *propter quid*, ut est scientia subalternata. — *Secundo*, illa scientia, quæ non est de subjecto, id est de materia sensibili, ut Metaphysica, quæ est de substantiis abstractis, est certior ea, quæ est de subjecto, ut est Naturalis, quæ est de corpore naturali; et Musica, quæ est de numero sonoro, est incertior, quam Arithmetica, nam applicat principia arithmetica ad materiam sensibilem, puta ad sonum, a quo abstrahit Arithmetica. — *Tertio*, illa scientia, quæ est de paucioribus, certior est, ut docet Philosophus (1. *Metaphys.* c. 2), quam ea, quæ se habet ex additione, ut Arithmetica, quam Geometria. Propterea vero prædictis modis contingit unam scientiam esse certiorem alia, quia illa scientia simpliciter dicitur certior, quæ procedit ex notioribus simpliciter et ex notioribus nobis. Dupliciter autem potest aliquid esse notius alio simpliciter : *uno modo*, causa est simpliciter notior effectu; *alio modo*, forma est simpliciter notior materia, principium enim cognoscendi materiam est ex forma. Illæ ergo scientiæ, quæ dicunt causam et propter quid, sicut dictum est de scientiis subalternantibus, sunt certiores scientiis subalternatis, quæ dicunt effectum et quia. Præterea sunt certiores illæ, quæ dicunt formam, quam quæ dicunt materiam. Verum quia, ut 7. (6) *Metaphys.* dicitur, duplex est materia : *sensibilis*, ut materia naturalis; et *intelligibilis*, ut continuitas, ideo scientia, quæ ab utraque materia abstrahit, est certior ea, quæ non abstrahit nisi ab una, ut Metaphysica, quæ est de substantiis abstractis, est certior, quam Geometria, quæ non abstrahit a materia intelligibili; est tamen hæc certior quam scientia naturalis, nam illa abstrahit a materia sensibili, a qua non abstrahit hæc. — Unde in triplici gradu sunt scientiæ certiores. *Primo* illæ, quæ dicunt causam et propter quid, sunt certiores illis, quæ dicunt effectum et quia; *secundo* illæ, quæ dicunt formam, sunt certiores illis, quæ concernunt materiam sensibilem; *tertio* illæ, quæ ita dicunt formam, quod nec etiam concernunt materiam intelligibilem, sunt certiores iis, quæ talem materiam concernunt. Et ita manifestum est, quod una scientia est certior alia. — 1. *Poster.* l. 41 (39); 1. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 48, tract. 8, c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod certitudo scientiæ, sicut et ipsa scientia, licet sit perfectio intellectus, non tamen est talis perfectio, quæ sit terminus illius, puta dans illi esse specificum; neque etiam in sui ratione terminum includit, sicut species numerorum. Unde nihil prohibet, quin una scientia secundum certitudinem possit suscipere magis et minus. — 1a 2æ. q. 52, a. 1, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod alteratio primo quidem est in qualitatibus tertiæ speciei; in qualitatibus vero primæ speciei potest esse alteratio per posterius, facta enim alteratione secundum calidum et frigidum sequitur animal alterari secundum sanum et ægrum, et similiter facta alteratione secundum passiones appetitus sensitivi vel secundum vires sensitivas apprehensivas sequitur alteratio secundum scientiam, ut docet Philosophus (7. *Phys. text.* 20; c. 3). — l. c. ad 3; 7. *Phys.* l. 6.

Ad tertium dicendum, quod cum incertitudo cognitionis causetur ex duobus, ex transmutatione materiæ et ex causa rei in cognoscendo tantum, puta ex effectu, quanto magis acceditur ad materiam, tanto scientia est minus certa; similiter si scientia procedit ex effectu, incertior erit ea, quæ procedit ex causa essendi. Quia ergo aliquæ scientiæ, ut dictum est, dicunt causam, aliquæ effectum, et aliquæ abstrahunt a materia, et aliquæ illam

concernunt, ideo aliquæ sunt aliis certiores. — II. cit. in c.

Ad quartum dicendum, quod certitudo dupliciter potest considerari: *uno modo*, ex causa certitudinis, et sic dicitur esse certius, quod habet certiorem causam; dicitur autem causa, sicut et res aliqua certior, quæ magis est a materia abstracta, et sic scientia metaphysica, quæ est de abstractis a materia re et ratione, dicitur certior, quam Physica, quæ concernit materiam sensibilem, et quam Mathematica, quæ concernit materiam intelligibilem. — *Alio modo*, ex parte subjecti, et sic dicitur esse certius, quod plenius consequitur intellectus humanus, et hoc modo scientiæ naturales sunt certiores fide, et inter illas aliquæ sunt magis vel minus certæ juxta dispositionem mentis, sic mathematicæ sunt certiores aliis scientiis, quia plenius et facilius ab intellectu percipiuntur. — 2a 2æ, q. 4, a. 8; 3. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 2; 1. *Poster.* l. 41 39; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, per tot.

ARTICULUS VI

UTRUM UNA SCIENTIA SIT ALIA NOBILIOR.

Videtur quod una scientia non sit nobilior alia.

1. Nobilitas enim scientiæ sumi debet vel ex potentia vel ex objecto; nam ex his duobus capitibus sumitur dignitas cujuslibet operationis; sed ex neutro capite potest una scientia esse nobilior alia. Non quidem *ex potentia*; nam hæc una et eadem est respectu omnium scientiarum, cum omnes in eadem potentia intellectiva subjectentur. Neque *ex objecto*; nam sicut ex vilitate et ignobilitate objecti non redditur cognitio ignobilis (nam Deus habet nobilissimam cognitionem et scientiam, et tamen per illam cognoscit mala et turpia), ita neque ex nobilitate debet scientia sumere nobilitatem, et consequenter ex parte objecti non debet dici una scientia nobilior alia. — 1. *Ethic.* l. 10; 4. *Sent.* dist. 50, q. 2, a. 4, sol. 1, ad 2.

2. Præterea, si una scientia est nobilior alia, maxime illa, a qua accipit alia aliquid; nam inferioris videtur esse accipere a superiori, atque adeo ignobilioris a nobiliore, ut patet in scientia subalternata respectu subalternantis; sed hoc est falsum; nam Theologia accipit aliquid a philosophicis disciplinis, et tamen non est illis ignobilior: ergo. — 1a, q. 1, a. 5, arg. 2.

3. Præterea, si una scientia nobilitate aliam præcellit, erit illa præcipue, quæ est perfectior; nam quo cognitio est perfectior, eo videtur esse dignior: at hoc non obstat; nam de rebus humanis possumus habere cognitionem perfectiorem quam de divinis, quia de Deo non potest sciri et consequenter nec supponi quid est, sicut potest sciri et supponi de rebus humanis, et tamen scientia, quam habemus de Deo, non est ignobilior scientiis humanis: ergo una scientia non est nobilior alia. — 1a 2æ, q. 66, a. 5, arg. 3; *Opusc.* 70, q. 2, a. 2, arg. 2.

Sed contra est auctoritas Philosophi 1. *Metaphys.* c. 2, ubi dicit, quod Metaphysica est honorabilior et dignior omnibus aliis scientiis. — 1. *Metaphys.* l. 3 (2).

RESPONDEO DICENDUM, quod una scientia potest esse nobilior alia. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod dupliciter potest considerari scientia: *primo*, secundum se, et hæc consideratio attenditur præcipue quantum ad tria: nimirum quantum ad materiam seu objectum, circa quod versatur; quantum ad modum cognoscendi seu ad certitudinem, et quantum ad finem, et secundum hæc potest una scientia esse nobilior alia. Sic enim Metaphysica, quia agit de rebus divinis (versatur enim circa altissimas causas, habetque altissimum modum cognoscendi, cum definiat sine ordine ad ullam materiam, et habet finem altissimum, cognitionem scilicet summi boni, quæ est inchoatio quædam et participatio felicitatis æternæ), est nobilior cæteris scientiis humanis, quæ agunt de rebus corporeis et sublunaribus, et definiunt per ordinem ad materiam sive sensibilem sive intelligibilem, et non nisi remote referuntur ad prædictum finem. Longissime tamen in tribus prædictis Metaphysica superatur a Theologia; nam Metaphysica considerat causas altissimas per rationes a creaturis desumptas, et ideo considerat ens universale, ut ducit in cognitionem causæ omnium entium, certitudinemque accipit a

lumine naturali, et in felicitatem imperfectam terminatur. At Theologia considerat causas altissimas per modum ipsarum causarum, quia per inspirationem a Deo acceptam seu per lumen fidei, et ideo non versatur circa universalia, sed circa Deum et circa alia prout sunt a Deo et ad Deum; habet etiam altissimum modum cognoscendi, quia de omnibus judicat ex lumine divinitus infuso; habet demum finem altissimum, perfectam scilicet et supernaturalem felicitatem. — *Alio modo* potest considerari scientia in ordine ad intellectum scientis, et tunc illa scientia est imperfectior atque adeo ignobilior, quæ imperfectius capitur ab intellectu; et sic, quia scientia theologica non est ita capibilis ad intellectu, sicut scientiæ philosophicæ, propter ejus altitudinem, ideo est imperfectior ex parte scientis imperfectius capientis. — 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 1, 2 et 3; 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 3.

Verum, quia perfectio intelligentis aliquid oritur ex tribus, ex potentia intellectus, ex lumine, quo intelligit, et ex similitudine rei, per quam cognitio rei determinatur, ideo secundum hæc tria potest aliqua scientia vel cognitio dici perfectior alia tripliciter. *Primo*, quia habet perfectius lumen, unde oritur efficacia cognoscendi major, majorque certitudo sive limpiditas. *Secundo*, quia producitur a speciebus perfectioribus, puta vel ab infusis, non ab humanitus acquisitis, vel ab infusis plurium rerum repraesentativis, quibus duobus modis scientia animæ Christi fuit nobilior scientia Angelorum. *Tertio*, quia provenit ab intellectu possibili perfectiori, quod est esse scientiam nobiliorem vel ignobiliorem quantum ad genus cognitionis, quod consequitur naturam potentiæ intellectivæ, quomodo scientia animæ Christi fuit ignobilior scientia Angelorum. Nam Christus cognoscit intellectu possibili, cujus objectum est phantasma, et ideo cognoscit cum continuo et tempore, utens phantasmatibus, quasi objectis intellectus, non quidem sicut ab eis speciem accipiens, sed sicut species circa ea ponens; sicut contingit in eo, qui habet habitum, et actu aliqua considerat, quo genere cognitionis Angeli non cognoscunt, sed alio altiore secundum ordinem naturæ, scilicet sine continuo et tempore. — Unde manifestum est, aliquam scientiam esse alia nobiliorem. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod una scientia potest esse nobilior alia, tum quoad potentiam, ut dictum est, tum quoad objectum; propterea vero vilitas et ignobilitas objecti non causat imperfectionem et ignobilitatem in cognitione, sicut nobilitas et perfectio causat nobilitatem in illa, tum quia species rerum in anima, per quas contraria cognoscuntur, non sunt contrariæ, tum quia cognoscibilia sunt spiritualiter in cognoscente. De ratione enim cognitionis est, ut cognoscens contineat species cogniti secundum modum suum, et ideo non possunt tribuere cognitioni imperfectionem et ignobilitatem, quam in suo esse materiali et corporeo habent; quamquam per accidens potest redundare in cognoscentem vilitas cognitorum vel eo, quod dum vilia considerat, a nobilioribus cogitandis abstrahitur, vel eo, quod ex consideratione vilium in aliquas indebitas affectiones inclinatur, quod in Deo esse non potest. — l. c. in arg.; 1. *c. Gent.* c. 63, n. 6 et c. 70, n. 4.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter aliqua scientia potest accipere aliquid ab alia : vel tanquam a superiore, vel tanquam ab inferiore; et hoc dupliciter : vel ob defectum et insufficientiam accipientis, vel ob subventionem defectus alieni, puta intellectus nostri. Theologia accipit aliquid ab aliis scientiis, non tanquam a superioribus, sed tanquam ab inferioribus, non tamen priori modo (nam sic saltem esset illis in eo, quod accipit, ignobilior), sed posteriori modo, qua ratione nihil inferioritatis contrahit, sed omnimodam potius superioritatem ad illa retinet (1a, q. 1, a. 5, ad 2). — *Vel dic.* quod dupliciter potest aliqua scientia accipere ab alia : *uno modo*, ut principium, quo de aliis judicet, et sic inferior scientia accipit a superiori; *alio modo*, sicut illud, de quo judicatur, et sic scientia superior accipit ab inferiori. Et hoc secundo modo Theologia accipit a scientiis humanis, non autem primo modo; ipsa enim judicat de his, quæ sunt in aliis scientiis, per propria principia, non contra; quod

enim aliæ ab ipsa nihil accipiant, est propter ejus altitudinem, qua excedit rationem, cui scientiæ humanæ nituntur.

Ad tertium dicendum, quod cum una scientia præferatur alteri, aut ex eo quod est nobilior, aut quia est certior; si subjecta sunt æqualia in nobilitate, illa, quæ certior, erit præstantior; sed illa, quæ est minus certa, de objecto tamen nobiliore, præfertur ei, quæ est magis certa, de objecto ignobiliore; sic Philosophus (1. *de Partibus Animal.* c. 5) : amabile, inquit, est magis, parvum aliquid cognoscere de rebus nobilioribus, quam multa cognoscere de ignobilioribus. — Il. citandis art. seq.

ARTICULUS VII

UTRUM SCIENTIA DE NOBILIORI OBJECTO, SED INCERTIOR, SIT SIMPLICITER NOBILIOR SCIENTIA CERTIORE, SED DE OBJECTO IGNOBILIORE.

Videtur quod simpliciter sit nobilior scientia, quæ est de ignobiliori objecto, sed est certior.

1. Quia quanto aliquid est perfectius in his, quæ pertinent ad intellectum, tanto est certius; sed scientia est quid pertinens ad intellectum, cum sit ejus perfectio : ergo quo scientia est perfectior, eo erit certior; sed quo cognitio est perfectior, eo est dignior et nobilior : ergo scientia certior de objecto ignobiliori est simpliciter dignior, quam scientia incertior de nobiliori objecto. — 2a 2æ, q. 4, a. 8, arg. 2; 1a 2æ, q. 66, a. 5, arg. 3.

2. Præterea, scientia non refertur per se ad objectum materiale, sed ad formale, quod est objectum in esse scibili; sed objectum in esse scibili eo est dignius, quo est abstractius a materia et consequenter certius; nam incertitudo oritur ex transmutatione materiæ : ergo scientia certior simpliciter præferri debet incertiori de objecto licet nobiliori. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 1 et q. 57, a. 2, arg. 2 et c.; *de Carit.* a. 4, c.; 1. *Poster.* l. 41 (39); Il. cit. in a. 1 huj. quæst.

3. Præterea, scientia est simpliciter perfectior habitus, quam sit opinio; sed opinio potest esse de nobiliori objecto, quam scientia : ergo scientia minus certa de objecto nobiliori est simpliciter ignobilior, quam scientia certior de objecto ignobiliori. — 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 3; 1. *de Anima* l. 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 2. *de Cælo text.* 60; c. 12 dicit, quod magnum est de rebus cœlestibus aliquid posse cognoscere, etiam debili et topica ratione, et 1. *Metaphys.* c. 2 Metaphysicam ratione objecti nobilissimi cæteris omnibus scientiis simpliciter anteponit; unde et illam vocat honorabilissimam et divinissimam. — 1a 2æ, l. c.; 2. *de Cælo* l. 17; 1. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea, illa scientia est simpliciter nobilior, quæ simpliciter magis perficit et nobilitat intellectum; sed ea est, quæ est de nobiliori objecto; nam per hoc, mediante scilicet specie, nobilitatur et intellectus et intellectio : ergo scientia de nobiliori objecto, licet incertior, est simpliciter dignior scientia certiore de objecto ignobiliore. — 1a, q. 14, a. 2, ad 2 et a. 5, arg. 2 et 3 et q. 57, a. 1, ad 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod simpliciter nobilior est illa scientia, quæ est de nobiliori objecto, licet sit minus certa, quam scientia certior de objecto tamen ignobiliore. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod omnis scientia laudatur ex actu; omnis autem actus laudatur ex duobus : ex objecto et qualitate seu modo; sicut ædificare est melius, quam facere lectum, quia objectum ædificationis est melius lecto. In eodem autem respectu ejusdem rei ipsa qualitas gradum quemdam facit, quia quanto modus ædificii est melior, tanto melius est ædificium. Sic ergo si consideratur scientia seu actus ejus *ex objecto*, patet, quod illa scientia est nobilior, quæ est meliorum et honorabiliorum. — Si vero consideratur *ex qualitate* seu modo, sic illa scientia est nobilior, quæ est certior. Sic ergo una scientia dicitur nobilior altera, aut quia est meliorum et nobiliorum, aut quia est magis certa; verum, quia *aliquæ* scientiæ sunt certiores aliis, sunt tamen de rebus minus honorabilibus; *aliæ* vero contra sunt de rebus honorabilioribus et nobilioribus, sunt tamen minus certæ, simpliciter illæ sunt meliores et digniores, quæ sunt de rebus honorabilioribus et melioribus. Cujus ratio est, quia sicut dicit Philosophus

1. *de Partibus Animal.* c. 5, magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilioribus et altissimis, etiam si topice et probabiliter illud sciamus, quam scire multum et per certitudinem de rebus minus nobilibus. Illud enim habet nobilitatem ex se et ex sua substantia, hoc vero ex modo et qualitate; naturaliter autem homo desiderat id, quod est substantialiter perfectius. Et sic manifestum est, quod scientia incertior de nobiliori objecto est simpliciter dignior, quam scientia certior de objecto ignobili. — 1. *de Anima* l. 1; 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est perfectio : *alia* essentialis inhærens cognitioni per ordinem ad objectum, *alia* accidentalis conveniens cognitioni ex modo et qualitate; id, quod est perfectius posteriori modo, est quidem certius, non tamen est simpliciter dignius ob rationem supra allatam; et ideo scientia certior, sed de ignobiliori objecto, est simpliciter nobilitate inferior illa, quæ est de nobiliori objecto, licet sit incertior. — 1. *de Anima*, l. 1.

Ad secundum dicendum, quod cum scientia per se quærat causas et passiones sui subjecti materialis, ut Physica corporis naturalis, Mathematica quantitatis, et Metaphysica entis, ut ens est, necessario per se debet referri ad illud; verum est tamen, quod quia in ipsum non tendit, nisi mediante ratione formali, quæ est medium demonstrationis et ratio cognoscendi subjectum materiale, ideo scientia per accidens dicitur referri ad materiale, secundum quod per accidens idem significat, quod per aliud, puta per rationem formalem; quo modo conclusiones in scientia dicuntur per accidens cognitæ, quia cognitæ sunt per medium. — 1. *Metaphys.* proœm.; 1. *Poster.* l. 2 (1); *de Carit.* a. 13, ad 6; 1. *Sent.* dist. 30, q. 1, a. 1, ad 2; 5. *Metaphys.* l. 7; 2a 2æ, q. 1, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum loco citato cognitio probabilis de objecto nobili dignior est, quam cognitio certa de objecto ignobiliori, quantum scilicet ad dignitatem essentialem, non autem quantum ad dignitatem accidentalem. — Il. cit. in c.

QUÆSTIO XXXIII

DE DIVISIONE SCIENTIÆ IN PRACTICAM ET SPECULATIVAM.

Deinde considerandum est de multiplici divisione scientiæ. Erit autem hæc consideratio quadripartita. Nam considerabimus *primo*, de divisione scientiæ in practicam et speculativam; *secundo*, de divisione scientiæ speculativæ in Physicam, Metaphysicam et Mathematicam, et practicæ in activam et factivam; *tertio*, de divisione scientiæ in subalternantem et subalternatam.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum convenienter dividatur scientia in practicam et speculativam.
2. Utrum distinctio hæc scientiæ sumatur ex fine, an ex objecto.
3. Utrum practicum et speculativum sint differentiæ essentiales scientiæ.
4. Utrum scientia speculativa sit prior practica.
5. Utrum scientiæ speculativæ præemineant practicis.

ARTICULUS I

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR SCIENTIA IN PRACTICAM ET SPECULATIVAM.

Videtur quod non convenienter dividatur scientia in practicam et speculativam.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 21; c. 8), quod scientia non est de particularibus; sed scientia practica est de particularibus : ergo scientia practica non est scientia, et per consequens male dividitur scientia in practicam et speculativam. — 1. *Sent.* prolog., a. 3, quæstiunc. 2, arg. 1 et c.

2. Præterea, nulla differentia divisiva generis potest esse subdivisiva oppositæ differentiæ; sed speculativa continetur sub habitu practico, tanquam differentia constituens unam speciem illius, nam Medicina, quæ inter practicas scientias numeratur, dividitur in practicam et speculativam : ergo. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1 arg. 4; 3. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 3, ad 3.

3. Præterea, eadem scientia simul es

practica et speculativa, ut Theologia; sed nullum membrum dividens aliquod commune coincidit cum alio membro dividente : ergo scientia convenienter non dividitur in practicam et speculativam. — 1a, q. 1, a. 4 et 5; 1. *Sent.* prolog. a. 3, c.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Metaphys. text.* 3; l. 1 min. c. 1, et 6. *Metaphys. text.* 1 et 2; l. 5, c. 1) dividit scientiam in practicam et speculativam. — 2. *Metaphys.* l. 2; 6. *Metaphys.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia principaliter pensanda est ex fine; quidquid enim dicitur per ordinem ad aliquid, ex illo debet principaliter pensari, sicut et ab eodem sumit suam specificationem et distinctionem; scientia autem per se ordinatur ad objectum, sicut et quæcumque cognitio, tanquam ad finem. Duplex autem est finis scientiæ : *unus* est contemplatio veritatis, et ab hoc fine denominatur scientia speculativa; hæc enim tantum intendit contemplationem seu speculationem veritatis; *alter* est operatio, et ab ista denominatur scientia practica. Licet enim, ut docet Philosophus (2. *Metaphys.* l. c.), practici seu operativi intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam tanquam ultimum finem (non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se), sed ordinando ad finem operationis, sive applicando ad aliquod particulare determinatum et ad aliquod determinatum tempus. Unde manifestum est, quod convenienter dividitur scientia in practicam et speculativam. — 1. *Sent.* prolog. a. 3, sol. 1; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4; 1a 2æ, q. 54, a. 2, c. et ad 3; 1; *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 1, ad 2; 2. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod particularia dupliciter considerari possunt : *vel* in se, quatenus particularia et corruptibilia sunt, et sic non cadunt sub scientiam; *vel* quatenus sunt exemplaria operandorum, et sic cadunt sub scientiam practicam, puta sub moralem; ut sic enim habent rationem universalitatis. Quia enim operationes particularium circa particularia sunt, per exempla particularia ea, quæ ad mores pertinent, melius manifestantur. — l. c. in arg.

Ad secundum dicendum, quod tota Medicina sub practica continetur, utpote ad operationem ordinata. Unde Philosophus (1. *de Anima text.* 17; c. 1 numerat medicum inter artifices cum carpentario. Quare cum Medicina dividitur in practicam et speculativam, non attenditur talis divisio secundum finem, ex quo sumitur divisio scientiæ in practicam et speculativam, sed attenditur secundum quod ea, quæ in Medicina tractantur, sunt propinqua vel remota ab operatione; longe enim proximior operationi est pars illa Medicinæ, quæ docet, quæ remedia sint adhibenda, quam illa, quæ docet, quot sint morborum genera. — l. c. in arg.; 1. *de Anima*, l. 2.

Ad tertium dicendum, quod Theologia una existens se extendit ad ea, quæ pertinent ad scientias diversas philosophicas, propter rationem formalem, quam in diversis attendit, scilicet prout sunt divino lumine cognoscibilia. Et ideo licet in scientiis philosophicis alia sit speculativa, alia practica, Theologia tamen sub se comprehendit utramque, sicut Deus eadem scientia se cognoscit, et ea, quæ facit. Neque id mirum est, inferiores habitus diversificari circa illas materias, quæ communiter cadunt sub uno habitu superiori, quia superior habitus respicit objectum sub universaliori ratione formali; sicut objectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile et audibile; unde sensus communis, cum sit una potentia, extendit se ad omnia objecta quinque sensuum; et similiter ea, quæ in diversis scientiis philosophicis tractantur ut operabilia et speculabilia, potest Theologia una existens considerare sub una ratione, in quantum scilicet sunt divinitus revelabilia vel revelata. — 1a, q. 1, a. 4, c. et a. 3, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM DISTINCTIO SCIENTIÆ IN PRACTICAM ET SPECULATIVAM SUMATUR EX FINE, AN EX OBJECTO.

Videtur quod distinctio scientiæ in practicam et speculativam sumatur ex objecto.

1. Quia Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1) distinguit has scientias ex

objecto, et (6. *Ethic.* c. 3 et 4 similiter artem distinguit a scientia ex objecto. — 6. *Metaphys.* l. 1; 6. *Ethic.* l. 3.

2. Præterea, scientiae debent distingui ex eo, a quo sumunt suam speciem; sed illam sumunt, sicut et omnes habitus, ex objecto, hoc enim se habet respectu habituum, sicut forma substantialis respectu compositi naturalis, et sicut terminus respectu motus: ergo scientia distinguitur in practicam et speculativam ex objecto. — 1a 2æ, q. 18, a. 2; 2a 2æ, q. 47, a. 5 et 11, c.

3. Præterea, omnes actus differunt specie secundum diversitatem objectorum; sed omnes habitus et consequenter scientiæ sunt dispositiones ad actus: ergo etiam scientiæ diversificantur per ordinem ad objecta. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, *Sed contra*.

4. Præterea, Medicina dividitur in practicam et speculativam, et tamen non ex fine, ut patet; ergo distinctio scientiæ in practicam et speculativam non debet sumi ex fine, sed ex objecto. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 4.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min. c. 1) ex fine distinguit scientiam practicam a speculativa, et similiter ex fine distinguit (3. *de Anima text.* 49; c. 10) intellectum practicum a speculativo. — 2. *Metaphys.* l. 2; 3. *de Anima* l. 15.

Respondeo dicendum, quod cum scientia distinguitur in theoricam et practicam, necesse est accipere distinctionem earum ex fine, ut speculativa dicatur illa, quæ ordinatur ad solam cognitionem veritatis, practica vero, quæ ad operationem; quod potest esse manifestum ex tribus. Et *primo*, quia hæ scientiæ intrinsece distinguuntur per hoc, quod speculativæ intendunt solam cognitionem veritatis, operativæ vero operationem, ad quam ordinant cognitionem veritatis; at veritas est finis speculativæ, et opus practicæ. — *Secundo*, ex communi ratione habitus; nam habitus et consequenter scientiæ diversificantur secundum diversitatem objecti, quæ attenditur penes rationem formalem ejus; ratio autem formalis omnium, quæ sunt ad finem, ut sunt habitus et scientiæ (habitus enim est dispositio ad actum, tanquam ad ultimum terminum et finem), attenditur ex parte finis, et ideo necesse est, quod ex relatione ad diversos fines scientiæ distinguantur. Quia ergo diversi sunt fines: cognoscere veritatem ordinando illam ad finem operationis, et cognoscere veritatem sistendo in illa, ideo speculativæ scientiæ a practicis distinguuntur ex fine. — *Tertio*, ex parte processus, qui reperitur in scientia. Cum enim processus cujuslibet scientiæ sit quidam quasi motus rationis, cujuslibet autem motus unitas et distinctio sumatur principaliter ex termino, oportet quod distinctio scientiarum sumatur ex termino ipsarum; est autem finis speculativæ cognitio sui subjecti, finis enim Geometriæ est cognitio magnitudinis, quæ est ejus subjectum. In practicis intenditur quasi finis constructio subjecti, ut in arte ædificatoria constructio domus. Unde manifestum est, quod scientia practica et speculativa inter se distinguuntur ex fine. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4; 2. *Metaphys.* l. 2; 2a 2æ, q. 47, a. 8, c.; 1a 2æ, prolog. et q. 54, a. 2, c. et ad 3; 1. *Poster.* l. 41 (39); 1. *Polit.* prolog.

Ad primum ergo dicendum, quod objectum est finis et ultimus terminus habitus, ut dictum est, et ideo aliquando Philosophus ex objecto, aliquando ex fine distinguit scientias practicas a speculativis. — Et eodem modo respondetur *ad secundum* et *tertium*. — 1a, q. 77, a. 3, ad 1; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod ex Avicenna (initio Metaphys.) aliter sumitur practicum et speculativum, cum Philosophia dividitur in practicam et speculativam, et aliter, cum Medicina. Nam cum artes vel Philosophia dividuntur per practicum et speculativum, oportet accipere eorum distinctionem ex fine, ut speculativum dicatur illud, quod ordinatur ad solam veritatis cognitionem; practicum vero, quod ad operationem. Sed tamen hoc interest, cum Philosophia totalis in hæc dividitur et ipsæ artes, quod in divisione Philosophiæ habetur respectus ad finem ultimum universalem, id est ad beatitudinem, ad quam tota vita humana ordinatur; nulla enim est homini alia causa philosophandi, nisi ut sit beatus, ut dicit S. Augustinus l. 1. *de Civ. Dei* c. 1. Unde cum duplex felicitas a philosophis ponatur, una contem-

plativa, alia activa, ut patet ex 10. *Ethic.*, secundum hoc in duas partes Philosophia dividitur : in moralem, quam practicam vocant, et in naturalem et rationalem, quas vocant speculativas. Cum vero artium quædam dicuntur speculativæ, quædam practicæ, habetur respectus ad aliquos fines speciales illarum; sicut si dicamus, agriculturam esse artem practicam, Dialecticam vero speculativam. — Sed cum Medicina dividitur in practicam et speculativam, non attenditur divisio secundum finem (sic enim tota Medicina sub practica continetur, utpote ad operationem ordinata, sed attenditur prædicta divisio, secundum quod ea, quæ in Medicina tractantur, sunt, ut dictum est, propinqua vel remota ab operatione. Illa enim pars Medicinæ dicitur practica, quæ docet modum operandi ad sanationem, sicut quod talibus apostematibus sunt talia remedia adhibenda; speculativa vero dicitur illa pars, quæ docet principia, ex quibus homo dirigitur in operatione, sed non proxime; sicut quod virtutes sunt tres, et quod genera febrium sunt tot. Unde non oportet, si alicujus activæ scientiæ pars aliqua dicitur speculativa, quod propter hoc illa sub speculativa scientia ponatur.—*Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4.

ARTICULUS III

UTRUM PRACTICUM ET SPECULATIVUM SINT DIFFERENTIÆ ESSENTIALES SCIENTIÆ.

Videtur quod practicum et speculativum non sint differentiæ essentiales.

1. Intellectus enim practicus et speculativus ideo non sunt diversæ potentiæ, quia illæ duæ differentiæ accidentaliter se habent ad rationem objecti ipsius intellectus; accidit enim alicui objecto apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus vel non ordinetur; secundum hoc autem differunt intellectus practicus et speculativus; sed similiter accidunt prædictæ differentiæ objecto scientiæ : ergo practicum et speculativum non distinguunt essentialiter scientias. — 1a, q. 79, a. 11, c.

2. Præterea, illæ differentiæ non sunt essentiales scientiæ, quæ conveniunt aliis habitibus a scientia; sed practicum et speculativum conveniunt aliis habitibus, puta artibus, ut agriculturæ, alchimiæ, præterea habitui primorum principiorum (nam alius est practicus, alius speculativus), similiter et Medicinæ : ergo practicum et speculativum non sunt differentiæ essentiales scientiæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4; 1a, q. 1, a. 4.

3. Præterea, scientia speculativa ex parte finis sicut et ex parte modi est tantum secundum quid speculativa et practica; sed ex Philosopho (2. *Metaphys. text.* 3; l. 1 min. c. 1) speculativum distinguitur a practico fine : ergo speculativum et practicum non distinguunt simpliciter et per consequens nec essentialiter scientias inter se. — 1a, q. 14, a. 16, c.; *de Verit.* q. 3, a. 3, c.

4. Præterea, finis speculativæ et cujuscumque scientiæ est scire; desideramus enim scientiam, ut sciamus, et in omni scientia utimur demonstratione, ut sciamus; est enim scientia effectus demonstrationis; ergo omnis scientia est speculativa et per consequens speculativum et practicum non distinguunt essentialiter scientias. — 2. *Metaphys.* l. 2.

5. Præterea, ex Philosopho (3. *de Anima text.* 38; c. 8) scientiæ secantur sicut et res; sed eadem res potest esse speculabilis et practicabilis, ut patet in operibus voluntatis : ergo scientia practica et speculativa de eadem re non possunt inter se essentialiter differre. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, quæstiunc. 4, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Metaphys.* l. c. et 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1) dividit scientiam in practicam et speculativam, tanquam in differentias essentiales; nam *priori* loco sumit tales differentias per ordinem ad proprios et intrinsecos fines, qui cum objectis identificantur, cum sint objecta actuum interiorum; *posteriori* vero sumit easdem per ordinem ad objecta, ut scibilia sunt, a quibus accipiuntur differentiæ essentiales scientiarum, ut dictum est. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1; 1. *Poster.* l. 1 et 41 (39); 6. *Ethic.* l. 3; 2. *Metaphys.* l. 2; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 3.

2. Præterea, practicum et speculativum diversificant habitum principiorum; ergo et diversificabunt habitum conclusionum,

qui est scientia. Sicut enim, quia ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, debet dari habitus principiorum speculabilium, qui dicitur intellectus 6. *Ethic.* c. 6, ex quibus ratiocinamur ad conclusiones, quarum habitus est scientia; ita cum ratio practica ratiocinetur de operabilibus, debet dari habitus practicus principiorum operabilium, qui dicitur synderesis, ex quibus ratiocinamur ad conclusiones, quarum habitus dicitur scientia practica; sed practicum et speculativum essentialiter diversificant habitus principiorum: ergo et habitus conclusionum. — 1a, q. 79, a. 12, c.

Respondeo dicendum, quod cum diversa ratio cognoscibilis, quæ est ratio objecti, ut objectum est, inducat essentialem diversitatem scientiarum, necesse est, ut et practicum et speculativum, quæ talem diversitatem cognoscibilitatis inducunt, efficiant essentialem diversitatem in scientiis physicis. Cum enim ratio cognoscibilis desumatur ab objecto per ordinem ad scientiam, quæ debet esse de perpetuis et necessariis, consistere debet in immaterialitate et immobilitate (quod enim necessarium est, in quantum hujusmodi, est immobile, quia omne, quod movetur, in quantum hujusmodi, possibile est esse et non esse, vel simpliciter vel secundum quid, ut dicitur 10. (9) *Metaphys.*). Unde quæ differunt secundum immaterialitatem et immobilitatem, quia differunt in proportione ad intellectum et per ordinem ad scientiam, essentialiter diversificant scientias. Quia ergo speculativum et practicum differunt hoc modo, — nam speculativum ut sic habet ex parte intellectus, quod sit immateriale, ex parte vero scientiæ, quod sit necessarium, quia hæc est de necessariis, sicut intellectus, quia est immaterialis, est de immateriali; at practicum ut sic, cum respiciat intellectum, ut est operativus, id est quatenus extenditur ad opus, minus immateriale est, et cum sit contingens, est mobile, — ideo essentialiter diversificant scientias. Et sic manifestum est, quod sunt differentiæ essentiales illarum. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1; 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 1 et q. 57, a. 2, arg. 2 et a. 5, ad 3; 1a, q. 1, a. 1, ad 2; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 4, ad 2; *de Verit.* q. 14, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut multæ differentiæ diversificant potentias inferiores, quæ non diversificant superiores, ita quæ differentiæ diversificant habitus et scientias, non diversificant potentiam intellectus, sed sunt respectu illius tanquam differentiæ materiales vel accidentales. Et ita est in proposito; practicum enim et speculativum respectu intellectus sunt differentiæ accidentales et materiales, respectu vero scientiæ sunt essentiales. — 1a, q. 79, a. 11, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod aliud est practicum conveniens scientiæ naturali, aliud arti, aliud Medicinæ; nam practicum conveniens scientiæ naturali sumitur ex fine ultimo, qui est beatitudo. Ut enim dicit S. Augustinus l. 10 *de Civ. Dei* c. 1 ex verbis Varronis, nulla est homini alia causa philosophandi, nisi ut sit beatus. Practicum vero conveniens arti sumitur a proximo fine, ut dictum est. Cum autem Medicina dividitur in practicam et speculativam, attenditur talis divisio secundum quod ea, quæ tractantur in Medicina, sunt propinqua vel remota ab operatione. Ex eo vero, quod prædictæ differentiæ conveniunt etiam habitibus primorum principiorum, tantum colligitur, illas esse quidem differentias essentiales scientiæ, non tamen adæquatas, quia conveniunt etiam habitui in genere; sicut enim differentia superioris est essentialis inferiori contento sub illo superiori, ita practicum et speculativum, quæ sunt differentiæ essentiales habitus, sunt etiam essentiales scientiæ. Unde posset dividi habitus in practicum et speculativum, tum speculativus in intellectum et scientiam, et similiter practicus in synderesim et scientiam practicam. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod duplex est finis in scientia : *unus ipsius scientiæ*, a quo tanquam a termino sumit suam specificationem, unitatem et distinctionem essentialem, et hic coincidit cum objecto scientiæ. *Alter est scientis*, et hic est extrinsecus scientiæ, et consequenter non denominat scientiam speculativam vel practicam simpliciter, sed secundum quid. — 1. *Poster.* l. 41 (39); 1a, q. 14, a. 16.

Ad quartum dicendum, quod specula-

tivæ finis est veritas et scire, nam hoc est, quod intendit; practicæ vero finis est opus. Quia licet practici intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam tanquam ultimum finem; non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se, sed ordinando ad finem operis, sive applicando ad aliquod determinatum et particulare. — 2. *Metaphys.* l. 2.

Ad quintum dicendum, quod res, secundum quas distinguuntur scientiæ, non debent esse necessario diversæ in esse rei, sed in esse cognoscibilis. Et quia diversæ rationes cognoscibilis fundari possunt in eadem re, ut patet in operationibus voluntatis, circa quas versantur scientia animastica et moralis, ideo de illis materialiter sumptis possunt esse diversæ scientiæ. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 4, ad 2; 1. *Ethic.* l. 1.

ARTICULUS IV

UTRUM SCIENTIA SPECULATIVA SIT PRIOR PRACTICA.

Videtur quod scientia speculativa non sit prior practica.

1. Quia scientiæ practicæ versantur circa singularia; nam et versantur circa contingentia ut sic, et cum finis illarum sit constructio subjecti, perficiuntur in consideratione particularium. Scientiæ vero speculativæ versantur circa universalia; nam si aliquæ versantur circa contingentia, non sunt circa illa nisi secundum rationes universales; sed universale, ut dicitur 1. *de Anima text.* 8; c. 1, aut nihil est, aut posterius est singulari: ergo scientiæ practicæ sunt priores speculativis. — 6. *Ethic.* l. 3; 1a 2æ, q. 6, initio; 1. *Poster.* l. 41 (39); *de Virt. in com.* a. 12, c.

2. Præterea, scientiæ practicæ utpote conducentes ad necessitatem vel utilitatem sunt prius inventæ, quam speculativæ, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1); ergo sunt priores speculativis. — 1. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est, quod omnes scientiæ practicæ ordinantur ad speculativas, sicut et omnis operatio humana ordinatur ad speculationem, tanquam ad finem: sed finis est prior iis, quæ sunt ad finem: ergo scientiæ practicæ sunt posteriores speculativis. — 3. *c. Gent.* c. 25, n. 6.

RESPONDEO DICENDUM, quod quanto aliquæ scientiæ sunt certiores, tanto sunt priores naturaliter, ut dicit Philosophus 1. *Metaphys.* c. 2; manifestum est autem, quod speculativæ scientiæ sunt longe certiores practicis. Eo enim aliqua scientia est certior, quo est ex paucioribus; sic enim Arithmetica certior est quam Geometria. Nam ea, quæ sunt in Geometria, sunt ex additione ad ea, quæ sunt in Arithmetica, ut patet consideranti id, quod utraque scientia considerat ut primum principium, scilicet unitatem et punctum, punctus enim addit supra unitatem situm; nam ens indivisibile rationem unitatis constituit, et hæc secundum quod rationem mensuræ habet, fit principium numeri; punctus autem super hoc addit situm. Similiter scientiæ practicæ sunt plurium considerativæ quam speculativæ; oportet enim illas considerare multas singularium operabilium circumstantias, cum tamen hæ solum circa rerum naturas in universali spectatas versentur. Unde manifestum est, quod secundum naturam et simpliciter priores sunt scientiæ speculativæ practicis. — 1. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis scientia formaliter tantum est de universalibus, et de particularibus non nisi ut continentur in universalibus. Quin ipsa scientia practica in hoc differt a prudentia, quod ad ipsam pertinet universale judicium de agendis, sicut fornicationem esse malam, furtum non esse faciendum; ad prudentiam vero pertinet recte judicare de agibilibus, prout nunc agenda sunt. Dicitur tamen scientia practica perfici in cognitione particularium, quia consideratio de agendis, quæ pertinet ad intellectum activum, cujus perfectio est scientia practica, non est nisi propter agere et facere, quæ sunt circa singularia. — 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 3, sol. 2; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 4, ad 6.

Quod vero attinet ad Philosophi dictum, ut ejus sensus intelligatur, sciendum est, quod de universali dupliciter loqui possumus: *aut* secundum quod est universale, id est quatenus est unum in multis, ac proinde formaliter seu secundo intentio-

naliter, *aut* secundum quod est v. g. animal, id est primo intentionaliter et materialiter; et hoc rursum dupliciter accipi potest: *vel* secundum quod est in rerum natura, *vel* secundum quod est in intellectu. Si ergo sumatur universale materialiter, sed *primo* modo, Plato voluit tale materiale, puta animal, aliquid esse et esse prius particulari, quia posuit universalia separata et ideas. Aristoteles vero dixit, universale materiale sic sumptum nihil esse in rerum natura, et si aliquid est, esse posterius singulari. Si vero sumatur universale materiale *secundo* modo, aliquid est; est enim conceptus mentis, seu natura animalis intellecta, ut dictum est supra q. 2, a. 2. Si vero sumatur universale formaliter, seu secundum quod subjacet intentioni universalitatis, aliquid est et prius singularibus, sicut quod est in potentia, est prius eo, quod est in actu. — 1. *de Anima* l. 1; 2. *de Anima*. l. 12.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid prius alio : *vel* secundum naturam, quod scilicet est prius ordine causalitatis; *vel* secundum nos, quod scilicet est prius via generationis. Sed rursus, quia dupliciter potest via generationis scientia in nobis generari et acquiri : *vel* per inventionem, *vel* per doctrinam; ideo dupliciter potest scientia aliqua dici alia prior secundum nos : *vel* ordine inventionis, quia est prius inventa; *vel* ordine doctrinæ, quia prius addisci debet. — Hoc posito, si spectemus *ordinem causalitatis*, speculativæ sunt priores practicis, quia ut dictum est, omnis operatio humana ordinatur ad speculationem, tanquam ad finem. Si vero spectemus *ordinem inventionis*, speculativæ sunt posteriores illis scientiis practicis, quæ sunt ad utilitatem et necessitatem inventæ, ut dicit Philosophus; sunt autem priores scientiis moralibus, quæ non sunt inventæ ad utilitatem et necessitatem. Nam Socrates primo de moribus disputavit ex Cicerone 1. et 5. *Tuscul.* et Philosopho 1. *Metaphys. text.* 5; c. 6, cum tamen de natura ante ipsum Empedocles, Anaxagoras, Heraclitus et alii disseruissent. *Ordine vero doctrinæ* speculativa est prior practica, nam, ut dicit Philosophus 1. *Ethic.* c. 3 (1) juvenis non est hujus auditor moralis Philosophiæ, quia caret usu rerum, et tamen potest esse mathematicus, ut docet idem Philosophus 6. *Ethic.* c. 8 (9). — Unde congruus ordo addiscendi est iste, ut *primo* logicalibus quis instruatur, quia Logica docet modum totius Philosophiæ. *Secundo* mathematicis, quæ nec experentia indigent, nec imaginationem transcendunt. *Tertio* naturalibus, quæ etsi non excedunt sensum et imaginationem, requirunt tamen experientiam. *Quarto* moralibus, quæ requirunt experientiam et animum a passionibus liberum. *Postremo* sapientialibus et divinis, quæ transcendunt imaginationem et requirunt validum intellectum. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, sol. 1; 1a, q. 117, a. 1; 3a, q. 9, a. 4. ad 1; 2. *c. Gent.* c. 74; 3. *c. Gent.* c. 25; 1. *Metaphys.* l. 1. et 10 (8); 1. *Ethic.* l. 3; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 10.

ARTICULUS V

UTRUM SCIENTIÆ SPECULATIVÆ PRÆEMINEANT PRACTICIS.

Videtur quod scientiæ speculativæ non præemineant practicis, sed contra practicæ speculativis.

1. Quod enim est magis necessarium, est melius; sed scientiæ practicæ sunt magis necessariæ ad vitam humanam : ergo præeminent speculativis. — 1a 2æ, q. 66, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, scientiæ practicæ cum ordinentur ad operationem, illarum aliquæ, ut moralis, bonum faciunt habentem, non sic scientiæ speculativæ; sed illa scientia est melior, quæ meliorem reddit habentem ipsam : ergo scientiæ practicæ sunt meliores speculativis. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, architectonica præeminet scientiis, quibus præcipit; sed civilis, quæ est practicarum nobilissima, præcipit scientiis speculativis : ergo practicæ præeminent speculativis. — 1. *Ethic.* l. 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *Metaphys.* c. 2 inter artes et scientias illas, quæ sunt speculativæ, præfert practicis.

2. Præterea, finis nobilior et melior est his, quæ sunt ad finem; sed speculativæ sunt finis practicarum : ergo speculativæ

præeminent practicis. — 1a 2æ, q. 66, a. 3, arg. 3; 3. *c. Gent.* c. 25, n. 6.

3. Præterea, illa scientia præstat alteri, quæ magis accedit ad cognitionem causæ; sic enim 1. *Metaphys.* c. 1 artifices præferuntur expertis, quod hi ignorant causam, quam illi sciunt; sed speculativæ magis accedunt ad cognitionem causæ, quam practicæ : ergo illæ præeminent his. — 1. *Metaphys.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod licet omnis scientia sit bona et bonum hominis (bonum enim rei est illud, secundum quod res habet esse perfectum, scientia autem est perfectio hominis, in quantum est homo), nihilominus tamen in hoc una scientia excedit aliam. Nam, cum inter bona quædam sint laudabilia, illa scilicet, quæ sunt utilia in ordine ad aliquem finem, laudamus enim bonum equum, qui bene currit, quædam vero etiam honorabilia, illa scilicet, quæ sunt propter se ipsa, secundum hæc duo potest una scientia comparata alteri illi praestare. Cum ergo scientiæ practicæ sint propter opus, speculativæ vero propter se ipsas, et per consequens illæ sint tantum laudabiles, hæ vero et laudabiles et honorabiles, manifestum est, quod in ratione honorabilis præeminent speculativæ practicis. — 1. *de Anima* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 3 (2); 11. *Metaphys.* l. 7.

Sed rursus, cum omnis scientia sit laudabilis ex actu, actus vero laudetur ex duobus : ex objecto et qualitate seu modo, id est ex certitudine, secundum hæc duo possunt conferri inter se scientiæ practicæ et speculativæ. Et siquidem comparentur *ex parte modi* seu ex certitudine, manifestum est, quod speculativæ præeminent practicis; nam practicæ sunt incertissimæ, cum debeant considerare multas singularium operabilium circumstantias; speculativæ vero longe certiores sunf, cum ad sui subjecti considerationem pauciora actu consideranda requirant. Si vero conferantur *ex parte objecti*, scientiæ practicæ sunt nobilitate inferiores scientia divina seu Metaphysica et Physica; Metaphysica quidem, quia hæc agit de causis altissimis primisque principiis entis in communi, nimirum de Deo et Angelis, et præterea agit de fine ultimo totius universi; scientiæ vero practicæ tantum agunt de operationibus internis et externis hominis secundum ordinem, quem ratio considerando facit in ipsis, et illarum nobilissima, quæ est civilis, agit tantum de ultimo fine humanæ vitæ; Physica vero, quia hæc considerat ipsam substantiam hominis ejusque nobilissimæ partis, puta animæ rationalis, agitque de illius potentiis omnibus et potentiarum operationibus secundum ordinem, quem habent ex natura sua tum inter se, tum in ordine ad potentias. — 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 3; 1a, q. 1, a. 5; 1. *Metaphys.* l. 2; 1. *Ethic.* l. 1. et 10.

Superant tamen scientiæ practicæ in nobilitate scientias mathematicas, nam hæ versantur tanquam circa subjectum, circa quantitatem, puta circa lineas et numeros, et circa ea, quæ quantitatem consequuntur, ut figuras et hujusmodi, quæ nobilitate longe inferiora sunt iis, quæ tractantur in scientia morali. Unde et ab illa nobilitate et dignitate vincuntur simpliciter; nam quæ nobilius habet objectum, licet sit minus certa, ut dictum est, simpliciter præstat illi, quæ est certior, sed est de objecto ignobiliore. — Et sic manifestum est, quænam scientiæ speculativæ, et quomodo scientiis practicis nobilitate antecellant. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1 et 3, c. et q. 6, a. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ex eo, quod scientiæ practicæ sunt magis necessariæ ad vitam humanam, non ostenditur, eas esse nobiliores simpliciter speculativis, sed quoad hoc; quia hoc ipso, quod speculativæ non ordinantur ad aliud, sicut practicæ, sunt simpliciter illis digniores. — 1a 2æ, q. 66, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod homo non dicitur bonus simpliciter per scientiam moralem, sed per virtutes morales. Addo, quod licet concedamus ex eo, quod scientia moralis ordinatur ad virtutes, hominem aliquo modo dici bonum simpliciter per scientiam moralem saltem remote et causaliter, tantum inde probatur, quod scientia moralis est secundum quid melior scientia speculativa, sicut et inde tantum probatur, quod virtus moralis est secundum quid melior virtute intellectuali. — l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod civilis non præcipit scientiis speculativis secundum determinationem actus, sed tantum secundum usum. — Vel dic, quod sicut civilis non præeminet Deo, licet præcipiat de cultu divino; ita nec civilis, licet de his agat, quæ ad Metaphysicam pertinent, præeminet ipsi Metaphysicæ. Et hujus ratio est, quia non utitur Metaphysica, cui dræcipit, sed tantum utitur scientiis practicis, quibus præcipit et quibus proinde nobilior est. — 1. *Ethic.* l. 1.

QUÆSTIO XXXIV

DE DIVISIONE SCIENTIÆ SPECULATIVÆ IN PHYSICAM, MATHEMATICAM ET METAPHYSICAM, ET PRACTICÆ IN FACTIVAM ET ACTIVAM.

Deinde considerandum est de divisione scientiæ speculativæ in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam, et practicæ in factivam et activam.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum scientia speculativa convenienter dividatur in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam.
2. Utrum distinctio harum scientiarum sumatur ex varia abstractione.
3. Utrum Metaphysica præemineat omnibus scientiis speculativis.
4. Quænam scientiarum speculativarum sit certior.
5. Utrum scientia practica recte dividatur in factivam et activam.

ARTICULUS I

UTRUM SCIENTIA SPECULATIVA CONVENIENTER DIVIDATUR IN PHYSICAM, MATHEMATICAM ET METAPHYSICAM.

Videtur quod non convenienter dividatur scientia speculativa in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam.

1. Nam partes speculativæ sunt illi habitus, qui partem animæ contemplativam perficiunt; sed Philosophus (6. *Ethic.*) ponit, quod scientificum animæ, quod est ejus pars contemplativa, perficitur tribus habitibus : sapientia, scientia, intellectu : ergo ista tria sunt partes scientiæ speculativæ, non prædictæ tres. — *Opusc.* 70, q. 5. a. 1, arg. 1.

2. Præterea, communiter Philosophia dividitur in septem artes liberales, inter quas neque scientia divina neque naturalis continentur, sed sola rationalis et mathematica; ergo naturalis et divina non debuerunt poni partes Philosophiæ vel scientiæ speculativæ. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, Medicina est pars Philosophiæ naturalis, sicut et scientia de agricultura et alchimia; sed istæ sunt operativæ : ergo et Philosophia naturalis seu Physica est operativa, et sic non erit pars Philosophiæ vel scientiæ speculativæ. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, totum non debet dividi contra partem; sed scientia divina est totum respectu Physicæ et Mathematicæ; nam et Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 2, c. 2; l. 10, c. 4) vocat illas partes Metaphysicæ, et vere sunt. Nam subjecta illarum sunt partes subjecti hujus, hoc enim est ens, cujus pars est substantia mobilis, quam considerat scientia naturalis, et quantitas, quam considerat Mathematica : ergo scientia divina non debet dividi sub scientia speculativa contra Physicam et Mathematicam. — *Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, scientiæ dividuntur sicut et res (3. *de Anima text.* 38; c. 7); sed Philosophia est de ente; est enim cognitio entis ut dicit Dionysius in *Epist. ad Polycarpum;* cum ergo ens primo dividatur in potentiam et actum, per unum et multa, per substantiam et accidens, per corporeum et incorporeum, videtur quod per hujusmodi debeat Philosophia seu scientia speculativa dividi. — *Ibid.* arg. 7.

6. Præterea, secundum Philosophum (1. *Metaphys.* c. 2) scientia speculativa est sui gratia; sed secundum eumdem ibidem sola Metaphysica est sui gratia : ergo Physica et Mathematica non sunt partes scientiæ speculativæ. — 1. *Metaphys* l. 3 (2).

7. Præterea, sicut dantur entia conjuncta materiæ secundum esse, et non secundum rationem, ut Mathematica, et secundum esse et rationem, ut Physica, et secundum neutrum, ut Metaphysica; ita possunt dari entia conjuncta secundum rationem et non secundum esse, et de his erit quarta scientia speculativa : ergo divisio scientiæ spe-

culativæ in tres non erit sufficiens. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1) dividit scientiam speculativam in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam. — *Ibid. Sed contra.*

2. Præterea, cum scientiæ speculativæ per demonstrationem habeantur, demonstrationis vero principium seu medium sit definitio, necessario debent, ut dictum est, distingui per diversum modum definiendi; sed hi modi sunt tres : puta per materiam sensibilem, quomodo definit Physica; per materiam intelligibilem, quomodo definit Mathematica, et sine materia, quomodo definit Metaphysica : ergo et erunt tres scientiæ speculativæ inter se distinctæ per diversos modos definiendi. — 1. *Phys.* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7; v. supra q. 32, a. 3, c., rat. 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod cum scientia speculativa et practica per finem distinguantur, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 3; l. 1 min., c. 1 (speculativæ enim finis est veritas, operativæ vero seu practicæ actio), oporteat autem materiam esse fini proportionatam, necesse est practicarum scientiarum materiam esse res illas, quæ a nostro opere fieri possunt, ut earum cognitio in operationem, quasi in finem ordinari possit, speculativarum vero scientiarum esse res, quæ a nostro opere non fiunt, quarum proinde consideratio in operationem ordinari non potest, sicut in finem; et secundum harum rerum dictinctionem oportet scientias speculativas distingui. — Sciendum tamen, quod quando habitus vel potentiæ penes objecta distinguuntur, non distinguuntur penes quaslibet differentias objectorum, sed penes illas, quæ sunt per se objectorum, in quantum objecta sunt (esse enim animal vel plantam accidit sensibili, in quantum sensibile est); et ideo penes hoc non sumitur differentia sensuum, sed magis secundum differentias coloris et soni; — et ideo oportet scientias speculativas dividi per differentias speculabilium, in quantum speculabilia sunt. Speculabili autem, secundum quod est objectum speculativæ scientiæ, convenit aliquid ex parte potentiæ intellectivæ, et aliquid ex parte habitus scientiæ, qua intellectus perficitur. Ex parte quippe intellectus convenit ei, quod sit immateriale, quia et ipse intellectus est immaterialis; ex parte vero scientiæ competit ei, quod sit necessarium, quia scientia est de necessariis, ut patet 1. *Poster.* Omne autem necessarium, in quantum hujusmodi, est immobile, quia omne, quod movetur, in quantum hujusmodi, possibile est esse et non esse, vel simpliciter vel secundum quid, ut dicitur 10. (9) *Metaphys.* Sic igitur speculabili, quod est objectum scientiæ speculativæ, per se competit separatio a materia et motu, vel applicatio ad ea, et ideo secundum ordinem remotionis a materia et motu scientiæ speculativæ distinguuntur.

Quia ergo triplex tantum est ordo rerum speculabilium — nam *quædam* dependent a materia secundum esse et intellectum, in quorum scilicet definitionem ponitur materia sensibilis, ut in definitione hominis oportet accipere carnem et ossa, et de his est scientia naturalis; *quædam* vero dependent a materia secundum esse, quia in illa semper inveniuntur, non tamen secundum intellectum, quia in eorum definitione non ponitur materia sensibilis, ut in definitione lineæ et numeri, de quibus est Mathematica; *quædam* denique non dependent a materia secundum esse, quia sine illa esse possunt, *sive* nunquam sint in materia, ut Deus et Angeli, *sive* in quibusdam insit materia, in quibusdam non, ut substantia, qualitas, potentia et actus, de quibus est Metaphysica; — neque est possibilis quartus ordo, quod scilicet sint aliquæ res, quæ secundum intellectum dependeant a materia, et non secundum esse, quia intellectus, quantum est de se, immaterialis est; et ideo non sunt nisi tres partes scientiæ vel Philosophiæ speculativæ : Physica, Mathematica et Metaphysica. Unde patet *ad postremum* objectum. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus (6. *Ethic.*) determinat de habitibus intellectualibus, quatenus sunt virtutes intellectuales. Dicuntur autem virtutes, quatenus perficiunt intellectum in sua operatione (virtus enim est, quæ bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum); et

ideo secundum quod diverso modo perficitur per hujusmodi habitus speculativos, diversificantur hujusmodi virtutes. Est enim *alius modus*, quo pars animæ speculativæ perficitur per intellectum, qui est habitus principiorum, quo aliqua ex seipsis nota fiunt; et *alius*, quo cognoscuntur conclusiones ex hujusmodi principiis demonstratæ, sive primo demonstratio procedat ex causis inferioribus, sicut scientia; sive ex causis altissimis, sicut sapientia. Cum autem distinguuntur scientiæ, quia sunt habitus quidam, oportet, quod distinguantur penes objecta, id est penes res, de quibus sunt scientiæ, et sic a Philosopho in Metaphysica distinguuntur tres partes Philosophiæ speculativæ. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod septem artes liberales non dividunt sufficienter Philosophiam speculativam, sed, ut dicit Hugo de S. Victore in 3. sui *Didascalon*, prætermissis aliis Logica et Mathematica numerantur, quia his primum erudiebantur, qui Philosophiam discere volebant; et ideo in Trivium et Quatrivium distinguuntur, eo quod his quasi quibusdam viis vivax animus ad secreta Philosophiæ introeat. In hoc etiam consonat verbum Philosophi, qui dicit (2. *Metaphys. text.* 15; l. 1 min., c. 3), quod modus sciendi debet quæri ante scientias; et Commentator ibidem dicit, quod Logicam, quæ docet modum omnium scientiarum, debet quis ante omnes alias scientias addiscere, ad quam pertinet Trivium. Dicit etiam in 6. *Ethic.*, quod Mathematica potest sciri a pueris, non Physica, quæ experimentum requirit; ex quo datur intelligi, quod primo Logica, deinde Mathematica debet addisci, ad quam pertinet Quatrivium. Et ita his quasi quibusdam viis præparatur animus ad alias philosophicas disciplinas. Vel ideo hæ inter alias scientias artes dicuntur, quia non solam habent cognitionem, sed opus aliquod, quod est immediate ipsius rationis, ut construere, syllogizare, orationem formare, numerare, mensurare cursus siderum, computare. Aliæ vero scientiæ *vel* non habent opus, sed cognitionem tantum, sicut scientia divina et naturalis; unde nomen artis habere non possunt, cum ars dicatur ratio factiva, ut dicitur l. c.; *vel* habent opus corporale, sicut Alchimia, Medicina et hujusmodi; unde non possunt dici artes liberales, quia hujusmodi actus sunt hominis ex parte illa, qua non est liber, scilicet ex parte corporis. Scientia vero moralis, quamvis sit propter operationem, quia tamen illa operatio non est actus scientiæ, sed est actus virtutis, ut patet 5. *Ethic.*, non potest dici ars, sed magis in illis operationibus se habet virtus loco artis; et ideo veteres definierunt virtutem esse artem bene rectequе vivendi, ut dicit Augustinus l. 10. *de Civ. Dei.* — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod aliqua scientia dupliciter continetur sub alia : *uno modo*, ut pars ejus, quia scilicet subjectum ejus est pars aliqua subjecti illius, sicut planta est quædam pars corporis naturalis; unde et scientia de plantis continetur sub scientia naturali, ut pars. *Alio modo* continetur una scientia sub alia, ut ei subalternata, quando scilicet in superiori scientia assignatur *propter quid* eorum, de quibus scitur in scientia inferiori solum *quia;* sicut Musica continetur sub Arithmetica. Medicina igitur non ponitur sub Physica ut pars, subjectum enim Medicinæ non est pars subjecti scientiæ naturalis secundum illam rationem, qua est subjectum Medicinæ; quamvis enim corpus sanabile sit corpus naturale, non tamen est subjectum Medicinæ, prout est sanabile a natura, sed prout est sanabile per artem. Sed quia in sanatione, quæ fit per artem, ars est ministra naturæ, quia ex aliqua naturali virtute sanitas perficitur auxilio artis, inde est, quod *propter quid* de operatione artis oportet accipere ex proprietatibus rerum naturalium, et propter hæc Medicina subalternatur Physicæ, et eadem ratione Alchimia, scientia de agricultura et aliæ hujusmodi. Et sic relinquitur, quod Physica secundum se et secundum omnes suas partes est speculativa, quamvis aliquæ operativæ aliquo modo subalternentur ei. — *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod licet subjecta aliarum scientiarum sint partes entis, quod est subjectum Metaphysicæ, non tamen oportet, quod aliæ scientiæ sint partes ejus; accipit enim unaquæque scientia unam partem entis secundum specialem modum considerandi distinctum a modo

quo consideratur ens in Metaphysica. Unde proprie loquendo subjectum illius non est pars subjecti Metaphysicæ, sed secundum hanc rationem ipsa est specialis scientia aliis condivisa. Sic autem dici posset pars ipsius Metaphysicæ scientia, quæ est de potentia vel actu, vel quæ est de uno, et hujusmodi, quia ista habent eumdem modum considerandi cum ente, quod est subjectum Metaphysicæ. — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod illæ partes exigunt eumdem modum tractandi cum ente in communi, quia etiam ipsæ non dependent a materia, et ideo scientia de ipsis non distinguitur a scientia de ente in communi. Differentiæ vero illæ corporei et incorporei, animati et inanimati, non sunt differentiæ per se rerum, in quantum sunt scibiles, et ideo penes eas scientiæ non distinguuntur. — *Ibid.* ad 7.

Ad sextum dicendum, quod verba illa « sola hæc » dupliciter possunt intelligi : *uno modo*, ut demonstrent in genere scientiarum omnem scientiam speculativam, et tunc verum est, quod solum hoc genus scientiarum propter se ipsum quæritur; unde et solæ illæ artes liberales dicuntur, quæ ad sciendum ordinantur; illae vero, quæ ordinantur ad aliquam utilitatem per actionem habendam, dicuntur mechanicæ sive serviles. *Alio modo*, ut specialiter demonstrent Metaphysicam sive sapientiam, quæ est circa altissimas causas, inter quas est etiam finalis. Et sic est verum, quod sola Metaphysica est proprie sui gratia; nam cum illa consideret ultimum et universalem finem omnium, omnes aliæ scientiæ in eam ordinantur sicut in finem. — 1. *Metaphys.* l. 3 (2).

Ad septimum dicendum est, quod quia intellectus, quantum de se, est immaterialis, non potest dari quartum genus rerum, nec quarta scientia præter prædictas tres, ut dictum est.

ARTICULUS II

UTRUM DISTINCTIO SCIENTIARUM SPECULATIVARUM SUMATUR EX VARIA ABSTRACTIONE.

Videtur quod distinctio scientiarum speculativarum non sumatur ex varia abstractione.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 38; c. 7), quod scientiæ secantur sicut res; ergo distinctio illarum debet sumi a rebus, et non ab abstractione. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 7.

2. Præterea, esse abstractum vel non abstractum sunt differentiæ accidentales rebus, quæ sciuntur, animatum vero vel inanimatum sunt essentiales; sed distinctio scientiarum sumi debet a differentiis essentialibus : ergo scientiæ speculativæ non distinguuntur ex abstractione. — *Ibid.* arg. 8.

3. Præterea, si per impossibile non esset materia, adhuc intelligentiæ essent scibiles; nam cognoscibilitas sequitur naturam rei, ut est in se, ut docet Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1); ergo scientiarum distinctio non sumitur a materia vel motu. — 2. *Metaphys.* l. 2.

4. Præterea, numeri, dimensiones et figuræ, de quibus agit mathematicus, ita sunt in materia sicut reliqua accidentia et qualitates, de quibus tractat scientia naturalis; et tamen scientia naturalis distinguitur a Mathematica : ergo scientiæ speculativæ non distinguuntur per abstractionem a materia. — 1a, q. 85, a. 1, ad 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 3, c.

5. Præterea, secundum Philosophum (1. *Poster.*) scientiæ distinguuntur secundum diversa principia et media; sed hæc consequuntur diversas naturas rerum, non autem diversas abstractiones : ergo. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

6. Præterea, eadem conclusio probatur a Physica et Mathematica, ut quod terra sit rotunda; sed hoc est utramque scientiam considerare objectum æqualiter abstractum : ergo. — 1a, q. 1, a. 1, ad 2; *Opusc.* 70, l. c. ad 7.

7. Præterea, ad Metaphysicam spectat agere de Deo, Angelis, ente et substantia; sed abstractio Dei et Angelorum est diversa ab abstractione substantiæ et entis; nam hæc duo non abstrahunt a materia, alioqui nullum ens inveniretur, quod haberet materiam, illa vero duo omnino abstrahunt a materia : ergo scientiæ non distinguuntur per abstractiones. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 4, ad 3 et 5; 1. *Metaphys.* l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (6.

Metaphys. initio et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 1; l. 3, c. 1, et l. 10, c. 7) dividit scientias speculativas ex variis abstractionibus.

2. Praeterea, ita se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam; sed objectum non diversificat potentias nisi sub ratione cognoscibilis : ergo nec subjectum diversificabit scientias, nisi sub ratione scibilis; sed ratio scibilis, ut dictum est, sumitur ex varia abstractione a materia vel motu : ergo scientiæ distinguuntur ex varia abstractione. — 1a, q. 1, a. 7, c.; v. supra q. 32, a. 2 et 3.

Respondeo dicendum, quod scientiæ speculativæ debent distingui specie vel genere ex abstractione generica vel specifica, et consequenter ex objecto, ut scibile est. Sicut enim habitus et potentiæ, cum distinguuntur per objecta, tantum distinguuntur per illas differentias, quæ sunt per se objectorum, ut objecta sunt, ita et scientiæ speculativæ, quippe quarum subjecta ita se habent ad ipsas, sicut objecta ad potentias, tantum distingui debent per differentias speculabilium, in quantum speculabilia sunt. Speculabili autem, ut speculabile est, cum sit objectum potentiæ intellectivæ perfectæ per habitum scientiæ speculativæ, ex parte intellectus, cujus est proportionata materia, per se convenit esse immateriale, atque adeo abstractum a materia. Cum enim intellectus noster sit immaterialis, non percipit res nisi modo immateriali, et ideo ut res sit intelligibilis, debet esse abstracta a materia; intelligibile enim et intellectum oportet esse proportionata et unius generis, cum intellectus et intelligibile sint unum; sic enim ea, quæ sunt maxime separata a materia, sunt maxime intelligibilia. Ex parte vero scientiæ convenit esse necessarium et consequenter immobile. Cum enim scientia sit de perpetuis et immutabilibus, materia vero sit radix omnis mutabilitatis, necessario debet res ad hoc, ut sit scibilis, esse abstracta a materia et motu. Et sic manifestum est, quod scientiæ speculativæ debent distingui per varias abstractiones a materia, tanquam per differentias per se speculabilium. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c.; 1. *Phys.* l. 1; 1. *Metaphys.* l. 1; 1a, q. 1, a. 7, c.; 1. *Poster.* l. 41 (39); 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod scientiæ dividuntur per res, ut scibiles sunt; sensus autem Philosophi est, quod scientia et sensus condividuntur in res, id est dividuntur in actum et potentiam, quemadmodum et res; quia nimirum scientia et sensus in potentia se habent ad scibilia et sensibilia in potentia, scientia vero et sensus in actu ordinantur ad sensibilia et scibilia in actu. — *Opusc.* 70, l. c. ad 7; 3. *de Anima* l. 13.

Ad secundum dicendum, quod esse abstractum vel non abstractum sunt differentiæ essentiales rerum, in quantum sunt scibiles. — *Ibid.* ad 8.

Ad tertium dicendum, quod substantiæ immateriales dupliciter possunt tractari : *uno modo*, ut sunt secunda principia omnium entium; *secundo*, ut sunt res quædam. *Primo modo* sumptæ licet sint in se maxime scibiles et notæ, noster tamen intellectus se habet ad illas, sicut oculus noctuæ ad lumen solis; nam per lumen rationis naturalis non potest ad illas pervenire, nisi per illarum effectus, quo fit, ut propterea a philosophis hoc tantum modo et in Metaphysica, quæ est scientia de ente, tractentur. *Secundo vero modo* sumptæ tractantur in Theologia, non quidem tanquam pars subjecti, sed tanquam manifestantes subjectum, et ideo si per impossibile materia et effectus materiales a philosophis lumine naturali sciri non possent (scitur enim quodlibet, quatenus est intelligibile, eatenus vero est intelligibile, quatenus est proportionatum intellectui; est autem proportionatum intellectui, quatenus est unius generis cum illo, ut sicut intellectus est abstractus a materia, ita sit et intelligibile), essent tamen in se scibiles in potentia respectu nostri, et noster intellectus esset cognoscitivus earum. — *Ibid.* a. 4, c. et ad 3; 1. *Metaphys.* l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1.

Ad quartum dicendum, quod entia mathematica non possunt quidem considerari sine substantia ut subjecta quantitati atque adeo sine materia affecta quantitate, quæ dicitur materia intelligibilis; possunt tamen considerari sine materia sensibili, id est sine materia ut subjecta qualitatibus sensibilibus, ut calido, frigido, duro, molli; quamquam prædicta entia considerantur,

ut abstrahunt a materia intelligibili in particulari; considerantur enim per ordinem ad materiam intelligibilem in communi. — l. c. in arg.

Ad quintum dicendum, quod scientiæ distinguuntur secundum diversa principia et media in genere scibili, non in genere rei, id est secundum principia et media diversa secundum abstractionem a materia. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

Ad sextum dicendum, quod quia diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit, licet eamdem conclusionem astrologus et naturalis demonstrent, non tamen eodem modo; nam astrologus illam demonstrat per medium mathematicum, id est a materia sensibili abstractum; naturalis vero per medium circa materiam consideratum. — l. c. in arg.

Ad septimum dicendum, quod subjectum Metaphysicæ est ens; de Angelis vero agit tamquam de secundis principiis entium, saltem per motum orbium. Porro ens et substantia dicuntur abstrahere a materia secundum esse et rationem, non quia de eorum ratione sit esse sine materia et motu, sicut de ratione equi est esse sine ratione; sed quia de ratione eorum non est in materia et motu esse, quamvis quandoque sint in materia; sicut animal abstrahit a rationali, quamvis aliquod animal sit rationale. — l. c. in arg.

ARTICULUS III

UTRUM METAPHYSICA PRÆEMINEAT OMNIBUS SCIENTIIS SPECULATIVIS.

Videtur quod Metaphysica non præemineat omnibus scientiis speculativis.

1. Inferioris enim scientiæ est accipere sua principia a superiore scientia, ut patet in Musica respectu Geometriæ; sed Metaphysica accipit sua principia a scientia naturali et a Mathematica; nam ad cognitionem substantiarum separatarum indiget cognoscere numerum et ordinem corporum cœlestium eorumdemque motum, quod non est possibile sine Astrologia et Physica. (1a, q. 1, a. 5, arg. 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 9 et q. 6, a. 1, c.) — *Dices*, quod licet Metaphysica sumat sua principia a Naturali et a Mathematica, rursum harum principia summuntur et probantur a Metaphysica.

2. *Contra*, circulus in demonstratione nullo modo admittendus est; at is daretur, si Metaphysica supponeret ea, quæ in aliis scientiis probantur, et tamen ipsa probaret illarum principia: ergo Metaphysica accipit principia ab aliis scientiis, non contra, et per consequens ipsa non præeminet aliis scientiis speculativis. — *Ibid.*

3. Præterea, certitudo pertinet ad dignitatem scientiæ; sed in certitudine superatur Metaphysica a reliquis duabus scientiis speculativis: a Mathematica quidem, quia ratione majoris certitudinis processus disciplinabilis dicitur proprius illius; a Physica vero, quia hujus subjectum est magis sensatum: ergo Metaphysica non præeminet scientiis speculativis. — 1a, q. 1, a. 5, arg. 1.

4. Præterea, quanto cognitio est perfectior, tanto est major et nobilior; sed perfectiorem cognitionem habere possumus de rebus humanis, de quibus est Physica, quam de rebus divinis, de quibus est Metaphysica, cum res divinæ sint incomprehensibiles juxta illud Job c. 36, v. 26: ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: ergo Metaphysica non est nobilior aliis scientiis speculativis. — 1a 2æ, q. 66, a. 5, arg. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Metaphys.*) Metaphysicam cæteris scientiis speculativis dignitate anteponit; unde et sex illi proprietates assignat, in quibus longissime cæteris antecellit; et (6. *Ethic.* c. 7) dicit, in dignitate ita se habere Metaphysicam respectu cæterarum scientiarum omnium, sicut se habet civilis respectu scientiarum practicarum. — 1. *Metaphys.* l. 1, 2, 3; 6. *Ethic.* l. 6.

2. Præterea, quando plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum esse præeminens aliis tamquam regulans regulatis; sed omnes scientiæ ordinantur ad unum, puta ad hominis perfectionem, quæ est Deus: ergo necesse est, ut una earum sit regulatrix et domina omnium; sed hæc est sola Metaphysica. Nam eatenus aliqua scientia est regulatrix et domina, quatenus est maxime intellectualis, id est quatenus versatur circa maxime intelligibilia;

hoc autem convenit soli Metaphysicæ. Cum enim agat de primis rerum causis, de ente in communi et iis, quæ consequuntur ens, et de substantiis abstractis, versatur circa maxime intelligibilia tam ex ordine intelligendi quam ex comparatione intellectus ad sensum et ex ipsa cognitione intellectus : ergo Metaphysica præeminet cæteris scientiis speculativis. — 1. *Metaphys.* proœm.

RESPONDEO DICENDUM, quod Metaphysica principalissima est inter scientias tum operativas tum speculativas. *Inter operativas* quidem, quia finis harum, quod est bonum humanæ vitæ, ad pauciora se extendit, quam finis Metaphysicæ, quod est bonum totius universi; scientiarum autem illa est præstantissima, cujus finis est optimus. *Inter speculativas* vero, quia illis antecedit in tribus, secundum quæ una scientia dicitur simpliciter alia præstantior, nimirum quantum ad subjecti separabilitatem, quantum ad ejusdem nobilitatem et quantum ad universalitatem scientiæ. Nam *quoad primum*, Metaphysica considerat entia magis abstracta; considerat enim ens, in quantum ens, quod dicitur separatum a materia secundum esse et rationem negative, quia scilicet potest esse sine materia, et considerat Deum et intelligentias, quæ sunt abstractæ a materia positive, quia nunquam sunt vel esse possunt in materia, cum tamen cæteræ scientiæ considerent entia concernentia materiam sive sensibilem, ut Physica, sive intelligibilem, ut Mathematica.

Quoad secundum vero, Physica agit de corpore naturali, Mathematica vero de quantitate; at Metaphysica, cum agat de ente in communi, necesse est, ut etiam agat de Deo et Angelis, quæ sunt universalia et prima principia, et causæ entis in communi; ejusdem enim scientiæ est considerare causas proprias alicujus generis, et genus ipsum. Nam scientia non perficitur nisi in cognitione causarum, ut dicit Philosophus (1. *Phys.* initio), et consequenter agit de his, quæ sunt nobilitate omnibus entibus superiora. — Quod demum attinet *ad tertium*, certissimum est, nullam scientiam operativam esse scientiam universalem; inter speculativas vero manifestum est, quod quælibet mathematicarum scientiarum est circa unum aliquod genus determinatum, universalis autem scientia communiter de omnibus est, unde nulla mathematicarum est communis omnium entium. Sed de Naturali etiam manifestum est, quia si naturales substantiæ, quæ sunt substantiæ sensibiles et mobiles, sunt primæ inter entia, oportet, quod naturalis scientia sit prima inter scientias, quia secundum ordinem subjectorum est ordo scientiarum; si autem alia substantia est præter substantias naturales, quæ sit separabilis et immobilis, necesse est etiam scientiam ipsius esse, quæ sit prior naturali, et ex eo, quod est prima, oportet, quod sit universalis; eadem enim est scientia, quæ est de primis entibus, et quæ est universalis; nam prima entia sunt principia aliorum. Cum ergo dentur hujusmodi entia, ut ostenditur 8. *Phys.* et 12 (11). *Metaphys.*, et de illis agat Metaphysica, dicendum est, illam dignitate cæteris omnibus scientiis speculativis antecellere. — 1. *Ethic.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 7; 1. *Metaphys.* proœm.; 6. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1 et q. 5, a. 2, ad 3 et a. 4, c. et ad 3.

Ad primum ergo dicendum, ut est responsum in objectione.

Ad secundum dicendum, quod licet Metaphysica secundum nos sit posterior aliis scientiis, quia utitur pluribus rebus determinatis in illis, ipsa tamen simpliciter prior est secundum naturam, ac proinde illis simpliciter dignior. Neque sequitur ullus circulus ; nam principia, quæ accipit scientia naturalis a Metaphysica, non probant ea, quæ eadem Metaphysica accipit a naturali, sed probantur per aliqua principia per se nota; præterea, effectus sensibiles, ex quibus procedunt naturales demonstrationes, sunt notiores quoad nos in principio, sed cum per eos pervenimus in cognitionem causarum primarum, ex illis apparet nobis *propter quid* illorum effectuum, ex quibus causæ probantur demonstratione *quia*. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet id, quod est certius secundum naturam esse quod ad nos minus certum propter debilitatem nostri intellectus, qui se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ut dicitur 2. *Meta*

phys. text. 1; l. 1. min. c., 1. Ea igitur, quæ considerantur in Metaphysica, sunt certiora secundum se, quæ vero considerantur in Physica et Mathematica, sunt certiora secundum nos, et ideo illa simpliciter his digniora sunt. (1a, q. 1, a. 5, ad 1) — *Vel dic*, quod licet concedamus, Metaphysicam esse scientiam minus certam quam sit Physica et Mathematica, non tamen inde sequitur, quod ab illis dignitate et nobilitate vincatur. Nam cum una scientia præferatur alteri, vel quia certior est, vel quia habet nobilius subjectum, licet ubi est æqualitas in nobilitate objecti, ea quæ est certior, præferatur alteri; quando tamen ea, quæ est certior, superatur ab alia in nobilitate objecti, est simpliciter illa minus digna et nobilis, ut contingit in proposito. Nam Metaphysica tractat de rebus altissimis et præstantissimis, secus vero Physica et Mathematica; desiderabilius autem est, ut dicit Philosophus 1. *de Partibus Animal.* c. 5, parvum aliquid cognoscere de talibus rebus, quam multa de rebus ignobilioribus, et magnum est, ut idem dicit 2. *de Cœlo text.* 60; c. 12, posse aliquid cognoscere de rebus cœlestibus, quales sunt illæ, quæ sunt metaphysicæ considerationis, etiam debili et topica ratione. — Et ex his patet *ad quartum* argumentum, ut etiam dictum est. — *Opusc.* 70, q. 5, l. c.; 1a 2æ, q. 66, a. 5, ad 3; 1, 6 et 11. *Metaphys.* l. c.; v. supra q. 32, a. 6, ad 3.

ARTICULUS IV

QUÆNAM SCIENTIARUM SPECULATIVARUM SIT CERTIOR.

Videtur quod Metaphysica sit certior.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 27), quod scientia, quæ non est de subjecto, id est de materia sensibili, est certior illa, quæ est de subjecto; sed Metaphysica non est de subjecto, sicut sunt reliquæ scientiæ; nam Physica considerat materiam sensibilem et Mathematica intelligibilem : ergo Metaphysica est certior aliis scientiis. — 1. *Poster.* l. 41 (39); *Opusc.* 48, tract .8, c. 13; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1.

2. Præterea, Philosophus (4. *Metaphys. text.* 8; l. 3, c. 3) dicit, quod propterea tractatio primi principii certissimi ad primum philosophum seu metaphysicum spectat, quia est certissimus in sua cognitione; ergo. — 4. *Metaphys.* l. 6 (2).

3. Præterea, tota certitudo scientiæ est ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones certo sciuntur, quando resolvuntur in principia; sed principia Physicæ et Mathematicæ sunt accepta a Metaphysica et fundantur in ejus principiis : ergo Metaphysica est certior reliquis. — *de Verit.* q. 11, a. 1, ad 13 et 17.

4. Præterea, quo scientia est universalior, est prior; quo vero est prior, est certior; sed Metaphysica est scientia magis universalis, nam ad ejus subjectum addunt subjecta cæterarum scientiarum : ergo Metaphysica est certior reliquis scientiis. — 1. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 9.

Sed contra est, quod scientia illa, quæ est de paucioribus, est certior, quam quæ est de pluribus, ut dicitur 1. *Metaphys.* c. 2, et 1. *Poster. text.* 42; c. 27; sed Metaphysica non est hujusmodi, nam ut dicitur 1. *Metaphys.* sum. 1, c. 2; c. 2, cum sit universalis, scit omnia : ergo Metaphysica non est certior aliis. — 1. *Metaphys.* l. 2

Videtur quod Physica sit certior.

1. Quia quanto aliquid magis capitur sensu, a quo nostra cognitio oritur, tanto est certius; sed naturalia capiuntur sensu magis, quam mathematica et metaphysica : ergo Physica est certior, quam Mathematica et Metaphysica. — *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, arg. 2 *secundo loco.*

2. Præterea, scientia est certior, cujus principia sunt certiora; sed principia Naturalis, quippe propinquiora sensibilibus, sunt hujusmodi : ergo Physica est certior reliquis. — 6. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, certior est sensus quam imaginatio et intellectus, cum hæc ab illo pendeant; sed in Physica judicatur secundum sensum, in Mathematica vero secundum imaginationem, et in Metaphysica secundum intellectum : ergo Physica est certior, quam Metaphysica et Mathematica. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 2, ad 2; *Opusc.* 53; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1, 2, 3; 6. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est, quia secundum Philosophum in 1. *Poster.* illa scientia est minus

certa, quæ est ex additione, quam quæ non, sicut Geometria, quam Arithmetica; sed Physica est magis ex additione, quam Mathematica et Metaphysica : ergo Physica non est certior aliis. — *Opusc.* 70, l. c.

Videtur quod Mathematica sit certior.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Metaphys. text.* 16; l. 4 min., c. 3), quod certitudo mathematica non est quærenda in omnibus, et in pluribus locis mathematicas scientias ratione certitudinis vocat disciplinas; ergo Mathematica est certior. — *Opusc.* 70, q. 6, a. 1; 2. *Metaphys.* l. 5.

2. Præterea, Ptolomeus in principio *Almagesti* asserit, solum genus mathematicum esse firmum et stabile, quippe cujus demonstrationes per indubitabiles vias factæ sunt; ergo Mathematica est certior aliis scientiis. — *Ibid.*

3. Præterea, consideratio mathematica est magis abstracta a materia et motu, quam physica, minus tamen remota est a sensu, a quo nostra cognitio desumitur, quam Metaphysica; ergo Mathematica est certior Physica et Metaphysica. — *Ibid.*

Sed contra est, quod dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 42; c. 27), quod illa scientia est certior, quæ non dicit materiam; sed Mathematica dicit materiam, saltem intelligibilem, Metaphysica vero non dicit ullam materiam : ergo Mathematica non est certior omnibus scientiis speculativis.

Respondeo dicendum, quod dupliciter potest una scientia esse certior alia : *uno modo*, simpliciter et secundum naturam; *alio modo*, secundum nos. — Et *primo quidem modo* scientia eatenus est certior simpliciter, quatenus est notior et prior simpliciter. Quoniam vero tripliciter potest aliquid dici prius et notius alio : *vel* quia ipsum est causa, aliud vero effectus; *vel* quia ipsum est forma, aliud materia; *vel* quia ipsum est universalius pauciora sub se actu continens, aliud vero particularius actu plura continens (nam causa est prior et notior effectu, et similiter forma quam materia; principium enim cognoscendi materiam est ex forma; et universale minus universali), propterea scientia potest esse tribus modis certior et prior simpliciter alia. *Primo*, quia ipsa dicit causam et propter quid, alia vero dicit effectum et quia, et hoc modo subalternans est certior subalternata, ut Geometria, quam Chirurgia; hæc enim scit, quod vulnera circularia tardius sanantur, non autem scit propter quid, sed hujus cognitio pertinet ad Geometriam, quæ considerat rationem circuli, secundum quam partes ejus non appropinquant sibi per modum anguli, ex qua propinquitate contingit, quod vulnera triangularia citius curantur, et circularia difficilius. — *Secundo*, quia una est magis abstracta a materia sensibili, quam altera; et hoc modo mathematicæ puræ, quæ omnino abstrahunt secundum rationem a materia sensibili, ut Geometria et Arithmetica, sunt certiores, quam mathematicæ mediæ, quæ scilicet principia mathematica applicant ad materiam sensibilem, sicut Perspectiva, quæ applicat principia Geometriæ, puta lineam ad visum, et Harmonica seu Musica, quæ applicat principia Arithmeticæ ad sonos sensibiles. Et omnes mathematicæ sunt certiores Physica, quæ non abstrahit a materia sensibili; Methaphysica vero est certior omnibus mathematicis et physicis, quia abstrahit a materia sensibili etiam in communi sumpta et secundum esse et rationem, quod non faciunt mathematicæ. — *Tertio*, quia una est ex paucioribus et altera ex pluribus seu ex additione, quomodo Geometria est minus certa et consequenter posterior Arithmetica; et hoc modo Metaphysica, quæ considerat, ut dictum est, rationem entis in communi, est certior quam cæteræ scientiæ speculativæ, quæ considerant rationem entis secundum determinationem aliquam, seu aliquod determinatum genus entis. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a. 2, c.; 4. *Metaphys.* l. 1; 3. *Phys.* l. 6 (5).

Secundo vero modo scientia dicitur certior secundum nos, quæ minus remota est a sensibus, magis tamen abstrahens a materia sensibili, quippe quæ ob sui transmutationem est causa incertitudinis; et hoc modo Mathematica est certior Naturali et Metaphysica; Naturali quidem, quia hujus consideratio in materia motuque versatur, consideratio vero illius abstrahit ab utroque. Ex eo enim, quod consideratio Naturalis est circa materiam, a pluribus dependet, puta a consideratione materiae

et formæ et dispositionum materialium et proprietatum, quæ consequuntur formam in materia; ubicumque autem ad aliquid cognoscendum oportet plura considerare, est difficilior cognitio; unde in 1. *Poster.* dicitur, quod minus certa scientia est, quæ est ex additione. Ex eo vero, quod ejus consideratio est circa res mobiles, quæ non uniformiter se habent, ejus cognitio est minus certa, quia ejus demonstrationes ex majori parte sunt ex hoc, quod contingit aliquando aliter se habere. Et ideo quanto aliqua scientia magis appropinquat ad singularia, sicut scientiæ operativæ, ut Medicina, Alchimia et Moralis, minus possunt habere de certitudine propter multitudinem eorum, quæ consideranda sunt in talibus scientiis, quorum quodlibet si omittatur, frequenter erratur propter eorum variabilitatem. Est autem Mathematica certior, quam Metaphysica, quia ea, de quibus est Metaphysica, sunt magis a sensibus remota, a quibus nostra cognitio sumit originem, et quantum ad substantias separatas, in quarum cognitionem insufficienter inducunt ea, quæ a sensibus accipiuntur, et quantum ad ea, quæ sunt communia omnibus entibus, quæ sunt maxime universalia et sic maxime remota a particularibus cadentibus sub sensum; mathematica vero sub sensum cadunt et imaginationi subjacent, ut linea, figura, numerus et hujusmodi; et ideo intellectus humanus a phantasmatibus accipiens facilius eorum cognitionem accipit et certius, quam intelligentiæ alicujus, vel etiam quam quidditatis, substantiæ vel aliorum, quæ consequuntur ens, ut ens, ut sunt potentia et actus et hujusmodi. — Et sic manifestum est, quod Metaphysica est simpliciter certior quam scientia naturalis et quam Mathematica, et hæc quam Naturalis; sed secundum nos Mathematica in certitudine superat reliquas duas; unde et ipsa dicitur maxime disciplinabiliter procedere, quod est demonstrare et per certitudinem procedere, et Physica est certior quam Metaphysica. — *Opusc.* 48, tract. 8, c. 13; *Opusc.* 70, q. 6, a. 1; 1. *Poster.* l. 41 (39); 1. *Metaphys.* l. 2.

Et sic patet *ad quatuor argumenta primæ quæstiunculæ*, quæ nihil aliud probant, quam Metaphysicam esse certiorem simpliciter reliquis scientiis, ut dictum est.

Ad argumentum ergo *Sed contra* dicendum, quod universale comprehendit plura in potentia, sed pauciora in actu; tanto vero aliqua scientia est certior, quanto pauciora actu requirit ad sui subjecti considerationem; sic enim operativæ scientiæ sunt incertissimæ, quia oportet, quod considerent multas singularium operabilium circumstantias. — 1. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum secundæ quæstiunculæ dicendum *primo* in universali, hoc et reliqua duo tantum probare, quod cum Physica versetur circa materiam sensibilem, est simpliciter incertior reliquis duabus, quæ ab illa abstrahunt vel secundum esse et rationem, ut Metaphysica, vel secundum rationem tantum, ut Mathematica. Quia tamen ejus principia pendent a sensu, a quo omnis intellectiva cognitio desumitur, ideo secundum nos est prior et certior, quam Metaphysica; est tamen incertior quam Mathematica, quia sensus, secundum quem judicatur in Physica, magis immediate versatur circa res mobiles, quam imaginatio, secundum quam judicatur in Mathematica. *Dicendum secundo* in particulari ad objectionem, quod licet naturalia sensui subjaceant, non tamen propter sui fluxibilitatem habent magnam certitudinem, cum extra sensum fiant, sicut habent mathematica, quæ sunt extra motum in materia sensibili secundum esse, et sic sub sensum et imaginationem cadere possunt. — Et sic patet *ad secundum*. — l. c. in corp.; *Opusc.* 70, l. c. ad 2 *secundo loco*.

Ad tertium dicendum, quod in Physica dicitur judicari secundum sensum, quia in illa considerantur ea, quæ sunt in materia et cum materia sensibili; nam discursus, qui fit circa illa, non est sensus, sed intellectus. — l. c. in arg.

Ad argumentum Sed contra dicendum, quod probat, Physicam esse minus certam simpliciter, ut dictum est in corp.

Ad argumenta tertiæ quæstiunculæ et *ad argumentum Sed contra* dicendum, quod tantum probant, quod Mathematica, quia minus abstrahit a materia quam Metaphysica, et magis quam scientia naturalis, est simpliciter certior et secundum naturam

prior scientia naturali, est autem incertior et posterior secundum naturam Metaphysica. Rursus vero, quia magis ad sensibilia accedit quam Metaphysica, magisque remota est a mobilitate et fluxibilitate sensibilium quam Physica, ideo secundum nos est certior et prior quam Physica et Metaphysica. Unde et primo loco inter scientias [speculativas pueris addiscenda post Logicam tradebatur. — l. c. in corp.; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3.

ARTICULUS V (1)

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR SCIENTIA PRACTICA IN ACTIVAM ET FACTIVAM.

Videtur quod prædicta divisio sit inconveniens.

1. Quia scientia citharizandi et cæteræ artes ludicræ neque sunt speculativæ, quia non quæruntur propter se ipsas; neque sunt activæ, quia agere est secundum operationem immanentem in ipso agente, sicut est eligere et intelligere, cujusmodi non sunt citharizare et saltare; neque sunt factivæ, quia facere est secundum operationem transeuntem exterius ad materiæ transmutationem, sicut secare, urere, cujusmodi etiam non sunt prædictæ. — 6. *Metaphys.* l. 1; 1. *Ethic.* l. 1.

2. Præterea, scientia regnativa et militaris non sunt factivæ, ut patet; neque activæ; nam contradistinguuntur a civili et œconomica a quodam philosopho græco; ergo inconvenienter dividitur scientia practica in activam et factivam. — 2a 2æ, q. 48, a. 1, arg. 1 et 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1) dividit scientiam practicam in activam et factivam. — l. c. in arg. 1.

2. Præterea, scientia vel est propter se vel propter operationem; si primum, est scientia speculativa; si secundum, vel hæc operatio est immanens in agente, et proprie dicitur actio, et ad hanc ordinatur scientia activa; vel est transiens, transmutans materiam, et proprie dicitur factio, et ad hanc ordinantur scientiæ factivæ, quæ proinde dicuntur artes mechanicæ. — 2. *Metaphys.* l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1; 1. *Poster.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod convenienter et sufficienter dividitur scientia practica in activam et factivam. Nam sicut dicit Philosophus (initio *Metaphys.*), sapientis est ordinare. Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim *quidam ordo*, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. *Alius* autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat suos conceptus ad invicem et signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. *Tertius* est ordo, quem ratio considerando facit in operibus voluntatis. *Quartus* demum est, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, ut in arca et domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur, secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversæ scientiæ. Nam ad Philosophiam speculativam spectat, considerare *primum* ordinem; *secundum* vero, ad scientiam rationalem; *tertium*, ad Philosophiam moralem seu ad scientiam activam; *quartum*, ad artes mechanicas seu scientiam factivam. — 1. *Ethic.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ars saltandi et citharizandi ad factivas reducitur. Nam operatio transiens in exteriorem materiam, quæ dicitur factio, est duplex : *alia*, quæ transit in exteriorem materiam, quæ solum assumitur ad usum, ut cum assumitur equus ad equitandum, et cithara ad citharizandum; *alia* vero transit in exteriorem materiam assumptam, ut mutetur in aliquam formam, sicut cum artifex facit lectum vel domum. — 6. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod regnativa est species politiæ, ut dicitur 3. *Polit.* c. 5 (7) et 8. *Ethic.* c. 10 (12), unde ad civilem reducitur; similiter et militaris, sub qua comprehenditur equestris; a Philosopho verum, cum contradistinguitur regnativa et militaris a civili et œconomica, sumun-

(1) In editione Ticinensi art. 4 excipit quæst. 35 de divisione scientiæ practicæ in activam et factivam, in duos art. divisa: Art. 1. Utrum convenienter scientia practica dividatur in activam et factivam, et illa in monasticam, civilem et œconomicam, hæc vero in varias artes mechanicas. — Art. 2. Utrum scientia civilis præemineat omnibus scientiis activis. — Editores Parisienses posteriorem et partem prioris in Philosophiam moralem rejecerunt.

tur istæ duæ, ut sunt partes prudentiæ, non autem ut sunt scientiæ. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a. 2, c.; 2a 2æ, q. 48, a. 1, ad 2 et q. 50, a. 1, arg. 2 et ad 2 et a. 4.

QUÆSTIO XXXV

DE DIVISIONE SCIENTIÆ IN SUBALTERNANTEM ET SUBALTERNATAM.

Deinde considerandum est de divisione scientiæ in subalternantem et subalternatam.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum recte dividatur scientia in subalternantem et subalternatam.
2. Utrum scientia subalternata distinguatur essentialiter a subalternante.
3. Utrum scientiæ practicæ subalternentur speculativis.
4. Utrum Metaphysica subalternet sibi cæteras scientias.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE DIVIDATUR SCIENTIA IN SUBALTERNANTEM ET SUBALTERNATAM.

Videtur quod non recte dividatur scientia in subalternantem et subalternatam.

1. Quia ista divisio sumitur a Philosopho (1. *Poster.*) ex eo maxime, quod subalternans scit *propter quid*, subalternata vero *quia*; sed hoc videtur falsum, nam qui scit *propter quid*, necessario scit etiam *quia* : ergo hæc divisio non est conveniens. — 1. *Poster.* l. 25 (24); *Opusc.* 48, tract. 8, c. 12.

2. Præterea, dicit Philosophus (l. c. *text.* 30; c. 13), quod scientia perspectiva est subalternans et subalternata; sed nullum membrum divisionis coincidit cum alio membro : ergo non recte dividitur scientia in subalternantem et subalternatam. — l. c.

3. Præterea, cujuslibet scientiæ principium est intellectus; sed subalternatæ principium non est intellectus, sed fides : ergo nomen scientiæ non competit subalternatæ, et consequenter non erit talis divisio convenienter tradita. — *Opusc.* 70, l. 2, a. 2, arg. 7.

4. Præterea, principia in scientiis sunt omnibus nota et indubitabilia; sed principia subalternæ neutrum habent : ergo non est scientia, et sic non erit convenienter divisa scientia in subalternantem et subalternatam. — l. c. arg. 5; 1a, q. 1, a. 2, arg. 1; *de Verit.* q. 14, a. 9, ad 3.

5. Præterea, scientiæ distinguuntur penes diversitatem principiorum, quam comitatur diversitas generis scibilis formalis; sed eadem sunt principia idemque formale subjectum subalternantis et subalternatæ; nam subjectum subalternatæ se habet ad subjectum subalternantis, tamquam materiale ad formale : ergo non recte dividitur scientia in subalternantem et subalternatam. — 1. *Poster.* l. 17 (16), 25 (24), 41 (39); *Opusc.* 42, c. 14.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 23, 30 et 42; c. 9, 13, 27 sq.) dividit scientiam in subalternantem et subalternatam. — l. c.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte dividitur scientia in subalternantem et subalternatam. Cujus ratio est, quia aliquæ scientiæ sic se habent, quod una est sub altera. Hoc autem contingit duobus modis : *uno*, quando subjectum unius scientiæ est species subjecti alterius superioris, sicut animal est species corporis naturalis, et ideo scientia de animali est sub scientia naturali. *Alio modo*, quando subjectum inferioris scientiæ non est species subjecti superioris scientiæ, sed comparatur ad illud, sicut materiale ad formale; et hoc modo proprie sumitur scientia subalternans et subalternata. Et ita etiam sumitur a Philosopho 1. *Poster.* l. c. cum ait, unam scientiam esse sub altera; secundum quem modum se habet Perspectiva ad Geometriam; hæc enim est de linea et aliis magnitudinibus, illa vero est circa lineam determinatam ad materiam, id est circa lineam determinatam ad visum seu visualem; linea autem visualis non est species lineæ simpliciter, sicut nec triangulus ligneus est species trianguli, non enim ligneum est species trianguli. Et similiter se habent Machinativa ad Stereometriam, et Musica ad Arithmeticam; nam mensuræ corporum simpliciter comparantur ad mensuras lignorum et aliarum materiarum, quæ requiruntur ad machinas, per applicationem formalis ad materiale, et Musica applicat numerum formalem, quem

considerat Arithmetica, ad materiam, id est ad sonos; et similiter se habet scientia naturalis, quæ considerat signa apparentia serenitatis vel tempestatis, ad Astrologiam, quæ considerat situs et motus astrorum. — 1. *Poster.* l. 25 (24); *Opusc.* 42, c. 14; *Opusc.* 48, l. c.; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 5.

Ex his autem licet colligere, quid sit subalternatio scientiarum; nihil enim aliud est, quam subjectio unius scientiæ ad aliam in principiis et in subjecto formali; nam scientia subalternata procedit ex principiis notis in scientia subalternante, et est de eodem subjecto formali, de quo illa; nisi quod subalternata applicat tale subjectum ad materiam, a qua abstrahit subalternans. — 1a, q. 1, a. 2; *Opusc.* 70, q. 2, a. 2, ad 5 et 7; *de Verit.* q. 14, a. 9, ad 3; 1. *Poster.* l. 17 (16) et 25 (24); 2. *Phys.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum cum Philosopho (1. *Poster. text.* 30; c. 13), quod non necessario is, qui scit propter quid, scit etiam quia, sed sæpe qui sciunt propter quid, nesciunt quia; nam considerantes universale multoties nesciunt quædam singularia propter hoc, quod hoc non intendunt per considerationem; sicut qui scit, omnem mulam esse sterilem, nescit de illa, quam non considerat. Et similiter mathematicus, qui demonstrat propter quid, nescit quandoque quia, quoniam non applicat principia superioris scientiæ ad ea, quæ demonstrantur in scientia inferiore. — *Vel dic* cum eodem Philosopho (1. *Poster. text.* 23; c. 9), quod subjectum et medium tripliciter se habere possunt ad scientias : *vel* enim spectant tantum ad unam scientiam, et sic illa scientia scit et *propter. quid* et *quia*; *vel* spectant ad duas scientias, et tunc cum passio insit subjecto propter medium, illa scientia considerabit *propter quid*, ad quam pertinet medium, cujus per se est passio, quæ demonstratur; illius vero scientiæ, ad quam pertinet subjectum, non erit *propter quid*, sed tantum *quia*. — l. c. in arg.; 1. *Poster.* l. 17 (16).

Ad secundum dicendum cum Philosopho (1. *Poster. text.* 30; c. 13), quod non est absurdum, eamdem scientiam esse subalternantem et subalternatam, non tamen respectu ejusdem scientiæ, sed respectu diversarum. Quare potest Perspectiva comparata ad Geometriam esse illi subalternata, comparata vero ad scientiam de iride esse ipsius subalternans. Cum enim scientia de iride sit pars scientiæ naturalis, assumit principia Perspectivæ ad aliquam conclusionem probandam, et sic applicat illam ad determinatam materiam; unde fit, ut de illa conclusione solum sciat *quia*, Perspectiva vero sciat *propter quid*; ut verbi gratia dicit physicus, conversionem visus ad nubem aliquo modo dispositam ad solem esse causam iridis, *propter quid* autem sumit a perspectivo. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod ad rationem scientiæ duo requiruntur : *unum* ex parte conclusionis, quod scilicet ex aliquibus principiis necessario deducatur; *aliud* ex parte principiorum, quod scilicet sint certa. Sed hoc dupliciter contingit in variis scientiis : *quædam* enim sunt, quarum principia sunt simpliciter nota in illa scientia, et hæ dicuntur primæ scientiæ, quæ nimirum ex primis principiis immediate procedunt, sicut patet in Geometria et Arithmetica. *Aliæ* vero sunt, quarum principia sunt certa in superiori scientia, sicut principia Perspectivæ in Geometria; perspectivus enim certus est de suis principiis per viam credulitatis, credens et supponens ea a Geometria. Scientiarum ergo primarum proximum principium est intellectus, secundarum vero proximum est credulitas principiorum ab aliis suppositorum; primum vero est intellectus, perficitur enim certitudo istarum scientiarum, cum per viam resolutionis in ipsum intellectum principiorum perveniunt. (l. c. in arg.) — *Vel dic*, quod ad perfectæ scientiæ rationem requiritur, ut ejus principium sit intellectus, in hoc sensu, ut nimirum ejus principia proposita sint intellectui, et intellectus illi assentiatur et illa judicet; sed ad rationem imperfectæ scientiæ, qualis est scientia subalternata comparata ad scientiam subalternantem, sufficiunt prima duo; hæc enim sufficiunt ad Theologiam nostram, quæ est subalternata Theologiæ beatorum et Dei. — 3. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 2, sol. 3.

Ad quartum dicendum, quod in *primis*

scientiis principia sunt omnibus per se nota et indubitabilia. In *secundis* vero scientiis, licet proxima principia non sint in illis nota, sufficit tamen, quod vel sint nota in primis, vel quod per resolutionem deveniatur ad intellectum primorum principiorum, et ita continuentur secundæ scientiæ cum primis. Non enim inferior sciens dicitur talis respectu eorum, quæ supponit, sed respectu conclusionum, quas ex principiis suppositis de necessitate deducit. — l. c. in arg.

Ad quintum dicendum, quod scientia subalternans et subalternata non sunt scientiæ formaliter distinctæ, sed tantum materialiter; et ideo non est mirum, si subalternata utatur principiis notis lumine subalternantis, et versetur circa idem omnino subjectum formale, circa quod illa, quod tamen ipsa ad materiam applicat, a qua illa abstrahit. — l. c. in arg.

ARTICULUS II

UTRUM SCIENTIA SUBALTERNATA DISTINGUATUR ESSENTIALITER A SUBALTERNANTE.

Videtur quod scientia subalternata distinguatur essentialiter a subalternante.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 4; l. 3, c. 2), quod Philosophia est similis Mathematicæ, quod sicut hæc habet partes, ita et illa; sed partes Philosophiæ, quæ sunt Physica, Metaphysica et Mathematica, distinguuntur essentialiter: ergo et partes Mathematicæ, puta Geometria, Perspectiva, Arithmetica et Musica; sed harum scientiarum duæ sunt subalternantes, puta Geometria et Arithmetica, duæ subalternatæ, Perspectiva et Musica: ergo subalternans et subalternata essentialiter distinguuntur. — 4. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *Poster.* l. 41 (39).

2. Præterea, Philosophus (1. *Poster. text.* 30; c. 13) vocat mathematicas subalternantes et subalternatas quasi univocas; ergo simpliciter distinguuntur genere vel specie; sed quæ sic differunt, essentialiter distinguuntur: ergo. — 1. *Poster.* l. 25 (24).

3. Præterea, Medicina subalternatur Geometriæ, ut patet in ea conclusione, quod vulnera circularia tardius curantur; sed Medicina essentialiter distinguitur a Geometria; similiter ars frenefactiva, ut dicitur 1. *Ethic.* c. 1, subalternatur equestri, et mechanica politicæ; sed hæ omnes scientiæ, ut patet, inter se distinguuntur essentialiter: ergo et ita distinguentur scientia subalternans et subalternata. — 1. *Poster.* l. 25 (24) et l. 41 (39); *Opusc.* 48, tract. 8, c. 12.

4. Præterea, si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, quæ id possunt, nec univoce scientia diceretur de illis, et consequenter essentialiter inter se differrent. Cujus ratio est, quia quæcumque sciuntur proprie accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui; sed scientia subalternata ut sic, ut dictum est, non resolvitur in talia principia, cum credat principia sibi tradita: ergo scientia subalternans et subalternata essentialiter distinguuntur. — 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 2, sol. 4; *de Verit.* q. 14, a. 9, c.

5. Præterea, scientiæ speculativæ essentialiter distinguuntur ex diversitate essentiali abstractionum; sed inter speculativas illæ, quæ sunt subalternæ, habent abstractionem essentialiter diversam ab abstractione subalternantium; nam hæ abstrahunt a materia sensibili, ut dictum est, illæ vero concernunt materiam sensibilem: ergo subalternantes essentialiter distinguuntur a subalternatis. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2 et 3, c.; 6. *Metaphys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 1.

6. Præterea, scientia subalternans est certior et prior secundum naturam scientia subalternata, ut Geometria quam Perspectiva, et Arithmetica quam Musica; sed illæ scientiæ distinguuntur essentialiter, quæ differunt in certitudine; certitudo enim pertinet ad rationem scientiæ, est enim cognitio certa et evidens, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2: ergo scientia subalternans et subalternata essentialiter distinguuntur. — 1. *Poster.* l. 41 (39) et 4 (3).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 30; c. 13) dicit, scientias subalternatas esse alterum quoddam secundum substantiam a subalternantibus; sed quæ distinguuntur secundum alterum, et

non secundum aliud, distinguuntur tantum accidentaliter : ergo scientia subalternans et subalternata non distinguuntur essentialiter. — 1. *Poster.* l. 25 (24).

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia subalternata non differt essentialiter seu formaliter a subalternante. Cujus ratio est, quia diversitas formalis et essentialis scientiarum sumitur ex diversitate principiorum seu mediorum et subjectorum formalium. Si enim duæ scientiæ procedunt vel ex iisdem principiis et mediis, vel altera ex alterius, non erunt scientiæ formaliter et essentialiter diversæ. Cum enim medium sit ratio objecti scientiæ, si medium spectat ad superiorem scientiam, per se etiam spectabit, ut dicitur 1. *Poster. text.* 23; c. 9, passio, quæ in inferiori scientia demonstratur per medium superioris, et per consequens nihil erit, per quod essentialiter inter se distinguantur. Similiter etiam non distinguuntur formaliter illæ scientiæ, quæ conveniunt in eodem subjecto formali. Ita enim se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, potentiæ vero distinguuntur ex objecto formali; at scientiæ subalternatæ procedunt ex principiis et mediis subalternantium, et habent idem subjectum formale, quod illæ : ergo non distinguuntur essentialiter nec formaliter. Distinguuntur tamen materialiter et accidentaliter; nam scientiæ subalternæ, ut dictum est ,applicant subjectum formale subalternantis ad determinatam materiam, ut Perspectiva applicat lineam, quæ est tam in ipsa quam in Geometria, cui ipsa subalternatur, formale subjectum, ad materiam sensibilem, puta ad visum; et Musica applicat numerum ad sonos, cum tamen Geometria circa lineam ut sic, et Arithmetica circa numerum ut sic versentur sine ullo ordine ad materiam sensibilem. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, ad 2; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 2, ad 5; 1. *Poster.* l. 17 (16), 25 (24), 41 (39); *de Verit.* q. 14, a. 9, ad 3; 1a, q. 1, a. 7, c.; *Opusc.* 48, tract. 8, c. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophia est similis Mathematicæ in hoc, quod utraque habet partes; distinguuntur autem, quod omnes partes Philosophiæ sunt formales et formaliter inter se distinctæ, ut patet ex abstractionibus formalibus diversis illarum, ex quibus sumitur diversitas formalis scientiarum speculativarum; partes vero Mathematicæ non omnes sunt formales; nam aliquæ sunt tales, ut subalternantes, aliquæ vero sunt materiales, ut subalternatæ, quæ applicant subjectum formale subalternantis ad materiam sensibilem. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, c. et a. 3, c. et ad 6 et 7; 1. *Poster.* l. 15 (14) et 25 (24).

Ad secundum dicendum, quod subalternans et subalternata dicuntur a Philosopho univocæ, quia in nomine generis et speciei convenire possunt; nam ars nautica, quæ subalternatur Astrologiæ, dicitur scientia mathematica et Astrologia, et similiter Musica vocalis respectu Musicæ scientialis. Addit vero Philosophus « fere », quia hoc non contingit in omnibus, sed in pluribus. — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod quadrupliciter potest una scientia subalternari alteri. *Uno modo* proprie, et reliquis improprie. *Primo modo* proprie, quando subjectum inferioris scientiæ se habet ad subjectum superioris ut materiale ad formale, quomodo se habet subjectum Perspectivæ ad subjectum Geometriæ, cui proprie illa subalternatur. *Secundo* improprie, quando subjectum unius scientiæ se habet ad subjectum alterius sicut species ad genus, quomodo scientia de animalibus dicitur subalternari scientiæ de corpore naturali. (ll. cit. in c. art. præced.) *Tertio*, etiam improprie et secundum quid, quando aliquæ scientiæ non habent subjectum materialiter sumptum sub formali, in aliqua tamen conclusione una sumit principia alterius, ut patet in Medicina respectu Geometriæ; non enim subjectum Medicinæ sumitur sub subjecto Geometriæ eo modo, quo sub illo sumitur subjectum Perspectivæ, et ideo a Philosopho (1. *Poster. text.* 30; c. 13) negatur, quod illæ sint simpliciter subalternatæ; sed tamen ad aliquam conclusionem probandam sumit Medicina principia Geometriæ, ut ad illam, quod vulnera circularia tardius curantur, de qua medicus scit tantum *quia*, nam id experitur, sed geometer scit *propter quid*; nam ad illum pertinet cognoscere, quod circulus est figura sine angulo, unde partes circularis

vulneris non appropinquant sibi, quæ est causa formalis, cur cum difficultate sanetur. *Quarto*, etiam improprie, quando una scientia est subalterna ratione finis, non ratione subjecti vel principiorum, et hoc modo frenefactoria est sub equestri, et hæc sub militari et sub civili. — *Opusc.* 48, tract. 8, c. 12; 1. *Poster.* l. 25 (24) et 35 (34); 1. *Ethic.* l. 1 et 2.

Ad quartum dicendum, quod scientia est duplex: *una* perfecta, qualis est scientia magistri; *alia* imperfecta, qualis est scientia discipuli. Ad illam requiritur, ut sciens reducat conclusiones ad prima principia naturalia, et hujus generis est scientia subalternans. Ad hanc vero sufficit, ut ex creditis principiis sciat evidenter colligere conclusiones, et sic disponatur ad perfectionem scientiæ, quam habet præceptor; ad quam tunc perveniet, quando resolvet conclusiones in sua principia, sicut facit præceptor. Et hujus generis est scientia subalterna, cujus certitudo similiter perficitur, ita ut habens illam attingat perfecte ad rationem sciendi, quando per viam resolutionis deveniet ad intellectum primorum principiorum, et sic continuetur cum scientia subalternante, quomodo ad sui perfectionem continuatur scientia, quam addiscit discipulus, cum scientia præceptoris. — *de Verit.* q. 14, a. 10, c. et a. 9, ad 3; 2a 2æ, q. 171, a. 6.

Ad quintum et sextum dicendum, quod scientiæ subalternatæ formaliter conveniunt in eodem subjecto formali atque adeo in eadem abstractione subjecti formalis, et in eadem certitudine cum subalternantibus; distinguuntur tamen materialiter, quia subalternatæ applicant formale subjecti subalternantis ad materiam, a qua abstrahunt subalternantes. Quod enim est formale in subalternatis, mathematicum est; quod vero materiale, est physicum; distinctio autem essentialis scientiarum sumitur, ut dictum est, est subjecto formali, non ex materiali. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 3, ad 6 et 7; ll. cit. in c. huj. art.; v. supra q. 32, a. 2, c.

ARTICULUS III

UTRUM SCIENTIÆ PRACTICÆ SUBALTERNENTUR SPECULATIVIS.

Videtur quod scientiæ practicæ subalternentur speculativis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Ethic.* c. 13), quod Medicina subalternatur Physicæ; sed Medicina tota est practica, Physica vero speculativa: ergo scientia practica subalternatur speculativæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 3 et 5; 1. *Ethic.* l. 19.

2. Præterea, Medicina secundum Philosophum (1. *Poster. text.* 30; c. 13) de aliqua sua conclusione scit tantum *quia*, de qua scit Geometria *propter quid*; at hoc est proprium scientiarum subalternantium et subalternatarum, ut dicitur 1. *Poster. text.* 23, 30 et 42; c. 9, 13, 27: ergo Medicina subalternatur Geometriæ, et per consequens scientia practica, cujusmodi est Medicina, speculativæ, cujusmodi est Geometria. — 1. *Poster.* l. 17 (16), 25 (24), 41 (39).

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 30), quod Mechanica subalternatur Stereometriæ, et Nautica Astrologiæ; sed Stereometria et Astrologia sunt scientiæ speculativæ, Mechanica vero et Nautica practicæ: ergo.— 1. *Poster.* l. 25 (24).

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 13), quod oportet civilem scientiam quodammodo scire ea, quæ ad animam spectant, quemadmodum oculum et totum corpus debet scire is, qui curaturus est; ergo sicut Medicina ratione talis cognitionis secundum Philosophum subalternatur Physicæ, ita ratione similis cognitionis eidem subalternatur civilis, quæ est scientia practica.— 1. *Ethic.* l. 19.

Sed contra est, quod Philosophus (1. et 6. *Metaphys.*) distinguit scientiam in practicam et speculativam, tamquam in scientias formaliter primo diversas; at secundum eumdem (1. *Poster. text.* 23 et 30; c. 9 et 13) subalternæ et subalternantes non distinguuntur formaliter, sed tantum materialiter: ergo scientiæ practicæ non subalternantur speculativis. — 1. *Poster.* l. 17 (16) et 25 (24); v. supra q. 33, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod scientiae practicae proprie non subalternantur speculativis, ut manifestum est ex dictis (supra q. 33, a. 3). Nam cum essentialiter inter se practicae et speculativae ex proprio et intrinseco fine scientiae distinguantur, scientia vero subalternans et subalternata non nisi accidentaliter et materialiter inter se differant, ut dictum est, impossibile est, practicam scientiam ulli speculativae proprie subalternari. — Quod ut etiam manifestius appareat, sciendum est, dupliciter dici scientiam aliquam subalternatam alteri : *uno modo*, ratione medii seu principiorum, quia nimirum in una scientia assignatur *propter quid* eorum, de quibus in inferiori scientia scitur tantum *quia*; et hoc non facit subalternationem proprie et simpliciter dictam, sed tantum improprie et secundum quid. Nam secundum Philosophum (1. *Poster. text.* 30; c. 13) Medicina non est simpliciter subalternata Geometriae, et tamen Medicina scit tantum *quia* hujus conclusionis : circularia vulnera tardius sanantur, Geometria vero scit *propter quid*. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 5; 1. *Poster.* l. 25 (24).

Alio modo, ratione subjecti, quia scilicet subjectum unius est sub subjecto alterius. Verum hoc dupliciter contingit : *uno modo*, quando subjectum unius est sub subjecto alterius, tanquam species sub genere, quomodo se habet scientia de plantis ad scientiam naturalem, et hoc modo scientiae proprie inter se non subalternantur, ut patet in exemplo allato. *Alio modo*, quando subjectum unius est sub subjecto alterius, tanquam materiale sub formali, quia scilicet subjectum inferioris scientiae se habet ad subjectum superioris tanquam materiale ad suum formale. Et hoc dupliciter etiam potest contingere : *vel* enim utraque scientia versatur circa idem subjectum formale sub eadem ratione cognoscibilitatis, quae est ratio objecti ut objectum est, sed una applicat tale subjectum formale ad materiam; et hae scientiae proprie subalternantur ad invicem, et secundum hunc modum se habent Perspectiva et Geometria, Musica et Arithmetica; *vel* utraque versatur circa idem subjectum, sed sub diversa ratione cognoscibilitatis, et sic, cum talis diversitas inducat essentialem diversitatem in scientiis, ut dictum est, inter se essentialiter distinguentur, et per consequens simpliciter et proprie non subalternabuntur ad invicem. Et secundum hunc modum se habent Medicina, Alchimia, Agricultura et similes respectu scientiae naturalis, et quaecumque practicae respectu cujuscumque scientiae speculativae, ut sunt Mechanica respectu Stereometriae, et Musica respectu Astrologiae. Unde manifestum est, quod non nisi improprie et secundum quid scientiae practicae subalternari possunt speculativis, non autem proprie et simpliciter. — *de Verit.* q. 2, a. 8, c.

Et ex his patet *ad prima tria objecta*.

Ad quartum dicendum, quod scientia dupliciter potest dici subalternari : *uno modo* improprie, quatenus ea, quae ad unam scientiam pertinent, aliqualiter cognoscenda sunt ab altera, quia conducunt ad cognitionem subjecti ipsius vel ad finem ipsi proprium consequendum; et hoc modo scientia civilis et Medicina dicuntur subalternari scientiae naturali. Nam cum scientia civilis agat de felicitate et de virtute humana propter felicitatem, necessario debet aliqualiter cognoscere ea, quae pertinent ad animam, cujus operatio est virtus. *Alio modo* proprie, quando una scientia pendet ab alia in principiis et in subjecto formali, deque suis conclusionibus scit tantum *quia*, supponens *propter quid* illarum in scientia superiori, et hoc modo non subalternatur ulla scientia practica ulli speculativae ob diversitatem rationis cognoscibilis, quae est in illis, quae diversitas diversitatem essentialem in scientiis inducit, quae non est inter scientiam subalternantem et subalternatam. — Ll. cit. in arg. et in corp. huj. et praeced. art.

ARTICULUS IV

UTRUM METAPHYSICA SIBI SUBALTERNET OMNES SCIENTIAS.

Videtur quod Metaphysica sibi subalternet omnes scientias.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Ethic.* c. 2, al. 1), quod scientiae practicae sunt sub civili, et haec sub Metaphysica; sed unam

scientiam esse sub altera est unam subalternari alteri, ut dicitur 1. *Poster. text.* 30; c. 13: ergo Metaphysica subalternat sibi reliquas scientias tam practicas quam speculativas. — 1. *Ethic.* l. 1 et 2; 1. *Poster.* l. 25 (24); 3. *c. Gent.* c. 25, n. 6.

2. Præterea, scientia subalternatur alii, quatenus accipit principia ab illa, ut dicitur l. c., ejusque subjectum formale applicat ad materiam, ut dictum est; sed hoc modo se habent scientiæ speculativæ ad Metaphysicam; nam et accipiunt sua principia ab illa et subjectum formale illius, quod est ens ut ens, applicant ad materiam, Naturalis quidem ad materiam sensibilem, Mathematica vero ad intelligibilem : ergo. — V. supra a. 1 et 2; 4. *Metaphys.* l. 1 et 5 (2); 7. *Metaphys.* l. 4; 11. *Metaphys.* l. 4; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1; 3. *c. Gent.* l. c; 1. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, omnis scientia vel est subalternans vel subalternata, hanc enim divisionem affert Philosophus l. c.; sed Metaphysica non est subalternata ulli scientiæ practicæ vel speculativæ, ut patet ex conditionibus, quas illi assignavit Philosophus (1. *Metaphys.*) : ergo est sibi subalternans alias scientias practicas et speculativas. — V. supra a. 1; 1. *Metaphys.* l. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Metaphys. text.* 4; l. 3, c. 2) dicit, quod Philosophia est similis Mathematicæ in eo, quod sicut hæc habet partes, ita et illa; sed partes omnes Mathematicæ non subalternantur uni parti, ut patet ex eodem Philosopho (1. *Poster. text.* 30; c. 13): ergo nec scientiæ speculativæ subalternantur Metaphysicæ. — 4. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *Poster.* l. 25 (24).

RESPONDEO DICENDUM, quod nulla scientia sive practica sive speculativa proprie subalternatur Metaphysicæ, ut manifestum est ex dictis. Nam ad subalternationem proprie dictam requiritur, ut scientia subalternans et subalternata formaliter conveniant, et differant tantum secundum materiam ac proinde accidentaliter; at scientiæ practicæ, ut dictum est, differunt essentialiter a speculativis propter diversam rationem cognoscibilitatis, quæ essentialem distinctionem in scientiis inducit. Et ob eamdem rationem, ut etiam dictum est, Physica, Metaphysica et Mathematica, quæ sunt partes Philosophiæ speculativæ, distinguuntur inter se essentialiter; ergo dicendum est, nec practicas nec speculativas scientias proprie subalternari posse scientiæ divinæ seu Metaphysicæ.— V. supra a. 2 et 3 huj. quæst.

Ad primum ergo dicendum, quod dupliciter contingit unam scientiam collocari sub alia : *uno modo*, per subordinationem, *alio modo*, per subalternationem. Et quidem *ad primum* modum sufficit, unius artis vel scientiæ finem esse sub fine alterius, quomodo frenefactiva dicitur esse sub equestri et equestris sub militari, et militaris sub civili, et similiter ars artificis operantis manu ad artem architectonicam, ut carpentaria ad navifactivam, et hæc ad navalem. *Ad secundum* vero requiritur dependentia in mediis et in subjecto formali, non ut res est, sed ut subjectum est. Quia ergo scientiæ practicæ sunt sub civili, et civilis sub Metaphysica priori tantum modo, ut dictum est, ideo non sunt proprie subalternæ scientiæ Metaphysicæ. — 1. *Ethic.* l. 1; 1. *Poster.* l. 25 (24); 1. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1 et a. 3, ad 6.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter potest fieri ab aliqua scientia inferiori applicatio subjecti formalis superioris scientiæ ad materiale : *uno modo* ita, ut materiale consideret materialiter, et formale subjecti superioris scientiæ formaliter, quomodo Musica applicat numerum ad sonos (considerat enim ipsos sonos materialiter, et formaliter ipsum numerum seu sonos, quatenus sunt secundum numerum proportionabiles); et hoc modo omnis subalternata proprie dicta applicat subjectum formale subalternantis ad suum subjectum tanquam ad materiale. *Alio modo*, ut consideret ipsum materiale formaliter, et formale subjecti superioris scientiæ materialiter (quomodo si Musica consideraret numerum, in quantum est sonorus, seu sonum, ut sonus est); et talis applicatio facit quidem aliquam subordinationem inter scientiam inferiorem et superiorem, non tamen facit subalternationem proprie dictam; nam talis subordinatio stat cum distinctione essentiali et

formali ob rationes formales subjectorum formalium utriusque diversas. Et hoc modo se habent Physica, et Mathematica respectu Metaphysicæ; nam Metaphysica formaliter versatur circa ens, ut ens, et reliquæ duæ non versantur formaliter circa particularia entia, ut sunt entia, et materialiter ut sunt talia entia, sed versantur formaliter circa particularia entia, ut talia entia sunt, ut dicit Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 2, c. 1 et 2; l. 10, c. 3 et 4. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 3. ad 6; 11. *Metaphys.* l. 3 et 4.

Ad tertium dicendum, quod divisio scientiæ in subalternantem et subalternatam tantum est scientiarum, quarum una est sub altera, ut dictum est, (supra a. 1, c.), quod non convenit omnibus scientiis.

QUÆSTIO XXXVI

DE SCIENTIA PER COMPARATIONEM AD OPINIONEM.

Post illa, quæ de scientia absolute sumpta tractata sunt, considerandum restat de scientia per comparationem ad opinionem et ad ipsum scientem.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum scientia differat ab opinione.
2. Utrum in eodem homine de eadem conclusione possit simul esse scientia et opinio.

ARTICULUS I

UTRUM SCIENTIA DIFFERAT AB OPINIONE.

Videtur quod scientia non differat ab opinione.

1. Quia tam sciens, quam opinans consequuntur scientiam et opinionem per aliqua media, quousque perveniant ad aliqua immediata; sicut enim contingit opinari, quia ita est, ita contingit opinari, propter quid sit ita; propter quid autem significat medium: ergo scientia non differt ab opinione. — 1. *Poster.* l. 44 (42).

2. Præterea, si scientia differt ab opinione, maxime, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 44; c. 33), quia scientia est necessariorum, opinio contingentium; sed hoc est falsum, nam de propositione necessaria potest haberi opinio, ut docet Philosophus ibidem: ergo scientia et opinio non differunt. — *Ibid.*

3. Præterea, habitus distinguuntur ex medio vel objecto; sed neutro modo differunt scientia et opinio, quia hæc potest esse de necessariis, sicut illa; et idem medium, si clare videtur connexum conclusioni, facit scientiam, si non ita clare, facit opinionem: ergo scientia et opinio non differunt. — 1a 2æ, q. 54, a. 2, arg. *Sed contra* et ad 2 et 3 et q. 67, a. 3, c.; 1. *Poster.* l. 44 (42).

Sed contra est: 1. quod Philosophus l. c. distinguit scientiam ab opinione, cum dicit: scibile autem et scientia differunt ab opinabili et opinione. — 1. *Poster.* l. 44 (42).

2. Præterea, scientia est virtus, non autem opinio, ut dicit Philosophus (6. *Ethic.*); virtus enim determinate se habet ad bonum et non ad malum; verum autem est bonum intellectus, sicut falsum est malum ejusdem; at opinio potest esse veri et falsi: ergo scientia differt ab opinione. — 3. *Sent.* dist. 26, q. 2, a. 1, c.; 1a 2æ, q. 57, a. 2, ad 3.

RESPONDEO DICENDUM, quod scientia est habitus essentialiter distinctus et differens ab opinione. Cujus ratio est, quia habitus essentialiter distinguuntur et differunt per objecta formalia; sunt autem objecta formalia scientiæ et opinionis inter se maxime diversa. Nam objectum formale scientiæ, ut dicitur 1. *Poster.* l. c., est necessarium, quod scilicet impossibile est aliter se habere; unde scientia dicitur a Philosopho (6. *Ethic.* c. 6), quod sit de universalibus et necessariis existimatio; cujus ratio est, quia ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 15; c. 6), demonstratio, cujus effectus est scientia, procedit per causas necessarias. Opinionis vero objectum formale est contingens, quod scilicet potest aliter se habere, ut probat Philosophus (1. *Poster. text.* 44; c. 33): *Primo*, quia cujuslibet veri vel est intellectus, vel scientia, vel opinio; sed dantur quædam vera contingentia, quorum neque est scientia, neque intellectus; ergo circa illa

erit opinio. *Secundo*, quia opinionem esse contingentium est quoddam confessum et consentaneum his, quæ apparent; opinio enim videtur sonare aliquid debile et incertum. *Tertio*, quia id patet experientia; nullus enim quando opinatur, quod impossibile sit aliter se habere, reputat se opinari, sed tunc reputat se scire; quando autem opinatur, quod sic est, et quod nihil prohibet aliter se habere, reputat se opinari, acsi opinio sit talis, id est contingentis, scientia autem sit necessarii. Unde manifestum est, quod scientia essentialiter differt ab opinione. — 1. *Poster.* l. 44 (42) et 13 (12); 6. *Ethic.* l. 5.

Ad primum ergo dicendum cum Philosopho (1. *Poster.* . c.), quod dupliciter potest quis procedere per media usque ad immediata : *uno modo* ita, ut illa media non arbitretur ut contingentia aliter se habere, sed arbitretur ea sic habere, sicut definitiones, quæ sunt media, per quæ demonstrationes procedunt, et tunc non erit opinans, sed sciens. *Secundo modo* ita, ut procedat ad immediata per aliqua media vera, quæ tamen vel non insint illis, de quibus dicuntur, per se, sicut definitiones, quæ prædicantur substantialiter et significant speciem rei, vel non accipiat ea, quæ sic insunt; tunc habebit opinionem, et non sciet vere quia et propter quid simul, si tamen procedat usque ad immediata; tunc enim per immediata opinabitur et non sciet. Si vero non procedit per immediata, sed per mediata, tunc non opinabitur propter quid, sed opinabitur solum quia; nam et scientia, quæ non est propter quid et immediata, non est scientia propter quid, sed quia. — 1. *Poster.* l. 44 (42).

Ad secundum dicendum, quod cum contingens sit duplex : *unum*, quod est tale natura sua, id est quod natura sua non potest esse evidens, ut complexum contingens; *aliud*, quod accipitur ut tale, sive sit tale, sive non, quando nimirum contingentia non concurrit ut conditio cognita opinabilis, sicut concurrit in contingenti primo modo, sed concurrit ut modus cognitionis, — opinio non solum est de contingenti priori modo, quia sic non omne, quod quis novit, contingeret opinari, sed etiam de contingenti posteriori modo; sic enim optime distinguitur a scientia, quæ est de necessariis acceptis, ut sunt necessaria. — l. c.; v. Cajetan. in 1. *Poster.* c. 25.

Ad tertium dicendum, quod scientia et opinio distinguuntur ex parte objecti et medii, non quidem materialiter, sed formaliter accepti, puta per ordinem ad subjectum clare et obscure, seu sine formidine videns; nam idem objectum vel medium necessarium, si sit clare cognitum, facit scientiam; si obscure et putatum ut contingens, facit opinionem. — 1. *Poster.* l. 44 (42).

ARTICULUS II

UTRUM IN EODEM HOMINE DE EADEM CONCLUSIONE POSSINT SIMUL ESSE SCIENTIA ET OPINIO.

Videtur quod in eodem homine de eadem conclusione simul esse possint scientia et opinio.

1. Quia cognitiones illæ tantum repugnant in eodem subjecto, quæ sunt de eodem objecto et secundum idem medium, ut patet in fide et visione beatifica; fides enim assentit primæ veritati propter se, et similiter visio gloriæ, et propterea non possunt simul esse in beato; sed scientia et opinio versantur circa idem objectum, sed non circa idem medium: ergo poterunt simul esse. — 3. *Sent.* dist. 31, q. 2, a. 1, sol. 1, ad 4.

2. Præterea, sicut imperfectio cognitionis vespertinæ non opponitur perfectioni cognitionis matutinæ, quin simul utraque possit esse in eodem Angelo, ut dicit D. Augustinus *Super Genes.* l. 4, c. 25, ita nec imperfectio medii dialectici opponitur perfectioni medii demonstrativi, quin simul esse possit cognitio per unum medium cum cognitione per aliud de eodem objecto; sed scientia et opinio non videntur differre nisi per hoc, quod scientia est cognitio per medium necessarium, opinio vero est cognitio per medium probabile : ergo scientia et opinio possunt simul esse in eodem homine de eadem conclusione. — 1a, q. 58, a. 7, ad 2 et 3; 3. *Sent.* l. c.

3. Præterea, quando duæ cognitiones, quarum una est imperfecta et altera perfecta, ita se habent, quod una specie con-

venit cum alia, non possunt simul stare, secus vero si differant specie, quomodo simul stare possunt in Christo Domino scientia rerum in Verbo et in proprio genere; sed scientia et opinio sunt tales cognitiones, quod una est imperfecta et altera perfecta, et inter se specie differunt, cum differant, ut dictum est (in praeced. art. arg. *Sed contra* et in c.), ex objecto formali: ergo simul stare possunt. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 2.

4. Praeterea, adveniente perfecto tantum tollitur imperfectum, quod ei opponitur; sed opinio non opponitur scientiae, nam illa est cognitio per medium probabile, haec per demonstrativum; cognitio vero per medium probabile non opponitur cognitioni per medium demonstrativum: ergo scientia et opinio possunt stare simul in eodem homine de eadem conclusione.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Poster. text.* 44; c. 33) dicit, quod scientia et opinio non possunt simul esse in eodem subjecto. - 1a, q. 58, a. 7, ad 3; 1. *Poster* l. 44 (42).

2. Praeterea, opinio, quae est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam, quae est per syllogismum demonstrativum, sicut imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectiorem; sed habita perfectione non est ulterius necessaria dispositio, sicut habito termino non est necessarius motus; ergo habita scientia non remanet opinio: ergo non possunt simul esse in eodem de eadem conclusione. — 3a, q. 9, a. 3, arg. 2.

Respondeo dicendum, quod in eodem homine de eodem objecto non possunt simul esse scientia et opinio. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod cum opinio sit imperfecta cognitio, scientia vero perfecta, dupliciter potest dici aliqua cognitio imperfecta: *uno modo*, ex parte medii, quae nimirum procedit per medium imperfectum, ut est omnis cognitio habita per syllogismum topicum. *Alio modo*, ex parte subjecti, quae scilicet constituit subjectum absolute in esse imperfecto, seu quod in idem redit, exigit subjectum absolute imperfectum, id est privatum cognitione perfecta objecti, ut patet in fide, spe et motu; motus enim hoc ipso, quod inest subjecto, constituit ipsum in esse possibili potentiali respectu termini, et per consequens in privatione actuali termini. Similiter fides et spes constituunt subjectum in privatione crediti et sperati; fides enim est assensus determinatus non videntis ut sic, spes vero est appetitus non habentis ut sic.— Ex parte *medii* differunt secundum perfectum et imperfectum cognitio, quae est de aliqua conclusione per medium demonstrativum, et per medium probabile; ex parte vero *subjecti* differunt secundum perfectum et imperfectum scientia et opinio. De ratione enim scientiae non solum est, quod id, quod scitur, sit impossibile aliter se habere, et per consequens sit cognitio objecti necessarii per medium necessarium, sed etiam quod existimetur impossibile aliter se habere, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2 et *text.* 44; c. 33, et per consequens, quod habeat firmam inhaesionem cum visione intellectuali; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum; unde fit, ut tollat formidinem oppositae partis. De ratione vero opinionis similiter non tantum est, quod sit cognitio per medium probabile, sed etiam quod id, quod est opinatum, si tamen ex sua natura sit necessarium et impossibile aliter se habere, existimetur possibile aliter se habere, et consequenter quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi, sicque non habeat firmam inhaesionem. Cujus ratio est, quia cum bonum sit ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus, si ad hoc, quod aliquis sit sciens, exigitur, quod impossibile sit aliter se habere et secundum se et secundum scientis existimationem id, quod scit; ad hoc quod sit opinans, sufficit quidquid horum deficiat, unde si sit conclusio in se necessaria, non poterit esse opinio circa illam, nisi existimetur possibilis aliter se habere, et consequenter accipiatur cum formidine conclusionis oppositae.

Manifestum est autem, quod perfectum et imperfectum non possunt simul esse secundum idem, sed ea, quae differunt secundum perfectum et imperfectum, secundum aliquid idem possunt esse in aliquo alio eodem. Sic igitur cognitio perfecta et imperfecta *ex parte medii* impossibile est, quod conveniant in uno medio; possunt tamen convenire in uno objecto et

subjecto, et sic potest unus homo cognoscere eamdem conclusionemper duo media, quorum unum sit probabile et alterum demonstrativum. — 1a 2æ, q. 67, a. 3; Cajetan. *ibid.*; 1. *Poster.* l. 4 3 et 44 12; *de Verit.* q. 14, a. 9, ad 6; 2a 2æ, q. 1, a. 5, ad 4; Cajetan. *ibid.*

Quod eo manifestius constare poterit, si consideretur cognitio per medium probabile et cognitio per medium necessarium secundum rationem perfectæ et imperfectæ cognitionis, et secundum rationem dispositionis, quam habet cognitio per medium probabile ad cognitionem per medium necessarium. Si enim utraque consideretur, quatenus una est imperfecta et altera perfecta, quia perfectio adveniens tantum tollit imperfectionem sibi oppositam, imperfectio autem cognitionis per medium probabile non opponitur perfectioni cognitionis per medium necessarium, sed ei substernitur, una non tollitur per alteram. Sicut quia imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formæ, non tollitur potentia per adventum formæ; sicut tamen hac præsente tantum tollitur privatio, quæ opponitur formæ; ita per adventum cognitionis demonstrativæ tantum tollitur privatio illius, quæ erat in intellectu simul cum cognitione per medium probabile. Si vero consideretur cognitio per medium probabile, ut est dispositio ad cognitionem per medium demonstrativum, cum dispositio dupliciter se habeat ad perfectionem : *uno modo,* sicut via ducens ad illam, *alio modo*, sicut quidam quasi effectus consequens talem perfectionem; adveniente perfectione non remanet dispositio ducens ad illam tamquam via, sed remanet dispositio, quæ est veluti effectus illam consequens, ut patet in calore, qui adveniente forma ignis, ad quam suscipiendam per illum materia disponebatur, remanet, non ut via ad ipsum, sed ut effectus ab illa causatus. Sic ergo in proposito, quia opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam demonstrativam, quæ per demonstrationem acquiritur, acquisita scientia non remanet ipsa, sed remanet cognitio per medium probabile; nam hæc est consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam, veluti effectus illius. Nam ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit syllogismus topicus.

Et similiter est impossibile, quod cognitio imperfecta et perfecta *ex parte subjecti* sint simul in eodem subjecto; opinio autem, ut dictum est, de sui ratione habet imperfectionem ex parte subjecti, ut scilicet opinans non videat id, quod opinatur; scientia vero de sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, ut scilicet sciens videat id, quod scit. Unde manifestum est, quod impossibile est, quod scientia maneat simul cum opinione in eodem de eadem conclusione. — 1a, q. 62, a. 7, ad 1; 3a, q. 9, a. 3, ad 2; Capreol. in 3. *Sent.* dist. 25, a. 3, ad 9, contra secundam; 1a 2æ, q. 67, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod non solum repugnant in eodem subjecto illæ cognitiones, quæ versantur circa idem objectum et medium, sed etiam illæ, quæ versantur circa diversa media specie, quarum tamen una dicit imperfectionem ex parte subjecti, et altera perfectionem, ut contingit in opinione et scientia, ut dictum est. Nam opinio privat et tollit visionem intellectualem in subjecto, quam in illo ponit scientia; unde includunt privationem et habitum circa idem subjectum, quæ simul esse implicat. — 1a 2æ, q. 67, a. 3, c.; Capreol. in 3. *Sent.* dist. 25, a. 3, ad 3, 5, 6, contra secundam.

Ad secundum dicendum, quod *aliud* est cognitio per medium probabile seu assensus dialecticus; *aliud* cognitio vel assensus opinativus seu opinio. Nam illa tantum dicit imperfectionem ex parte medii, hæc autem præter hanc imperfectionem dicit etiam imperfectionem ex parte subjecti; nam superaddit illi formidinem in subjecto respectu alterius partis, quam ab illo excludit scientia, et consequenter ponit in subjecto privationem visionis intellectualis objecti, quam ponit scientia. Propterea vero opinio ponit talem formidinem et privationem, quia opinio de sui ratione est dispositio et via ad scientiam. Cum enim in via non habeamus species proprias rerum, ex accidentibus devenimus in cognitionem illarum, quæ quia per se primo non ducunt in cognitionem substantiæ et quidditatis rei, cum plerum-

que accidentia et signa externa non sint ita necessario connexa, ut sint maxime propria talis naturæ, non nisi opinativam cognitionem gignere possunt; de ratione autem dispositionis et viæ est, ut præsente termino et perfectione cesset, ut patet in motu, qui cessat præsente termino, ad quem est via. — 1a 2æ, l. c.; *de Verit.* q. 14, a. 9, ad 6; 3a, q. 9, a. 3, ad 2; Cajetan. in h. l.; Capreol. l. c.

Ad tertium dicendum, sicut dictum est ad primum et secundum.

Ad quartum dicendum, quod opinio et scientia non opponuntur in eo, quod una est cognitio per medium probabile, altera est cognitio per medium demonstrativum, atque adeo ex parte medii, sed opponuntur ex parte subjecti; nam una ponit in subjecto formidinem alterius partis et privationem visionis intellectualis, altera vero utramque excludit et expellit a subjecto. Unde sicut impossibile est, quod cognitio imperfecta et perfecta ex parte medii conveniant in uno medio, ita impossibile est, quod cognitio imperfecta et perfecta ex parte subjecti sint simul in eodem subjecto, et per consequens scientia et opinio, quæ hoc modo inter se opponuntur, non possunt esse in eodem homine. — 1a 2æ, q. 67, a. 3, c.

QUÆSTIO XXXVII

DE SCIENTIA PER COMPARATIONEM AD SCIENTEM.

Deinde considerandum est de scientia per comparationem ad scientem.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum scientia sit in nobis a natura.
2. Utrum homo appetitu naturali innato appetat scientiam.
3. Utrum homo appetitu naturali elicito appetat scientiam.
4. Utrum difficultas intelligendi oriatur partim ex rebus, partim ex intellectu.

ARTICULUS I

UTRUM SCIENTIA SIT IN NOBIS A NATURA.

Videtur quod scientia sit in nobis a natura.

1. Natura enim non deficit in necessariis; sed scientia est necessaria ad bene intelligendum, sicut et omnis habitus ad bene operandum : ergo scientia inest nobis a natura. — 1a 2æ, q. 51, a. 1, arg. 3.

2. Præterea, intellectus principiorum est a natura, unde et prima principia dicuntur naturaliter cognita; sed eadem videtur esse ratio scientiæ : ergo similiter et hæc est a natura.

3. Præterea, nullus potest verum respondere, nisi de eo, quod scit; sed aliquis etiam idiota non habens scientiam acquisitam respondet verum de singulis, si tamen ordinate interrogetur : ergo antequam quis acquirat scientiam, habet illam a natura insitam. — 1a, q. 84, a. 3, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2 *Ethic.* c. 1) dicit, quod virtus intellectualis plurimum ex doctrina habet et generationem et incrementum, unde et experientia et tempore indiget; sed scientia est virtus intellectualis, ut dicitur 6. *Ethic.* c. 2 et 3 : ergo scientia non est in nobis a natura. — 2a 2æ, q. 47, a. 15, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus (6 *Ethic.* c. 11, al 12) quod nemo est sapiens a natura; sed sapientia est quædam scientia : ergo scientia non inest nobis a natura. — 6. *Ethic.* l. 9.

RESPONDEO DICENDUM, quod sicut in naturalibus *quidam* posuerunt, omnes formas corporales esse totaliter ab intrinseco, dicentes latitare formas in materia et illas ab agente naturali de occulto ad manifestum extrahi, quatenus removet ea quæ prohibebant formas illas apparere; *quidam* vero senserunt, tales formas esse totaliter ab extrinseco, dicentes, omnes formas esse ab intelligentia agente, et a agentibus naturalibus tantum fieri dispo

sitiones ad prædictas formas; *quidam* vero dixerunt, quod partim sunt ab intrinseco, quatenus scilicet præexistunt in materia in potentia, et partim ab extrinseco, quatenus reducuntur ad actum per agens; — ita circa scientias *quidam* dixerunt, illas esse totaliter ab intrinseco, ita scilicet, quod naturaliter præexistunt in anima, sed per disciplinam et exercitium impedimenta scientiæ tolluntur, quæ adveniunt animæ ex corporis gravitate, sicut cum ferrum clarificatur per limationem; et hæc fuit opinio Platonicorum; *alii* vero dixerunt, quod sunt totaliter ab extrinseco, id est ex influxu intelligentiæ agentis, ut ponit Avicenna; *alii* dixerunt, quod secundum aptitudinem scientiæ, sicut et virtutes, sunt in nobis a natura, non autem secundum perfectionem, ut dicit Philosophus (2. *Ethic.* c. 1). Et hoc verius est.

Ad cujus manifestationem oportet considerare, quod aliquid dicitur homini naturale dupliciter: *uno modo*, ex natura speciei, *alio modo*, ex natura individui; et quia unumquodque habet speciem secundum formam suam, individuatur vero secundum materiam, forma vero hominis est anima rationalis, et materia est corpus; id, quod convenit homini secundum animam rationalem, est ei naturale secundum rationem speciei; id vero, quod est ei naturale secundum determinatam complexionem corporis, est ei naturale secundum naturam individui. Quod enim est naturale homini ex parte corporis secundum speciem, quodammodo refertur ad animam, in quantum scilicet tale corpus est tali animæ proportionatum. Utroque autem modo scientia est homini naturalis secundum quamdam inchoationem; et quidem *secundum naturam speciei*, in quantum in ratione hominis insunt naturaliter quædam principia scibilium naturaliter cognita, quæ sunt quædam seminaria virtutum intellectualium. Quia enim ex ipsa natura animæ intellectualis convenit homini, quod statim cognito, quid est totum et quid est pars, cognoscat, quod omne totum est majus sua parte; intellectus principiorum, et scientia, cujus principium est talis intellectus, dicuntur esse habitus naturales. *Secundum naturam autem individui* scientia est homini naturalis, quatenus ex corporis dispositione aliqui sunt dispositi vel melius vel pejus ad intelligendum. — Complementum autem habitus scientiæ est ex doctrina vel inventione, sicut complementum virtutum moralium, (quæ sunt naturales secundum inchoationem *et secundum naturam speciei*, *tum* ratione principiorum similiter naturaliter cognitorum, quæ sunt seminaria omnium agendorum, *tum* quatenus inest in voluntate appetitus boni, quod est secundum rationem, *et secundum naturam individui*, quatenus aliqui sunt dispositi ex propria corporis complexione ad castitatem, alii ad mansuetudinem vel quid simile), est ex assuefactione vel infusione, ut docet Philosophus (2. *Ethic.* c. 1), cum dicit, quod neque natura neque præter naturam virtutes in nobis acquiruntur, sed cum idonei ad ipsas suscipiendas natura simus, assuetudine perficimur. Sicque manifestum est, quod scientiæ sicut et virtutes morales sunt in nobis a natura secundum aptitudinem et inchoationem, non autem secundum perfectionem et simpliciter. — 1a 2æ, q. 51, a. 1 et q. 63, a. 1, c.; 1a, q. 84, a. 4, 5, 6; *de Verit.* q. 10, a. 6; 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 2, sol. 1 et 2.

Ad primum ergo dicendum, quod aliter providit natura homini, aliter brutis. His enim, quia carent ratione, providit natura de necessariis ad finem consequendum; homini vero, quia habet rationem, quæ collativa est, per quam potest ex principiis naturaliter cognitis colligere conclusiones, non providit de omnibus necessariis proxime et completive ad finem, sed remote tantum, originaliter et secundum inchoationem in ipsa ratione. — 3. *Sent.* l. c. sol 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod intellectus principiorum dicitur a natura, non quia pars talis habitus sit a natura, et altera pars sit ab extra, et ita ejus inchoatio sit a natura, ejus vero perfectio ab extra (nam hoc repugnat indivisibilitati habitus; cum enim hic sit qualitas, est forma simplex, quæ non constituitur ex partibus); neque quia tota illa qualitas intellectus sit congenita et coæva intellectui (nam hoc repugnat puræ potentiæ,

qua intellectus in principio est sicut tabula rasa, in qua nihil scriptum est, ut dicit Philosophus 3. *de Anima text.* 14; c. 4; sed quia ex ipsa natura animæ intellectualis convenit homini, quod statim cognito, quid est totum et quid est pars, cognoscat, quod omne totum est majus sua parte; scientia vero, si dicatur habitus naturalis, non dicitur nisi ratione cognitionis, quam statim a principio quis virtute luminis intellectus agentis habet de principiis universalibus omnium scientiarum. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, arg. *Sed contra* et q. 51, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod ordinata interrogatio procedit ex principiis communibus per se notis ad propria, per talem autem processum scientia causatur in anima addiscentis. Unde cum verum respondet de his, de quibus secundo interrogatur, hoc non est, quia prius ea noverit, sed quia tunc ea de novo addiscit; nihil enim refert, utrum ille, qui docet, proponendo vel in terrogando procedat de principiis communibus ad conclusiones; utrobique enim animus audientis certificatur de posterioribus per priora. — 1a, q. 84, a. 3, ad 3; 1a, q. 117, a. 1, c.

ARTICULUS II

UTRUM HOMO APPETITU NATURALI INNATO APPETAT SCIENTIAM.

Videtur quod homo appetitu naturali innato non appetat scientiam.

1. Homo enim appetit scientiam appetitu intellectivo; sed hic distinguitur ab appetitu naturali innato : ergo homo non appetit scientiam appetitu naturali innato. — 1a, q. 78, a. 1, ad 3; 1a 2æ, q. 30, a. 1, ad 3.

2. Præterea, si homines appetitu naturali innato scire desiderarent, cum naturale desiderium vanum esse non possit, omnes homines studium scientiæ impenderent, quod tamen est contra experientiam : ergo. — 1. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea ea, quæ sunt naturalia, non sunt laudabilia nec vituperabilia, ut dicit Philosophus (3. *Ethic.* c. 5, al. 7); sed laudantur homines de virtutibus animi, ut docet idem Philosophus (2. *Ethic.* c. 5, al. 4), et consequenter laudantur d scientia : ergo appetitus scientiæ non es naturalis innatus. — 1a 2æ, q. 21, a. 2 arg. 1; 2. *Ethic.* l. 5.

4. Præterea, naturale desiderium no est impossibile, alioqui esset inane et va num; sed ut dicit Philosophus (5. *Politic* c. 12), impossibile est aliquos eruditi ergo homo non appetit scientias appetitu naturali innato. — 1. *Ethic.* l. 2; 5. *Poli tic.* l. 13.

5. Præterea, natura est determinata a unum; ergo et naturalis appetitus scien tiæ determinatus ad unam scientiam; se non omnes homines appetunt eamden scientiam, imo sunt aliqui omnino inept ad unam, qui tamen ad aliam sunt aptis simi, ut videre est in pueris, qui, ut dici Philosophus (6. *Ethic.* c. 8, al. 9), mathe matici esse possunt, non autem morales aut physici : ergo. — 1a 2æ, q. 10, a. 1 arg. 3; 6. *Ethic.* l. 7.

Sed contra est, quod Philosophus (1 *Metaphys.* c. 1) dicit, quod omnes homi nes natura scire desiderant. — 1. *Meta phys.* l. 1.

RESPONDEO DICENDUM, quod homines appetitu naturali innato appetunt scien tiam. Cujus ratio potest esse triplex *Prima* est, quia unaquæque res naturali ter appetit perfectionem sui, unde e materia dicitur appetere formam, sicu imperfectum appetit suam perfectionem cum igitur intellectus, a quo homo est id quod est, in se consideratus sit in poten tia omnia, nec in actum eorum reducatur nisi per scientiam, quia nihil est eorum quæ sunt, ante intelligere, ut dicitur 3. *de Anima*, sic naturaliter unusquisque desi derat scientiam, sicut materia formam *Secunda* est, quia quælibet res naturalen inclinationem habet ad suam proprian operationem, sicut calidum ad calefacien dum, et grave, ut moveatur deorsum propria autem operatio hominis, in quan tum homo, est intelligere, per hoc enim ab omnibus aliis differt; unde naturale de siderium hominis inclinatur ad intelligen dum, et consequenter ad sciendum. *Terti* est, quia unicuique rei desiderabile est ut suo principio conjungatur; in hoc enim uniuscujusque perfectio consistit; und et motus circularis est perfectissimus, u

probatur 8. *Phys. text.* 73; c. 8, quia finem conjungit principio: substantiis autem separatis, quæ sunt principia intellectus humani, et ad quas humanus intellectus se habet ut imperfectum ad perfectum, non conjungitur homo nisi per intellectum, unde et in hoc ultima hominis felicitas consistit. Et ideo naturaliter homo desiderat scientiam. — 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est appetitus: *unus* animalis consequens apprehensionem vel sensitivam vel intellectivam, et hic in natura intellectuali est actus elicitus a voluntate, et in natura sensitiva a sensu; *alter* est naturalis, qui non sequitur apprehensionem, et est inclinatio cujuslibet potentiæ in proprium bonum; et hoc modo inclinatio intellectus in scientiam, quæ est bonum proprium et perfectio ipsius, dicitur appetitus naturalis innatus. — Il. cit. in arg.

Ad secundum dicendum, quod sicut frequenter qui finem aliquem desiderat, a prosecutione finis ex aliqua causa retrahitur vel propter difficultatem perveniendi vel propter alias occupationes; sic etiam licet omnes homines scientiam desiderent, non tamen omnes scientiæ studium impendunt, quia ab aliis detinentur, vel a voluptatibus, vel a necessitatibus vitæ præsentis, vel etiam propter pigritiam vitant laborem addiscendi. — 1. *Metaphys.* l. 1.

Vel dic, quod in homine respectu scientiæ est contraria inclinatio, quia ex parte animæ inclinatur ad hoc, quod cognitionem rerum desideret; ex parte vero naturæ corporalis inclinatur ad hoc, ut laborem acquirendi scientiam vitet; et ideo non est mirum, si plurimi scientiæ studium negligant, id enim est secundum inclinationem corporis, non autem animæ. — 2a 2æ, q. 166, a. 2, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod laudantur omines de actibus existentibus in potestate voluntatis, qualis est appetitus elicitus voluntatis, seu appetitus animalis, non autem appetitus naturalis innatus; nam hic est inclinatio potentiæ in actum, non autem actus. — 1a 2æ, q. 21, a. 2, c. q. 30, a. 1, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod sicut impossibilitas, quæ est in aliquibus ad discendum particulares quasdam scientias, non convenit illis ratione speciei, sed ratione individui, ratione cujus aliqui sunt inclinati ad scientiam, aliqui ad virtutem moralem, puta ad temperantiam, aliqui ad fortitudinem; ita quod aliquos impossibile sit disciplina erudiri et bonos fieri, provenit non ex natura animæ rationalis, sed ex dispositione naturali corporis, quam ex figura cœlesti causari necesse est dicere, quamvis necessitatem non imponat in his, quæ operantur secundum intellectum. — Il. cit. in c. a. præced.

Ad quintum dicendum, quod semper naturæ respondet unum proportionatum naturæ; quia naturæ in genere respondet aliquid unum in genere, et naturæ in specie acceptæ respondet unum in specie, naturæ autem individuali respondet aliquid unum individuale. Cum ergo intellectus sit quædam vis immaterialis, sicut et voluntas, respondet illi naturaliter aliquod unum commune, scilicet verum, vel ens, vel quidquid est hujusmodi, sicut etiam voluntati respondet aliquod unum commune, puta bonum; sub bono autem communi multa bona particularia continentur, ad quorum nullum intellectus, sicut et voluntas determinatur. — Quod vero quidam inepti sint ad aliquas scientias, aliqui apti, oritur, ut dictum est (in resp. ad 4), ex ratione individui; et in particulari, quod juvenes sint inepti ad moralem, atque adeo prudentes esse non possint, causa est, ut dicit Philosophus (6. *Ethic.* c. 8, al. 9), quia prudentia est circa singularia, quæ sunt nobis cognita per experientiam; juvenis autem non potest esse expertus, quia ad experientiam requiritur multitudo temporis. Quod vero pueri mathematici esse possint, non metaphysici vel physici, causa est secundum Philosophum ibidem, quia mathematicalia cognoscuntur per abstractionem a sensibilibus, quorum est experientia, et ideo ad cognoscendum talia non requiritur multitudo temporis; metaphysicalia vero, quippe quæ excedunt sensum et imaginationem, non attingunt mente, licet ore dicant, quia nondum habent intellectum exercitatum ad tales considerationes, tum propter parvitatem temporis, tum propter

multas mutationes naturæ.— 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 3; 6. *Ethic.* l. 7.

ARTICULUS III

UTRUM HOMO APPETITU NATURALI ELICITO APPETAT SCIENTIAM.

Videtur quod homo appetitu naturali elicito non appetat scientiam.

1. Quod enim quis odit, non appetit appetitu naturali elicito; sed sæpe veritatem, cujus cognitio est scientia, homines oderunt juxta illud (*ad Galat.* c. 4, v. 16): ergo inimicus factus sum vobis verum dicens: ergo homines non appetunt scientiam appetitu naturali elicito.

2. Præterea id, quod est naturale alicui, inest illi semper, sicut igni esse calidum; sed nullus actus elicitus inest homini semper: ergo homo appetitu elicito naturali non appetit scientiam. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, arg. 2.

3. Præterea, natura est determinata ad unum; sed voluntas se habet ad opposita: ergo non potest homo naturaliter velle scientiam. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea ea, quæ appetunt naturaliter aliquid, magis aguntur, quam agant, nihil enim habet dominium suæ naturæ; sed homines agunt, non aguntur, cum sint liberi arbitrii: ergo non appetunt appetitu naturali elicito scientiam. — 1a, q. 60, a. 1, arg. 2.

5. Præterea, appetitus naturalis elicitus est tantum finis ultimi, sicut appetitus elicitus mediorum; sed scientia non est ultimus finis hominis, sed est medium ad ultimum finem: ergo homo non appetit appetitu naturali elicito scientiam. — *Ibid.* a. 2, c. et q. 82, a. 2, c.; *de Verit.* q. 22, a. 6.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1) dicit, quod omnes homines naturaliter scire desiderant, quod maxime intelligit de desiderio elicito, quo magis amamus inter omnes sensus sensum visus, quia est perfectius cognoscitivus cæteris ob majorem spiritualitatem in sua operatione, cum spiritualius et immaterialius immutetur, et est plurium differentiarum demonstrativus.

RESPONDEO DICENDUM, quod dupliciter dicitur aliquid alicui naturale: *uno modo*, ratione principii, quia scilicet est secundum inclinationem naturæ reduciturque in illam tanquam in primum principium sive activum sive passivum, et hoc modo appetitus elicitus hominis erga scientiam est naturalis homini; est enim secundum inclinationem intellectus et voluntatis naturalem, et reducitur in ipsam animam, tanquam in primum principium, cum scientia sit ejus mediata perfectio ab ipsa naturaliter appetita. *Secundo*, ratione modi agendi, puta cum determinatione, seu necessario. Cum enim dupliciter voluntas ad aliquid determinetur: *vel* secundum exercitium actus, quia nimirum potest illud agere et non agere, *vel* secundum specificationem actus, quæ est ex objecto, quia scilicet ita determinatur ad aliquid, ut non possit in ejus oppositum, — voluntas neutro modo appetitu elicito naturali seu necessario appetit scientiam. Non quidem *priore;* nam eo modo voluntas in nullum objectum tendit; sicut enim aliquis potest de quocumque objecto non cogitare, ita et potest actu non velle illud. Neque *posteriore* modo, quia voluntas tantum movetur necessario quoad specificationem ab objecto sibi proportionato, a quo scilicet vincitur ejus possibilitas eique redditur subjecta, quodque est fundamentum immobile, super quo fundatur omnis volitio mobilis aliorum particularium volitorum, cujusmodi est universale bonum secundum omnem considerationem bonum, atque adeo quod est perfectum bonum, nihil ei deficiens, ut est beatitudo, non autem scientia. Nam cum hæc sit particulare bonum, habet adjunctum defectum cujuscumque alterius boni, ratione cujus, quia ut sic habet rationem non boni, nequit scientia omnino superare potentiam voluntatis, quod tamen necessario requiritur ad hoc, ut illam necessario secundum specificationem moveat, et consequenter potest voluntas illam repudiare, sicut et approbare, quatenus est bonum quoddam; potest enim in idem ferri secundum diversas considerationes. Et sic manifestum est, quod voluntas non appetit scientiam appetitu elicito naturali, sed libero, si modum agendi voluntatis specte-

mus; appetit autem appetitu naturali elicito, si spectemus naturalem inclinationem ipsius primumque principium talis appetitus, quod est natura, puta anima. — 1a, q. 60, a. 2, c. et q. 82, a. 2, c.; 1a 2æ, q. 6, a. 3, ad 2 et q. 10, a 1 ad 3 et a. 2, c.; *de Malo* q. 6, a. 1, c. et ad 6 et 7; *de Verit.* q. 22, a. 3 et 6.

Ad primum ergo dicendum, quod veritas dupliciter potest considerari : *uno modo*, secundum se ipsam, et hoc modo quilibet amat veritatem; quilibet enim cognitionem veritatis desiderat, quæ est ipsius Dei participatio. *Alio modo*, secundum effectum suum, qui est manifestare, et quantum ad hoc aliquis odit veritatem, in quantum scilicet veritas manifestat ejus iniquitatem, quam latere volebat, et sic veritas diligitur ut manifestata, odio autem habetur ut manifestans; et hoc vult D. Augustinus (lib. 10. *Confess.*), cum ait, quia falli nolunt et fallere volunt, quia nimirum amant veritatem, cum se ipsam indicat, et oderunt eam, cum eos ipsa indicat.— *Vel dic*, quod veritas est cuilibet secundum se amabilis et appetibilis, per accidens tamen potest esse alicui odibilis, in quantum per illam homo impeditur ab aliis, quæ magis amat. — 2a 2æ, q. 15, a. 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod in rebus naturalibus id, quod est naturale quasi consequens formam tantum, semper actu inest, sicut calidum igni; quod autem est naturale consequens materiam, non semper actu inest, sed quandoque secundum potentiam tantum; nam forma est actus, materia vero potentia, motus autem est actus existentis in potentia, et ideo illa, quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt; sicut ignis non semper movetur sursum, sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet, quod voluntas, quæ de potentia in actum educitur, dum aliquid vult, semper actu velit, sed solum quando est in aliqua dispositione determinata. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod voluntati, quia est potentia immaterialis, respondet bonum commune bonum, sub bono autem communi multa particularia bona continentur, ad quorum nullum voluntas determinatur. — *Ibid.* ad 3; ll. cit. in c. huj. a.

Ad quartum dicendum, quod omnia, quæ sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo, præter primum agens, quod ita agit, quod nullo modo ab alio agitur, in quo est idem natura et voluntas; et ideo non est inconveniens, si homo agatur, in quantum inclinatio naturalis est sibi indita ab auctore suæ naturæ; non tamen sic agitur, quod non agat, et per consequens actu elicito appetit aliquid, cum habeat liberum arbitrium. — 1a, q. 60, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod particularia bona se habent ad bonum in communi, sicut media ad finem; sicut ergo voluntas non fertur necessario in bona particularia, ita nec in media ad finem, præsertim illa, sine quibus haberi potest finis, quæ scilicet non sunt necessario connexa cum fine, cujusmodi est scientia respectu beatitudinis, quæ est finis humanæ vitæ; secus vero esse, vivere et intelligere. — 1a, q. 82, a. 2, c.; *de Verit.* q. 22, a. 5 et 6; 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM DIFFICULTAS INTELLIGENDI SIT PARTIM EX REBUS, PARTIM EX INTELLECTU.

Videtur quod difficultas intelligendi non sit partim ex intellectu.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Metaphys. text.* 1; l. 1 min., c. 1) expresse, quod causa difficultatis intelligendi non est in rebus, sed in intellectu nostro. — 2. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, si difficultas intelligendi est ex rebus, maxime, quia habent minimum de entitate, ut sunt motus, tempus, vacuum, materia; sed hoc modo etiam essent hujusmodi res difficiles intellectui divino. (*de Verit.* q. 2, a. 5, arg. 12) — Quod si dicas, esse tantum difficiles per ordinem ad intellectum humanum :

3. Contra, intellectus noster cognoscit rem per similitudinem acceptam a re, intellectus vero divinus per similitudinem, quæ est causa rei; sed major convenientia requiritur inter similitudinem, quæ est

causa rei et rem ipsam, quam inter ipsam et aliam similitudinem. Cum ergo defectus materiæ et similium entium sit in causa, cur non possit esse in intellectu nostro tanta similitudo, quæ sufficiat ad ejus facilem cognitionem, multo fortius erit in causa, cur non sit in intellectu divino similitudo materiæ ad ipsam facile intelligendam. — *Ibid.* arg. 13.

4. Præterea, quod convenit rei secundum se, convenit illi, cuicumque comparetur; sed cognoscibilitas convenit rei secundum se. Eatenus enim aliquid est cognoscibile, quatenus est ens, unde ens est proprium objectum intellectus, atque adeo primum intelligibile; ergo si, quæ sunt minimæ entitatis, sunt difficile cognoscibilia in se, erunt etiam talia respectu intellectus divini; at hoc est falsum, ut patet : ergo difficultas cognoscendi res minimæ entitatis non est a rebus. — 1a, q. 5, a. 2, c.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 117; c. 11), quod quanto minus est sensibile, tanto excellentiore virtute sensitiva indiget ad hoc, ut sentiatur; sed eodem modo se habet intellectus respectu intelligibilis : ergo difficultas intelligendi minus intelligibile non erit ex objecto, sed ex intellectu, qui non est perfectus.—1. *de Cœlo* l. 25; *de Sensu* l. 8.

6. Præterea, eamdem rem unus intellectus magis et facilius intelligit alio; sed idem, in quantum idem, non est causa contrariorum : ergo difficultas non est ex rebus, sed ex intellectu. — 1a, q. 12, a. 6, ad 2 et q. 85, a. 6, c.; *de Verit.* q. 2, a. 2, ad 11.

7. Præterea, quod ea, quæ secundum se sunt maxime sensibilia, difficile sentiantur a nobis, provenit ex hoc, quod excellentiæ sensibilium corrumpunt sensum; sed excellentiæ intelligibilium non corrumpunt intellectum, ut dicitur 3. *de Anima text.* 7; c. 4 : ergo ea, quæ secundum se sunt maxime intelligibilia, sunt etiam maxime intelligibilia nobis, et consequenter difficultas in illis intelligendis non est ex rebus, sed ex nostro intellectu. — 1a, q. 88, a. 1, ad 3; 2. *Metaphys.* l. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 16, arg. 5.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Metaphys. text.* 1; l. 1 min., c. 1) docet, quod difficultas intelligendi est duobus modis, licet principaliter sit ex intellectu, non ex rebus.

Respondeo dicendum, quod difficultas intelligendi partim oritur ex imperfectione intellectus nostri, partim ex defectu rerum. (2. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 44, c. 1) — Ad cujus manifestationem considerandum est, quod dupliciter est aliquid difficile ad intelligendum : vel secundum se, vel secundum nos. In omnibus enim, quæ consistunt in quadam habitudine unius ad alterum, potest impedimentum dupliciter accidere vel : ex uno vel, ex alio; sicut si lignum non comburatur, hoc uno modo contingit, quia ignis est debilis; vel quia lignum non est combustibile; et similiter oculus impeditur a visione alicujus visibilis aut quia est debilis, aut quia visibile est tenebrosum. Sic ergo cum cognitio veritatis consistat in habitudine intellectus ad intelligibile, poterit contingere, quod sit difficilis, *vel* propter defectum, qui est in intellectu nostro, *vel* propter defectum, qui est in ipsis rebus.

Et quod quantum ad aliquas res, eas nimirum, quæ habent esse deficiens et imperfectum, ut motus, materia, vacuum et similia, difficultas in cognoscendo veritatem illarum oriatur *ex ipsis rebus*, probatur. Nam unumquodque est cognoscibile, in quantum est actu, non autem in quantum est in potentia, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 11; l. 1 min., c. 2 et 9. *Metaphys. text.* 20; l. 8, c. 9, et manifeste apparet : *primo* inductione, *cum* in sensibilibus, — non enim visus percipit coloratum in potentia, sed coloratum in actu, sicut nec actu percipit partes continui, ut docet Philosophus (*de Sensu* c. 6), in quantum sunt in potentia, id est, quatenus nondum sunt separatæ, sed tantum percipit illas in potentia; unde necesse est, quod minima pars aliqua lateat, puta millesima; sicut de sono parvum aliquid latet audientem, puta diesis, quod est minimum in melodia, distantia scilicet inter tonum et semitonum; et ita est in aliis sensibus, quod ea, quæ sunt omnino parva, latent omnino sensum, quia sunt sensibilia in potentia, non autem in actu, nisi quando separantur; — *tum* in mathe-

maticis, nam descriptiones Geometriæ, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 20; l. 8, c. 9, per inventionem cognoscuntur secundum dispositionem figurarum in actu; geometræ enim inveniunt verum, quod quærunt, dividendo lineas et superficies, divisio autem reducit in actum, quod erat in potentia. Si enim omnia essent divisa, secundum quod requirit intentio veritatis, manifestæ essent conclusiones quæsitæ: sed quia in prima pertractatione figurarum sunt in potentia hujusmodi divisiones, ideo non statim fit manifestum, quod quæritur; ut si quæratur, quare triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, non potest id demonstrari, nisi ita disponatur figura, ut id manifestum sit videnti dispositionem figuræ, puta nisi producatur angulus, qui fit extra, producto uno latere trianguli: — *tertio*, in intelligibilibus; manifestum enim est, quod intellectus, in quantum est cognoscitivus rerum materialium, non cognoscit nisi quod est actu; inde enim est, quod non cognoscit materiam primam nisi secundum proportionem ad formam, ut dicitur 1. *Phys. text.* 69; c. 7; et in substantiis immaterialibus, secundum quod unaquæque earum se habet ad hoc, quod sit in actu per essentiam suam, ita se habet ad hoc, quod sit per essentiam suam intelligibilis, ut patet inducendo in omnibus intelligentiis: *Prima* enim, quia est actus purus, nulli omnino potentiæ admixtus et completus secundum totam latitudinem entis, continens scilicet in sua actualitate omnia actu eminentissimo, est intelligibilis per se ipsam continens omnia intelligibilia; et sic per essentiam suam non solum intelligit se, sed etiam omnia alia, et nihil extra se intelligere potest. *Aliarum* vero intelligentiarum, puta Angelorum essentiæ, quia sunt actus, non tamen puri nec completi, propterea ex eo, quod actus sunt in genere intelligibilium, per se ipsas intelligibiles sunt; ex eo vero, quod non sunt actus puri, sed potentiæ permixti, non continent omnia intelligibilia in se ipsis actu, et consequenter licet per suas essentias se intelligant, non tamen omnia per suas essentias cognoscere possunt, sed cognoscunt alia a se per earum similitudines. Animæ *demum* humanæ essentia, quia est pura potentia in genere intelligibilium, ideo illa neque sui ipsius neque aliorum cognitionem per se ipsam facere nata est. — 1a, q. 87, a. 1, c.; Cajetan. *ibidem; de Sensu* l. 13; 9. *Metaphys.* l. 10 et 12 (4); 2. *de Anima* l. 6.

Secundo, idem patet ratione; *tum* quia eatenus aliquid est ens et verum, quatenus est actu; non enim domus vel album sunt talia, nisi actu habeant rationem domus aut albi; nihil autem potest cognosci nisi ens et verum, et consequenter nisi actu sit (sic non potest cognosci domus et album, nisi sit actu domus et actu album; secus autem, si sint in potentia); *tum* quia, ut docet Philosophus (9. *Metaphys. text.* 20; l. 8, c. 9), intellectus actus est, et ideo ea, quæ intelliguntur, oportet esse actu. Objectum enim debet esse proportionatum potentiæ, et propterea ex actu cognoscitur potentia, inquit Philosophus ibidem; facientes enim aliquid actu cognoscunt, ut patet in mathematicis descriptionibus, ut dictum est. Quia ergo illa, quæ habent esse deficiens et imperfectum, ut tempus, vacuum et alia prædicta, propter imperfectionem sui esse secundum seipsa sunt parum cognoscibilia, ut dicit Boethius in lib. *de Duabus Naturis*, ideo difficile cognoscibilia sunt ab intellectu. Quod ex eo evidentius etiam constare potest, quod dupliciter potest in aliquo actu attendi difficultas: *vel* ex resistentia materiæ, circa quam operatur agens, ad virtutem agentis, quod solum est in his, quæ mutuo agunt et patiuntur; *vel* quatenus materia, circa quam est actio, elongatur ab actu; quanto enim potentia magis elongata ab actu invenitur, tanto est major difficultas in actione agentis circa illam. Cum ergo entia materialia et potentialia maxime elongentur ab actu, necesse est, quod difficilius cognoscantur ab intellectu, qui res intelligit, secundum quod sunt in actu. — 1a, q. 87, a. 1; 9. *Metaphys.* l. 10 (4); *de Pot.* q. 3, a. 4, ad 16.

Quod vero quantum ad alias res, quæ nimirum sunt maximæ entitatis, ut quæ sunt a materia separatæ, difficultas cognoscendæ veritatis illarum oriatur *ex defectu et imperfectione nostri intellectus*, non ex ipsis rebus, ita ut illæ secundum

se quidem maxime sint cognoscibiles, non tamen quoad nos, probatur; quia, ut docet Philosophus 2. *Metaphys.*, ita se habet intellectus noster ad manifestissima naturæ, cujusmodi sunt entia abstracta, sicut oculi vespertilionum ad lucem solis. Cujus ratio est, quia cum intellectus noster possibilis sit in potentia ad omnia intelligibilia, et ante intelligere non sit in actu aliquod eorum, ad hoc quod actu intelligat, oportet quod in actum reducatur per aliquas species. Quia vero anima humana est ultima in ordine substantiarum intellectivarum minime participans de virtute intellectiva (est enim secundum naturam suam actus corporis, licet ejus potentia intellectiva non sit actus organi, unde et habet naturalem aptitudinem ad cognoscendam corporalium et sensibilium veritatem, quæ sunt minus cognoscibilia secundum suam naturam propter eorum materialitatem, licet cognosci possint per abstractionem specierum a phantasmatibus, et vindicat sibi naturaliter hunc cognoscendæ veritatis modum, quatenus est forma corporis, cum quæ sunt naturalia, semper maneant), impossibile est, quod anima corpori unita cognoscat de veritate rerum, nisi per species acceptas a sensibus illustratas lumine intellectus agentis, quia, sicut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 30; c. 7), sicut se habent colores ad visum, ita se habent phantasmata ad intellectum. Cum ergo non possint per sensus recipi species perfecte repræsentantes res a materia abstractas, quia tales species sunt improportionabiles et quasi alterius generis a prædictis rebus, inde est quod intellectus noster difficile potest illas cognoscere. — Unde manifestum est, quod difficultas cognoscendi partim est ex ipsis rebus, partim ex intellectu nostro, quamvis principaliter, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys.*), sit ex parte intellectus, quia alioqui si esset, inquit, ex parte rerum, sequeretur, quod illa magis cognosceremus, quæ sunt magis cognoscibilia secundum naturam suam, quæ nimirum sunt maxime in actu, entia scilicet immaterialia et immobilia, quæ tamen sunt nobis maxime ignota. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, c.; *de Verit.* q. 12, a. 2 et q. 18, a. 2; *Opusc.* 70, q. 3, a. 1, c.; 2. *Metaphys.* l. 1; 1a. q. 88, a. 1 et 2, c. et ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi est, quod quamvis difficultas cognoscendæ veritatis forsan possit secundum aliqua diversa esse dupliciter, videlicet ex parte nostra et ex parte rerum, non tamen principalis causa difficultatis est ex parte rerum, sed ex parte nostra, quod statim probat argumento dicto (in fine c. huj. a.). — 2. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod illa, quæ habent esse deficiens, secundum hoc deficiunt a cognoscibilitate intellectus nostri, quod deficiunt a ratione agendi; non autem ita est de intellectu divino, quippe qui non accipit scientiam a rebus, ut manifeste patet ex diversa habitudine, quam habet ad rem similitudo rei, quæ est in intellectu nostro, et similitudo rei, quæ est in intellectu divino; illa enim quæ est in intellectu nostro, est accepta a re, secundum quod res agit in intellectum nostrum. Quia vero res materialis habet esse in potentia et non in actu, omne autem agens eatenus agit, quatenus est actu, ideo res materiales non agunt in intellectum, nisi mediante forma. At vero similitudo rei, quæ est in intellectu divino, est factiva rei secundum quod quodcumque esse habet in se sive forte, sive debile, et ideo perfectissime et facillime Deus per illam cognoscit res materiales, sicut difficillime noster intellectus easdem cognoscit per suam. — *de Verit.* q. 2, a. 5, ad 12, et in c.

Ad tertium dicendum, quod in intellectu divino, qui est causa materiæ, potest esse similitudo materiæ tum factiva, tum cognoscitiva illius; at in intellectu nostro non potest esse similitudo sufficiens ad materiæ cognitionem, ut ex dictis patet. — *Ibid.* ad 13.

Ad quartum dicendum, quod ea, quorum ratio consistit in proportione et habitudine ad aliquid, non possunt esse eadem quantum ad omnia, sicut patet, quod non est idem sanum et bonum hominibus et piscibus; unde oportet, quod circa singula animalia sit altera ratio consideranda, quid sit bonum unicuique.

Quia ergo ratio cognoscibilitatis consistit in proportione et habitudine ad potentiam cognoscitivam, sicut ratio appetibilis ad appetitum cognoscibile enim est, cujus est potentia cognoscitiva, sicut intelligibile est, cujus est intellectus, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15, ideo non est eadem ratio cognoscibilitatis et intelligibilitatis in rebus respectu omnium intellectuum. Nam eatenus est aliquid cognoscibile ab intellectu humano, quatenus habet virtutem agendi et movendi ipsum; eatenus vero est cognoscibile ab intellectu divino, quatenus est terminus et effectus cognitionis ipsius; nam scientia, quam Deus habet de rebus, est similis scientiæ artificis; est enim causa rerum, sicut artifex artificiatorum; at scientia nostra est causata a rebus, non illarum causa. Quando ergo dicitur, quod unumquodque est cognoscibile, quatenus est ens, verum est *causaliter*, propter fundamentum respectus intelligibilitatis in re ad intellectum, sicut et appetibilis ad appetitum; nihil enim est intelligibile et appetibile, nisi ens; nam in omnibus appetitur quoddam esse, et ens est primum intelligibile et objectum proprium intellectus; unde ens fundat respectum intelligibilis ad intellectum et appetibilis ad appetitum. Est autem falsa prædicta propositio, si sumatur *formaliter;* nam aliquid est formaliter intelligibile et appetibile per respectum intelligibilitatis et appetibilitatis, sicut Petrus, verbi gratia, est per generationem activam causaliter pater, est autem formaliter per respectum paternitatis, ut dictum est (supra q. 13, a. 1, ad 4). — 6. *Ethic.* l. 6; *Opusc.* 42, c. 2 (1); 5. *Metaphys.* l. 17 (20); *de Verit.* q. 2, a. 5, c. et ad 12 et 13; 1a, q. 14, a. 11 et q. 5, a. 2, c. et ad 4; Capreol. in 1. *Sent.* dist. 3, q. 3, ad 3, contra primam.

Ad quintum dicendum, quod non est eadem ratio de visu et de intellectu; nam cum visus sit potentia organica, potest debilitari et confortari ex diversa dispositione organi, et similiter visio potest reddi facilis vel difficilis ex tali dispositione, et non tantum ex parte visibilis sic vel sic distantis aut tantæ quantitatis; intellectus autem inorganicus est, et ideo non variatur facilitas vel difficultas intelligendi rem materialem ex parte intellectus, sed, ut supra (*ad secundum*) dictum est, ex parte rei potentialis parum motivæ intellectus nostri. — 2. *Met. phys.* l. 1; 1a, q. 88, a. 1, arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 16, arg. 3.

Vel dic, non esse eamdem rationem minimi sensibilis per comparationem ad visum, et rei materialis per comparationem ad intellectum; nam minimum sensibile non separatum a cæteris partibus sensibilis latet quemcumque sensum, licet perfectum; separatum vero cognosci potest a sensu, quia habet potentiam et virtutem activam ad immutandum ipsum; unde quando advenit sensus perfectior, sentietur actu. At res materiales non sunt motivæ intellectus nostri; et ideo sive adveniat perfectior intellectus, sive minus perfectus, non poterunt ab illo intelligi. — *de Sensu* l. 15.

Ad sextum dicendum, quod hæc duo simul stare possunt, quod idem intellectus difficilius intelligat rem habentem esse imperfectum et potentiale, quam rem habentem esse perfectius; et tamen quod eamdem rem imperfectam unus minus difficile intelligat, quam alter, ratione meliorum sensuum et organorum, vel ratione fortioris intellectus, seu majoris capacitatis in intellectu. Sicut idem magnus ignis facile comburet sicca et difficile humida; et tamen hæc minus difficile comburet, quam alius ignis non ita magnus. — Il. cit. in arg. et in c.

Ad septimum dicendum, quod requiritur aliqua proportio objecti ad potentiam cognoscitivam, et activi ad passivum, et perfectionis ad perfectibile; unde, quod excellentia sensibilia non capiantur a sensu, non sola ratio est, quia corrumpunt organa sensibilia, sed etiam quia sunt improportionata potentiis sensitivis; et hoc modo sunt improportionata intellectui humano secundum præsentem statum entia abstracta, ut non possint ab eo nisi difficillime intelligi. — Il. cit. in arg.

Hæc dicta sint ad majorem Dei præpotentis gloriam, ad Beatissimæ Virginis honorem, et ad Angelici Doctoris, Sancti Thomæ laudem.

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM

QUÆ IN HAC PRIMA PARTE SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

E D. THOMÆ DOCTRINA CONTINENTUR

(PROOEMIUM)

QUÆSTIO I

DE DOCTRINA LOGICAE QUALIS SIT ET AD QUÆ SE EXTENDAT

Art. I. — Utrum ad directionem actuum rationis sit necessarium, aliquam doctrinam haberi. 1
II. — Utrum hæc doctrina sit scientia. 3
III. — Utrum hæc doctrina sit una scientia specie. 5
IV. — Utrum hæc doctrina sit scientia practica, vel speculativa . . . 8
V. — Utrum hæc doctrina sit simpliciter necessaria omnibus scientiis. 11
VI. — Utrum ens rationis sit subjectum hujus doctrinæ. 13

(PRÆDICABILIA)

QUÆSTIO II

DE UNIVERSALIBUS

Art. I. — Utrum universalia sint naturæ reales secundum se sumptæ, an vero naturæ reales, ut sunt in intellectu, seu naturæ intellectæ 17
II. — Utrum universalia sint tantum in intellectu, an etiam a parte rei. 19
III. — Utrum universalia, secundum quod sunt a parte rei, sint realiter in singularibus, an vero sint realiter ab illis separata. 23
IV. — Utrum universale recte definiatur à Philosopho, quod sit unum in multis. 27
V. — Utrum universale fiat per abstractivam, an vero per comparativam. 29
VI. — Utrum universalia sint tantum quinque. 32
VII. — Utrum ratio universalis dicatur univoce, an vero analogice de quinque universalibus 35

QUÆSTIO III

DE GENERE

Art. I. — Utrum generis definitio sit recte tradita 36
II. — Utrum genus contineat differentias. 40
III. — Utrum genus per se prædicetur de differentiis 44
IV. — Utrum in compositis materialibus genus sumatur a materia, et differentia a forma 46
V. — Utrum genus faciat unum per se cum differentia. 50
VI. — Utrum genus realiter distinguatur a differentia. 52
VII. — Utrum genus requirat plures species actu. 55

QUÆSTIO IV

DE SPECIE

Art. I. — Utrum recte à Porphyrio definia-

tur species universale, quod praedicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid 58
II. — Utrum species possit conservari in uno individuo 62
III. — Utrum recte sit a Porphyrio definitum individuum, quod sit id, quod de uno solo praedicatur . . 63

QUÆSTIO V

DE DIFFERENTIA

Art. I. — Utrum convenienter dividatur differentia in communem, propriam, et propriissimam . . . 65
II. — Utrum recte sit a Porphyrio assignata definitio differentiæ, quod sit, quæ praedicatur de pluribus differentibus specie in quale quid 66
III. — Utrum differentia superior intrinsece includatur in differentia inferiore. 68

QUÆSTIO VI

DE PROPRIO

Art. I. — Utrum recte definiatur a Porphyrio proprium, quod omni, soli, et semper convenit, et conversim de re praedicatur . . 71
II. — Utrum subjectum sit causa efficiens propriæ passionis. . . 74
III. — Utrum propria passio realiter distinguatur a suo subjecto . . 76

QUÆSTIO VII

DE ACCIDENTE

Art. I — Utrum definitio accidentis sit recte tradita. 80
II. — Utrum omne accidens sit proprium, seu habeat proprium subjectum quarto modo . . . 82

(PRÆDICAMENTA)

QUÆSTIO VIII

DE QUIBUSDAM SUPPOSITIS AD PRÆDICAMENTA

Art. I. — Utrum recte definiantur aequivoca. 85
II. — Utrum recte definiantur univoca. 88
III. — Utrum recte definiantur analoga 91
IV. — Utrum recte definiantur denominativa 93
V. — Utrum nomen denominativum principalius significet formam quam subjectum. 96
VI. — Utrum recte ea, quæ sunt, dividantur in quatuor membra. . 98
VII. — Utrum prior regula anteprædicamentalis sit vera. 101
VIII. — Utrum posterior regula antepraedicamentalis sit vera. 101

QUÆSTIO IX

DE PRÆDICAMENTIS IN COMMUNI

Art. I. — Utrum tractatio praedicamentorum ad logicum pertineat . . . 103
II. — Utrum ens sit genus ad decem praedicamenta 105
III. — Utrum praedicamenta sint decem. 106
IV. — Utrum praedicamenta inter se realiter distinguantur 110
V. — Utrum Deus sit in aliquo genere, puta in praedicamento substantiæ 111
VI. — Utrum Angeli sint in praedicamento substantiæ. 114
VII. — Utrum cœli sint in praedicamento substantiæ. 117
VIII. — Utrum partes substantiarum sive essentiales sive integrales sint in praedicamento substantiæ. 119
IX. — Utrum accidentia ponantur in praedicamentis in concreto, an in abstracto. 122

QUÆSTIO X

DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ

Art. I. — Utrum convenienter dividatur substantia in primam et secundam. 124
II. — Utrum recte definiatur substantia, secundum quod est genus summum. 126
III. — Utrum recte sint assignatæ proprietates substantiæ 127

QUÆSTIO XI

DE PRÆDICAMENTO QUANTITATIS

Art. I. — Utrum ratio quantitatis in divisibilitate consistat. 134
II. — Utrum quantitas realiter distinguatur a substantia. . . 141
III. — Utrum recte sint assignatæ species quantitatis. 145
IV. — Utrum recte sint assignatæ proprietates quantitatis. . . 151
V. — Utrum recte sint assignatæ divisiones quantitatis. 155

QUÆSTIO XII

DE PRÆDICAMENTO QUALITATIS

Art. I. — Utrum ratio formalis qualitatis consistat in eo, quod sit modus et determinatio substantiæ secundum esse accidentale. 158
II. — Utrum sint tantum quatuor species qualitatis. 159

RATIO

BIBLIOTHECÆ THEOLOGIÆ

ET

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

INCEPTÆ

CURA FRANCISCI EHRLE, S. J.

SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX

PARISIIS, 4, VIA CASSETTE

ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ, CINCINNATI ET NEO-EBORACI

I. Jam pridem a multis cupide erat expetitum, ut ex auctoribus Theologiæ et Philosophiæ scholasticæ ii demum vulgarentur, qui et insigniores essent et rariores. — Jam enim inde a triginta annis, quum quidem, ducibus clarissimis viris Liberatore, Sanseverino, Kleutgen, hæ disciplinæ de integro diligentius excoli cœptæ sunt, inter omnes constabat, tum demum hanc « Veterum sapientiam » rite renovari et excussis, quibus obsita esset, præteritorum temporum pulveribus, in nostræ ætatis usus plane posse converti, cum præcipuarum doctrinarum ortus et progressus a SS. Patrum ætate usque ad scholæ scholasticæ sæculo proxime elapso interitum, ex præcipuis singularum ætatum et scholarum doctoribus diligenter collecta ac perspicue ob oculos posita, uno quasi conspectu possent comprehendi. Facile enim apparebat, quantam ea inquisitio, et errores et præclare dicta referendo, nobis esset occasionem allatura, res in omnes partes versandi; quantoque aberrandi in multis rebus, in plurimis frustra elaborandi periculo se is esset objecturus, qui, neglecto illo adminiculo, in arduis quæstionibus suo unius ingenio omnia vellet conficere.

II. Verum, quod in hoc doctrinarum progressu explicando nec plures operam adeo necessariam posuerint, neque illi, qui id fecerunt, cum uberiori fructu fecerint, nemo mirabitur, qui raritatem librorum ad hæc studia necessariorum perspectam habebit. Etenim, si paucas vel ex maximis exceperis, ne in publicis quidem bibliothecis ita omnium ætatum et scholarum vel ipsi principes studentibus præsto sunt, ut quivis facile certa via et ratione in hac inquisitione possit procedere. Accedit quod haud pauci, etiam ex libris maxime necessariis, aut nullo aut ingenti tantum pretio coemi possunt; quod quantum in damnum scientiæ ecclesiasticæ vertat, nemo non videt.

III. Hac librorum scholasticorum raritate excitati quidam, maxime ex librariis Parisiensibus, complures eosque optimos auctores denuo ediderunt. Verum ex his editionibus aliquæ magis spe lucri quam studio scientiæ promovendæ adornatæ videntur; atque omnes ita raræ sunt, ut eam, qua premimur, librorum penuriam parum sublevarint. — Quare, non deterriti ea, quam omnes dolemus, temporum iniquitate, nobis, ut « Bibliothecam Theologiæ et Philosophiæ scholasticæ » ederemus proposuimus.

IV. Atque hoc consilium ita exsequemur, ut *imprimis* ex antiquioribus Scholasticis singularum ætatum et scholarum principes vulgemus, quorum ope singula doctrinarum capita facile ex suis fontibus hauriri, et per suos progressus et vicissitudines ad recentioris scholæ ortum possint explicari. — *Deinde* vero, cum in his editionibus præparandis plus temporis sit ponendum, ne opus nimium retardetur neve interrumpatur, ex recentioribus Scholasticis, quos renovare facile est, aliquos præclariores pro temporum opportunitate interponemus. Præterea utraque classis, vel antiquorum vel recentiorum Scholasticorum, et Philosophos et Theologos complectetur. — In auctoribus vero seligendis *tria* potissimum spectabimus: doctrinæ excellentiam, auctoris ad disciplinæ historiam illustrandam gravitatem, exemplarium raritatem. Itaque ab omni partium studio alieni, non uni scholæ, non opinionum commentis controversiisve, quas dies et parit et delet, sed immutabili earum disciplinarum rationi et utilitati serviemus.

V. In editionibus adornandis agemus præcipue, ut a mendis, quantum fieri possit, castigatæ prodeant; cum nos non lateat, quam juste de quibusdam editionibus viri docti sint conquesti. Quare, cum de recentiore aliquo auctore edendo agetur, variæ ejus, si quæ fuerint, editiones inter se conferentur. Ex auctoribus vero antiquioribus nullus prodibit, quin secundum optimos codices mss. accurate fuerit emendatus. — Præterea qui commemorantur loci aliorum auctorum, ii studiose investigati corrigentur; et ii quidem, qui ex SS. Patribus deprompti sunt, ad editiones a Migne adornatas, quæ omnium manibus teruntur, exigentur.

VI. Primi autem hi vulgabuntur scriptores.

A. Ex antiquioribus philosophis:

1. ARISTOTELIS *Opera omnia, brevi paraphrasi illustrata a Silv. Mauro, S. J.* — Cum enim imprimis ex Stagiritæ operibus Philosophia scholastica sit orta, ex infinito pæne commentariorum numero unus aliquis seligendus videbatur, qui quam brevissime et clarissime « Aristotelem scholasticum », id est Aristotelis doctrinam ita nobis exhiberet, ut a Scholasticis est intellecta; quod quidem neminem præclarius Silv. Mauro præstitisse putamus.

2. AVICENNÆ et AVERROIS *Opera philosophica*, — quæ, quantum ad scholasticæ doctrinæ conformationem contulerint, nemo profecto ignorat.

B. Ex antiquioribus theologis:

1. JOAN. CAPREOLI, O. Pr., *Quæstiones in IV libros Sententiarum pro tutela doctrinæ S. Thomæ.* — Hic enim auctor, cum ubique aliorum opiniones accurate recenseat, illius « aureæ ætatis » doctrinam quasi quodam compendio conclusam nobis exhibet.

2. His adjungemus: PETRI de TARENTASIA, O. Pr., *Comment. in libros Sent.*, quo, si S. Thomam et S. Bonaventuram excipias, nullus in antiquis bibliothecis erat frequentior; — HENRICI de GANDAVO, imprimis *Quodlibeta*, deinde *Summam theologicam*; — ÆGIDII de COLUMNA, O. Erem. S. Aug., *Comment. in priores III libros Sent., Quodlibeta, Opuscula.* — Prætermittemus ALEXANDRUM de HALES et RICHARDUM de MEDIAVILLA, quippe qui a Patribus Collegii S. Bonaventuræ apud Claras Aquas brevi denuo typis describentur.

C. Ex recentioribus philosophis:

COSMI ALAMANNI, S. J., *Summa Philosophiæ D. Thomæ Aquinatis.* Ad hanc renovandam SS. Dominus Leo P. P. XIII, litteris sub forma Brevis datis, Cl. Fridericum Pustet, librarium Ratisbonensem, incitaverat. Is vero, cum de hac nostra Bibliotheca edenda certior factus esset, magna liberalitate injunctum sibi officium, annuente benigne SS. Domino, nobis demandavit. — Ex quo quidem opere, cum totum fere ex ipsis Angelici Doctoris verbis sit compactum, Philosophiæ studiosi S. Doctoris et præclaram doctrinam et ipsum loquendi ac cogitandi modum facile haurient.

D. Ex recentioribus vero theologis:

1. CAROLI TRICASSINI, O. Capuc., *Tractatus* aliquot omnino egregii contra Jansenistarum errores conscripti.

2. DIDACI RUIZ de MONTOYA, S. J., præclara volumina, imprimis *de Trinitate* et *de Scientia divina.*

3. NICOLAI YSAMBERTI, Dr. Sorbon., *Commentarii in S. Thomæ Summam theol.*

VII. Quod ad externum editionum ornatum attinet, utemur eadem fere, qua Migne (notæ *ex* præcip) usus est, voluminum forma.

Antiquorum auctorum codices mss. melioris notæ ex præcipuis bibliothecis jam sunt conquisiti; Avicennæ Opera ex antiqua editione descripta, ex parte cum codicibus mss. collata.

Præterea non est, cur hic pluribus moneamus, quam arcte connectatur hæc « Bibliotheca » cum « Anecdotis historiam Theologiæ et Philosophiæ scholasticæ illustrantibus » quibus quidquid de auctoribus scholasticis in codicibus mss. delitescit, ut optime fieri poterit, in lucem proferemus; fuse enim hac de re egimus in foliis, quibus titulus: « Zeitschrift für katholische Theologie », Innsbruck 1883. Heft 1, pp. 1-52.

Denique omnino speramus fore, ut ex libraríis, qui hucusque in edendis operibus scholasticis operam adeo utilem posuerunt, nemo de hac Bibliotheca adornanda certior factus, campum a nobis occupatum ratus, a cœptis desistat; tantum enim abest, ut hoc nobis arrogemus, ut, si quem ex eis opera vel consilio adjuvare poterimus, id libenti facturi simus animo; cum et nos, ut aliorum consilio in re tam ardua sublevemur, cupide desideremus.

Scribebam Romæ (Borgo S. Spirito, 12) Kalendis Februarii, 1884.

Fr. EHRLE, S. J.

III. — Utrum habitus et dispositio sint species qualitatis inter se essentialiter distinctae . . 164
IV. — Utrum naturalis potentia et impotentia sint species essentialiter inter se distinctae. 166
V. — Utrum passio et passibilis qualitas specie inter se differant. 168
VI. — Utrum forma et figura specie inter se differant. 169
VII. — Utrum recte sint assignatae proprietates qualitatis . . . 170

QUÆSTIO XIII

DE RELATIONE

Art. I. — Utrum detur relatio realis. . 174
II. — Utrum relatio realis constituat unum genus generalissimum 179
III. — Utrum relatio praedicamentalis recte definiatur, cujus esse est ad aliud se habere . . . 181
IV. — Utrum fundamentum relationis sit tantum triplex, quantitas, actio et passio, mensura et mensurabile. 182
V. — Utrum relatio realiter distinguatur a fundamento . . . 187
VI. — Utrum relatio fundari possit in alia relatione 191
VII. — Utrum relativum terminetur ad absolutum, an ad relativum. 192
VIII. — Utrum unum relativum una et eadem relatione possit terminari ad terminos specie distinctos 196
IX. — Utrum unum relativum una et eadem relatione possit terminari ad terminos solo numero distinctos. 198
X. — Utrum recte sint assignatae a Philosopho proprietates relativorum 199

QUÆSTIO XIV

DE RELIQUIS SEX PRÆDICAMENTIS

Art. I. — Utrum sex ultima praedicamenta sint formae extrinsecus denominantes. 203

QUÆSTIO XV

DE POSTPRÆDICAMENTIS

Art. I. — Utrum vera sint, quae docet Philosophus de postpraedicamentis 209

(DE INTERPRETATIONE

QUÆSTIO XVI

DE QUIBUSDAM COMMUNIBUS AD PARTES ENUNTIATIONIS

Art. I. — Utrum nomina et verba seu voces significent a natura, an vero ex hominum institutione 217
II. — Utrum nomina et verba immediate significent conceptus, an voces. 220
III. — Utrum facta mutatione in re significata fiat mutatio in significatione nominis . . 224
IV. — Utrum nomen possit distinctius et clarius significare rem, quam ab imponente nomen, vel ab utente tali nomine intelligatur. 226
V. — Utrum in vocibus simplicibus, atque adeo in prima operatione intellectus sit veritas et falsitas. 228

QUÆSTIO XVII

DE PRINCIPIIS MATERIALIBUS ENUNTIATIONIS

Art. I. — De definitione nominis. . . . 234
II. — De definitione verbi. 234

QUÆSTIO XVIII

DE PRINCIPIO FORMALI ENUNTIATIONIS, QUOD EST ORATIO

Art. I. — Utrum definitio orationis a Philosopho allata sit conveniens. 237

QUÆSTIO XIX

DE ENUNTIATIONE

Art. I. — Utrum enuntiatio mentalis sit simplex actus intellectus, an compositus. 239
II. — Utrum definitio enuntiationis vocalis a Philosopho tradita sit conveniens. 243
III. — Utrum veritas sit solum in enuntiatione. 244
IV. — Utrum veritas enuntiationis sit aeterna. 245
V. — Utrum falsitas sit in enuntiatione. 247
VI. — Utrum veritas enuntiationis consistat in relatione conformitatis ad res. 248
VII. — Utrum enuntiatio sit tantum vera in ultimo instanti prolationis. 250
VIII. — Utrum enuntiationum de futuro contingenti una pars sit determinate vera, et altera determinate falsa. 252

(PRIORA

QUÆSTIO XX

DE SYLLOGISMO SIMPLICITER

Art. I. — Utrum discurrere sit ex uno

notio in alterius ignoti cognitionem venire 256
II. — Utrum syllogismus sit actus intellectus simplex, an vero compositus 258
III. — Utrum notitia rei notæ sit causa efficiens notitiæ rei ignotæ 260
IV. — Utrum recte tradita sit definitio syllogismi. 262
V. — Utrum sufficienter dividatur syllogismus in demonstrativum, dialecticum et sophisticum 263
VI. — Utrum figuræ syllogismorum sint tantum tres 264
VII. — Utrum ex majori de necessario et minori de inesse sequatur conclusio de necessario . 265

QUÆSTIO XXI

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO

Art. I. — Utrum omnis cognitio intellectiva fiat ex præexistenti cognitione sensitiva. 268
II. — Utrum cognitio principiorum fiat ex præexistenti cognitione experimentali. 269
III. — Utrum conclusio sit præcognita in præmissis, antequam ex illis deducatur per demonstrationem 272
IV. — Utrum sint tantum duæ præcognitiones: *quia est*, et *quid est* 273
V. — Utrum præcognitio *quia est* se extendat ad prædicatum . 275
VI. — Utrum præcognitio *quid sit* contineat tantum præcognitionem quid nominis, an etiam quid rei 276
VII. — Utrum præcognitio *quid sit* se extendat ad principia . . . 277
VIII. — Utrum de principiis semper sit præcognoscendum, quod sint vera. 277
IX. — Utrum semper sit præcognoscendum de subjecto, quod sit. 280

(POSTERIORA)

QUÆSTIO XXII

DE DEMONSTRATIONE SECUNDUM SE

Art. I. — Utrum divisio demonstrationis in *quia* et *propter quid* sit recte assignata. 281
II. — Utrum sit possibilis regressus demonstrativus 283

QUÆSTIO XXIII

DE DEMONSTRATIONE QUIA

Art. I. — Utrum demonstratio *quia* sit vere et absolute demonstratio. 285
II. — Utrum demonstratio *quia* procedat ex causa remota. . 286

QUÆSTIO XXIV

DE DEMONSTRATIONE PROPTER QUID

Art. I. — Utrum recte sit a Philosopho assignata definitio demonstrationis *propter quid* . . . 287

QUÆSTIO XXV

DE PRÆMISSIS DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID

Art. I. — Utrum præmissæ demonstrationis debeant esse de omni, per se et universali. 290
II. — Utrum debeant esse necessariæ et propriæ. 292
III. — Utrum sint notiores conclusione, magisque sit illis credendum, quam conclusioni 293
IV. — Utrum sint causæ efficientes conclusionis. 29
V. — Utrum major propositio sit in quarto modo dicendi per se et minor in primo. 29
VI. — Utrum major propositio prius tempore et minor simul tempore cognoscatur cum conclusione. 29

QUÆSTIO XXVI

DE MEDIO DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID

Art. I. — Utrum medium demonstrationis *propter quid* sit definitio formalis passionis, an vero causalis, quæ est definitio subjecti. 29
II. — Utrum omnia quatuor genera causarum sint apta media demonstrationis *propter quid* 30

QUÆSTIO XXVII

DE CONCLUSIONE DEMONSTRATIONIS PROPTER QUID

Art. I. — Utrum conclusio demonstrationis *propter quid* sit in quarto modo per se 3
II. — Utrum conclusio sit tota essentia demonstrationis seu syllogismi. 3

(DE SCIENTIA)

QUÆSTIO XXVIII

DE EXISTENTIA SCIENTIÆ

Art. I. — Utrum sit aliqua scientia actualis de rebus. 3

II. — Utrum scientia actualis fiat in nobis per syllogismum, seu per aliquam scientiam in nobis praeexistentem a sensibus acceptam 308
III. — Utrum necessarium sit esse habitum scientiae. 312
IV. — Utrum per unum actum generari possit habitus scientiae. 315

QUAESTIO XXIX

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD OBJECTUM

Art. I. — Utrum scientia sit tantum de universalibus 316
II. — Utrum sit tantum de necessariis. 318
III. — Utrum sit tantum de iis, quae sunt per se et non per accidens 320

QUAESTIO XXX

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD ACTUM

Art. I. — Utrum scire convenienter a Philosopho definiatur. . . . 322
II. — Utrum scire simpliciter sit tantum per causas intrinsecas 324

QUAESTIO XXXI

DE ESSENTIA SCIENTIÆ QUANTUM AD HABITUM

Art. I. — Utrum scientia habitualis sit collectio specierum intelligibilium. 325
II. — Utrum sit collectio plurium habituum, an vero sit simplex qualitas. 329
III. — Utrum recte definiatur, quod sit qualitas facilitans intellectum ad recte judicandum de re per propriam causam. 332

QUAESTIO XXXII

DE PROPRIETATIBUS SCIENTIÆ

Art. I. — Utrum sit una scientia rerum omnium. 334
II. — Utrum scientia sumat suam unitatem a subjecto ut res est, an ut scibile est 338
III. — Utrum distinctio scientiarum sumatur ex principiis, an ex subjecto 340
IV. — Utrum certitudo sit propria scientiae. 342
V. — Utrum una scientia sit alia certior 343
VI. — Utrum una scientia sit alia nobilior 346
VII. — Utrum una scientia minus certa de objecto nobiliore sit simpliciter dignior scientia certiore, sed de objecto minus nobili. 352

QUAESTIO XXXIII

DE DIVISIONE SCIENTIÆ IN PRACTICAM ET SPECULATIVAM

Art. I. — Utrum convenienter dividatur scientia in practicam et speculativam 358
II. — Utrum haec distinctio scientiae sumatur ex fine, an ex objecto. 359
III. — Utrum practicum et speculativum sint differentiae essentiales scientiae. 361
IV. — Utrum scientia speculativa sit prior practica 363
V. — Utrum scientiae speculativae praeeminent practicis. . . . 365

QUAESTIO XXXIV

DE DIVISIONE SCIENTIÆ IN PHYSICAM, MATHEMATICAM ET METAPHYSICAM, ET PRACTICÆ IN FACTIVAM ET ACTIVAM

Art. I. — Utrum scientia speculativa convenienter dividatur in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam. 356
II. — Utrum distinctio harum scientiarum sumatur ex variis abstractionibus 359
III. — Utrum Metaphysica praeeminet omnibus scientiis speculativis. 364
IV. — Quaenam scientiarum speculativarum sit certior 365
V. — Utrum convenienter scientia practica dividatur in activam et factivam 366

QUAESTIO XXXV

DE DIVISIONE SCIENTIÆ IN SUBALTERNANTEM ET SUBALTERNATAM

Art. I. — Utrum recte dividatur scientia in subalternantem et subalternatam 367
II. — Utrum scientia subalternata distinguatur essentialiter a subalternante 369
III. — Utrum scientiae practicae subalternentur speculativis. . . 371
IV. — Utrum Metaphysica subalternet sibi cæteras scientias. . 372

QUÆSTIO XXXVI

DE SCIENTIA PER COMPARATIONEM AD OPINIONEM

Art. I. — Utrum scientia differat ab opinione. 371
II. — Utrum in eodem homine de eadem conclusione possit simul esse scientia et opinio. . 373

QUÆSTIO XXXVII

DE SCIENTIA PER COMPARATIONEM AD SCIENTEM

Art. I. — Utrum scientia sit in nobis a natura 378
II. — Utrum homo appetitu naturali innato appetat scientiam 380
III. — Utrum homo appetitu naturali electo appetat scientiam 382
IV. — Utrum difficultas intelligendi oriatur partim ex rebus, partim ex intellectu. 385

Parisiis, Typis Rougier et Soc., via Cassette, 1.

P. LETHIELLEUX, Éditeur, 4, rue Cassette, Paris.

En souscription :

LA SAINTE BIBLE

TEXTE DE LA VULGATE, TRADUCTION FRANÇAISE EN REGARD

AVEC COMMENTAIRES

THÉOLOGIQUES, MORAUX, PHILOLOGIQUES, HISTORIQUES, ETC.,

RÉDIGÉS D'APRÈS LES MEILLEURS TRAVAUX ANCIENS ET CONTEMPORAINS,

BREFS de PIE IX et de LÉON XIII, approbations, et IMPRIMATUR des Ordinaires

CONDITIONS DE LA SOUSCRIPTION :

Le format est le grand in-8 raisin, à deux colonnes, sur papier fort et collé. — Le souscripteur paye les volumes au prix de faveur indiqué ci-dessous, déterminé par le nombre des livraisons. — Quelques exemplaires sur papier vergé se vendent le double. — On ne livre que des parties complètes, contenant des matières indépendantes, en volumes brochés, et l'on ne paye que les parties reçues. — Les volumes parus pourront ainsi se vendre à part, sans engagement ultérieur pour l'acquéreur, mais plus cher d'un tiers. — Il ne reste plus à paraître que les parties annoncées *en préparation*.

INTRODUCTION GÉNÉRALE, etc. (Sous presse.)

LE LANGAGE SYMBOLIQUE et le SENS SPIRITUEL des SAINTES ÉCRITURES. Partie de l'Introduction générale par LEBLANC D'AMBONNE. 2e Edit. Prix, par souscription, net 3,50
— Séparément, » 5,50

LE PENTATEUQUE. — Introduction critique et Commentaires par MM. PAGUELLE DE FOLLENAY et CRELIER. En préparation.

LE LIVRE DE JOSUÉ. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé CLAIR, prêtre du diocèse d'Autun. Traduction par M. l'abbé BAYLE, Docteur en Théologie, etc. 2e Edit. Prix, par souscription, net 1,80
— Séparément, » 2,70

LE LIVRE DES JUGES et LE LIVRE DE RUTH. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé CLAIR, Traduction par M. l'abbé BAYLE. 2e Edit. Prix, par souscription, net 2,40
— Séparément, » 3,60

LES QUATRE LIVRES DES ROIS. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé CLAIR, Traduction par M. l'abbé BAYLE. 2 forts vol. 2e Edit. Prix, par souscription, net 15,40
— Séparément, » 22,00

LES PARALIPOMÈNES. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé Clair. Traduction par M. l'abbé BAYLE. 2e Edit. Prix, par souscription, net 6,00
— Séparément, » 8,60

ESDRAS ET NÉHÉMIAS. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé CLAIR, Traduction de M. l'abbé BAYLE. Prix, par souscription, net 2,30
Séparément, » 3,40

TOBIE, JUDITH, ESTHER. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé GILLET, prêtre du diocèse de Versailles. Traduction de M. l'abbé BAYLE. 2e Edit. Prix, par souscription, net 3,50
— Séparément, » 5,00

LE LIVRE DE JOB. — Introduction critique. Traduction et Commentaires par M. l'abbé LESÊTRE, prêtre du diocèse de Paris. Prix, par souscription, (Sous presse.)

LES PSAUMES. — Introduction critique, double Traduction d'après l'Hébreu et d'après la Vulgate, et Commentaires par M. l'abbé LESÊTRE. Prix, par souscription. net 11,50
— Séparément. » 16,50

LES PROVERBES. — Introduction critique, Traduction française et commentaires par M. l'abbé LESÊTRE, du clergé de Paris. 2e Edit. Prix, par souscription, net 3,70
— Séparément, » 5,40

L'ECCLÉSIASTE. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé A. MOTAIS, prêtre de l'Oratoire de Rennes, professeur d'Ecriture Sainte au grand séminaire. 2e Edit. Prix, par souscription, net 2,40
— Séparément, 3,60

LE CANTIQUE DES CANTIQUES — Introduction critique par M. GRANDVEAU, directeur au Séminaire de Saint-Sulpice. Traduction et Commentaires par M. LEHIR, ancien directeur au même Séminaire. Prix, par souscription, net, 280
— Séparément. » 2,00

LA SAGESSE. — Introduction critique, Traduction et Commentaires par M. l'abbé LESÊTRE, prêtre du diocèse de Paris. 2e Edit. Prix, par souscription, net 2,60
— Séparément, » 3,80

L'ECCLÉSIASTIQUE. — Introduction critique, Traduction et Commentaires par M. l'abbé LESÊTRE. 2e Edit. Prix, par souscription. net 4,20
— Séparément, » 6,00

INTRODUCTION AUX PROPHÉTIES par [illegible]
Introduction générale. Prix, par souscription, net 2,40
— Séparément, » 3,60

LES QUATRE GRANDS PROPHÈTES. — Introduction critique, Traduction et Commentaires par M. [illegible], docteur de Paris, vicaire en Bretagne.

ISAIE. 2e Edit. Prix, par souscription. net 4,40
Séparément, » 6,60

JÉRÉMIE et BARUCH. 2e Edit. Prix, par souscription, net 6,00
Séparément, » 9,00

EZECHIEL... 2e Edit. net 5,40
Séparément, » 7,80

DANIEL. » 4,00
Séparément, » 5,60

LES DOUZE PETITS PROPHÈTES. Introduction critique, Traduction et Commentaires par M. [illegible] TROCHON. Prix, par souscription, » 8,00
Séparément, » 11,20

LES DEUX LIVRES DES MACHABÉES. — Introduction critique, Traduction et Commentaires par M. [illegible] CRELIER. 2e Edit. Prix, par souscription, net 4,60
— Séparément, » 6,80

INTRODUCTION AUX ÉVANGILES, par M. [illegible] FILLION [illegible] (Sous presse.)

LES QUATRE ÉVANGILES. — Introduction critique et Comment. par M. l'abbé FILLION, [illegible] d'Ecriture Sainte. Traduction par M. l'abbé BAYLE.
St MATTHIEU. 2e Edit. Prix, par souscription, net 9,00
— Séparément, 13,00
S. MARC. 2e Edit. Prix, par souscription, » 3,60
— Séparément, 5,00
St LUC. Prix, par souscription, 6,60
— Séparément, 9,40
— St JEAN. (En préparation).

SYNOPSIS EVANGELICA. Prix, par souscription, 2,40
Séparément, 3,60

LES ACTES DES APÔTRES. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé CRELIER, Traduction par M. l'abbé BAYLE. Prix, par souscription, net 5,40
— Séparément » 7,80

LES ÉPITRES DE S. PAUL. — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé DRACH, docteur en théologie, Traduction par M. l'abbé BAYLE, Prix, par souscription, net 11,40
— Séparément. » 17,10

LES ÉPITRES CATHOLIQUES DE S. JACQUES, S. PIERRE, S. JEAN, S. JUDE. Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé DRACH. Traduction par M. l'abbé BAYLE. 2e Edit. Prix, par souscription, net, 3,20
— Séparément. » 4,80

L'APOCALYPSE DE S. JEAN, — Introduction critique et Commentaires par M. l'abbé DRACH. Traduction par M. l'abbé BAYLE. 2e Edit. Prix, par souscription, net 2,20 — Séparément net, 3,30

TABLE HOMILÉTIQUE, ou THESAURUS BIBLICUS, par MERZ. 2e Edit. Prix, par souscription. net, 8,00
— Séparément net 12,00

TABLES GÉNÉRALES, alphabétique, chronologique, etc. (En préparation.)

ATLAS GÉOGRAPHIQUE et ARCHÉOLOGIQUE, pour l'étude de l'Ancien et du Nouveau Testament; 20 cartes géographiques imprimées en plusieurs couleurs, et 20 planches archéologiques teintées, avec Dictionnaire pour chaque partie. — Par M. l'abbé ANCESSI. In-4, broché, net 9,00 — relié, 12,00

ATLAS BIBLIQUE. — Partie géographique du précédent, 20 cartes teintées et Dictionnaire, broché net 5,00 — en carton, 6,00

SCRIPTURÆ SACRÆ CURSUS

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

Tempora nostra catholicis libris, qui ad S. Scripturam *illustrandam, explicandam, defendendam* valent non adeo abundare, vix quisquam est qui non affirmet; immo non pauci plura subsidia catholica multum desiderari haud immerito conqueruntur, etsi aliqua opera praeclariora iam praesto esse non diffiteantur. Quanti vero momenti sit non solum ad fidem catholicam tuendam et vindicandam, sed etiam ad omnium disciplinarum sacrarum incrementum promovendum genuina atque intima librorum sacrorum intelligentia, manifesto compertum est. Eiusmodi igitur opera quibus theologi in S. Scriptura intelligenda adiuvantur, adornare hoc nostro maxime tempore res est summae utilitatis.

Quare, aliqui Societatis Iesu presbyteri, collatis inter se consiliis, CURSUM edere S. SCRIPTURAE sibi proposuerunt, qui latino sermone conscriptus ad sacros libros explicandos et vindicandos utilem praebeat materiam scientiae huius temporis conditioni accommodatam. Ad quem finem Cursum *duabus partibus* constare voluerunt. Quarum *altera* praeter *Introductionem generalem et specialem* in omnes sacros libros complectetur tractatus illos, *qui sacram antiquitatem sacrasque linguas explicantes* viam interpretationi aperiunt, *altera* exhibebit *commentarios* in singulos libros.

Commentariorum ratio ea erit, ut, unoquoque libro in suas partes diviso, et argumento proposito, singuli sacri textus versus continuis explicationibus eluendentur, in subsidium adhibitis consultisque optimis tum antiquorum SS. Patrum tum veterum recentiorumque interpretum scriptis. Quæ ad explicationem historiam et ad aliorum sententias recensendas atque diiudicandas et ad verborum vim rationesque grammaticales enucleandas vel necessaria vel utilia fore videntur, *typis minoribus* suo quaeque loco commentariis inserentur. Ita illa eodem loco eodemque modo descripta habebuntur, quae sacri textus sensum sacrique scriptoris argumentandi rationem potissimum spectant, aliis quaestionibus historicis, archaeologicis, philologicis ipsa describendi ratione a parte principaliore distinctis.

Tomi singuli edentur nullo certo ordine servato singulique separatim venum ibunt [1]. Primum typis describentur volumina INTRODUCTIONIS HISTORICAE ET CRITICAE IN OMNES LIBROS SACROS atque COMMENTARII IN IOBUM, PROPHETAS MINORES, LIBROS REGUM; Deo favente alia volumina ita subsequentur ut bini singulis annis prodeant.

AUCTORES.

1. *Chaque ouvrage*, se vendra *séparément*, et le prix sera fixé à la mise en vente selon son importance matérielle, à raison de *vingt-cinq centimes environ*, par feuille. Quand une partie de la publication demandera *plusieurs volumes* comme l'*Introduction*, il est évident que les volumes ne pourront *se séparer*. — Nous n'ouvrirons donc pas une *souscription* proprement dite. — Néanmoins, ceux de nos clients qui voudraient recevoir régulièrement les volumes dès leur mise en vente, seront, sur leur désir exprimé, inscrits sur une liste spéciale. *(L'Editeur.)*

SOUS PRESSE :

I

HISTORICA ET CRITICA

INTRODUCTIO

IN

UTRIUSQUE TESTAMENTI LIBROS SACROS

PRÆLECTIONES

QUAS

IN GERMANIA, IN COLLEGIO B. M. V. AD LACUM, ET ROMÆ, IN UNIVERSITATE PONTIFICIA GREGORIANA

HABEBAT

Rudolphus CORNELY S. I.

Cum approbatione Superiorum

In 3 voluminibus, in-8° maiori.

Vol. I. Introductio generalis, sive de U. T. canonis, textus, interpretationis historia. — Vol. II. — Introductio specialis in singulos V. T. Libros. — Vol. III. Introductio specialis in singulos N. T. Libros.

IMPRIMATUR.

F. AUGUSTINUS BAUSA, ORD. PRÆD., *S. P. A. Magr.*

II

COMMENTARIUS IN LIBRUM IOB

Auctore Ios. KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

In uno vol., in-8° maiori.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 20 Septembris 188

✠ J. HIPP. Cardinalis GUIBERT, *Archiep. Parisien.*

SUMMA PHILOSOPHIÆ

E

D. THOMÆ AQUINATIS

DOCTRINA

TOM. I. SECT. II. — PHYSICÆ PARS PRIMA.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti, O. P.

S. P. A. Magister.

CONSPECTUS

TOTIUS OPERIS

TOMI TRES, IN SEX SECTIONES DIVISI

TOMUS I	Sectio i. — Logica
	Sectio ii. — Physica, pars prima
TOMUS II	Sectio iii. — Physica, pars secunda
	Sectio iv. — Physica, pars tertia
TOMUS III	Sectio v. — Ethica
	Sectio vi. — Metaphysica

BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
SELECTA APUD [illegible]
A FRANCISCO EHRLE S. J.

SUMMA PHILOSOPHIÆ

EX VARIIS LIBRIS

D. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN ORDINEM CURSUS PHILOSOPHICI

ACCOMMODATA

A COSMO ALAMANNO, S. J.

EDITIO JUXTA ALTERAM PARISIENSEM VULGATAM A CANONICIS REGULARIBUS ORD. S. AUG. CONGREGATIONIS GALLICANÆ

ADORNATA

A FRANCISCO BERINGER, SOC. JES. PRESB.

TOMI I SECTIO II. — PHYSICÆ PARS PRIMA

PARISIIS, MDCCCLXXXVIII
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, BIBLIOP.-EDITORIS
4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75
ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ ET NEO-EBORACI.

BREVE SS. DOMINI NOSTRI LEONIS PP. XIII

datum ad clar. virum Fredericum PUSTET S. Sedis Apostolicæ typographum (1).

LEO PP. XIII

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratum fuit Nobis ex tuis litteris agnoscere optimum consilium a te susceptum typis edendi Summam Philosophicam D. Thomæ Aquinatis, quam olim Cosmus Alamannus Societatis Jesu Theologus ex immortalibus scriptis Angelici Doctoris contexuit et in lucem emisit, in ordinem philosophicæ institutionis redigens omnes philosophiæ partes, quas idem Angelicus Doctor in suis operibus insigni sapientiæ luce refertis pertractavit. Nos quidem, Dilecte Fili, magno in pretio hoc opus habemus, in quo non modo summi Aquinatis Magistri philosophicæ doctrinæ Ejusdem verbis propositæ sunt, sed et in ipsis conclusionibus, quæ ab Eo sunt depromptæ, argumenta Ejus plene ac fideliter afferuntur, quæ, dum illas philosophica methodo demonstrant, eos opportune refellunt, qui Angelicum Doctorem non rationum momentis, sed auctoritate Aristotelis unice innixum fuisse contendunt; ac merito putamus, philosophiæ cultores ex eodem opere, quod doctorum hominum illustria testimonia commendarunt, posse feliciter veluti ex sincero fonte Magni Doctoris sapientiam haurire. Quapropter jucundum est Nobis, te, ut tuis litteris significas, statuisse omnes tuas curas ad ejusdem operis editionem diligenter accurateque adornandam, adhibita etiam doctorum virorum opera, conferre, et commodis eorum inservire, qui, Nostris hortationibus obsequentes, viam solidæ sapientiæ inter tot tenebras a fallaci philosophia offusas consectantur. Cum hoc tuum consilium, Dilecte Fili, in optimorum studiorum utilitatem redundet, Nos illud Nostris hisce Litteris ultro commendamus, minime dubitantes, quin ii omnes, qui veram scientiam diligunt, tuæ industriæ ac labori libentissime suffragentur. Adprecantes autem divinam benignitatem, ut tuæ optimæ voluntati propitia adsit, Apostolicam Benedictionem, quam postulas, in testimonium paternæ dilectionis tibi tuæque familiæ peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die XVII Aprilis 1883.

Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

(1) De hoc Brevi vide tom. I. sect. I. pag. VIII.

BREVIS CONSPECTUS

SCRIPTORUM S. THOMÆ

QUÆ IN EDITIONE ROMÆ AN. 1570 VULGATA

CONTINENTUR

Summa Theologiæ; 1a (scil. prima pars), 1a 2æ (scil. prima pars secundæ partis), 2a 2æ (scil. secunda pars secundæ partis), 3a (scil. tertia pars).

Summa contra Gentiles; ll. 4 c. Gent.

Quæstiones disputatæ de potentia Dei, de malo, de spiritualibus creaturis, de anima, de unione Verbi, de virtutibus in communi, de caritate, de correctione fraterna, de spe, de virtutibus cardinalibus, de veritate.

Quodlibeta 12.

Scriptum in 4 libros Sententiarum.

Commentarii in 2 lib. Perihermenias, in 2 lib. Posteriorum Analyticorum, in 8 lib. Physicorum, in 3 lib. de Cœlo et Mundo, in lib. de Generatione et Corruptione, in 4 lib. Meteorum, in 3 lib. de Anima, in lib. de Sensu et Sensato, de Memoria et Reminiscentia, de Somno et Vigilia*, de Somniis*, de Divinatione per Somnum*, in 12 lib. Metaphysicorum, (de causis), in 10 lib. Ethicorum, in 8 lib. Politicorum.

Opuscula : 1. Contra errores Græcorum. — 2. Compendium theologiæ. — 3. Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos, Armenos et Saracenos. — 4. De duobus præceptis charitatis. — 5. De articulis fidei et sacramentis ecclesiæ. — 6. Expositio super symbolum Apostolorum. — 7. Expositio orationis dominicæ. — 8. Expositio salutationis angelicæ. — 9. Responsio de 108 articulis*. — 10. Responsio de 42 articulis. — 11. Responsio de 36 articulis. — 12. Responsio de 6 articulis ad lectorem Bisuntin. — 13. De differentia divini verbi et humani. — 14. De natura verbi intellectus. — 15. De substantiis separatis. — 16. De unitate intellectus contra Averroistas. — 17. Contra retrahentes a religionis ingressu. — 18. De perfectione vitæ spiritualis. — 19. Contra impugnantes Dei cultum et religionem. — 20. De regimine principum. — 21. De regimine Judæorum. — 22. De forma absolutionis. — 23. Expositio primæ decretalis. — 24. Expositio super secundam decretalem. — 25. De sortibus. — 26. De judiciis astrorum. — 27. De æternitate mundi. — 28. De fato. — 29. De principio individuationis. — 30. De ente et essentia. — 31. De principiis naturæ. — 32. De natura materiæ et dimensionibus interminatis. — 33. De mistione elementorum. — 34. De occultis operibus naturæ. — 35. De motu cordis. — 36. De instantibus. — 37. De quatuor oppositis. — 38. De demonstratione. — 39. De fallaciis. — 40. De propositionibus modalibus. — 41. De natura accidentis. — 42. De natura generis*. — 43. De potentiis animæ*. — 44. De tempore. — 45. De pluralitate formarum*. — 46. De dimensionibus interminatis. Cf. n. 32. — 47. De natura syllogismorum*. — 48. Summa totius Logicæ Aristot. *. — 49. De sensu resp. singularium et intellectu resp. universalium*. — 50. De inventione medii*. — 51. De natura luminis*. — 52. De natura loci*. — 53. De intellectu et intelligibili*. — 54. De quo est et quod est*. — 55 et 56. De universalibus*. — 57. Officium de festo corp. Chr. — 58. De sacramento altaris*. — 59. De sacramento eucharistiæ*. — 60. De humanitate J. Chr.*. — 61. De dilectione Chr. et proximi*. — 62. De divinis moribus*. — 63. De beatitudine*. — 64. De modo confitendi*. — 65. De officio sacerdotis*. — 66. Expositio missæ*. — 67. De emptione et venditione ad tempus*. — 68. Epistola de modo acquirendi scientiam*. — 69. Expositio in lib. Boethii de hebdomadibus. — 70. Quæstiones in lib. Boethii de Trinitate. — 71. De vitiis et virtutibus*. — 72. De concordantiis*. — 73. De usuris*.

Expositio : in Job, in Psalmos, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Jeremiam, in Threnos, [in Matthæum et Joannem]; Catena aurea in quatuor evangelia; expositio in epist. S. Pauli, in Genesim*; in Danielem*, in lib. Machabæorum *, in epist. canonicas *.

SUMMÆ
PHILOSOPHICÆ
E DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI
DOCTRINA
PRIMA SECUNDÆ

Post considerationem rerum logicarum, quæ non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad scientias præsertim speculativas, cum Logica speculationi ministret sua instrumenta, syllogismos nimirum et definitiones et alia hujusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus; sequitur, ut scientiarum speculativarum, Physicæ præsertim et Metaphysicæ tractationem aggrediamur. Et quoniam, ut dicit Philosophus (1. *Phys.* initio), innata est nobis via, ut a notioribus nobis ad notiora naturæ progrediamur; quoad nos autem prior est naturalis Philosophia quam scientia divina, ideo primum agemus de illa, tum de hac.

QUÆSTIO I.

DE PHILOSOPHIA NATURALI.

Circa Philosophiam naturalem necessarium est primo investigare, qualis sit et ad quæ se extendat.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR

QUINQUE :

1. Utrum sit scientia.
2. Utrum sit una vel plures.
3. Utrum sit speculativa vel practica.
4. Utrum sit de his, quæ sunt in motu et in materia.
5. Quod sit subjectum ejus.

ARTICULUS I

UTRUM PHILOSOPHIA NATURALIS SIT SCIENTIA

Videtur quod Philosophia naturalis non sit scientia.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 21 et 43; c. 8 et 31, et 6. *Ethic.* c. 6), quod scientia est universalium, non autem singularium; sed Philosophia naturalis est de singularibus; est enim de his, quæ sunt in materia, quæ est principium individuationis : ergo Philosophia naturalis non est scientia. — 1. *Poster.* l. 16 (15) et 42 (40); *Opusc.*, 70, q. 5, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5 et 44; c. 2 et 33, et 6. *Ethic.* c. 6), quod scientia non est de contingentibus, sed de necessariis; sed Philosophia naturalis est de contingentibus; est enim de rebus mobilibus, et quoad aliquam partem est de generabilibus et corruptibilibus; omne autem, quod movetur, generatur et corrumpitur, in quantum hujusmodi, est contingens : ergo Philosophia naturalis non est scientia (1. *Poster.* l. 4, al. 3, et 44, al. 42; 6. *Ethic.* l. 5; *Opusc.* 70, l. c., arg. 4). — Sed dices, quod est scientia de rebus generabilibus et corruptibilibus et mobilibus, quatenus in illis sunt rationes quædam ingenerabiles et immobiles. — 1a, q. 84, a. 1, ad 3 et q. 86, a. 3, *Sed contra.*

3. Sed contra, quia etiam tales rationes non sunt omnes in Philosophia naturali immobiles

et necessariæ, sicut est lunæ defectus et hominem habere duas manus et in singulis quinque digitos ; ergo. — 1. *Poster.* l. 16 (15).

4. Præterea, Philosophia naturalis est de his, quæ sunt in materia; sed de his non potest esse scientia; nam hæc pertinet ad intellectum, qui intelligit abstrahendo a materia et conditionibus materiæ; ergo Philosophia naturalis non est scientia. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, arg. 2; 1. *Phys.* l. 1.

5. Præterea, Philosophia naturalis tota fundatur in sensuum cognitione; propterea enim versatur circa res sensibiles et ex effectibus sensibilibus demonstrat; sed sensuum cognitio est valde incerta et pluribus erroribus obnoxia : ergo Philosophia naturalis non est scientia. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2; 4. *Metaphys.* l. 14 (3).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys.* text. 1; c. 1; 3. *Phys. text.* 24; c. 4; 1. *de Cœlo text.* 1; c. 1; 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7) Philosophiam naturalem vocat scientiam. — 1. *Phys.* l. 1; 1. *de Cœlo*, l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7.

Respondeo dicendum, quod Philosophia naturalis est scientia; — quod potest esse manifestum ex tribus : *primo*, ex definitione scientiæ, quia ut colligitur ex Philosopho (1 *Poster. text.* 5; c. 1, et 1 *Phys. text.* 1), illa doctrina est scientia, in qua res, circa quam versatur tamquam circa subjectum, evidenter cognoscitur per suas causas, per quas est; hoc autem contingit in Philosophia naturali; nam in illa res, de quibus agit, per proprias causas, per quas sunt, evidenter cognoscuntur, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 1; c. 1, et 2. *Phys. text.* 72; c. 7.) — *Secundo*, ex modo procedendi scientifico, puta per demonstrationem; scientia enim demonstrat per causas præsertim intrinsecas, ut dictum est (in Logica q. 30, a. 2); Physica autem, ut docet Philosophus (2. *Phys.* l. c.), sicut considerat omnes causas tam intrinsecas quam extrinsecas, ita per omnes illas demonstrat. — *Tertio*, ex subjecto; subjectum enim scientiæ, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 25; c. 10), est illud, quod habet propria principia et causas et passiones, quæ de ipso per illas probantur; sunt autem hujusmodi res naturales, de quibus agit naturalis Philosophia tamquam de subjecto. Sic enim Philosophus postquam in 1. et 2. *Phys.* egit de principiis et causis rerum naturalium, in reliquis sex libris agit de passionibus illarum, scilicet de quantitate, motu, loco et tempore. Unde manifestum est, Philosophiam naturalem esse vere scientiam. — 1. *Poster.* l. 5 (4) et 18 (17); 1. *Phys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 10 (11).

Ad primum ergo dicendum, quod materia non est principium individuationis, nisi secundum quod est sub dimensionibus determinatis existens; at scientia naturalis a materia sic considerata abstrahit. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, sicut dictum est in objectione, quod scientia naturalis est de mobilibus et corruptibilibus, secundum quod in eis reperiuntur rationes quædam immobiles et necessariæ, non autem quatenus generationi, corruptioni et mutabilitati subduntur. Scientia enim dupliciter est de aliquo : *uno modo*, primo et principaliter, et hoc modo est scientia de rationibus universalibus, super quas fundatur. *Alio modo*, secundario et quasi per reflexionem quandam et per accidens, ut dicitur 1. *Poster. text.* 21; c. 8, et hoc modo est scientia de rebus illis, quarum sunt illæ rationes, quatenus rationes illas applicat ad res etiam particulares. Ratione enim universali utitur sciens et ut re scita et ut medio sciendi; per universalem enim rationem hominis possum judicare de hoc vel de illo; rationes autem rerum omnes sunt immobiles et necessariæ; et ideo quantum ad hoc, omnis scientia est de necessariis; sed rerum, quarum sunt illæ rationes, *quædam* sunt necessariæ et immobiles, *quædam* contingentes et mobiles; et quantum ad hoc, de rebus contingentibus et mobilibus dicuntur esse scientiæ. — *Ibid.* ad 4 et in c.; 1a, q. 84, a. 1, ad 3 et q. 86, a. 3, c.; 6. *Ethic.* l. 3; 1. *Poster.* l. 16 (15).

Ad tertium dicendum quod omnes demonstrationes, quæ in Physica sunt de rebus, quæ aliter esse possunt, sunt de illis, secundum quod aliter se habere non possunt, ut v. g. de defectu lunæ et de similibus. Est tamen differentia inter illa; nam *quædam* non sunt semper secundum tempus, sunt autem semper per comparationem ad causam, quia numquam deficit, quin posita tali causa sequatur effectus, sicut patet in exemplo lunæ; numquam enim deficit, quin semper sit lunæ eclipsis, quandocumque terra diametraliter interponitur inter solem et lunam. In *quibusdam* vero contingit, quod non semper sunt etiam per comparationem ad causam, quia videlicet

causæ impediri possunt; non enim semper ex semine hominis generatur homo duas manus vel quinque digitos in singulis membris habens, sed quandoque fit defectus vel propter impedimentum causæ agentis vel materiæ. In utrisque tamen ita ordinandæ sunt demonstrationes, ut ex universalibus propositionibus inferatur conclusio universalis, removendo illa, in quibus potest esse defectus vel ex parte temporis vel ex parte causæ. — 1. *Poster.* l. 16 (15).

Vel dic, quod omnimoda certitudo, sicut est in mathematicis, non debet requiri in omnibus rebus, de quibus sunt scientiæ, sed debet solum requiri in his, quæ non habent materiam. Ea enim, quæ habent materiam, subjecta sunt motui et variationi; et ideo non potest in eis omnibus omnimoda certitudo haberi; quæritur enim in eis non quid semper sit et ex necessitate, sed quid sit ut in pluribus; et ideo non est quærenda in scientia naturali, quæ est de rebus mobilibus, maxima certitudo, sicut reperitur in mathematicis, quippe quæ sunt abstracta a materia et non sunt excedentia intellectum nostrum. — 2. *Metaphys.* l. 5; v. Sotum *Quæst. in* 1. *Phys.*, q. 1, concl. 2.

Ad quartum dicendum, quod forma intelligibilis est quidditas rei, objectum autem intellectus est quid, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 12 et sq.; c. 4); quidditas autem compositi universalis, ut hominis vel animalis, includit in se materiam universalem, non particularem, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 12; l. 6, c. 4. Unde communiter intellectus abstrahit a materia signata et conditionibus illius, non autem a materia communi in scientia naturali, quamvis etiam hæc non consideret materiam, nisi in ordine ad formam; unde etiam forma per prius est de consideratione scientiæ naturalis quam materia. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod nullus sensus de proprio objecto decipitur, sicut visus non decipitur de colore, et ideo judicium sensus de sensibili proprio est determinatum : unde oportet determinatam veritatem esse in rebus et possibilem esse scientiam illarum. Quod si aliquando circa sensibilia propria contingit error, hoc non est ex sensu, sed ex phantasia, per cujus indispositionem aliquando accidit, quod id, quod per sensum accipitur, aliter ad ipsam perveniat, quam sensu percipiatur, sicut patet in phreneticis, in quibus organum phantasiæ est læsum. — 4. *Metaphys.* l. 14 (3).

ARTICULUS II

UTRUM PHILOSOPHIA NATURALIS SIT SCIENTIA UNA VEL PLURES.

Videtur quod Philosophia naturalis sit una scientia, non autem plures.

1. Dicit enim Philosophus (11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7), quod quædam scientia est de natura, loquens de Philosophia naturali, sed particula *quædam* est signum unius scientiæ : ergo Philosophia naturalis est una scientia, non plures. — 11. *Metaphys.* l. 7.

2. Præterea, unitas et diversitas scientiarum oritur ex unitate et diversitate principiorum, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 42 ; c. 28); sed omnia entia naturalia conveniunt in principiis (omnia enim definiuntur per ordinem ad materiam sensibilem in communi, ut dicit Philosophus 11. *Metaphys.* l. c.) : ergo Philosophia naturalis est una scientia, non plures. — 1. *Poster.* l. 41 (39); 11. *Metaphys.* l. 7; 1. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, scientia est una, ut dicit Philosophus (1, *Poster.* l. c.), ex unitate generis scibilis; sed Philosophia naturalis considerat unum subjectum scibile, puta ens mobile : ergo Philosophia naturalis est una scientia, non plures. — 1. *Poster.* l. 41 (39); 6. *Metaphys.* l. 1. et alibi.

Sed contra est : 1. Quod scientiæ, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 38; c. 8), secantur sicut res; sed res, de quibus agit Philosophia naturalis, sunt multiplices et variæ; nam agit de corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus, et sub illis continentur corpora simplicia, mixta, viventia, animalia et homo : ergo Philosophia naturalis non est una scientia, sed plures. — 3. *de Anima* l. 13; *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 7.

2. Præterea, diversitas actuum causata ex diversitate medii ostendit diversitatem scientiarum, ut dictum est (in Logica, q. 1, a. 3, c. et arg. 5); sed actus, quibus generatur Philosophia naturalis, procedunt ex variis mediis, quibus ad diversas conclusiones pervenitur; cum enim demonstrationis medium sit definitio, et hæc realiter sit eadem cum definito, necesse est, quod procedant ex variis definitionibus pro varietate et multiplicitate rerum naturalium, quas Philosophia naturalis considerat : ergo Philosophia naturalis non est una scientia, sed plures.

Respondeo dicendum, quod Philosophia naturalis non est plures scientiæ, sed tantum una, genere tamen, non specie. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod sicut scientia est una numero a subjecto, in quo est, ita est una genere vel specie a subjecto scibili; sicut similiter est una scientia diversa ab altera ex diversa ratione scibilis. Scibili autem, secundum quod est objectum speculativæ potentiæ *aliquid* competit ex parte potentiæ intellectivæ, et *aliquid* ex parte habitus scientiæ, quo intellectus perficitur. Ex parte quippe *intellectus* competit ei, quod sit immateriale, quia et ipse intellectus est immaterialis; ex parte vero *scientiæ* competit ei, quod sit necessarium, quia scientia de necessariis est, ut probatur 1. *Poster.*; omne autem necessarium, in quantum hujusmodi, est immobile, quia omne quod movetur, in quantum hujusmodi, possibile est esse et non esse, vel simpliciter vel secundum quid ut, dicitur 11. (10) *Metaphys.* Sic igitur scibili, quod est objectum speculativæ scientiæ, cujusmodi est Philosophia naturalis, ut dicemus, per se competit separatio et a materia et a motu, vel applicatio ad ea, et ideo ex unitate abstractionis Philosophia naturalis est *una scientia;* abstrahunt enim omnes res naturales, quas illa considerat, a materia sensibili signata.

Est autem *una scientia genere* ex abstractione earundem rerum, quæ itidem una genere est. Significat enim abstractio physica remotionem et independentiam a materia sensibili signata; quæ independentia varias et multiplices species remotionum et abstractionum continet juxta specie differentes independentias formarum naturalium a materia. Forma namque rationalis, licet sit dependens a materia et ab illa sustentetur, secundum quod est forma hujus, habens esse in hoc, est tamen independens ab illa, et per consequens ab illa non sustentatur secundum esse simpliciter. Nam ipsa sola subsistit in corpore, cum ipsa sola per se operetur, separetur a corpore et in operando cum illo non communicet. Unde et habet duplicem modum essendi : *unum* quatenus subsistit; *alterum*, quatenus est actus talis subjecti. Quod secus est in cæteris formis naturalibus, quarum nulla subsistit, quæ habeat modum alium distinctum a modo subjecti, cum non habeant esse, nisi quatenus sunt actus talis subjecti. Et illa magis abstrahit a materia quam hæ, cum illa in sua operatione nec egeat organo corporeo nec ulla corporea qualitate, per quæ exerceatur, cum tamen reliquæ formæ naturales *vel* sint omnino immersæ in materia, ut formæ inanimatæ, *vel* egeant organo in operando, ut formæ sensitivæ, *vel* præter organum egeant qualitate corporea, ut formæ vegetativæ. — Unde manifestum est, quod abstractio rerum naturalium est *una genere*, et per consequens et ipsa Philosophia naturalis, quæ et unitatem et modum unitatis sumit a subjecto scibili, ut dictum est. — 5. *Methaphys.* l. 5 (4).. *de Pot.* q. 3, a. 9. c.; 1a, q. 75, a. 3, c. et q. 118, a. 1, 2, 3, c. et q. 78, a. 1, c.

Ex his patet *ad priora objecta*, quæ tantum probant, Philosophiam naturalem esse unam scientiam genere, sicut probatum est.

Ad primum ergo *posterioris partis* dicendum, quod scientiæ dividuntur per res, ut scibiles sunt, ut dictum est (supra in corp.). Sensus autem Philosophi est, quod scientia et sensus condividuntur in res, scilicet dividuntur in actum et potentiam, quemadmodum et res, quia nimirum sensus et scientiæ in potentia ordinantur ad sensibilia et scibilia in potentia; sensus vero et scientia in actu ordinantur ad sensibilia et scibilia in actu. — 3. *de Anima* l. 13.

Vel dic, quod materialis diversitas objecti non diversificat scientiam vel habitum, sed solum formalis; cum ergo scibile sit proprium objectum scientiæ, non diversificabuntur scientiæ secundum diversitatem materialem scibilium, sed secundum diversitatem eorum formalem. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia et modos cognoscendi, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia non erunt jam diversa, in quantum scibilia sunt; sunt enim per sua principia scibilia. Sicut patet, quod voces humanæ multum differunt secundum suam naturam a sonis inanimatorum corporum, sed quia secundum eadem principia attenditur consonantia in vocibus humanis et in sonis inanimatorum corporum, eadem est scientia musica, quæ de utrisque considerat. Si vero sint aliqua eadem secundum naturam, et tamen per diversa principia considerentur, manifestum est, quod ad diversas scientias pertinent, sicut corpus mathematicum non est separatum subjecto a corpore naturali; quia tamen corpus mathematicum cognoscitur

per principia quantitatis, corpus autem naturale per principia motus, non est eadem scientia Geometriæ et naturalis. Quia ergo omnia corpora naturalia, quæ considerantur in Physica, eodem modo generico cognoscuntur et per eadem principia genere, ideo scientia physica est una genere, sed plures specie, sicut et Mathematica; nam utriusque scientiæ genus scibile distinguitur in diversas species scibilium secundum diversos modos et rationes cognoscibilitatis. — 1. *Poster.* l. 41 (39) et 25 (24).

Ad secundum dicendum, quod, quia omnia media demonstrationum physicarum, ut dictum est (in corp.), involvunt materiam sensibilem in communi et secundum se, et abstrahunt a materia sensibili signata, ideo generice conveniunt in abstractione generica subjecti scibilis, ac proinde eandem bonitatem communicant ipsi scientiæ physicæ.

ARTICULUS III

UTRUM PHILOSOPHIA NATURALIS SIT SCIENTIA SPECULATIVA VEL PRACTICA.

Videtur quod Philosophia naturalis non sit scientia speculativa, sed practica.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Metaphys.* c. 2), quod sola Methaphysica est sui gratia; sed esse sui gratia est proprium scientiæ speculativæ, ut ait Philosophus ibidem : ergo Philosophia naturalis non est scientia speculativa. — 1. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea scientia Medicinæ est quædam pars Philosophiæ naturalis; sed Medicina est operativa, non autem speculativa : ergo Philosophia naturalis non est scientia speculativa. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, arg. 5.

3. Præterea scientia principiorum naturalium primis duobus libris Physicorum contenta est pars Philosophiæ naturalis, ut docet Philosophus (1. *Phys.* initio); sed illa non est speculativa ; nam scientia speculativa est propter se ipsam, et illa refertur alio, puta ad cognitionem eorum, quæ continentur in reliquis libris Physicorum, et totius Philosophiæ naturalis. Nam cum res ita se habeat ad cognosci, sicut ad esse, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1); sicut principium est propter id, quod est a principio, tamquam pars propter totum, ita cognitio principii est propter cognitionem ejus, quod est a principio : ergo saltem tota Physica non est scientia speculativa. — 1. Phys. l. 1; 1. *Metaphys.* l. 2; 2. *Metaphys.* l. 2; *Tabula Aurea* voce « pars » n. 20 et 21.

Sed contra est, quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7) dicit et probat, quod Philosophia naturalis est scientia speculativa. — 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7.

RESPONDEO DICENDUM, quod cum Philosophia naturalis sit quædam particularis scientia de natura, oportet, quod sit altera a scientia activa et factiva seu a scientia practica; omnis enim scientia practica vel est activa vel factiva. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod agere et facere differunt; nam agere proprie dicitur secundum operationem, quæ permanet in agente et non transit in materiam exteriorem, sicut intelligere, sentire, eligere et hujusmodi; facere autem est secundum operationem transeuntem in materiam exteriorem, quæ mutatur, sicut calefacere, secare et alia hujusmodi. Est ergo scientia activa, ex qua instruimur ad recte exercendum operationes, quæ actiones dicuntur, sicut est scientia moralis ; factiva autem scientia est, per quam recte aliquid facimus, sicut ars fabrilis et cæteræ artes mechanicæ, quæ propterea scientiæ factivæ dicuntur. Ab utraque autem harum operativarum scientiarum scientia naturalis altera est; nam factivæ scientiæ non habent principium motus in facto, quod est artificiatum, sed in faciente. Et hoc principium rerum artificialium in faciente est *primo* intellectus, qui primo artem adinvenit; *secundo* ars, quæ est habitus intellectus, et est principium sicut dirigens; *tertio*, aliqua potentia exequens sicut potentia motiva, per quam artifex exequitur conceptionem artis. Et similiter scientiæ activæ non habent principium in eo, quod agitur, sed magis in agentibus; hoc autem principium est electio; idem enim est agibile et eligibile; sed illa, quæ pertinent ad considerationem scientiæ naturalis, sunt habentia principium motus in ipsis, cum natura sit principium motus in eo, in quo est. Manifestum igitur est, quod scientia naturalis non est activa neque factiva, sed speculativa; necesse enim est, quod scientia naturalis cadat in unum aliquod horum generum, ut inquit Philosophus (11. *Metaphys.* c. 8), eo quod scientia sufficienter dividitur in illa tria membra. — 6. *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod dupliciter potest intelligi, quod sola Metaphysica est inter scientias sui gratia. *Uno modo*, quod particula *sola* demonstret in genere omnem scientiam speculativam; et tunc verum est, quod hoc solum genus scientiarum per se ipsum quæritur; unde et illæ solæ artes liberales dicuntur, quæ ad sciendum ordinantur; illæ vero, quæ ordinantur ad aliquam utilitatem per actionem habendam, dicuntur mechanicæ sive serviles. *Alio modo*, ut specialiter demonstret istam Philosophiam sive sapientiam, quæ est circa altissimas causas; et quia inter altissimas causas etiam est causa finalis, oportet quod hæc scientia consideret ultimum et universalem finem omnium; et sic omnes aliæ scientiæ in illam ordinantur, sicut in finem, unde sola ista maxime propter se est. — 1. *Metaphys.* l. 3 (2).

Ad secundum dicendum, quod aliqua scientia continetur sub alia dupliciter : *uno modo*, ut pars ipsius, quia scilicet subjectum ejus est aliqua pars subjecti illius, sicut planta est quædam pars corporis naturalis, unde et scientia de plantis continetur sub naturali scientia ut pars. *Alio modo* continetur una scientia sub alia, ut ei subalternata, quando scilicet in superiori scientia assignatur *propter quid* eorum, de quibus scitur in inferiori scientia solum *quia*, sicut Musica continetur sub Arithmetica. Medicina igitur non continetur sub Physica ut pars ; subjectum enim Medicinæ non est pars subjecti scientiæ naturalis secundum illam rationem, qua est subjectum Medicinæ; quamvis enim corpus sanabile sit corpus naturale, non tamen est subjectum Medicinæ, prout est sanabile a natura, sed prout est sanabile per artem. Sed quia in sanatione, quæ fit per artem, ars est ministra naturæ, quia ex aliqua naturali virtute sanitas perficitur auxilio artis, inde est, quod *propter quid* de operatione artis oportet accipere ex proprietatibus rerum naturalium, et propter hæc Medicina subalternatur Physicæ; et eadem ratione Alchimia et agricultura et reliqua hujusmodi. Unde relinquitur, quod Physica secundum se et secundum omnes partes ejus est speculativa, quamvis aliquæ operativæ subalternentur illi, licet non ita proprie, ut dictum est (in Logica q. 35, a. 3). — *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod sola extensio ad opus facit scientiam vel habitum practicum, sicut et intellectum, ut dictum est (in Logica q. 1, a. 4). Sic enim Philosophus (2. *Metaphys. text.* 3 ; l. 1 min., c. 1) scientias speculativas et practicas ex fine distinguens ait, speculativarum finem esse veritatem, practicarum vero opus; constat autem, nullam Philosophiæ naturalis partem ad opus ordinari, sed ad solam cognitionem, ut docet Philosophus 6. *Metaphys. text.* 1 et 2; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7. — 2. *Metaphys.* l. 2 et ll. cit. in c.

ARTICULUS IV.

UTRUM PHILOSOPHIA NATURALIS SIT DE HIS, QUÆ SUNT IN MOTU ET MATERIA.

Videtur quod Philosophia naturalis non sit de his, quæ sunt in motu et materia.

1. Materia enim est principium individuationis; sed nulla scientia est de individuis, sed de solis universalibus, ut dictum est (in Logica q. 29, a. 1) ex Philosopho : ergo scientia naturalis non est de his, quæ sunt in materia. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, in scientia naturali agitur de primo motore, ut patet 8. *Phys.;* sed ipse est immunis ab omni materia : ergo scientia naturalis non est de his, quæ sunt in materia. — L. c. arg. 3.

3. Præterea, nullum universale movetur; homo enim universalis non sanatur, sed *hic* homo, ut dicitur in principio *Metaphysicæ.;* sed omnis scientia est de universalibus : ergo scientia naturalis non est de his, quæ sunt in motu. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, in scientia naturali determinatur de quibusdam, quæ non moventur, sicut est anima, ut probatur in 1. *de Anima*, et terra, ut probatur in 2. *de Cœlo;* et omnes formæ naturales non fiunt nec corrumpuntur; et eadem ratione non moventur nisi per accidens, ut probatur in 7. (6) *Metaphys. :* ergo non omnia, de quibus agit Philosophia naturalis, sunt in motu. — *Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, omnis creatura est mutabilis, cum natura immutabilis soli Deo conveniat, ut dicit Augustinus; ergo si ad naturalem pertinet consideratio de his, quæ sunt in motu, ejus erit considerare de omnibus creaturis, quod est falsum. — *Ibid.* arg. 7.

Sed contra est : 1. Auctoritas Philosophi (2. *Phys.* et 6. al. 5. *Metaphys*). — *Ibid. Sed contra.*

2. Præterea, ad Philosophiam naturalem pertinet de rebus naturalibus determinare; sed res

naturales sunt, in quibus est principium motus; ubicumque autem est motus, oportet esse materiam, ut dicitur 10. (9) *Metaphys.* : ergo scientia naturalis est de his, quæ sunt in materia et motu. — *Ibid.*

3. Præterea, de his, quæ sunt in motu et materia, oportet esse aliquam scientiam speculativam; alias non esset perfecta divisio Philosophiæ, quæ est cognitio entis; sed nulla alia scientia speculativa est de his, quia nec Metaphysica nec Mathematica : ergo de his est scientia naturalis. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod propter difficultatem hujus quæstionis coactus fuit Plato ponere ideas. Cum enim, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.*) crederet, omnia sensibilia semper in fluxu esse secundum opinionem Cratili, et ita existimaverit, scientiam, de ipsis esse non posse, posuit quasdam substantias a sensibilibus separatas, de quibus essent scientiæ et darentur definitiones. Sed hic defectus accidit ex eo, quod non distinxit, quod est *per se*, ab eo, quod est *secundum accidens;* et ideo secundum accidens falluntur plerumque etiam sapientes, ut dicitur 1. *Elench.* Ut autem probatur in 8. (7) *Metaphys.*, cum in natura sensibili inveniatur et ipsum integrum, id est compositum, et ratio, id est forma ejus, — per se quidem generatur et corrumpitur ipsum compositum, non autem ratio sive forma, sed *per accidens;* non enim fit, nec fieri dicimus domum esse, sed hanc domum, ut ibi dicitur. Unumquodque autem potest considerari sine omnibus his, quæ ei non per se comparantur; et ideo formæ et rationes rerum, quamvis in motu existentium, prout in se considerantur, sine motu sunt; et sic de eis sunt scientiæ et definitiones, ut ibidem Philosophus dicit. Et per consequens scientiæ sensibilium substantiarum non fundantur super cognitione aliquarum substantiarum separatarum a sensibilibus, ut ibidem probatur.

Hujusmodi autem rationes, quas considerant scientiæ, quæ sunt de rebus, cum considerentur absque motu, oportet etiam, quod considerentur absque illis, secundum quæ competit motus rebus mobilibus. Cum autem omnis motus tempore mensuretur, et primus motus sit motus localis, quo remoto nullus alius motus inest, oportet, quod secundum hoc sit aliquid mobile, quod est hic et nunc; hoc autem sequitur rem ipsam mobilem, secundum quod est individuata per materiam existentem sub dimensionibus designatis. Unde oportet, quod hujusmodi rationes, secundum quas de rebus mobilibus possunt esse scientiæ, considerentur absque materia signata et absque omnibus his, quæ consequuntur materiam signatam; non autem absque materia non signata, quia ex ejus notione dependet notio formæ, quæ determinat sibi materiam. Et ideo ratio hominis, quam significat definitio secundum quam procedit scientia, consideratur sine his carnibus et sine his ossibus, non autem sine carnibus et sine ossibus absolute. Et quia singularia includunt in sui ratione materiam signatam, universalia vero materiam communem, ut dicitur 7. (6) *Metaphys.* : ideo præcipua abstractio non dicitur formæ a materia absolute, sed universalis a particulari. Possunt igitur hujusmodi rationes sic abstractæ dupliciter considerari; *uno modo*, secundum se et sic considerantur sine motu et materia signata, et hoc non invenitur in eis, nisi secundum esse, quod habent in intellectu. *Alio modo*, secundum quod comparantur ad res, quarum sunt rationes, quæ quidem res sunt in materia et motu, et sic sunt principia cognoscendi res illas, quia omnis res cognoscitur per suam formam. Et ita per hujusmodi rationes immobiles et sine materia particulari consideratas habetur cognitio in scientia naturali de rebus mobilibus et materialibus extra animam existentibus. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod materia non est principium individuationis, nisi secundum quod est sub dimensionibus signatis existens, et sic etiam scientia naturalis a materia abstrahit. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod de primo motore non agitur in scientia naturali tamquam de subjecto vel parte subjecti, sed tamquam de termino, ad quem naturalis scientia perducit; terminus autem sicut non est de natura rei, cujus est terminus, sed habet aliquam habitudinem ad illam rem (sicut terminus lineæ non est linea, sed habet aliquam habitudinem ad eam) : ita et motor primus habet aliquam habitudinem ad res naturales, est tamen alterius naturæ ab eis; habet enim habitudinem ad eas, in quantum influit eis motum, et sic cadit in considerationem naturalis non secundum ipsum, sed in quantum motor. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod quamvis universale non moveatur, est tamen ratio rei mobilis. — *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod anima et aliæ

formæ naturales, quamvis non moveantur per se, moventur tamen per accidens, et insuper sunt perfectiones rerum mobilium, et secundum hoc cadunt in considerationem naturalis. Terra autem quamvis secundum se totam non moveatur, quod accidit ei, in quantum est in loco naturali, in quo quiescit per eandem naturam, per quam movetur ad locum, tamen partes ejus moventur ad locum, quando sunt extra locum proprium; et sic terra ratione quietis totius et motus partium cadit in considerationem naturalis. — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod mutabilitas illa, quæ competit omni creaturæ, non est secundum aliquem motum naturalem, sed secundum dependentiam ad Deum, a quo si desererentur, deficerent ab eo, quod sunt. Dependentia autem ista pertinet ad considerationem Metaphysicæ potius quam naturalis. Creaturæ autem spirituales non sunt mutabiles nisi secundum electionem, talis autem mutatio non pertinet ad naturalem, sed magis ad divinum. — L. c. ad 7.

ARTICULUS V

UTRUM SUBJECTUM PHILOSOPHIÆ NATURALIS SIT ENS MOBILE, AN CORPUS MOBILE, VEL CORPUS NATURALE.

I. Videtur quod subjectum Philosophiæ naturalis sit ens mobile.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1), quod Physica est circa tale ens, quod possibile est moveri; at hoc est ens mobile : ergo ens mobile est subjectum Philosophiæ naturalis. — 6. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, scientiæ particulares sunt posteriores secundum naturam universabilibus scientiis, quia subjecta illarum addunt ad subjecta istarum; sed Physica est scientia particularis, Metaphysica vero universalis : ergo, cum Physica agat de rebus mobilibus, ut docet Philosophus l. c., ejus subjectum debet esse ens mobile; nam sic addit supra ens simpliciter, de quo est Metaphysica. — 1. *Metaphys.*, l. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (11. *Metaphys.* c. 4; l. 10, c. 4), quod ideo Physica et Mathematica sunt partes primæ Philosophiæ, quia considerant accidentia, puta quantitatem, qualitatem et hujusmodi, et principia eorum, puta propositiones communes constantes terminis communibus, puta ente, non ente, toto, parte et similibus; et Physica illa considerat, quatenus dicunt ordinem ad motum; sed hoc est Philosophum naturalem considerare ens mobile : ergo ens mobile est subjectum Philosophiæ naturalis. — 11. *Metaphys.* l. 4.

4. Præterea, subjectum scientiæ est subjectum propriæ passionis consideratæ in illa scientia, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 25 et 42; c. 10 et 28); sed propria passio rerum naturalium, quam considerat Physica, puta motus, habet pro subjecto proprio ens mobile; definitur enim a Philosopho (3. *Phys. text.* 6; c. 1) motus, quod sit actus entis in potentia seu mobilis : ergo ens mobile est subjectum Philosophiæ naturalis. — 1. *Poster.* l. 18 (17) et 41, (39); 3. *Phys.* l. 2.

Sed contra est : 1. quod nulla scientia est de ente per accidens, ut dicit Philosophus (6. *Metaphys. text.* 4; l. 5, c. 2 et 11. *Metaphys.* c. 9; l. 10, c. 8); sed ens mobile est ens per accidens; nam mobilitas v. g. ad locum non est de essentia rei; convenit enim illi ratione quantitatis (divisibilitas enim motui essentialis oritur ex divisibilitate rei, quæ illi convenit ratione quantitatis, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 2) : ergo ens mobile non est subjectum Philosophiæ naturalis. — 6. *Metaphys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 8; 6. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, Philosophia naturalis non subalternatur Metaphysicæ, ut dictum est (in Logica q. 35, a. 4), et patet ex Philosopho 6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1, ubi scientiam speculativam dividit in tres species : in Physicam, Metaphysicam et Mathematicam; sed si ens mobile esset subjectum Physicæ, subalternaretur Metaphysicæ; nam adderet differentiam accidentalem illius subjecto, quod est ens simpliciter, ut dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2) juxta dicta de subalternatione : ergo subjectum Physicæ non est ens mobile. — 6. *Metaphys.* l. 1; 4. *Metaphys.* l. 1.

II. Videtur quod subjectum Philosophiæ naturalis sit corpus mobile.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Cœlo* c. 1), quod quidquid considerat philosophus naturalis, vel est corpus vel magnitudo corporis vel passiones vel principia corporis; sed illud est subjectum scientiæ, quod comprehendit omnia, quæ considerantur in illa scientia : ergo subjectum Philosophiæ naturalis est corpus mobile. — 1. *de Cœlo* l. 1; 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 4.

2. Præterea, illud est subjectum in scientia, de quo quæruntur passiones et principia, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 25 et 42; c. 10 et

28); sed in Philosophia naturali quæruntur et considerantur principia et passiones corporis mobilis. Nam 1. *Phys. a text.* 50 (c. 6) ostendit Philosophus, principia rerum naturalium esse materiam et formam et privationem, quarum priores duæ constituunt corpus generis substantiæ; nam ex utraque fit unum aptum extendi per quantitatem; motus autem, quæ est principalissima passio considerata in Physica, convertitur cum corpore mobili. Nam omne, quod movetur motu naturali, est corpus, et omne corpus, ut est in genere substantiæ, est mobile; considerat enim physicus tale corpus, ut est naturale; naturale vero dicitur tale, quia habet in se naturam, quæ est principium motus : ergo subjectum Physicæ est corpus mobile. — 1. *Poster.* l. 18 (17) et 41 (39); *Opusc.* 42, c. 6 (3) et 16 (6); 1. *Phys.* l. 1 et 12 (11); 2. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, illud est subjectum scientiæ, per quod illa scientia distinguitur ab aliis scientiis; sed ut patet 1. *de Cœlo text.* 1 (c. 1), Philosophia naturalis per corpus mobile sufficienter distinguitur ab aliis scientiis : ergo subjectum Philosophiæ naturalis est corpus mobile. — 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 4; 1. *de Cœlo* l. 1.

Sed contra est : 1. quod nulla scientia probat suum subjectum, sed illud supponit, ut docet Philosophus (1. *Poster. text.* 2; c. 1), ut dictum est (in Logica q. 21, a. 9); sed in 6. *Phys. text.* 32 (c. 4) probatur, omne mobile esse corpus : ergo subjectum Philosophiæ naturalis non est corpus mobile. — 1. *Poster.* l. 1; 6. *Phys.* l. 5; 3. *de Cœlo* l. 1.

2. Præterea, in Physica agitur de his, quæ non sunt corpora mobilia, ut de primo motore et de anima, ut dictum est (supra a. 4, arg. 2 et 4); sed subjectum scientiæ debet complecti omnia, quæ tractantur in scientia : ergo subjectum Physicæ non est corpus mobile. — 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 4.

III. Videtur quod subjectum Philosophiæ naturalis sit corpus naturale.

1. Dicit enim Philosophus (11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7), quod Physica est circa habentia in se principium motus, et 1. *de Cœlo text.* 1 (c. 1), quod est circa natura constantia; sed hujusmodi sunt corpora naturalia, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 1 et 4; c. 1); natura enim est principium motus, ut dicitur ibidem : ergo subjectum Philosophiæ naturalis est corpus naturale. — 11. *Metaphys.* l. 7; 2. *Phys.* l. 1; 1. *de Cœlo* l. 1; 3. *de Cœlo* l. 1; 1. *Poster.* l. 41 (39); *Opusc.* 70, q. 5, a. 1, ad 5 (ubi ait, corpus naturale esse subjectum Physicæ); *Opusc.* 12, c. 14 (6).

2. Præterea, in Philosophia naturali non solum considerantur corpora mobilia, sed etiam quæ non sunt mobilia seu quibus competit quies; consideratur enim terra, quæ secundum se totam non est mobilis, sed habet quietem; sed subjectum scientiæ debet complecti omnia, quæ considerantur in scientia : ergo cum illa sub corpore naturali contineantur, cum sit habens principium motus et quietis, corpus naturale erit subjectum Physicæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 6; 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 4; 2. *Phys.* l. 1.

Sed contra est, quod (1. *de Cœlo text.* 1; c. 1) dicit Philosophus, quod Physica non est tota circa corpora, sed tantum fere plurima, quoniam alia etiam considerat, puta passiones, motus et magnitudines; sed subjectum scientiæ debet complecti omnia, quæ in illa considerantur : ergo corpus naturale non est subjectum. — 1. *de Cœlo* l. 1; 1. *Sent.* prolog. q. 1, a. 4.

Respondeo dicendum, quod subjectum habet ad scientiam ad minus tres comparationes. (1. *Sent.* l. c.) *Prima* est, quod quæcunque sunt in scientia, debent contineri sub subjecto; et si consideramus hanc conditionem, subjectum Philosophiæ naturalis est ens mobile; *mobile* quidem, quia hoc constituit rationem formalem subjecti Physicæ in genere scibilis (diversitas enim objectorum scientiarum in genere scibilium, ut dictum est supra a. 2, c. et ad 1, vel est per abstractionem a materia et motu vel per applicationem ad illa, ut contingit in Physica, quia hæc considerat res naturales, de quibus est, per ordinem ad materiam et motum, easque per principia motum et materiam concernentia demonstrat); *ens vero mobile*, quia hoc solum potest esse subjectum materiale adæquatum Philosophiæ naturalis.

Subjectum enim scientiæ adæquatum, comprehendens scilicet omnia sub scientia contenta, illud est, quod est adæquatum universalissimæ et propriæ passionis, quæ consideratur in scientia, ut docet Philosophus. 1. *Poster. text.* 25 et 42; c. 10 et 28); hoc autem respectu mutationis, quæ est hujusmodi passio in Philosophia naturali, tantum est ens mobile, ut constat *primo* ex Philosopho. Nam 1. *de Cœlo text.* 1 (c. 1) asserit, scientiam naturalem fere plurimam versari circa corpora et magnitudines et passiones et motus et circa principia eorum; quia nimirum

non solum agit de corporibus, lineis et superficiebus, sed etiam de corporibus substantialibus et de principiis horum omnium, imo et de aliis, quæ sunt in natura, quæ aliqui attribuerunt corporibus et magnitudinibus, puta de vacuo et infinito; nihil autem prædictis aliud potest esse commune quam ens mobile, ut sic. Nam prædicta omnia considerantur a Philosopho naturali per ordinem ad motum, ut in particulari de magnitudine seu quantitate docet Philosophus 11. *Metaphys.* c. 4 (l. 10, c. 4), ubi ait, quod considerare quantitatem, ut quantitas est, pertinet ad metaphysicum; considerare vero illam, ut est continua vel numerabilis, pertinet ad mathematicum; ad physicum vero, secundum quod dicit ordinem ad motum, seu quatenus secundum lineas et superficies est terminus corporis mobilis. Præterea ibidem dicit, quod Mathematica et Physica utuntur communibus principiis applicatis ad propriam materiam; sed communia principia sunt propositiones constantes terminis communibus, quæ in omnium conceptionem cadunt, ut sunt ens, non ens, totum, pars, æquale et inæquale, et similia; ergo Philosophiæ naturalis subjectum adæquatum debet esse subjectum Metaphysicæ determinatum ad propriam materiam; illud autem est ens, ut ens, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 1; l. 3, c. 1; hoc autem est tale ens, quod potest moveri, seu ens mobile, ut dicitur 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1. (1. *Poster.* l. 18, al. 17 et 41, al. 39; 1. *de Cœlo* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 4; 4. *Metaphys.* l. 1; 6. *Metaphys.* l. 1). — *Secundo*, ratione, quia adæquatum subjectum mutationis habet materiam, formam et privationem; oportet enim in omni scientia ista tria esse adæquata sibi invicem, subjectum, passionem et principia, ut dicit Philosophus (1. *Poster.* ll. cit.). Constat autem ex 1. *Phys.*, transmutationis prima principia esse materiam, formam et privationem; sed tantum ens mobile habet hæc pro adæquatis principiis; dicit enim Philosophus (12. *Metaphys. text.* 19; l. 11, c. 4), quod principia transmutationis omnium entium et generum, licet sint eadem proportione, non tamen sunt eadem formaliter, quia principia sunt homogenea iis, quæ sunt ex principiis; non videtur autem possibile, quod substantia sit principium eorum, quæ sunt ad aliquid, et aliorum generum, vel e converso. Quare non solum corpus substantiale, compositum scilicet ex materia et forma substantiali habebit sua principia, sed etiam ens quantum et quale et hujusmodi. Nihil autem est commune substantiæ corpoream et quanto et quali consideratis per ordinem ad motum, quomodo spectant ad physicum, ut dictum est, quam ens mobile, ut patet: ergo dicendum est, quod ens mobile est subjectum adæquatum Philosophiæ naturalis, si consideretur prima conditio vel comparatio subjecti. — 1. Poster. ll. cit.; 1. *Phys.* l. 12 et 13 (11 et 12); 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

Secunda vero comparatio ejusdem ad scientiam est, quod subjecti cognitio principalis attenditur in scientia; et secundum hanc conditionem corpus mobile est subjectum Philosophiæ naturalis; quod patet, *tum* quia hæc, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo*), fere plurima est circa corpora mobilia; *tum* quia, licet diversa formaliter sint principia transmutationis substantiæ et aliorum accidentium, sicut tamen prima principia substantiæ, quæ sunt prima simpliciter, sunt eadem omnium, ut inquit Philosophus (12. *Metaphys.* l. c.), quia sunt causæ principiorum accidentium, unde hæc continentur in illis, — ita et corpus substantiale mobile est principium omnium accidentium, unde et hæc continentur in illo; definitio enim subjecti, ut dictum est (in Logica q. 26, a. 1), continet principia passionum. — 1. *Sent.* prol. q. 1, a. 4; 1. *de Cœlo* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

Tertia vero comparatio est, quod per subjectum distinguitur scientia ab aliis scientiis; et hoc modo tam ens mobile quam corpus mobile vel naturale est subjectum Philosophiæ naturalis; sed illud est adæquatum, hoc principale; nam per utriusque considerationem distinguitur Philosophia naturalis ab omnibus aliis scientiis, ut patet ex Philosopho (6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 8; l. 10, c. 7); et sic manifestum est, quod sit subjectum Philosophiæ naturalis. — 1. *Sent.* l. c; 6 *Metaphys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 7.

Ad prima ergo quatuor objecta primæ quæstionis dicendum est, quod illa probant tantum, ens mobile esse subjectum adæquatum Physicæ. — ll. cit. in c.

Ad quintum dicendum, quod ens mobile non est aggregatum per accidens; nam mobile non est passio, sed prædicatum essentiale. Significat enim naturam aptam moveri et quiescere; quod patet inducendo in omnibus mutabilitatibus. Nam generabile et corruptibile, sicut et ingenerabile et incorruptibile sunt prædicata essentialia, quia consequuntur essentiam, sicut principium formale vel materiale, non autem sicut

principium activum; alterabile vero, augmentabile et mobile secundum locum sunt itidem prædicata essentialia corpori quanto vel quali; nam proxime conveniunt substantiæ corporeæ seu corpori substantiali ratione quantitatis et qualitatis, remote vero ratione materiæ et formæ; nam quantitas et qualitas sunt prima accidentia substantiæ et illam consequuntur ratione partium ipsius substantialium; quantitas quidem ratione materiæ, qualitas vero ratione formæ. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 6; 10. *Metaphys.* l. 12; *Quæst. disp. de Anima* a. 14, ad 5 et 19; *Tabula Aurea* voce « quantitas » n. 3 et 4.

Ad sextum dicendum, quod Physica proprie non subalternatur Metaphysicæ, quia earum subjecta in esse scibili essentialiter inter se distinguuntur. — V. in Logica q. 35, a. 2, 3, 4.

Ad primum secundæ quæstionis dicendum, quod corpus mobile est subjectum principale, non tamen adæquatum Physicæ, ut dictum est (supra in c.), quia philosophus naturalis plura alia considerat et definit per ordinem ad motum, quæ non sunt corpora, ut sunt anima et cæteræ formæ substantiales, et vacuum et infinitum et hujusmodi, et præterea ens quantum et quale, ut dictum est. Et sic patet etiam *ad secundum*. — *Opusc.* 70, q. 5, a. 2, ad 6; 1. *de Cœlo* l. 1.

Ad tertium dicendum, quod Philosophia naturalis distinguitur ab omnibus aliis scientiis per corpus mobile, non tamen tamquam per subjectum adæquatum, sed tamquam per subjectum principale, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod nulla scientia probat suum subjectum adæquatum; secus vero si sit principale; sic enim Philosophus probat, dari materiam et formam (1. *Phys.*), quæ sunt partialia subjecta, licet minus principalia Philosophiæ naturalis. — V. Sotum *Comment. in* 1. *Phys. text.* 9.

Ad quintum dicendum, quod hæc objectio probat, corpus mobile non esse subjectum adæquatum, ut dictum est (supra in c.).

Ad primum tertiæ quæstionis dicendum, quod idem est corpus naturale et corpus mobile, ac proinde sicut hoc statuitur subjectum principale Philosophiæ naturalis, ita et illud statui potest. Melius tamen ponitur pro subjecto principali corpus mobile, quam corpus naturale, quia mobile significat rationem formalem subjecti tum principalis tum adæquati Physicæ, ut dictum est, quam non significat naturale; non enim potest prædicari naturale de materia et forma substantiali et de accidentibus, quæ philosophus naturalis considerat in ordine ad motum, sicut prædicari potest mobile, ut dictum est, (supra in c.). Materia enim cum sit subjectum generationis et corruptionis, est eius mobile ad formam substantialem; similiter forma substantialis et anima, licet non moveantur secundum se, moventur tamen secundum accidens, et tamen neutra est corpus vel ens naturale, sed natura. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 2. *Phys.* l. 1; *Opusc.* 70, l. c.

Ad secundum dicendum, quod licet terra secundum se totam non moveatur, posset tamen, si esset extra locum suum naturalem; nam quod non moveatur, accidit ei in quantum est in loco naturali, in quo tamen etiam quiescit per eandem naturam, per quam posset moveri ad locum. Præterea sufficit quod moveatur secundum partes. — *Opusc.* 70, l. c.

Ad tertium dicendum, quod objectio tantum probat, corpus naturale non esse subjectum adæquatum Philosophiæ naturalis, quod verum est, ut dictum est (in c. et ad primum hujus tertiæ quæstionis).

QUÆSTIO II.

DE PRINCIPIIS ENTIS MOBILIS IN COMMUNI.

Cum in omnibus scientiis, quarum sunt principia, causæ et elementa, ut ait Philosophus (1. *Phys.* initio), scientia tum definiendo tum demonstrando procedat ex cognitione principiorum, causarum et elementorum, oportet ut in explicatione scientiæ naturalis, quæ habet principia, causas et elementa, incipiamus a determinatione principiorum universalium hujus scientiæ. Quoniam vero hujusmodi principia duplicia sunt, — nam *alia* sunt principia subjecti hujus scientiæ, puta entis mobilis, in quantum hujusmodi, *alia* vero sunt principia doctrinæ seu ipsius scientiæ naturalis, — propterea utraque explicabimus; et *primum* quidem principia entis mobilis, *deinde* principia doctrinæ. Nam subjectum scientiæ ipsam scientiam præcedit, sicut et quodlibet objectum habitus habitum ipsum; objectum enim habet rationem formæ, in quantum dat speciem habitui; forma autem est prior materia, cum hæc sit propter illam. — 1. *Phys.* l. 1 et 2; 2. *Phys.* l. 1; 1a 2æ, q. 18, a. 2, ad 2 et q. 73, a. 3,

a 1; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 79 et 85.

Consideratio autem de principiis entis mobilis bipartita erit : *primo* namque considerabimus ipsa principia in communi; *secundo*, principia in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR

QUINQUE :

1. Utrum principium, causa et elementum idem sint.
2. Utrum principia rerum naturalium sint contraria.
3. Utrum principia rerum naturalium sint tantum tria.
4. Utrum recte sint a Philosopho primorum principiorum conditiones assignatæ.
5. Utrum prima principia semper maneant.

ARTICULUS I

UTRUM PRINCIPIUM, CAUSA ET ELEMENTUM IDEM SINT.

Videtur quod principium, causa et elementum sunt idem.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 3; l. 3, c. 2), quod ens et unum idem sunt, quia se mutuo consequuntur, sicut causa et principium; et 5. *Metaphys. text.* 1; l. 4, c. 1 toties causæ dicuntur, quoties principia; omnes enim causæ principia; et 12. *Metaphys. text.* 23; l. 11, c. 4 elementa sunt tria, causæ vero et principia quatuor : ergo secundum Philosophum idem est principium et causa. — 4. *Metaphys.* l. 2 (1); 1a, q. 33, a. 1, arg. 1; Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 29, a. 1, arg. 1; 5. *Metaphys.* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

2. Præterea, Patres Græci pro eodem utuntur nomine causæ et principii; asserunt enim, in divinis Patrem esse causam Filii et Filium causatum, ut Athanasius in Nicæna Synodo relatus, Basilius (l. 3 *contra Eunomium;* Migne PP. Gr. t. 29 c. 655) et Theodoretus (*super Epist. ad Hebræos);* sed hi Patres non uterentur talibus nominibus indistincte pro eodem, nisi principium et causa essent omnino idem : ergo. — 1a, l. c. ad 1; *Opusc.* 1, l. 1, c. 1.

3. Præterea, si principium et causa non sunt idem, maxime, quia causa dicit prioritatem, quam non dicit principium; sed hoc est falsum, quia etiam nomen *principium* impositum est a prioritate, sicut et nomen sonat; ergo principium et causa sunt omnino idem. — 1a, q. 33, a. 1, arg. 3 et ad 3; 1 *Sent.* dist. 29, a. 1, arg. 1 et ad 1; Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 29, a. 1, arg. 2 et a. 2 ad 1.

4. Præterea, Philosophus (1. *Phys. text.* 48, 56 et 57; c. 5 et 6, et 12. *Metaphys. text.* 23; l. 11 c. 4) materiam, formam et privationem vocat elementa, et 1. *Metaphys.* sum. 2, c. 3 in fine (c. 5) nomine elementi intelligit ea principia, de quibus locutus fuerat secundum opinionem antiquorum, quæ fuerunt tria : materia, forma et efficiens, unde secundum Philosophum elementum sumitur tam pro principio, quod non est causa, quam pro eo, quod est causa sive intrinseca sive extrinseca; sed hoc est elementum in æquali communitate convenire cum principio et causa : ergo elementum, principium et causa idem sunt. — 1. *Phys.* l. 11 (10) et 12 (11); 12. *Metaphys.* l. 4 (3); 1. *Metaphys.* l. 8 (6).

Sed contra est, quod Philosophus (12. *Metaphys. text.* 23; l. 11, c. 4) docet, aliud esse elementum, aliud principium; et 1. *Phys.* initio cum ait, quoniam cognoscere aut scire contingit circa omnes methodos, quarum sunt principia aut causæ aut elementa, non intendit idem significare, sed diversum. — 12. *Metaphys.* l. 4 (3); 1. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod si proprie sumantur principium, causa et elementum, non sunt idem, sed differunt ratione; nam principium communius est, quam causa, et causa quam elementum. Nam aliquid est principium, quod non est causa; nam terminus *a quo* motus dicitur principium motus, et similiter punctus vel frons lineæ dicitur principium lineæ et prima pars rei, sicut mane dicitur principium diei; et tamen nec terminus *a quo* dicitur causa motus, nec punctus vel frons lineæ, nec mane diei; et rursum est aliqua causa, quæ non est elementum, ut causa efficiens vel finalis. Et ratio horum est, quia nomen principii nihil aliud significat, quam ordinem originis et processum; nam omne, a quo aliquid procedit quocunque modo, dicitur ejus principium, et e converso. Causa vero importat influxum in esse causati, et consequenter diversitatem in substantia et dependentiam unius ab alio, et prioritatem in esse, quæ non importantur nomine principii; dicimus enim causam, ad quam sequitur aliud seu esse posterioris. Unde in omnibus causæ generibus semper invenitur

distantia inter causam et causatum secundum aliquam perfectionem aut virtutem; sed nomine principii etiam utimur in his, quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundum quendam ordinem.

Elementum autem importat proprie sumptum quandam partialitatem; convenit enim proprie tantum causis intrinsecis, quæ sunt partes illius, cujus dicuntur causæ; unde Philosophus (5. *Metaphys. text.* 4; l. 4, c. 3) definit elementum, quod sit id, ex quo componitur res primo, et est in eo. Et ideo in divinis personis, ubi nulla causalitas est, nulla partialitas vel diversitas in esse, utimur nomine principii, non autem nomine causæ vel elementi; quia quanto aliquod nomen est communius, tanto convenientius assumitur in divinis, quia nomina quanto magis specialia sunt, ut sunt reliqua duo, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ. — 1a, q. 33, a. 1; 1. *Sent.* dist. 29, a. 1 et 2; *de Pot.* q. 10, a. 1, ad 8 et 10; 1. *Phys.* l. 1; *Opusc.* 1, l. 1, c. 1; *Opusc.* 31; Hannibaldus in 1. *Sent.* l. c.; 11. *Metaphys.* l. 2; *Tabula Aurea* voce « principium » n. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod causa et principium sunt idem subjecto seu re convertibiliter, sicut ens et unum, non tamen ratione, sicut vestis et indumentum. — 4. *Metaphys.* l. 2 (1).

Vel dic, quod principium et causa sunt idem quoad illos ordines, secundum quos utrumque dicitur, sicut principium materiale est idem, quod causa materialis; sed aliquis modus est principii, qui non est causæ, et secundum hoc aliquid est principium, quod non est causa. (Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 29, a. 1, ad 1.) — Ad locum 5. *Metaphys.* dicendum, quod sensus Philosophi est, quod causæ tot modis dici possunt, quot modis dictum est in eo capite sumi nomen principii; nam omnes causæ sunt quædam principia; ex causa enim incipit motus ad esse rei, licet non eadem ratione dicatur causa et principium. (5. *Metaphys.* l. 1). — Ad tertium vero locum dicendum, quod nomen principii sumitur ibi nimis presse, sicut et nomen causæ, cum excluditur causa finalis, quippe quæ non causat nisi secundum quod est in intentione moventis, quæ tamen est vera causa et principium. — 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

Ad secundum dicendum, qood Patres Græci, qui nomine causæ et causati utuntur in divinis personis, talia nomina usurpant in latissima significatione, prout convertuntur cum nomine principii et entis a principio; non enim intendunt naturas diversitatem inducere, aut Filium esse creaturam; sed tantum per ea nomina volunt ostendere solam originem personarum, sicut docent Patres Latum significari nomine principii. Unde dicit Gregorius Nyssenus (l. 1 *contra Eunomium*; Migne PP. Gr. t. 45 c. 247 sqq.) : causam autem causatumque dicentes, non naturam per hæc nomina significamus; neque enim hæc nomina loco essentiæ vel naturæ ratione damus; sed qualiter inter se habent differentiam demonstramus; scilicet Filium non ingenitum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo. — *Opusc.* 1, l. 1, c. 1; 1a, q. 33, a. 1, ad 1; *de Pot.* q. 10, a. 1, ad 8.

Ad tertium dicendum, quod licet prioritas videatur ad rationem communem principii pertinere, quantum ad id, a quo nomen imponitur, quia impositum est hoc nomen principii, secundum quod invenitur in creaturis, ubi principium est prius aliquo modo principiato, non tamen quantum ad id, cui nomen est impositum; impositum enim est ad significandam originem unius ab alio, quæ potest intelligi etiam prioritate non intellecta. — 1. *Sent.* dist. 29, a. 1, ad 1; Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 29, a. 2, ad 1; 1a, q. 33, a. 1, ad 3; *de Pot.* l. c. ad 10.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus duobus modis sumit nomen elementi. *Primo* improprie; nam aliquando illud confundit cum nomine principii, ut 1. *Metaphys.* sum. 2, c. 3 in fine (c. 5); aliquando illo comprehendit materiam, formam et privationem, ut ll. cit. 1. *Phys.* et 12. *Metaphys.* (1. *Metaphys.* l. 8, al. 6; 1. *Phys.* l. 11 et 12, al. 10 et 11; 12. *Metaphys.* l. 4, al. 3) — *Secundo* proprie, sed aliquando magis presse, cum illud sumit pro sola causa materiali, ut 1. *Phys.* initio; 5. *Metaphys. text.* 4; l. 4, c. 3 et 7. *Metaphys. text*, 60; l. 6, c. 17; aliquando minus presse, cum illud sumit pro causis intrinsecis, ut 12. *Metaphys.* text. 23; l. 11, c. 4. — 1. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 17 (15); 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

ARTICULUS II

UTRUM PRINCIPIA RERUM NATURALIUM SEU ENTIS MOBILIS SINT CONTRARIA.

Videtur quod principia mutationis in communi non sint contraria.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 52; c. 6), quod nulla contraria componunt substantiam rei, quia contrarietas solum est inter accidentia; sed principia componunt substantiam rei : ergo principia rerum naturalium non sunt contraria. — 1. *Phys.* l. 11 (10).

2. Præterea, substantia non fit ex non substantiis, ut dicit Philosophus ibidem; sed contraria sunt non substantiæ, cum substantiæ nihil sit contrarium : ergo principia, ex quibus fit substantia, non sunt contraria. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 42; c. 5), quod principia non fiunt ex se invicem; sed ex eodem ibidem (*text.* 43; c. 5) contraria fiunt ex se invicem; album enim fit ex non albo et musicum ex immusico : ergo. — 1. *Metaphys.* l, 4 et 5 (3); 1. *Phys.* l. 10 (9).

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 50; c. 6), quod prima principia oportet semper manere; sed contraria non manent, ut dicit Philosophus (*text.* 59; c. 7); non enim manet homo non musicus, postquam homo factus est musicus : ergo prima principia non sunt contraria. — 1. *Phys.* l. 11 et 12 (10 et 11).

5. Præterea, cœlum est corpus naturale; sed cœlum caret contrariis, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 20; c. 3), et quia propterea ipsi non convenit generatio, quæ omnis est ex contrario : ergo prima principia non sunt contraria. — 1. *de Cœlo* l. 3, 6, 20.

6. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 68; c. 7), quod alterum contrariorum sufficiens est ad faciendam mutationem; sed contrarietas necessario debet esse inter duo extrema : ergo prima principia mutationis non sunt contraria. — 1. *Phys.* l. 12 et 13 (11 et 12).

7. Præterea, si principia sunt contraria, maxime forma et privatio, ut dicitur 1. *Phys.* a *text.* 51 sq.; c. 6 et 7; sed hæc non sunt contraria, cum privative tantum opponantur, ut dictum est (in Logica q. 15) : ergo. — 1 *Phys.* l. 12 (11).

Sed contra est auctoritas Philosophi 1. *Phys. text.* 42 (c. 5), ubi docet, principia entis mobilis seu rerum naturalium debere esse contraria. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

Respondeo dicendum, quod principia per se rerum naturalium sunt duplicia : *quædam* essendi seu compositionis, *quædam* fiendi seu mutationis; et utraque dupliciter sumi possunt : *uno modo*, secundum quod principium dicit causam; *altero modo*, secundum quod dicit ordinem. Si sumatur nomen principium, ut dicit *causam*, principia per se, sive essendi sive fiendi, nullo modo sunt contraria. Cujus ratio est ex Philosopho (1. *Phys. text.* 65; c. 7), quia omne, quod fit secundum naturam, est et fit ex subjecto et forma; ea enim, in quæ resolvitur definitio rei, sunt componentia rem illam, quia unumquodque resolvitur in ea, ex quibus componitur. Ratio autem ejus, quod fit secundum naturam, resolvitur in subjectum et formam, ut ratio hominis musici in rationem hominis et rationem musici; subjectum autem et forma non sunt contraria, ut docet Philosophus (1. *Phys.* a *text.* 50; c. 6). Unde fit, ut per se nihil sit vel fiat ex opposito, sed tantum per accidens, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 66; c. 7), in quantum scilicet accidit subjecto. Cum enim materia nunquam sit sine privatione, quia quando habet unam formam, est cum privatione alterius formæ, dum est in fieri aliquid, quod fit, ut homo musicus, — in subjecto, quando nondum habet formam, est privatio ipsius musicæ, et ideo principium per accidens hominis musici in fieri est *non musicum;* hoc enim accidit homini, dum fit musicus; sed quando jam advenit ei hæc forma, adjungitur ei privatio alterius formæ, et sic privatio oppositæ formæ est principium per accidens in essendo. — *de Pot.* q. 3, a. 1, ad 16; 2. *Sent.* dist. 1, in exposit. textus; 1. *Phys.* l. 12 et 13 (11 et 12); *Opusc.* 31; v. (Francisc. Silvestrum) Ferrariensem *Quæst.* 9 et 10 *in* 1. *Phys.*

Si vero nomen principium sumatur, quatenus dicit *ordinem*, tunc per se fit aliquid ex opposito, ut patet, cum aliquid vel creatur (nam per se fit ex nihilo), vel generatur sive simpliciter sive secundum quid; nam homo fit ex non homine et musicus ex immusico, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 43; c. 5), et universaliter omnis transmutatio est a contrario in contrarium. Cujus optima ratio habetur 4. *de Cœlo text.* 22 (c. 3), quia omne, quod transmutatur, exit ab illo, a quo transmutatur; moveri enim est aliter se habere nunc quam prius; exiens autem ab illo, a quo transmutatur, oportet ire in aliud; sed non potest ire in privationem omnis speciei, quia hæc per se non invenitur; neque et in aliud, quod potest existere cum illo, quia tunc non necessario transmutatum esset ex illo : ergo necessario transmutatur in formam non potentem existere cum eo; tale autem est contra-

rium; ergo omne, quod transmutatur, transmutatur ex contrario in contrarium. Ideo principia fiendi necessario debent esse contraria, non tamen omnia, sed aliqua tantum; nam unum debet esse subjectum contrariorum, quod modo sub uno, modo sub altero sit, ut docet idem Philosophus (1. *Phys. text.* 61 et 62; c. 7 et *text.* 79. sq.; c. 9). Unde manifestum est, quomodo principia rerum naturalium sint contraria, quomodo non. — *de Pot.* q. 3, a. 1, ad 16; 4. *de Cœlo* l. 2; 1. *Phys.* l. 10 (9), 12 (11) et 15 (14).

Ad primum ergo dicendum, quod hoc argumentum tantum probat, non omnia principia rerum naturalium in fieri, sumpto principio ut dicit ordinem, esse contraria; sed aliqua tantum, ut dictum est (supra in c.) — Et eodem modo respondetur *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod unum contrarium fit ex altero, sed per accidens, non autem per se; principia autem non fiunt ex se invicem; fit enim calidum ex non calido vel ex frigido, non autem calor ex frigiditate vel ex non calore. — *de Pot.* l. c.; 1. *Phys.* l. 13 (12) et 10 (9).

Ad quartum dicendum, quod hoc argumentum tantum probat, non omnia principia rerum naturalium in fieri esse contraria, quod concedimus. — 11. cit. in c.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus 1. *Phys.* loquitur de principiis rerum corruptibilium, ut patet ex eodem tum 1. *de Cœlo text.* 20 (c. 3), tum quia materiam (1. *Phys.* text. 82; c. 9) definit : primum subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, et non secundum accidens, et si corrumpitur, in hoc abibit ultimum; et ibidem docet, omne quod generatur, fieri ex contrario et ex subjecto quodam sive materia; ex illo, sicut ex non permanente, ex hoc vero, sicut ex permanente; et similiter omne, quod corrumpitur, corrumpi subjecta materia et a contrario et ad contrarium; cœlum autem, cum nihil sit ei contrarium, neque est generabile neque corruptibile. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad sextum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod hoc distinguitur motus a mutatione, quod in illo requiruntur duo contraria positiva et unum subjectum; in hoc vero requiruntur duo contraria privative; nam requiritur præsentia unius contrarii et absentia ejus, quæ est privatio. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

Ad septimum dicendum, quod forma et privatio sunt contraria privative, non positive. Dupliciter enim sunt possunt contraria : *vel* prosse; et sic contraria sunt illa, quæ sub eodem genere posita se expellunt ab eodem subjecto, quomodo sumuntur a Philosopho in *Prædicam.* c. 10, ut dictum est (in Logica q. 15), et 1. *de Generat. text.* 50 (c. 7); *vel* latius pro iis, quæ se non compatiuntur in eodem subjecto; et sic forma et privatio sunt contraria, et hoc modo sumuntur a Philosopho 1. *Phys. text.* 68 (c. 7).

ARTICULUS III

UTRUM PRINCIPIA RERUM NATURALIUM SINT TANTUM TRIA.

I. Videtur quod principia rerum naturalium sint plura tribus.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 7; c. 1 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 3; l. 10, c. 11), quod mutatio quadruplex est : ex subjecto in subjectum, ex subjecto in non subjectum, ex non subjecto in subjectum, ex non subjecto in non subjectum; sed principia trium primarum mutationum sunt tria : materia, forma et privatio; principia vero quartæ mutationis sunt duæ negationes, ut dicit Philosophus ibidem : ergo principia rerum naturalium sunt plura tribus. — 5. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 11.

2. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys.* l. c.), quod motus est species mutationis; sed motus, ut dicit Philosophus ibidem, hoc differt ab aliis speciebus mutationis, quod habet utrumque terminum positivum et affirmativum : ergo principia mutationis rerum naturalium non sunt tantum tria : materia, forma et privatio, quæ sunt principia reliquarum mutationum, sed plura tribus, puta duplex forma præter subjectum et privationem. — 5. *Phys.* l. 2; 1. *Phys.* l. 12 (11).

3. Præterea, dicit Philosophus (11. *Metaphys.* l. c.), quod in qualibet mutatione sunt quinque : movens, mobile, tempus, terminus a quo et terminus ad quem; sed non concurrunt ad motum nisi ut principia illius, ut patet de mobili, termino a quo et ad quem : ergo et reliqua duo concurrunt ut principia, et sic erunt plura tribus. — 11. *Metaphys.* l. 11.

4. Præterea, per principia rerum naturalium vel intelliguntur principia *per se*, vel prin-

cipia *per accidens;* si intelliguntur principia *per se*, hæc sunt tantum duo, materia et forma; nam privatio est principium per accidens, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 66, 75 et 76; c. 7 et 8). Si intelliguntur principia *per accidens*, hæc sunt infinita, ut dicitur 1. *Phys. text.* 50 (c. 6) et 5. *Phys. text.* 6 (c. 1); præterquam quod id, quod est per accidens in liquo genere, non potest esse species illius generis, unde nec potest esse species principii rerum naturalium : ergo principia rerum naturalium sunt plura tribus. — 1. *Phys.* l. 11 (10), 13 (12) et 14 (13); *Opusc.* 31; 3. *Phys.* l. 1; 5. *Phys.* l. 2.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Phys. text.* 66 (c. 7) dicit, quod principia rerum naturalium sunt tantum tria, materia, forma et privatio. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

II. Videtur, quod principia rerum naturalium sunt pauciora tribus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 50; c. 6), quod principia debent manere; sed privatio non manet, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 59; c. 7) : ergo privatio non est principium, et per consequens principia sunt pauciora tribus. — 1. *Phys.* l. 12 (11) et 13 (12); 5. *Metaphys.* l. 4, 5 (3, 4).

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 75 et 79; c. 8 et 9), quod privatio est per se non ens; sed ex non ente nihil fit, ut dicitur 1. *Phys. text.* 75 (c. 8) : ergo privatio non est principium et ita duo tantum erunt principia. — 1. *Phys.* l. 14, 15 (13, 14).

3. Præterea, materia et privatio sunt unum numero, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 79; c. 9), ac proinde non faciunt duo numero principia, sed unum; sed præter materiam et privationem non est aliud principium, quam forma, ut dicitur 1. *Phys. text.* 66; c. 7 : ergo principia rerum naturalium sunt tantum duo. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

4. Præterea, forma non potest esse principium generationis nisi ut terminus, ut dicit Philosophus (1. *Phys.*); sed forma non est terminus generationis; nam hic est id, quod generatur; quod generatur autem, non est forma, sed compositum, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 27; l. 6, c. 8) : ergo.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys. text.* 66, sq.; c. 7) præter materiam et formam ponit privationem tertium principium. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

Respondeo dicendum, quod principia rerum naturalium sunt quodammodo duo, quodammodo tria. — Ad cujus manifestationem sciendum est, quod quia scientia de natura habet veras demonstrationes et definitiones, ut dictum est (supra q. 1, a. 1), et utræque constant ex principiis et causis, necesse est, quod res naturales, quas illa demonstrat et definit, constent similiter principiis et causis. Quot vero sint hæc principia, non omnes philosophi consentiunt, ut patet ex Philosopho (1. *Phys.*), ex cujus sententia dicendum est *primo*, quod hæc principia necessario debent esse plura uno. Cujus ratio est, quia principia, ut dictum est (a. 2 huj. quæst.) cum Philosopho (1. *Phys.*), sunt contraria; contraria autem non sunt unum tantum, quia nihil est sibi ipsi contrarium. — *Secundo*, quod non sunt infinita, sed finita; ratio est, quia alioqui sequeretur, quod res naturales non possent perfecte cognosci et sciri; nam infinitum, ut infinitum, non potest cognosci a potentia finita. — *Tertio*, quod hæc principia finita sunt plura quam prima duo contraria; quia unum contrarium non facit aliquid ex reliquo, cum illo scilicet unum quid constituendo, neque recipitur in illo, sed in eo, in quo erat aliud contrarium. Quare ut aliquid fiat, debet dari tertium subjectum, quod ex uno contrario in aliud mutatur. — *Quarto*, quod non sunt plura tribus, quia quod potest fieri per pauciora, superfluum est, si fiat per plura; tota autem generatio rerum compleri potest ponendo unum principium materiale et duo formalia seu unam primam contrarietatem cum uno subjecto, quia ad patiendum sufficit unum principium materiale. — *Quinto*, quod, quia illa dicuntur esse principia et causæ rerum naturalium, ex quibus sunt et fiunt per se et non secundum accidens; omne autem quod fit, est et fit ex subjecto et forma, privatio autem formæ vel forma contraria est principium per accidens, in quantum accidit subjecto seu quatenus ei, ex quo per se fit aliquid, conveniebat esse sub tali privatione; et quia privatio et subjectum, licet differant ratione, sunt tamen unum numero, — ideo principia rerum naturalium quodammodo sunt duo, quodammodo tria. Sunt enim duo tantum principia *per se;* sunt vero tria includendo tertium principium *per accidens*. Sunt itidem duo principia *re*, quia duo tantum realiter ponuntur in re, quæ fit, subjectum scilicet et forma; sunt autem tria *ratione*, quia subjectum et privatio, licet sint unum numero seu subjecto, ratione

tamen differunt, quia materia est non ens secundum accidens, privatio autem est non ens per se; hoc enim ipsum, quod est v. g. infiguratum, significat non esse; sed res non significat non esse, nisi in quantum ei accidit infiguratum; præterea, quia materia est prope rem et est aliqualiter, quia est in potentia ad rem, et est aliqualiter substantia rei, quia intrat in constitutionem substantiæ, quod de privatione dici non potest. — Unde manifestum est, quomodo principia rerum naturalium sint duo, quomodo tria. — 1. *Phys.* l. 1, 11 (10) et sqq.; *Opusc.* 31; 7. *Metaphys.* l. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod non est aliqua mutatio de non subjecto in non subjectum, ut dicit Philosophus (scilicet ll. cit. in arg.), quia duæ negationes sicut non album et non nigrum, neque sunt contrariæ neque contradictoriæ, quia non sunt oppositæ; possunt enim verificari de eodem; multa enim sunt, quæ neque alba neque nigra sunt; at vero mutatio debet esse inter opposita, ut dicitur 1. *Phys. text.* 47; c. 5. — ll. cit. in arg.; 1. *Phys.* l. 13 (12).

Ad secundum dicendum, quod quia generatio et corruptio seu mutatio ex termino affirmato in negatum, vel ex negato in affirmatum salvatur etiam in motu atque adeo in omni mutatione (nam cum movetur aliquid de albo in nigrum, corrumpitur album, et fit nigrum), ideo in omni mutatione naturali requiruntur et salvantur subjectum, forma et privatio. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

Ad tertium dicendum, quod principia mutationis sunt in duplici differentia. *Alia* sunt, secundum quæ mutatio dividitur in suas species, et hæc sunt tantum tria : subjectum, terminus a quo et terminus ad quem; nam ab his duobus sumitur species mutationis. *Alia* sunt, secundum quæ non dividitur mutatio in suas species, quia sunt communia omni mutationi, et ista sunt tria alia, puta movens, mobile et tempus. — Ad illud de generatione, quod sit actio, dicendum, quod generatio dupliciter potest sumi: *vel* ut mutatio, et sic habet tantum tria principia : materiam, formam et privationem; *vel* ut origo et productio, et ita est actio, et dicit ordinem intrinsecum ad agens. — 11. *Metaphys.* l. 11.

Ad quartum dicendum, quod loquimur de principiis, quæ necessario requiruntur in omni mutatione; hæc autem sunt tantum tria, quorum duo sunt principia per se essendi et fiendi, et intrinseca rei factæ; ex hoc enim aliquid fit per se, quod inest rei, postquam jam facta est; unum vero est per accidens, nimirum privatio, quæ dicitur principium per accidens præter dicta, tam in essendo quam in fiendo, quia coincidit cum materia, non tamen intrat substantiam rei factæ; est tamen principium necessarium, quia nunquam materia a privatione denudatur. — *Opusc.* 31; 1. *Phys.* l. 13 (12) et 14 (13).

Ad primum secundæ quæstionis dicendum, quod principia dicuntur manere, non tamen omnia; dicit enim Philosophus (*text.* 59; c. 7), quod manet subjectum et forma, non autem oppositum formæ, puta privatio; cum enim homo factus est musicus, non permanet amphus non musicus. — 1. *Phys.* l. 12 (11).

Vel dic, quod principia per se manent, non autem principia per accidens, sicut sunt privatio et forma præterita. Ex hoc enim aliquid fit per se, quod inest rei, postquam jam facta est; privatio autem non intrat essentiam rei factæ, sicut nec forma, quæ præfuit; et ideo utraque dicitur principium per accidens, secus vero materia et forma; nam utraque intrat substantiam rei. — 1. *Phys.* l. 14 (13).

Ad secundum dicendum, quod id, quod fit, per se fit ex ente in potentia, et per accidens ex non ente et ente actu, quia fit per se ex materia, quæ est ens in potentia, et per accidens ex privatione et forma præcedente, quatenus materiæ, ex qua fit aliquid per se, conveniebat esse sub tali forma vel sub tali privatione. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod licet privatio et materia sint unum numero seu subjecto, sunt tamen duo ratione, ut dictum est, et ideo sunt duo principia; non enim est necesse, quod principium dicat rem distinctam, sed sufficit, quod dicat rationem distinctam. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

Ad quartum dicendum, quod duplex est terminus generationis : *qui* et *quo*; ille est solum compositum, hic vero est forma, et non nisi ratione ipsius esse.

ARTICULUS IV.

UTRUM RECTE TRADITÆ SINT A PHILOSOPHO CONDITIONES PRINCIPIORUM RERUM NATURALIUM.

Videtur quod non recte traditæ sint conditiones principiorum rerum naturalium, quod non sint ex aliis, quod non ex alterutris, et quod omnia alia sint ex eis.

1. Dicit enim Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 4, c. 3; l. 10, c. 11), quod ad mutationem præter subjectum, terminum a quo et ad quem requiritur movens; sed movens a Philosopho requiritur ad hoc, ut moveat mobile ad formam, et per consequens producat formam : ergo forma, quæ est unum ex tribus principiis rerum naturalium, fit ex alio principio. — 11. *Metaphys.* l. 11.

2. Præterea, materia prima est creata a Deo; rationabile enim est, quod primum principium passivum sit effectus primi principii activi; nam omne imperfectum causatur a perfecto; oportet enim primum principium esse perfectissimum, ut dicit Aristoteles (12. *Metaphys. text.* 52; l. 11, c. 10). Sed quod ab alio producitur, ex alio est; nam particula *ex* importat etiam habitudinem causæ efficientis : ergo prima principia, cujusmodi est materia prima, possunt esse ex aliis. — 1a, q. 44, a. 2, ad 2; *Tabula Aurea* voce « ex » n. 2, 4, 6.

3. Præterea, musicum fit ex immusico et calidum ex frigido, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 43; c. 5); sed musicum et immusicum, calidum et frigidum et similia pertinent ad prima principia rerûm naturalium; unum enim est terminus a quo seu privatio, alterum vero est terminus ad quem seu forma, ut dicit Philosophus ibidem : ergo prima principia sunt ex alterutris. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

4. Præterea, forma educitur de potentia materiæ; sed hoc est formam esse ex materia prima : ergo unum principium est ex alio, et per consequens falsum est, quod prima principia rerum naturalium non sunt ex alterutris. — *Tabula Aurea* voce « forma » n. 104, 105.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 43; c. 5), quod unum contrarium fit ex alio, ut musicum ex immusico; sed principia sunt contraria, ut dicit Philosophus ibidem et *text.* 50 (c. 6) : ergo principia rerum naturalium fiunt ex alterutris. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

6. Præterea, cœlum non fit ex contrariis, cum illis careat, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 20; c. 3); sed cœlum est corpus naturale, ut dicit Philosophus (*ibidem text.* 96; c. 9) : ergo falsum est, quod ex primis contrariis fiant omnia, et consequenter tertia conditio falsa est. — 1. *de Cœlo* l. 6 et 20.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys. text.* 42; c. 5) dicit, quod oportet, quod principia neque ex alterutris sint, neque ex aliis, et ex his omnia, eo quod primis contrariis insunt hæc. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

RESPONDEO DICENDUM, quod tria videntur de ratione principiorum esse : *primum* est, quod non sint ex aliis; *secundum*, quod non sint ex alterutris; *tertium* vero, quod omnia alia sint ex eis. — Cujus ratio est, quia prima principia rerum naturalium sunt prima contraria, ut dictum est (supra a. 2); primis autem contrariis tria hæc insunt. Et *primum* quidem, quia ex eo, quod sunt prima, manifestum est, quod non sunt ex aliis; *secundum* vero, quia ex eo, quod contraria sunt, manifestum est, quod non sunt ex sese mutuo; quamvis enim frigidum fiat ex calido, in quantum id, quod prius est calidum, fit frigidum, tamen ipsa frigiditas nunquam fit ex caliditate, et multo minus ex privatione frigiditatis; *tertium* denique, quia omne generabile, cujus principia quæruntur et considerantur in 1. *Phys.*, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 20; c. 3), fit ex contrario et subjecto quodam sive materia; nam ex contrario fit aliquid, sicut ex non permanente; ex subjecto vero et altero contrario, puta ex forma sicut ex permanentibus, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 59, 60 et 80; c. 7 et 9). Ex eo enim fit aliquid per se, quod inest rei, postquam facta est; permanent autem in re facta subjectum et forma, et corrumpitur oppositum formæ, puta privatio vel opposita forma. — Unde manifestum est, quod primis principiis rerum naturalium tres prædictæ conditiones conveniunt. — 1. *Phys.* l. 10 (9), 13 (12) et seqq.; 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod prima principia non fiunt ex aliis, quia non dantur alia prima contraria cum suo subjecto, ex quibus illa fiant; movens autem non numeratur inter principia contraria, neque est subjectum contrariorum, ut patet. — 1. *Phys.* l. 11 (10).

Vel dic, quod Philosophus (1. *Phys.*) loquitur de principiis intrinsecis mutationis, secundum quæ mutatio sumit suam speciem, in quorum numero non est movens, ut dictum est. — 11. *Metaphys.* l. 11.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus 1. *Phys.* loquitur de fieri particulari, quod est de forma in formam, sive accidentalem sive substantialem. Cum autem materia dicitur a Deo creata, sermo est de emanatione rerum ab universali principio essendi.

Præterea loquitur de fieri per se, quod soli composito convenit; unde Philosophus (7. *Meta*

phys. text. 27; l. 6, c. 8) negat, formam per se generari, quia deberet generari ex materia, et sic ex illa componeretur, quod dici non potest. — 1a, q. 44, a. 2, ad 1; 7. *Metaphys.* l. 7.

Vel dic, quod ex principiis dicuntur omnia fieri, quatenus omnia generabilia et corruptibilia requirunt, ut per se fiant, materiam et formam, quæ ipsis insint, postquam facta sunt; nam de solis principiis rerum generabilium loquitur Philosophus, et illis assignat conditiones, ut dictum est (supra in c.) ex Philosopho; materia autem ingenerabilis est et incorruptibilis; est enim primum subjectum, ex quo per se fiunt res omnes generabiles et corruptibiles.

Ad tertium dicendum, quod licet calidum fiat ex frigido et musicum ex immusico, non tamen caliditas fit ex frigiditate, nec musica ex privatione musicæ. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

Ad quartum dicendum, quod formæ substantiales et accidentales non habent materiam *ex qua*, sed *in qua* et de cujus potentia educuntur; et ideo non convenit illis fieri ex aliis principiis. Quod enim vere fit ex principiis per se, vere constat ex illis; nam illa ipsi insunt, postquam factum est, ut dictum est (in corp. et ad 2).

Ad quintum dicendum, quod principia rerum naturalium non sunt calidum et frigidum, musicum et immusicum, sed forma et privatio, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 56 et 67; l. 6 et 7). Et ideo licet frigidum fiat ex calido et musicum ex immusico, non tamen frigiditas fit ex caliditate vel privatione frigiditatis, sicut nec musica ex privatione musicæ. — 1. *Phys.* l. 11 (10), 13 (12), et 10 (9).

Ad sextum dicendum, quod principia, quorum Philosophus (1. *Phys.*) assignat tres conditiones, sunt tantum rerum generabilium et corruptibilium, ut dictum est, cujusmodi non est cœlum, cum sit ingenerabile et incorruptibile, ac proinde carens contrariis, ex quibus omnen fit omnis generatio; nam omne generabile, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 30; c. 3), ex contrario et ex subjecto fit quodlibet; sicut et quod corrumpitur, a contrario et in contrarium corrumpitur. — 1. *de Cœlo* l. 6.

ARTICULUS V

UTRUM PRINCIPIA RERUM NATURALIUM SEMPER MANEANT.

Videtur quod principia rerum naturalium non semper maneant.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 60; c. 7), quod privatio non permanet; sed privatio est tertium principium rerum naturalium, ut dicitur l. c. *text.* 65, sq.; c. 7 : ergo principia rerum naturalium non debent semper manere. — 1. *Phys.* l. 12 (11) et 13 (12).

2. Præterea, oppositæ privative non possunt esse simul in eodem subjecto, sed unum corrumpit aliud, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 15; l. 9, c. 4; sed privatio et forma sunt oppositæ privative : ergo una corrumpit aliam, unde non simul manent; et ita falsum est, quod principia rerum naturalium semper manent. — 10. *Metaphys.* l. 6 (3).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys. text.* 50; c. 6) dicit, quod principia rerum naturalium semper manent.

Respondeo dicendum, quod principia rerum naturalium in re, postquam facta est, permanent, quia ex tribus principiis duo per se et absolute permanent, et tertium aliquo modo permanet, aliquo modo recedit. Nam ex eo dicitur aliquid per se fieri, quod illi inest, postquam factum est; hoc autem convenit soli materiæ primæ et formæ; nam utraque inest rei, postquam facta est, intrans substantiam et essentiam illius. Privatio autem ideo dicitur aliqualiter permanere, quia licet recedat privatio formæ, quæ advenit, cum aliquid fit, adjungitur tamen formæ advenienti privatio formæ oppositæ, quæ propterea dicitur principium per accidens rei in essendo. Et ex his patet *ad objecta*. — 1. *Phys.* l. 13, 14, 15 (12, 13, 14); 1. *de Cœlo* l. 6.

QUÆSTIO III

DE MATERIA PRIMA

Deinde considerandum est de principiis in particulari, et *primo*, de materia; *secundo* de forma; *tertio*, de privatione.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR

QUINDECIM :

1. Utrum materia prima sit ens reale actu existens.
2. Utrum materia habeat existentiam distinctam ab existentia formæ.
3. Utrum materia sublata quantitate sit divisibilis.
4. Utrum quælibet pars materiæ sit in potentia ad omnes formas.

5. Utrum materia habeat unam potentiam ad omnes formas.
6. Utrum potentia materiæ sit ejus essentia, an vero sit ejus passio.
7. Utrum materia appetat formas.
8. Utrum materia sit una numero omnium corporum generabilium et corruptibilium.
9. Utrum materia sit ingenerabilis et incorruptibilis.
10. Utrum materia prima sit causa generabilitatis et corruptibilitatis.
11. Utrum in materia prima sit quantitas interminata illi coæva.
12. Utrum in materia sit inchoatio formarum substantialium.
13. Utrum de potentia materiæ educantur formæ substantiales materiales.
14. Utrum recte definiatur materia, quod sit subjectum primum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens.
15. Utrum in corruptione compositi fiat resolutio usque ad materiam primam.

ARTICULUS I

UTRUM MATERIA PRIMA SIT ENS REALE ACTU EXISTENS.

Videtur quod materia non sit ens reale actu existens.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3), quod materia neque est quid neque quantum neque quale neque ullum ex aliis prædicamentis; sed ens reale actu existens sufficienter dividitur in decem prædicamenta, ut dictum est (in Logica 9. 18) : ergo materia prima non est ens reale actu existens. — 7. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, materia maxime ponitur in sublunaribus propter generationes substantiales; sed nulla datur generatio substantialis; quia si daretur, ut argumentatur Philosophus (1. *Phys. text.* 71; c. 8), aut fierent res ex ente aut ex non ente; non primum, quia antequam generaretur ens, jam esset ens, quod est absurdum, nam sic frustra fieret iterum ens; neque secundum, quia ex nihilo nihil fit : ergo materia non datur, ac proinde non est ens reale existens. — 1. *Phys.* l. 14 (13).

3. Præterea, ex hostia consecrata, naturaliter possunt generari animalia; sed in tali generatione non est ulla materia : ergo generatio substantialis naturalis non requirit materiam, et per consequens neque illam requirit res, quæ generatur; et sic materia non erit ens reale actu existens. — 3a, q. 77, a. 5.

4. Præterea, species sacramentales naturaliter corrumpuntur; sed in tali corruptione non datur ullum subjectum seu materia : ergo hæc non requiritur in corruptione naturali rerum et per consequens nec in generatione naturali neque in rebus, quæ generantur et corrumpuntur; et sic materia non erit ens reale actu existens. — l. c. a. 4, arg. 3.

5. Præterea, dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 11; l. 11, c. 2, et 1. *Phys. text.* 75; c. 8), quod quæ generantur, fiunt ex non ente; sed omnia fiunt ex materia, ex Philosopho ibidem : ergo materia est non ens; non ens autem opponitur enti reali actu existenti : ergo. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *Phys* 14 (13).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys* a *text.* 57; c. 7 et 12. *Metaphys.* a *text.* 9; l. 11, c. 2) ostendit, dari materiam in omn transmutatione naturali, et ibidem laudat philosophos omnes, quod posuerint materian tamquam principium rerum naturalium, et i generatione earundem necessario requisitam 1. *Phys.* l. 12 (11); 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

Respondeo dicendum, quod in omni mutatione naturali necesse est dari subjectum, e quod hoc subjectum sit commune omnibu rebus, quæ mutantur, et non ex alio factum et consequenter primum; quod patet. — Nam quod in omni mutatione naturali *dari debea subjectum*, manifestum est *primo*, *inductione* eorum, quæ fiunt. Nam cum fieri multipliciter dicatur, fieri simpliciter est solum fier substantiarum; alia vero dicuntur fieri secundun quid; et hoc ideo, quia fieri importat initiun essendi. Ad hoc autem, ut aliquid fiat simpliciter, requiritur, quod prius non fueri simpliciter, quod accidit in iis, quæ substantialiter fiunt; quod enim fit homo, non solun non fuit prius homo; sed simpliciter verun est dicere, ipsum non fuisse. Cum autem homo fit albus, non est verum dicere, quo prius non fuit; sed quod prius non fueri talis. Unde in iis, quæ fiunt *secundum quid* manifestum est, quod indigent subjecto. Nam quantitas et qualitas et alia accidentia quorum est fieri secundum quid, non possun esse sine subjecto; solius enim substantiæ es non inesse subjecto. — Verum et *in substantiis etiam* si quis considerat, manifestun est, quod fiunt ex subjecto; videmus enim quod plantæ et animalia sunt ex semine. — Præterea, idem constat inductione variorun

modorum fiendi; eorum enim, quæ fiunt, *quædam* transfiguratione, sicut statua fit ex ære; *quædam* fiunt appositione, ut patet in omnibus augmentatis, sicut fluvius fit ex multis rivis; *alia* vero fiunt detractione, sicut ex lapide fit per sculpturam imago Mercurii. *Quædam* vero fiunt compositione, sicut domus; *quædam* vero fiunt alteratione, sicut ea, quorum materia alteratur, sive fiant secundum naturam sive secundum artem; — et in omnibus his apparet, quod fiunt ex aliquo subjecto. Unde manifestum est, quod omne, quod fit, fit ex subjecto. — 1. *Phys.* l. 12, (11).

Quod præter inductionem *ratione* etiam confirmari potest. Cum enim omnis mutatio, ut argumentatur Philosophus (12. *Metaphys. text.* 6 et 7; l. 11, c. 1 et 2), fiat ex contrario vel contradictorio in contrarium, nec unum contrarium transmutetur in alterum (nec enim ipsa albedo fit nigredo), ad hoc, ut fiat transmutatio de nigro in album, oportet, quod aliquid sit præter nigredinem, quod fiat album, puta subjectum. Præterea, quia omne, quod generatur, ut arguit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7), sive generatur per artem sive per naturam, est possibile esse et non esse; cum enim generatio sit de non esse in esse mutatio, oportet id, quod generatur, quandoque quidem esse, quandoque non esse, quod non esset, nisi esset possibile esse et non esse. Hoc autem, quod est in unoquoque in potentia ad esse et non esse, est materia; est enim in potentia ad formas, per quas res habent esse, et ad privationes, per quas habent non esse. Unde relinquitur, quod in omni mutatione naturali oportet esse subjectum. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 7. *Metaphys.* l. 6.

Quod vero tale subjectum in omni mutatione naturali requisitum debeat esse *non ex alio factum* ac proinde primum atque adeo unum, probatur *primo*, quia ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 56; c. 6), tota generatio rerum naturalium potest compleri per unum principium materiale atque adeo per unum subjectum, et per duo formalia, quia ad patiendum sufficit unum materiale principium seu unum subjectum. *Secundo*, quia in unoquoque genere, et consequenter in genere substantiæ, quod est primum genus, est tantum una prima contrarietas, eo quod omnes aliæ contrarietates videntur reduci ad unam primam; sed una contrarietas habet tantum unum subjectum. *Tertio*, quia omnia corpora sublunaria invicem agunt et patiuntur; sunt enim contraria vel contrarietatem habent, ut patet sensu. Eatenus autem aliqua agunt et patiuntur ad invicem, quatenus conveniunt in una materia, ut probat Philosophus (1. *de Generat.* a *text.* 52; c. 7) tum *inductione*: nam corpus est natum pati a corpore, quod est ejusdem generis in substantia, si tamen communicent in materia, defectu cujus corpora cœlestia non patiuntur a sublunaribus, in quæ agunt, quia cum illis non communicant in eadem materia; — tum *ratione*, quia quæcunque agunt et patiuntur ad invicem, sunt contraria; contraria autem sunt in eodem genere, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 14; l. 9, c. 4, puta in eadem materia seu in eodem susceptibili. Dicitur enim materia genus, ut docet Philosophus (1. *de Generat. text.* 51; c. 7), non ut genus est prædicabile, sed secundum quod genus dicitur subjectum primum, quod substat duobus contrariis vel pluribus; contrariorum enim unum est in activo, alterum in passivo, et ideo una est materia activi et passivi. *Demum* impossibile est, quod subjectum primum fiat ex alio subjecto; nam sic abiretur in infinitum; quare deveniendum est ad unum subjectum primum commune omni mutationi naturali, non factum ex alio, quod vocamus, inquit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9 et 12. *Metaphys. text.* 12; l. 11, c. 3), materiam. — Unde manifestum est, principium materiale seu materiam primam, quæ est tale principium, esse ens reale actu existens. — 1. *Phys.* l. 11 (10) et 15 (14); 1. *de Generat.* l. 20; 10. *Metaphys.* l. 5 (2); 12. *Metaphys.* l. 3. (2).

Ad primum ergo dicendum, quod materia non dicitur a Philosopho : neque quid neque quantum, quia non sit ens reale (est enim substantia, ut dicit Philosophus ibidem, et principium substantiæ compositæ), — sed quia, cum sit primum subjectum substans non solum motibus, qui sunt secundum quantitatem et qualitatem et alia accidentia, sed etiam mutationibus, quæ sunt secundum substantiam, oportet, quod sit alia secundum suam essentiam non solum a quantitate et qualitate et aliis accidentibus, sed etiam ab omnibus formis substantialibus et earum privationibus, quæ sunt termini generationis et corruptionis. — 7. *Metaphys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod in generatione substantiali ex ente in potentia fit aliquid per se; ex ente autem in actu vel ex non ente fit aliquid per accidens; nam materia, quæ est ens in potentia, est id, ex quo fit aliquid per se; hæc enim est, quæ intrat substantiam rei factæ; ex privatione autem vel forma præcedente fit aliquid per accidens, in quantum materiæ, ex qua fit aliquid per se, conveniebat esse sub tali forma vel sub tali privatione. — 1, *Phys.* 14 (13).

Ad tertium dicendum, quod generatio illa animalium ex speciebus consecratis est naturalis, sed præsupposito miraculo; nam in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum, quod est proprium materiæ; et ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis et vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti; quia miracula, quæ sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quam species sensibiles conservantur; non est autem idem causa conservationis et corruptionis. — 3a, q. 77, a. 5 et 4 ad 3.

Ad quartum dicendum, quod corruptio illa specierum non est miraculosa, sed naturalis, præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione; scilicet, quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto, quod prius habebant in subjecto; sicut et cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt. — l. c. a. 4, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter ea, quæ generantur, dicuntur fieri ex non ente. *Uno modo*, per accidens, quatenus fiunt ex materia subjecta privationi, ratione cujus dicitur non ens. *Altero* per se, quatenus fiunt ex materia prima, quæ, quantum est de se, non est ens actu, sed ens in potentia. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

ARTICULUS II.

UTRUM MATERIA HABEAT PROPRIAM EXISTENTIAM DISTINCTAM AB EXISTENTIA FORMÆ.

Videtur quod materia non habeat propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

I. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 78 et 79; c. 8 et 9), quod materia est ens in potentia et ideo quæ generantur, dicuntur fieri per se ex ente in potentia, per accidens vero ex ente in actu vel ex non ente; et 7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3 docet, materiam neque esse quid neque quantum neque ullum aliorum prædicamentorum, sed esse unumquodque eorum in potentia, quia est in potentia ad omnes formas tam substantiales quam accidentales; et 8. *Metaphys. text.* 15; l. 7, c. 6 dicit, ideo ex materia et forma fieri unum per se, quia materia est ens in potentia et forma actus; sed quod est ens potentia, non habet in se ullam existentiam. Nam, cum hæc sit actus quidam, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 11; l. 8 c. 6., per illam materia esset ens actu, et ita ex illa et forma non fieret unum per se, ut dicitur 7. *Metaphys. tex.* 49; l. 6, c. 13 : ergo materia non habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. — 1. Phys. l. 14 et 15 (13 et 14); 7. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, materia non potest existere separata a forma, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3; 8, *Metaphys. text.* 3; l. 7 c. 1 et 1. de *Generat. text.* 29; c. 5); sed si haberet propriam existentiam, posset existere sine forma : ergo materia non habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. — 1 *de Generat.* l. 13; 7. *Metaphys.* l. 2; 8 *Metaphys.* l. 1; *de Verit.* q. 3, a. 5; *Opusc* 31; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 78 et 96

3. Præterea, esse est proprius effectus formæ nam per se consequitur illam tamquam primus effectus ipsius; sed per existentiam res habet esse : ergo materia non habet existentiam propriam, sed emendicatam a forma. — *Tabula Aurea* voce « esse » n. 27, 28, 32, 51.

4. Præterea, unumquodque in tantum est actu, in quantum habet formam; nam omnis actus vel est forma vel a forma : ergo materia in tantum actu existit, in quantum existentiam per quam est actu, habet a forma. — 7. *Metaphys.* l. 2; 1a, q. 66, a. 1; 1. *Phys.* l. 15 (14) *Tabula Aurea* voce « actus » n, 2 et voce « esse » nn. cit.

5. Præterea, si materia haberet propriam existentiam, haberet etiam propriam ideam, quæ est principium productionis, quæ terminatur ad esse; sed materia non potest habere propriam ideam, *tum* quia oporteret, quod ejus idea esset in potentia tantum, quod esse non potest, quia in Deum non cadit ulla potentialitas; *tum* quia idea est eorum, quæ sunt vel esse possunt, materia

autem neque est per se separata existens, neque esse potest, ut dictum est (supra in arg. 2) : ergo materia non habet propriam existentiam. — *de Verit.* q. 3, a. 5.

Sed contra est : 1. Quod Philosophus (7. *Metaphys. tex.* 8; l. 6, c. 3) dicit, materiam, quia est subjectum omnis mutationis, substare omnibus formis, et quia forma substantialis de ipsa denominative prædicatur, per accidens se habere formam substantialem ad ipsam ; sed quod substat alicui formæ et per accidens recipit prædicationem illius, habet essentiam diversam ab illa et non emendicat ab illa existentiam, per quam habet, quod illi substat ; quin etiam in existentia præsupponitur illi, quia prædicatum accidentale supponit existentiam subjecti : ergo materia habet existentiam distinctam ab existentia formæ. — 7. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c, 9), quod materia est id, in quod ultimum resolvitur omne id, quod corrumpitur ; sed hoc est materiam permanere in eodem esse, corrupto toto composito et per consequens recedente forma substantiali : ergo materia habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. — 1. *Phys.* l. 15. (14).

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 81; c. 9), quod materia appetit formam et ordinatur ad illam tamquam ad finem, quod idem docet 2. *Phys. text.* 25 et 26; c. 2; sed solius existentis extra causas est ordinari in finem et aliquid appetere : ergo materia habet propriam existentiam. —1. c. 2. *Phys.* l. 4.

4. Præterea, esse materiæ in quolibet composito substantiali est materiale, quia recipitur in essentia materiæ; omne autem illud, cujus esse est in materia, est materiale; sed non est tale esse cujuslibet formæ substantialis in quolibet composito, ut est manifestum in esse animæ rationalis in homine : ergo saltem in homine materia habet esse existentiæ diversum ab esse existentiæ formæ. — 2. *c. Gent.* c. 56, n. 3.

5. Præterea, materia aliquo modo est, quatenus est in potentia; sed quod sit ens in potentia, non est effectus formæ vel ullius agentis naturalis, sed solius Dei : ergo quod materia sit, non est effectus formæ. — 2. c. *Gent.* c. 16, n. 11.

6. Nec bene nec intelligibiliter dicitur, in creatione animæ novam materiam secundum esse creari, tum per existentiam materiæ præexistenti uniri sicut punctus puncto; sed id sequeretur, si haberet propriam existentiam a forma : ergo. — *Opusc.* 9, q. 106.

7. Præterea, ens simpliciter non potest fieri ab agente naturali, nisi per accidens, ut dicitur 1. *Phys. text.* 76; c. 8; sed si agens naturale per formam inductam in materiam daret illi esse simpliciter seu existentiam, faceret per se ens simpliciter, quia faceret hoc ens, quod est materia, ex non ente simpliciter, quia nihil præexisteret, ex quo faceret materiam : ergo esse materiæ non est effectus formæ. — 2. *c. Gent.* c. 21.

Respondeo dicendum, quod materia habet existentiam propriam distinctam ab existentia formæ. Cujus ratio manifesta est, quia per existentiam seu per esse materiæ intelligimus id, quo materia absolute et simpliciter est, non autem quo est hæc vel talis; sed effectus formæ substantialis non est, quod materia absolute et simpliciter sit; sed quod sit hæc, in tali nimirum specie ; sicut effectus formæ accidentalis est, quod materia sit talis : ergo existentia materiæ non est effectus formæ substantialis. Major est manifesta, minor multipliciter probatur.

Et primo quidem, ex productione materiæ. Cum enim productio terminetur ad esse, ubi sunt duæ productiones diversæ ac distinctæ, ibi sunt esse diversa et distincta; sed materia et forma producuntur duabus productionibus omnino diversis ac distinctis. Nam cum materia sit, ut inquit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9), ingenita et incorruptibilis, non nisi per creationem et a Deo produci potest; formæ vero substantiales materiales per transmutationem ab agente naturali ex materiæ potentia educuntur. Cum ergo nullum agens naturale creare possit, non poterit mediante forma per suam actionem in materiam inducta, dare illi existentiam et consequenter facere, quod sit. — 1a, q. 44, a. 2 et q. 75, a, 5, ad 4; *de Verit.* q. 5, a. 4, ad 6; 2. *c. Gent.* c. 16 et 21.

Secundo ex productione formæ. Sicut enim hæc quoad esse actu educitur de potentia materiæ, ita quoad esse in potentia concreatur materiæ; sed non posset hoc esse formæ concreari materiæ, nisi hæc haberet propriam existentiam et proprium esset in quo per creationem a Deo producto simul diceretur illud concreatum; nam alioqui non esse in potentia formæ, sed esse actuale ejusdem concrearetur materiæ : ergo materia habet esse actuale diversum ac distinctum ab esse actuali formæ. — *de Pot.* q. 3, a, 4, ad 7 et q. 5, a. 1, c. et ad 5.

Tertio ex operatione agentis naturalis. Effectus formæ substantialis est effectus agentis naturalis, quia quod facit forma formaliter, hoc facit agens efficienter, sicut pictor dicitur colorare parietem, et etiam color; sed agens naturale per actionem, qua formam inducit in materiam, non tribuit huic, quod absolute et simpliciter sit, seu esse simpliciter, sed tantum quod sit hæc, seu esse in tali specie : ergo effectus formæ non est existentia materiæ. — Minor probatur multipliciter; et *primo*, quia esse simpliciter est effectus universalissimus et communis rebus omnibus; sed effectus communis et universalissimus debet tribui causæ communi et universalissimæ; quia cum effectus debeat proportionari causæ, sicut proprius et particularis effectus reducitur in propriam et particularem causam, ita communis et universalis debet reduci in causam communem maxime universalem; hæc autem est solus Deus, non agens ullum creatum (*de Malo* q. 5, a. 5, ad 16; 2. *c. Gent.* c. 15, 16, 26; 1a, q. 44, a. 2 et q. 45, a. 2 et 5.) — *Præterea*, agens naturale causat res ex præsupposita materia; quicunque autem facit ex aliquo, illud, ex quo facit, præsupponitur in esse actioni ipsius, et consequenter non recipit esse per illam actionem; sic enim artifex operans ex rebus naturalibus, ut ex ligno et ære, per artis actionem illa non causat, sed supponit illa causata per actionem naturæ : ergo in transmutatione substantiali materia non recipit esse existentiæ a forma substantiali vel ab agente naturali mediante forma. (*Ibidem*, et 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, ad 5; vide 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1) — *Item*, agens naturale est agens per mutationem, mutatio autem præsupponit existere illud, quod mutatur, quia per mutationem non datur ei, quod mutatur, quod sit, sed quod sit hoc vel tale. Nam per illam non fit res ex non ente simpliciter, sed ex tali non ente, et per consequens nec per illam fit ullum ens simpliciter, sed solum hoc ens, in tali nimirum specie, vel tale ens, puta calidum vel frigidum; quod autem in substantiali mutatione mutatur, est materia; non ergo recipit hæc esse ab agente naturali mediante forma; non enim forma constituit speciem, nisi per hoc, quod sit actus materiæ, quod est id, ad quod generatio terminatur, et per quod natura speciem intendit. (*Ibid.* et 3a, q. 2, a. 5, c.) — *Item* agens naturale est agens particulare, quod agit ad determinatam speciem tantum; agere autem ad determinatam speciem tantum est per actionem in materiam præexistentem inducere formam, per quam illa contrahitur et determinatur ad hanc vel illam speciem. Non ergo agens naturale potest sua actione dare materiæ esse simpliciter seu esse existentiæ, sed tantum esse specificum seu esse hanc seu in tali specie. — *Item*, agens naturale non agit secundum totam substantiam, sed tantum secundum formam, quia agit secundum quod est actu; est autem actu tantum secundum formam et non secundum materiam : ergo per actionem suam non debet dare esse materiæ, sicut dat formæ et toti composito ratione formæ; alioqui ageret secundum totam substantiam, quod est proprium solius Dei. — *Item*, materia comparatur ad agens naturale, sicut recipiens actionem ab ipso; actio enim est actus agentis, ut a quo, et patientis, ut in quo; omne autem recipiens aliquid debet præsupponi inesse illi, quod recipit; debet ergo materia præexistere actioni agentis, et multo magis ejus termino, et consequenter non debet materia in instanti generationis substantialis recipere esse per actionem agentis naturalis, et multo minus per formam, quæ est terminus actionis et illa posterior in esse. — *Ibidem*, et 2. *c. Gent.* c. 16 et 20.

Quarto, ex causalitate materiæ. Materia enim est causa formæ, quatenus existit in mundo, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2; nam ex illa existente forma educitur ab agente; id autem, ex quo fit aliquid, naturaliter est prius eo; sicut contra in esse specifico et completivo, forma est causa materiæ; in omni autem genere causarum causa est naturaliter prior in esse quam effectus. Cum ergo agens naturale in instanti provocat formam substantialem, illam educendo ex potentia materiæ existentis, in tali instanti debet prius natura supponi materia existere, quam intelligatur forma educi, ac proinde debet intelligi materia cum propria existentia non emendicata a forma; alioqui si haberet existentiam ab illa, nec esse formæ esset prius in potentia in esse materiæ per creationem producto, ut dictum est, nec educeretur ex illo, nec esset ab illo causatum, nec esset forma posterior via generationis, sicut est prior materia via naturæ. — *de Pot.* q. 4, a. 1 et 2; *Opusc.* 31; 5. *Metaphys.* l. 2; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 100 et voce « forma » n. 165, 168.

Quinto, ex separabilitate productionis mate-

riæ a productione formæ. Si materia potest sola creari et in eodem instanti uniri dispositionibus (quamvis utrumque fiat supernaturaliter et miraculose), tum in eodem instanti forma substantialis ex materia sic producta et disposita per actionem agentis naturalis educatur, necesse est, quod in tali casu materia habeat propriam existentiam, ad quam terminetur illius creatio, distinctam ab existentia seu ab esse formæ, ad quod terminatur actio agentis illam educentis ex materia sic creata; alioqui sola creari non posset absque eo, quod crearetur esse formæ atque adeo ipsa forma, et non prius quam forma, cum creatio prius terminetur ad esse quam ad naturam, quæ per esse dicitur creari; prædictus autem casus miraculose possibilis est et de facto datur in generatione animalium ex speciebus consecratis, quando corrumpuntur : ergo (*Tabula Aurea* voce « creatio » n. 1 et 2; 3a, q. 77, a. 5; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1. a. 2, sol. 4). — *Confirmatur primo*, quia potest Deus communicare creaturæ potentiam creandi, si sumatur talis potentia ex parte rei creatæ, ut nimirum virtute Dei operantis in ipsa producat aliquod esse simplex vel materiam; hoc autem posito materia habebit existentiam independenter a forma. (2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, c.; 4. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 3, sol. 3, ad 4) — *Confirmatur secundo*, quia quando Deus formavit corpus mulieris ex costa Adæ, id fecit vel creando novam materiam vel accipiendo novam materiam præexistentem sub forma corporis adjacentis; in his autem casibus, cum materia sola creetur vel spolietur antiqua forma, et uniatur alteri formæ, necesse est, materiam habere propriam et distinctam existentiam ab existentia formæ; nam creatio terminatur ad existentiam, ut dictum est, et unio est existentium. — 1a, q. 3, a. 3; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 1.

Sexto, ex termino productionis cujuslibet rei atque adeo ipsius materiæ, qui est esse. Est enim esse actus cujuslibet essentiæ maxime intra rem existens, et multo magis quam forma, quia est quasi constitutum per principia essentiæ; habet autem materia propriam essentiam, cum sit substantia quædam imperfecta seu potentia quædam passiva substantialis; quare et debet habere proprium esse distinctum ab esse formæ. — *Tabula Aurea* voce « esse » n. 52, 59, 65, 89 et voce « materia » n. 8 et 11; 4. *Metaphys.* l. 2 (1); 2. *c. Gent.* c. 56.

Septimo, ex diversitate, quæ est inter esse materiæ et esse formæ, quæ necessario arguit realem distinctionem inter utrumque. Nam esse materiæ est materiale; est enim in ejus essentia subjective, et est in ultimo gradu essendi; nam est debile, imperfectum, incompletum et in potentia; esse vero formæ potest esse spirituale et immateriale, ut est esse animæ rationalis, et est actuale, perfectum et completum, et magis imitans esse Dei, ratione cujus dicitur forma principium essendi, quia est complementum substantiæ, cujus est esse. Item, ratione sui esse imperfecti, materiæ dicitur convenire duplex esse : *unum in se*, quod est imperfectum et debile et incompletum, secundum quod aliquo modo divinum esse imitatur, et a Deo producta est, et ratione cujus habet in Deo propriam ideam, quæ est principium productivum ipsius; *alterum in alio* perfectum et completum, quod habet per formam et secundum quod est in composito, et non habet in Deo ideam distinctam ab idea compositi. — Unde sumi potest confirmatio hujus argumenti sic : Illa, quæ habent distinctam ideam, habent distinctum esse (nam idea est principium productivum esse rei); habet autem materia distinctam ideam ab idea formæ; nam potest distincte considerari, quamvis separatim esse non possit : ergo. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 3, a. 5; 3a, q. 17, a. 2, ad 4 et q. 2, a. 2, ad 2; *Opusc.* 31; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 1, ad 5; 8. *Phys.* l. 2; 2. *c, Gent.* c. 54.

Octavo, ex diversitate inter esse, de quo est præsens quæstio, et esse, quod est effectus formæ seu quod dat forma materiæ. Cum enim, ut docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7), duplex sit esse rei : unum, per quod respondetur ad quæstionem : *quid est?* et est prædicatum essentiale; *alterum* vero, per quod respondetur ad quæstionem : *an est?* et est prædicatum accidentale, — illud esse, de quo est præsens dubitatio, est hoc secundum esse, est enim esse existentiæ, per quod res simpliciter est; illud autem esse, quod dat forma materiæ et est effectus illius, est primum esse. (5. *Metaphys.* l. 9, al. 7; *de Malo* q. 1, a. 1, ad 19; 3. *Sent.* dist. 6, q. 2, a. 2, arg. 5 et ad 5 et in c.; 1a, q. 3, a. 4, ad 2; v. Cajetanum in hunc loc.; 2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 1, c.; *Quodl.* 2, a. 3, c.; *de Pot.* q. 7, a. 2, arg. 2; *Tabula Aurea* voce « esse » n. 1, 27, 84 sqq. et voce « ens » n. 1, 2, 3, 4, 5.) — Quod patet *primo*, quia forma dat esse essentiale contra-

distinctum ab aliis gradibus, nimirum vivendi, sentiendi et intelligendi, quod est quidditativum. *Secundo*, quia forma dat illud esse materiæ, quod est ipsa forma; at esse existentiæ cum realiter distinguatur a forma, sicut et a qualibet re habente esse, non est ipsa forma; secus vero esse essentiæ, ut per se manifestum est. *Tertio*, quia forma dat materiæ esse completum; unde dicitur esse illa prior substantia et complemento, quia natura non habet esse completum nisi per formam. Præterea dat illi esse specificum et completivum seu esse substantiam, esse corpus, et esse vivum; hoc autem esse est essentiale, non autem accidentale, ut per se constat et manifeste apparet ex hoc, quod forma per illud esse, quod dat materiæ, facit illam, ut dictum est, esse hanc, non autem esse talem vel esse simpliciter et absolute. At materiam esse hanc, est esse in tali specie; esse autem talem, est esse calidam vel frigidam; esse vero absolute et simpliciter, est simpliciter existere : ergo dicendum est, quod materia non habet esse existentiæ a forma. — 1a, q. 76, a. 4, ad 3 et a. 6, c.; 2. *Phys.* l. 10; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, c. et ad 5; 3a, q. 17, a. 2, ad 4; v. Cajetanum in hunc loc.; *Quodl.* 3, a. 1; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2, c.; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 1; 2. *de Anima* l. 1; 3a, q. 17, a. 2, ad 1 et q. 2, a. 2, ad 2; *Opusc.* 31.

Nono, ex bonitate materiæ. Nam omne ens est bonum ex hoc, quod habet esse; quia ipsum esse habet rationem boni et finis, et quia licet per essentiam, res dicatur ens, non tamen dicitur bona; quia esse bonam convenit tantum per esse, quod habet; materia autem secundum quod est ens in potentia et terminus creationis, est quid bonum in se : ergo dicendum est, quod habet proprium esse distinctum ab esse formæ, ratione cujus forma dicitur esse quid melius vel majus bonum quam materia, cum ejus esse sit actuale et perfectum, ut dicitur est. — Confirmatur; nam materia prima participat bonum, appetit enim ipsum; nihil autem appetit nisi simile sibi; est ergo materia in se bona; sed eatenus aliquid est bonum, quatenus actu est seu quatenus habet esse; hoc enim est actualitas omnis rei : habet ergo materia in se esse distinctum ab esse formæ, quod ipsa appetit. — 1a, q. 44, a. 2 et q. 5, a. 2, ad 1; 2. *c. Gent.* c. 15, 16, 21; *de Verit.* q. 21, a. 1, 2, 3; *de Malo* q. 1, a. 2, c. et ad 8, 9, 14, 15.

Decimo, ex subsistentia materiæ; quia nulla forma substantialis materialis subsistit, sed quælibet accipit subsistentiam a materia; ergo materia habet subsistentiam sibi propriam; et non emendicatam a forma; sed subsistere nihil aliud est quam per se existere, et similiter subsistentia nihil aliud est quam existentia per se, nulli nimirum per se existenti innixa, ut dictum est : ergo materia habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. — Confirmatur : quia causalitas materiæ in hoc consistit respectu formæ, quod illam sustentat, *vel* simpliciter, communicando illi esse, per quod sustentetur et in quo subsistat; *vel* secundum quid sustentando non esse formæ, sed actum informandi ipsius formæ, si sit spiritualis, ut est anima rationalis; nihil autem sustentat aliud præsertim in esse per esse illius; quia cum esse sit ratio sustentandi, implicat, quod idem esse sit uni ratio sustentandi aliud, et eidem sit ratio, cur existat et sustentetur ab illo : habebit ergo materia proprium esse, per quod sustentat esse formæ materialis et actum informandi formæ spiritualis, distinctum ab esse utriusque formæ. — *de Pot.* q. 2, a. 1 et q. 3, a. 9; 1a, q. 75, a. 2, 3 et 6 et q. 118, a. 2 et 3; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 3, ad 6; *Quæst. disp. de Anima* a. 5, 7, 8 et 9; 5. *Metaphys.* l. 2; *Tabula Aurea* voce « forma » u. 77 et 160.

Undecimo, ex subjecto generationis. Hoc enim non est nihil, sed aliquid existens in mundo, quia ex nihilo nihil fit; sed materia est subjectum generationis, ut docet Philosophus (1. *de Generat.* et 1. *Phys.*) : ergo in illo instanti, in quo prius natura præintelligitur subjectum generationi substantiali, debet materia, quæ est tale subjectum, habere aliquam existentiam, ratione cujus non possit dici non ens, sed vere ens existens. Non potest autem habere talem existentiam a forma, quia sicut ratione illius debet præintelligi ipsi generationi, ita et multo magis debet præintelligi formæ substantiali, quæ est posterior in esse generatione, cujus ipsa terminus : ergo habet illam independenter a forma. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *Phys.* l. 15 (14); 1. *de Generat.* l. 9.

Duodecimo, ex incorruptibilitate materiæ. Cum enim hæc sit incorruptibilis, non potest desinere esse nisi per annihilationem, quæ opponitur creationi, per quam solam potuit produci et de facto fuit a Deo producta; sed Deus non annihilat materiam in corruptione compositi substantialis : ergo retinet in instanti corruptionis esse, quod habuit a Deo per creationem; sed recedente forma substantiali compositi, quod cor-

rumpitur, per corruptionem, desinit esse existentiæ seu ipsa existentia formæ substantialis : ergo materia non habet esse existentiæ a forma, sed habet proprium et distinctum ab esse formæ. — 1. *Phys.* l. c; *de Pot.* q. 5, a. 4.

Decimotertio, probatur ex absurdis, quæ sequuntur, si negetur, materiam habere propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

Primo enim sequitur, quod agens naturale materiam in esse producat. Cum enim natura producatur ratione ipsius esse, quod per se primo terminat productionem, si unum est esse materiæ et formæ, sicut ex eo, quod productio terminatur ad esse formæ, agens dicitur producere formam; ita dicetur producere materiam, quia ejus actio productiva terminatur ad idem esse utriusque; et tamen materia est ingenerabilis, ut dicitur 1. *Phys.* in fine, et non nisi a Deo per creationem produci potest. — *de Verit.* q. 5, a. 4, ad 6; *Tabula Aurea* voce « generatio » n. 16, 17; 1. *Phys.* l. c.

Secundo, quod agens naturale possit corrumpere materiam, sicut corrumpit formam; quia cum corruptio terminetur ad non esse, sicut generatio ad esse, tunc dicitur aliquid corrumpi, cum amittet suum esse; amitteret autem materia suum esse per corruptionem formæ, si unum et idem esse competeret utrique; sicut ipsa forma vere dicitur corrumpi, quando corrumpitur compositum substantiale, quia vere amittit suum esse. — Neque vero dici potest, quod per actionem agentis naturalis terminatam ad productionem sequentis formæ materia reproducatur; quia actio agentis naturalis non se extendit ad productionem materiæ; nam sic illam crearet, ut dictum est, quod est proprium Dei, et tamen cum ex vi corruptionis formæ præteritæ desinat esse in mundo, deberet reproduci, ut formam sequentem sustentare posset. — *Tabula Aurea* l. c. et voce « creatio » 13, 22, 23.

Tertio, quod anima rationalis in homine sit divisibilis et extensa. Cum enim quælibet forma accidentalis subjecto, cui inest, det tale esse, si esse materiæ esset idem, quod esse formæ substantialis, cum quantitas in homine inhæreat materiæ mediante esse, illi inhærebit mediante esse animæ rationalis, et ratione illius eidem animæ, et sic anima rationalis erit divisibilis et extensa, quod dici non potest, cum nullum accidens materiale et divisibile subjectari possit in entitate spirituali et indivisibili, cujusmodi est substantia animæ rationalis et ejusdem existentia vel esse; nullum enim divisibile potest inesse rei indivisibili, ut dicitur 3. *de Cœlo text.* 7; c. 1; cujus ratio est, quia id, quod inest alicui, quodammodo comprehenditur ab ipso; divisibile autem non potest comprehendi ab indivisibili. — 1a, q. 44, a. 2, *Tabula Aurea* voce « esse » n. 61; 3. *de Cœlo* l. 3.

Quarto, dici posset, materiam educi de potentia formæ. Nam ideo forma dicitur educi de potentia materiæ, ut dictum est, quia materia ante inceptionem formæ potest illam causare quoad suum esse, fieri et incipere et postea actu causat ista tria, et deinde trahitur materia ad participandum actum formæ; sed si forma dat esse existentiæ materiæ, eodem modo in instanti generationis forma potest causare materiam quoad esse existentiæ, et actu causare tale esse et trahi ad participandum actum subsistentiæ, quæ soli materiæ convenit, cum nulla forma substantialis, excepta anima rationali, per se subsistat, sed tantum per subsistentiam materiæ, ut dictum est. — V. infra a. 13, ad 6; Capreolum in 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 3, ad 1. Aureoli; *de Pot.* q. 2, a. 1, c.

Quinto, dici posset, intellectionem animæ rationalis esse communem cum corpore, contra Philosophum (2. *de Anima text.* 11; c. 1 et 3. *de Anima text.* 6; c. 1), ubi dicit, quod intellectus nullius corporis est actus, et quod non est mixtus cum corpore. — Sequela probatur, quia cujus esse est commune corpori, oportet et operationem esse communem. Unumquodque enim agit secundum quod est ens, nec virtus operativa rei potest esse sublimior quam ejus essentia, cum virtus essentiæ principia consequatur; si ergo in homine est unum esse commune materiæ et formæ, seu corpori et animæ rationali, ejus etiam operatio propria, quæ est intellectio, erit etiam communis corpori, seu corpus communicabit in tali operatione, quod est contra Philosophum et veritatem. — Dicendum ergo est, materiam habere propriam ac distinctam existentiam ab existentia formæ. — 2. *c. Gent.* c. 5, 6, in fine.

Ad primum ergo dicendum, quod ens in potentia duplex est, *unum*, quod actu est non ens et nihil, seu quod nullo modo est; et hoc modo sumpto ente in potentia, materia non est ens in potentia, quia materia, ut est ens in potentia, aliquo modo est, et per consequens est quid a Deo productum; ens autem potentia hoc modo sumptum neque est neque est quid a Deo productum; præterea, quia ex tali ente in potentia, quod est non ens, non fit generatio, quæ tamen

fit ex materia. *Alterum* vero, quod est quidem ens in se et vere est, sed est ens in potentia ad omnes formas substantiales, cum sit potentia passiva substantialis : et hoc modo materia est ens in potentia, et ex tali ente, quod dicitur non ens actu, quia caret forma, quæ est actus, et per quam totum compositum fit actu, fit generatio, et ex tali ente et forma fit unum per se. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *de Generat.* l. 9; 2. *c. Gent.* c. 16; 1a, q. 44, a. 2; *Tabula Aurea* voce « materia » n. 8 et 11.

Vel dic, quod quia actus et potentia dividunt quodlibet genus entis, ut patet 9. (8) *Metaphys.* et 3. *Phys.*, ideo sicut potentia ad qualitatem vere est ens actu existens in mundo, habens existentiam distinctam ab existentia qualitatis, ad quam est in potentia, ita materia, quæ est substantialis potentia passiva ad formam substantialem, erit ens actu existens in mundo per existentiam distinctam ab existentia formæ. — 1. *Phys.* l. 15 (14); *Metaphys.* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 4 (3); *Tabula Aurea* l. c.; v. in Metaphysica q. 13, a. 2 et in Logica q. 6, a. 3.

Ad secundum dicendum, quod licet materia non possit existere separata a forma naturaliter loquendo et de potentia Dei ordinaria, non tamen inde sequitur, materiam non habere propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, ut manifeste patet, *tum* quia neque forma substantialis materialis potest existere separata a materia, cum per se existere sit proprium substantiæ compositæ, ut docet Philosophus (8. *Metaphys. text.* 3; l. 7, c. 1), et tamen forma substantialis habet propriam existentiam; *tum* quia licet non possit materia existere separata a forma, quia tamen potest distincte considerari, potest per se habere propriam ideam, ac proinde propriam et distinctam existentiam, cujus principium productivum est idea. (8. *Metaphys.* l. 1; *de Verit.* q. 3, a. 5, c. et ad 3) — Dixi : naturaliter loquendo et de potentia Dei ordinaria, quia supernaturaliter loquendo et miraculose et de potentia Dei absoluta potest materia existere separata a forma, ut patet *primo*, quia licet hoc videatur repugnare modo agendi Dei, quia cum agat per intellectum suum et per Verbum, quod est formativum omnium, videtur oportere, quod omnia, quæ agit, sint formata, et consequenter quod materia producatur simul cum forma; non tamen repugnat divinæ potentiæ, quia id non implicat contradictionem; Deus autem potest facere, quidquid non implicat contradictionem. (*Quodl.* 12, a. 2; *Tabula Aurea* voce « Deus » n. 370) — *Secundo*, quia esse materiam actu non separatam non dicit esse materiæ absolute, sed magis modum essendi, qui ipsi competit in ordine ad causam secundam. Nam per agens naturale immutatur materia ad formam, ad quam est in potentia, ut patet in simili in esse accidentis in subjecto, quod est inesse; unde remoto ordine materiæ ad genus naturale, adhuc poterit remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quem modus essendi ipsius non est esse actu, sed esse in potentia; sicut remoto ordine accidentis ad causam proximam, adhuc potest remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quem modus essendi ipsius non est inesse, sed esse ab alio; et ita sicut potest Deus facere, quod sit accidens, et non insit, ita potest facere, quod materia sit, et non in actu, seu et non simul cum forma, sed per se. (4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 1 et ad 1; 4. *c. Gent.* c. 63; 2. *c. Gent.* c. 16.) — *Tertio*, quia possunt dari aliqui casus et de facto dantur, in quibus materia produci potest a Deo et producitur sine forma, et consequenter potest habere existentiam propriam et distinctam ab existentia formæ, ut dictum est (supra in c. ratione quinta). — *Quarto*, quia cum materia sit causa formæ sustentando ipsam, forma vero sit causa materiæ faciendo illam esse in actu secundum genus causæ formalis (nam materia recipit formam, ut secundam illam constituatur in esse alicujus speciei vel aeris vel ignis vel cujuscunque alterius corporis, seu in esse specifico et completivo; dat enim forma speciem materiæ, ad quam ipsa quantum est de se, est in potentia), non est contra naturam materiæ, quod præexistat naturæ speciei atque adeo sit sine forma. Nam ab illa tantum recipit esse specificum et completivum, non autem esse simpliciter seu existentiæ; sicut e contra, quia forma dat speciem seu esse specificum materiæ, contra rationem formæ esset, si præexisteret naturæ speciei, quæ perficitur unione ipsius ad materiam. Quamquam materia, quia ejus esse proprium est debile, imperfectum incompletum, ut potentia (nam esse completum et perfectum habet a forma et in composito), non potest naturaliter et de potentia Dei ordinaria existere in mundo separata a forma. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, sol. 1; *de Verit.* q. 9, a. 3, ad 6 et q. 2[3], a. 7; 3a, q. 2, a. 5 et a. 2, ad 2 et q. 6, a. 4, ad 2 et q. 17, a. 2, ad 4; 1a, q. 44, a. 2 et q. 50, a. 2, ad 2; 2. *de*

Anima l. 1; 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 1; *de Verit.* q. 2, a. 5; Opusc. 31; 3a, q. 2, a. 3, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod aliud est materiam esse actu, aliud esse in actu; illud est effectus omnium causarum, hoc solius formæ; quod est dicere, quod duplex est esse : *unum* secundum quod aliquid de potentia ente fit actu ens; et hoc esse non est effectus formæ, sed omnium causarum, quia cum omne, quod est in potentia, reducatur ad actum per id, quod est actu ens, necesse est, esse duas causas, scilicet materiam et agens, quod reducat materiam de potentia in actum. *Aliud* vero, secundum quod aliquid est ens in actu; et hoc esse est effectus formæ. Quare materia habet quidem esse in actu a forma, non tamen habet ab illa esse absolute, quod est actu esse, sed a Deo id habet per creationem. — 2. *Phys.* l. 10; *Tabula Aurea* voce « esse » n. 22; 1. *Phys.* l, 15 (14); *Quodl.* 3, a. 1; ll. cit. in c. ad primam rationem.

Vel dic, quod duplex est esse : *unum* essentiale, per quod repondetur ad quæstionem : quid est? et hoc est effectus formæ; *aliud* accidentale, per quod respondetur ad quæstionem : an est? et hoc est esse existentiæ, de quo est præsens quæstio, et non est effectus formæ, ut dictum est. — *Vel dic*, quod *aliud* est, materiam esse hanc vel talem, *aliud* esse simpliciter; quod materia habeat esse hanc, convenit illi per formam substantialem; quod habeat esse talem, puta calidam vel frigidam, convenit illi per formam accidentalem; quod habeat esse simpliciter et absolute, convenit illi per esse existentiæ communicatum illi a Deo per creationem independenter a forma, ut etiam dictum est (in c. ratione tertia et octava.) — *Vel dic*, quod materia habet duplex esse, sicut et duplicem ideam : *unum* imperfectum, incompletum ac debile, et in potentia, respondens ideæ imperfectæ, secundum quod materia retinet similitudinem divini esse ipsumque aliqualiter imitatur; et hoc habet immediate a solo Deo per creationem; *aliud* perfectum, specificum et completum, respondens ideæ perfectæ, quæ est eadem cum idea totius compositi; et hoc illi convenit per formam et in composito, ut dictum est (supra ad secundum). — 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 1, c. et ad 3 et q. 2, a. 3, ad 2; *de Verit.* q. 3, a. 5; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 1, ad 5; 1a, q. 14, a. 11, ad 3 et a. 12, c.; *Opusc.* 31.

Ad quartum dicendum, quod actus est duplex : intrinsecus et extrinsecus; intrinsecus est esse, quod est actus entis; et hoc inest cuilibet rei reali; extrinsecus vero est forma vel a forma. — *Vel dic*, quod actus primo primus est forma, sed actus secundo primus est esse; quod esse vel est esse in actu, et est effectus formæ, vel est actu esse, et hoc est effectus omnium causarum et cuilibet rei reali intrinsecum, et secundum hoc esse materia prima, licet informis, in se existit essentiamque divinam imitatur, et habet propriam ideam, per quam in esse producitur a Deo per creationem. — *Expositio in Genesim* super illud cap. 1 : « juxta genus suum »; *Tabula Aurea* voce « actus » n. 1 et 2 et voce « esse » n. 22; ll. cit. supra ad tertium.

Ad quintum dicendum, quod materia, ut dictum est, sicut habet esse completum et perfectum in composito per formam, et esse incompletum, imperfectum ac debile in se per creationem acceptum a solo Deo, ita habet duplicem ideam : *unam* perfectam, non distinctam ab idea compositi; *alteram* imperfectam, distinctam ab illa, secundum quam imperfecte imitatur divinam essentiam. — Neque obstant allata in contrarium; nam ideam et ideatum non oportet esse similia secundum conformitatem naturæ, sed secundum repræsentationem tantum, unde et rerum compositarum est simplex idea, et similiter existentis in potentia est idealis similitudo etiam in actu. Præterea licet materia secundum se existere non possit in mundo separatim a forma, potest tamen secundum se considerari, et sic habere similitudinem et ideam distinctam ab idea formæ.

ARTICULUS III

UTRUM MATERIA SUBLATA QUANTITATE SIT DIVISIBILIS.

Videtur quod materia prima sublata quantitate sit ex se divisibilis.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 4; l. 6, c. 1), quod substantia est prior natura accidente, et per consequens partes substantiæ, v. g. ligni, sunt priores quam partes quantitatis ligni; sed non potest substantia habere partes, nisi sit divisibilis; nam ratio partium, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 1), oritur ex divisibilitate : ergo materia ex se est divisibilis. — 7. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea omne, quod per se ipsum et per

partes suas intrinsecas est præsens alicui quanto, ita quod totum est præsens toti et partes partibus, per seipsum et per partes suas intrinsecas habet partem distantem a parte, et consequenter est divisibile; sed materia, v. g. ligni, per se ipsam et per partes suas est præsens suæ quantitati ipsam informanti : ergo per seipsam et per partes suas habet partem situaliter distantem a parte, et sic est divisibilis sine quantitate. — *Opusc.* 32, c. 5 (2).

3. Præterea, materia est capax plurium formarum substantialium; sed plures formæ substantiales non possunt informare eandem numero entitatem materiæ : ergo necessario debent præsupponere in materia plures partes, et sic materia erit divisibilis. — *Ibid.* et 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 4.

4. Præterea, forma substantialis animalis plures habet partes; sed secundum has non informat unam et eandem partem materiæ, sed plures : ergo in materia plures partes existunt, et per consequens secundum se est divisibilis. — *Opusc.* 32, c. 5 (2).

5. Præterea, *vel* materia subjecta quantitati secundum se et ex se habet partes, *vel* non. *Secundum* dici non potest, quia multa inde sequerentur absurda, ut quod materia se haberet ad quantitatem inhærentem, sicut se habet anima rationalis ad corpus humanum, quod nimirum tota materia esset sub tota quantitate, et tota sub qualibet parte quantitatis, sicut anima rationalis est tota in toto corpore et tota in qualibet ejus parte; præterea, quod diversæ partes quantitatis haberent idem subjectum adæquatum totius quantitatis et cujuslibet partis ejus, et quod infinities esset sub determinata quantitate, quia quantitas est divisibilis in infinitum : ergo debet dici *primum*, quo posito sequitur, quod materia est ex se divisibilis. — *Ibid.*; 4.*Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 3.

6. Præterea, cum quæcunque uni et eidem sunt simul, sibi invicem sint simul, si sub qualibet parte quantitatis esset tota aliqua materia corporis, v. g. Petri, ubicunque est pars corporis Petri, esset totum corpus Petri, et consequenter ubi est una pars, esset alia; sed hoc repugnat distinctioni partium, quæ requiritur in corpore organico : ergo non potest tota materia corporis Petri, quantum ex se, esse sub qualibet parte quantitatis : ergo necesse est, quod secundum se sit divisibilis in partes, sublata etiam quantitate. — *Opusc.* cit.; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, arg. 2.

7. Præterea, si materia esset ex se indivisibilis, æqualiter se haberet ad omnes quantitates, sicut ad recipiendas omnes formas substantiales; unde quantumcunque parum sit de materia prima in quovis corpore parvo, posset recipere quamlibet quantitatem, et sic ex grano millii posset fieri totus mundus; sed hoc est falsum; nam materia ad nullam quantitatem est in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest; non est autem materia in potentia nisi ad formas, quæ in mundo sunt vel per principia naturalia educi possunt : ergo materia non est ex se, sublata quantitate, indivisibilis, sed divisibilis. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 18; c. 2 et 3. *Phys. text.* 35; c. 5) dicit, quod substantia sublata quantitate est indivisibilis. — *Tabula Aurea* voce « materia » n. 28.

2. Præterea, si materia esset ex se divisibilis in partes, esset etiam ex seipsa, sublata quantitate, principium distinctionis numericæ; sed hoc est falsum; nam sublata quantitate, per quam materia in partes dividitur, non est materia nisi una : ergo materia ex se est indivisibilis, sublata quantitate. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 2.

3. Præterea, propterea quantitas corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ est tota sub tota quantitate panis, et tota sub qualibet ejus parte, quia non est ibi ratione sui et per modum quantitatis, sed mediante substantia et per modum substantiæ : ergo substantia v. g. seu materia panis ex se est tota sub tota quantitate panis, et tota sub qualibet ejus parte; at si substantia haberet partes entitativas distinctas, et esset entitative divisibilis, ex se non posset esse tota sub tota quantitate, et tota sub qualibet parte ipsius, sed esset tota sub tota quantitate, et pars sub parte ad modum qualitatum, quæ consequuntur quantitatem : ergo materia sublata quantitate est ex se indivisibilis. — 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 3.

Respondeo dicendum, quod materiam habere diversas partes secundum se et proinde esse divisibilem ex se, impossibile est. Ratio hujus triplex afferri potest. *Prima est*, quia materia sicut et forma substantialis non consequuntur quantitatem, nec fundantur in illa, sicut formæ accidentales, quæ fundantur in quantitate et præsupponunt ipsam, et ideo non recipiunt totalitatem quantitatis, sicut illæ recipiunt; unde sicut illæ sunt totæ in tota quantitate et pars

in parte, ita hæ sunt totæ sub quantitate et totæ sub qualibet ejus parte, et per consequens sunt ex se indivisibiles. — 4. *Sent.* l. c.

Secunda est, quia diversitas partium proprie est ipsius compositi constituti ex partibus diversis; unde materia, sicut est in potentia ad formam, cujus acquisitio est generatio compositi ex partibus constituti, ita est in potentia ad diversitatem partium ipsius compositi ex ea generati. In forma enim substantiali non solum est vis perfectiva materiæ, sed etiam distinctiva totius per partes; et huic necesse est respondere potentiam ex parte materiæ, quæ recipiat et ipsam perfectionem suam per formam, et partium sequentem diversitatem. Unde quando forma aliqua substantialis perficit materiam, sicut potentia materiæ est reducta per formam ad actum, ita per illud idem esse permutatur ad distinctionem et terminationem partium totius compositi; et sic materia ex se indivisibilis est.

Tertia est, quia ponere, materiam esse secundum se divisibilem in partes ejusdem rationis, sequitur imaginationem illius, qui ponit, formas dari ab extra, quæ cum in se diversitatem habeant præter suam materiam, sequi videtur, materiam diversitatem partium habere ad suscipiendum diversas formas, cum in una parte recipi non possint. Sed cum formæ non dentur ab extra, sed educantur de potentia materiæ per ejus transmutationem secundum Philosophum, materia autem secundum id, quod est, sit in potentia ad formas substantiales, quæ sunt ejus actus : impossibile est quamcumque partitionem ante formam substantialem in ea ponere, cum inductio formæ sit generatio compositi, cujus solum est habere partes per se; materia autem et forma non habent partes, nisi per accidens; unde non dividuntur nisi per accidens ad divisionem totius. Ex quo manifestum est, quod priusquam compositum constituatur, nulla partibilitas sumitur ex parte materiæ, cum hoc ipsi non competat, nisi per accidens; quod autem est per accidens, per posterius est, sicque materia sublata quantitate ex se erit indivisibilis, in partes scilicet ejusdem rationis et inter se situ distantes; potens tamen recipere divisibilitatem, sicut potest recipere formas, quas sequuntur partium diversitates. — *Opusc.* 32, c. 5 (2).

Ad primum ergo dicendum, quod partes materiæ in ratione substantiæ præcedunt natura quantitatem, in ratione vero partium sunt illa posteriores; sic enim materia tota secundum totalitatem essentiæ est in qualibet parte rei et sub qualibet parte quantitatis, non autem secundum totalitatem quantitatis, quia ratione quantitatis dividitur in partes, quarum una non est alia. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod major propositio est falsa de eo, quod non ex natura sua et formaliter habet partes, sed per aliud a se realiter distinctum, ut est in proposito; nam substantia, sive sit materia sive forma substantialis, sicut per accidens seu per quantitatem sunt formaliter divisibiles, ita formaliter habent partes ejusdem rationis et situaliter inter se distantes; pluralitas enim et situs partium atque distantia et præsentia oriuntur ex divisibilitate, quæ est ratio formalis quantitatis, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 1). — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod ad susceptionem diversarum formarum non est necesse, præexistere in materia diversitatem aliquam partium, sed subsequi necesse est hoc, quia inductio diversarum formarum est generatio diversorum compositorum habentium diversas partes; præcedit tamen necessario in materia proportio capacitatis, quam scire non possumus nisi secundum quod videmus in ea plures formas, sicut in tota materia; vel unam tantum, sicut est in materia alicujus rei particularis. Unde non sequitur, quod materia secundum se sit divisibilis, cum divisibilitas materiæ causetur a pluralitate formarum. — *Opusc.* cit.

Ad quartum dicendum, quod quando forma substantialis perficit materiam, sicut potentia materiæ ad formam illam est reducta ad actum, ita per virtutem ejusdem formæ est transmutata materia ad dimensionem et terminationem partium et totius; nam in forma substantiali non solum est vis perfectiva materiæ, sed etiam distinctiva totius per partes; unde non sequitur, quod materia sit ex se divisibilis, sed potius indivisibilis, cum divisibilitatem acquirat per generationem compositi et per accidens, mediante quantitate. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod materia habet partes distinctas a partibus quantitatis; in materia enim rei partibilis est duplex totum : essentiæ et quantitatis; et secundum quidem totum non debetur materiæ nisi per accidens, ratione scilicet quantitatis, et similiter est de forma rei partibilis; tota enim forma ignis est in qualibet parte suæ materiæ, respiciendo totum essentiæ, cum tota definitio ignis cuilibet parti

suæ conveniat, non autem respiciendo totum quantitatis suæ; nisi quod inter formas particulares datur anima humana, quæ neque est quanta per se neque per accidens, quia non habet quantitatem, nec a quantitate substantia ejus dependet, ideoque simpliciter est tota in toto et tota in qualibet parte; unde patet *ad primum absurdum*. — *Ad secundum* etiam patet, quia diversæ partes quantitatis habent idem subjectum, ratione totalitatis essentiæ, non autem ratione totalitatis quantitatis. — *Ad tertium* dicendum, quod unitas rei consequitur esse ipsius, partes autem alicujus homogenei continui non habent ante divisionem esse actu, sed potentia tantum; et ideo nulla illarum habet unitatem propriam actu, unde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum. Et ideo forma vel materia, quæ est in toto tali tota, et tota in partibus ejus, non dicitur ante divisionem continui esse ibi pluries vel infinities actu, sed solum potentia; quod non est inconveniens; sed post divisionem multiplicatur secundum actum, ut patet in anima animalis annulosi. — *Ibid.*; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 3; v. Capreolum in 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3 et in 4. *Sent.* dist. 13, q. 1.

Ad sextum dicendum, quod ordo et distantia atque adeo situs partium in corpore organico fundatur, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 1, ad 4), super quantitate dimensiva; ipsa autem natura substantiæ præcedit quantitatem; et ideo non sequitur, quod partes organicæ sint simul, licet tota substantia sit sub qualibet parte dimensionis.

Ad septimum dicendum, quod argumentum factum multipliciter deficit; *primo*, quia imaginatur indivisibilitatem materiæ ad modum puncti, ut sic ex materia mundus sit factus per quandam quasi extensionem, sicut si res parva in magnam extenditur; hoc autem non est verum. Materia enim dicitur indivisibilis per negationem totius generis quantitatis, punctus autem est indivisibilis sicut quantitatis principium situm determinatum habens; unde ex materia res quanta efficitur non per extensionem, loquendo de materia prima, cum extensio non sit nisi ejus, quod alicujus quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem. — *Secundo*, et si prima materia, prout in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur, quod sit in potentia respectu cujuslibet quantitatis imaginabilis. Cum enim quantitates determinatæ et omnia alia accidentia secundum exigentiam formæ materiam recipiant, eo quod subjecta materia cum forma est causa eorum, quæ insunt, ut in 1. *Phys. text.* 80 (c. 9) dicitur, oportet, quod materia prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest; materia vero prima non est in potentia ad alias formas, nisi ad illas, quæ sunt in rerum natura, vel per principia naturalia educi possunt. Si enim esset aliqua potentia passiva in materia, cui non responderet aliqua potentia activa in rerum natura, illa potentia passiva esset superflua, ut Commentator dicit, et ideo materia prima non est receptibilis majoris quantitatis, quam quantitatis mundi; propter quod in 3. *Phys. text.* 69 (c. 11) dicitur, quod non est possibile magnitudinem augeri in infinitum, loquendo naturaliter. — *Tertio*, quia quando loquimur de materia existente in hac re, jam dimittimus considerationem materiæ absolute. Non enim potest accipi illud materiæ, quod est in hac re, nisi secundum quod est divisum ab illa parte materiæ, quæ est in alia re; divisio autem non accidit materiæ, nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus saltem interminatis, quia remota quantitate, ut in 1. *Phys.* dicitur, substantia erit indivisibilis; unde consideratio materiæ hujus rei est consideratio non materiæ absolute, sed materiæ sub dimensione existentis. Unde non oportet, ut quod convenit materiæ, in quantum est absoluta et prima, conveniat materiæ existenti in hac re, prout accipitur ut in hac re existens, quia ex hoc ipso receditur a consideratione materiæ primæ. Unde materia, quæ est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum quid, quantum per rarefactionem potest consequi, et hoc non excedit raritatem ignis, quia nulla raritas potest esse major, ut dicit Commentator in 4. *Phys.* com. 84. — Et sic patet, quod hoc argumentum tam in se falsitatem continet, quam etiam in modis adinventis ad ejus expositionem. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.

ARTICULUS IV

UTRUM QUÆLIBET PARS MATERIÆ SIT IN POTENTIA AD OMNES FORMAS SUBSTANTIALES.

Videtur quod quælibet pars materiæ sit in potentia ad omnes formas substantiales.

1. Tota enim materia est in potentia ad omnes formas substantiales; sed quælibet pars

materiæ est ejusdem rationis cum tota materia; ergo quælibet pars est in potentia ad omnes formas. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.; *Opusc.* 32, c. 5 (2).

2. Præterea materia, cum quantitate careat, indivisibilis est, et ad modum puncti se habens; sed unum punctum non est majus alio: ergo si tota materia est in potentia ad omnes formas, ita et quælibet ejus pars. — *Ibid.*

3. Præterea ex eo, quod materia sit sub hac forma, non perdit ea, quæ absolute illi conveniunt; sed materia absolute sumpta est in potentia ad omnes formas substantiales: ergo et materia existens in re particulari seu pars totius materiæ est in potentia ad omnes formas substantiales. — *Ibid.*

Sed contra est, quod ex materia minimi ignis nulla alia forma substantialis educi potest. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod, ut dictum est (art. 3, c.), aliter loquendum est de materia absolute sumpta seu in sua universalitate et de materia particulari seu existente in re particulari. Nam si loquamur de materia *priori modo* considerata, licet nullam quantitatem habeat, non tamen est in potentia ad omnes formas imaginabiles, quia ut sic neque est in potentia ad omnem quantitatem imaginabilem, quæ tamen est una ex dispositionibus necessario requisitis in materia ad formam recipiendam. Nam cum quantitates determinatæ et omnia alia accidentia secundum exigentiam formæ recipiantur in materia, eo quod subjecta materia cum forma est causa eorum, quæ insunt, oportet, quod materia ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest; materia vero prima non est in potentia ad alias formas nisi ad illas, quæ sunt in rerum natura vel per principia naturalia educi possunt; et ideo materia prima non est receptibilis majoris quantitatis, quam quantitatis mundi, et consequenter non est materia in sua universalitate sumpta receptibilis nisi formarum substantialium, quæ possunt esse in mundo. — Præterea, cum in materia duplex totum considerari possit, scilicet totum essentiæ et totum quantitatis, quorum hoc secundum non debetur materiæ, sicut nec formæ, nisi per accidens, ratione scilicet quantitatis, tota materia in communi secundum totum suæ essentiæ non est sub forma unius eorum, quæ de materia generantur, et per consequens respicit omnes formas substantiales; hæc enim totalitas materiæ est ipsa proportio capacitatis suæ formæ, et non aliqua diversitas introducta per quantitatem. Unde sicut forma in universali sumpta et absolute in quadam amplitudine essentiæ consistit, in qua comprehenditur quidquid de materia educi potest, ita ut tota forma in universali et secundum totum essentiæ non sit in qualibet parte materiæ (alioqui etiam in materia, quæ est sub forma aeris, esset essentia formæ ignis et omnium aliorum, quæ de materia generantur), — ita propter proportionem materiæ ad formam secundum propriam rationem ejusdem correspondentis invenitur proportio capacitatis, ut nimirum tota materia non sit sub forma unius de materia generati; alioqui ex materia, quæ est in qualibet re particulari, posset totum generari, quod generatur ex tota materia, quod manifestum est esse falsum, cum ex minimo, quod potest esse in igne, nullam aliam formam substantialem possibile sit educi.

Si vero loquamur de materia *posteriori modo* considerata, cum sic de illa loquentes dimittamus considerationem materiæ absolute (non enim potest accipi illud materiæ, quod est in hac re, nisi secundum quod est divisum ab illa parte materiæ, quæ est in alia re; divisio autem materiæ non accidit nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus saltem interminatis, quia remota quantitate, ut sæpe dictum est ex Philosopho, substantia est indivisibilis), non oportet, ut quod convenit materiæ, in quantum est absoluta et prima, conveniat materiæ existenti in hac re, prout accipitur, ut in hac re existens, quia ex hoc ipso recedit a consideratione materiæ primæ. Et ita sicut materia, quæ est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum quid, quantum per rarefactionem potest consequi, (et hoc non excedit raritatem ignis, quia nulla raritas potest esse major, ut in 4. *Phys.* dicit Commentator), ita non est in potentia ad aliam formam substantialem. Unde manifestum est, quod quælibet pars materiæ non est in potentia ad omnes formas substantiales. — *Opusc.* 32, c. 5 (2); 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1; 2. *c. Gent.* c. 16, n. 7; 3. *Phys.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod non est ejusdem rationis materia absolute considerata, et materia ut est in re particulari; nam hæc connotat divisionem factam per quantitatem, ratione cujus non potest recipere quamcumque

formam substantialem, sicut potest illa, ut patet in simili de forma. — Et sic patet *ad tertium*. — *Opusc.* cit., 2. *Sent.* l. c.

Ad secundum dicendum, quod indivisibilitas materiæ non se habet ad modum puncti; nam materia dicitur indivisibilis per negationem totius generis quantitatis, punctus autem est indivisibilis sicut quantitatis principium situm determinatum habens; unde ex materia res quanta efficitur, non per extensionem, sed per quantitatis susceptionem. — Præterea, licet materia prima, prout in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur, quod sit in potentia respectu quantitatis vel formæ substantialis imaginabilis. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1.

ARTICULUS V

UTRUM MATERIA HABEAT UNAM POTENTIAM AD OMNES FORMAS TAM SUBSTANTIALES QUAM ACCIDENTALES.

Videtur quod materia habeat unam potentiam ad omnes formas tam substantiales quam accidentales.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3), quod quantitas primo inest materiæ; eidem autem etiam primo inest forma substantialis, quia potentia materiæ maxime est ad esse substantiale; sed quæ primo insunt alicui, eidem insunt per unam et eandem potentiam : ergo materia prima habet unam potentiam ad formam substantialem et ad quantitatem, et per consequens ad reliquas formas accidentales. — 7. *Metaphys.* l. 2; 1a, q. 77, a. 1, ad 2; ll. cit. infra in corp.

2. Præterea, materia prima est una numero in omnibus generationibus et corruptionibus tam substantialibus quam accidentalibus, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 11; l. 7, c. 3) et supra probatum est; sed materia est sua potentia passiva, sicut Deus est sua potentia activa : ergo potentia materiæ ad omnes formas tam substantiales quam accidentales est tantum una. — 8. *Metaphys.* l. 4; *Opusc.* 9, q. 103; *Tabula Aurea* voce « materia » n. 2 et voce « forma » n. 75.

3. Præterea, si in materia esset multiplex potentia, sequeretur, quod materia, quæ est sub forma ignis, esset aliquid reale non occupatum ab ulla forma, quod implicat; nam si in prædicta materia esset aliquid liberum a forma ignis, statim alia forma, puta aeris, posset induci, et sic in eadem materia possent esse plures formæ substantiales, quod naturaliter est impossibile : ergo in materia est una tantum potentia ad omnes formas saltem substantiales. — *Opusc.* 42, c. 17 (6).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 12; l. 6, c. 4) dicit, quod aliud est subjectum formæ substantialis, aliud singulorum accidentium; non requirerentur autem diversa subjecta, si materia per eandem potentiam reciperet formas substantiales et accidentales. — 7. *Metaphys.* l. 3.

2. Præterea, dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 26 et 28; l. 11, c. 5 et 9. *Metaphys. text.* 1 et 2; l. 8, c. 1), quod in omni genere est potentia et actus ; unde oportet, quod ad idem genus referatur potentia et actus, ut nimirum, si actus non est in genere substantiæ, potentia, quæ dicitur ad illum actum, non possit esse in genere substantiæ; sed omnia accidentia sunt extra genus substantiæ : ergo potentia materiæ ad formas substantiales et accidentales non est una et eadem. — 1a, q. 77. a. 1a, c. et ad 2; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4.

3. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 10; c. 1 et 11 *Metaphys.* c. 10; l. 10, c. 9), quod posse laborare et posse ægrotare non eadem sunt, sed diversa, quia alioqui idem esset laborare et ægrotare; quod idem docet ubi 1. *de Generat. text.* 74 ; (c. 8), ubi dicit, quod impossibile est in materia esse unam potentiam numero contrariorum, quia sic non haberent ipsa contraria diversas naturas, nec esset multitudo rerum, sed omnia essent unum ab eadem materia et ab eadem potentia numero. Cum enim actus et potentia non diversificent speciem, si esset una tantum potentia, esset tantum una species : ergo in materia non est una potentia ad formas substantiales et accidentales, imo ne ad omnes substantiales. — 3. *Phys.* l. 2; 11 *Metaphys.* l. 9; 1. *de Generat.* l. 22.

4. Præterea, in materia quilibet actus occupat tantum eam potentiam, quæ sibi correspondet; nam actus et potentia sunt correlativa; ergo in materia tot sunt potentiæ, quot sunt formæ substantiales. — *Opusc.* 42, c. 17 (6).

5. Præterea, propterea factiones rerum artificialium non sunt naturales, quia licet principium materiale sit in eo, quod fit, non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam : ergo saltem in ordine ad formas substantiales et artificiales non est in materia una et eadem potentia. — 2. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod potentia materiæ ad formas substantiales est omnino diversa ab illa, quæ est ejusdem ad formas accidentales. — Cujus ratio est, quia ex parte materiæ nulla alia potentia ponenda est, nisi quæ perficitur per formam substantialem, quæ est ejus essentia, quæ est una. Quod patet, *tum quia* generatio, per quam acquiritur forma substantialis, attingit nudam essentiam, unde non est motus; alteratio vero et quilibet motus non attingit ipsam essentiam materiæ, cum nullum accidens transeat suum subjectum, subjectum autem alterationis et motus est ens actu habens diversas partes; unde potentia ad formas accidentales, quæ per alterationem acquiruntur, licet sit in materia, non tamen in illa est secundum se sumpta, sed ut subest formæ substantiali; quod est dicere, quod est in composito, sed ratione materiæ, cui primo convenit subjici; *tum quia* ad idem genus spectant materia et sua forma, atque adeo potentia et actus; forma autem substantialis est in genere substantiæ, quare et potentia ad hunc actum est substantia; nulla autem alia substantia fingi potest præter ipsam materiæ essentiam, quæ una est, ut dictum est. — *Opusc.* 32, c. 5 (2); 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3, c. et ad 2; *Opusc.* 30, c. 5 et ll. infra citandis art. 15 hujus quæstionis.

Non enim potest dici, quod talis potentia sit accidens ejus, *tum quia* præter dicta accidens præexisteret formæ substantiali, cum potenti in uno et eodem sit prius tempore quam actus, ut dicitur 9. *Metaphys. text.* 13; l. 8, c. 8; *tum quia* quod est in potentia ad esse accidentale, quod per accidentia tribuitur, dicitur subjectum et est compositum, non autem ipsa materia; cujus ratio est, quia ut dicitur 1. *Phys. text.* 80; c. 9, materia simul cum forma est causa omnium accidentium, quæ insunt; neque potest dici, quod talis potentia sit forma substantialis, quia forma est actus, qui opponitur potentiæ; et similiter neque est substantia composita, quia sic substantia composita præcederet formam substantialem, quod est impossibile; potentia vero materiæ ad accidentia, nimirum ad quantitatem, qualitatem et alia accidentia, est accidens ipsius materiæ ab illa realiter distinctum ob rationes allatas, sed præsertim quia potentia et actus dividunt ens et quodlibet genus entis, accidentia vero sunt extra genus substantiæ; ob quam rationem potentiæ animæ realiter distinguuntur ab anima et sunt accidentia, quia operationes et actus, ad quos ordinantur, sunt accidentia, et quia subjectum accidentium proprie est compositum seu materia ut subest formæ substantiali, non autem sola materia, ut dictum est; unde potentia homo est in genere substantiæ et potentia album est in genere qualitatis, et potentia quantum est in genere quantitatis: quia enim accidentia sunt plura genere diversa, diverse dicunt etiam esse potentiæ materiæ ad illa. Verum est tamen, quod hujusmodi potentiæ materiæ ad formas accidentales non sunt in genere accidentis sicut species completæ, sed tantum per reductionem sicut principium, quia unumquodque genus dividitur per potentiam et actum. — Unde manifestum est, quomodo in materia sit una potentia et quomodo plures ad formas tam substantiales quam accidentales. — *de Spirit. Creat.* a. 11, arg. 15 et a. 3, ad 21; *Opusc.* 31; *Opusc*, 32, c. 5 (2); 1. *Phys.* l. 15 (14); 1a, q. 77, a. 1 et q. 54, a. 3; 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c. et ad 12; *de Verit.* q. 8, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod forma substantialis inest materiæ nudæ; quantitas vero inest eidem, ut subest formæ substantiali; inest enim toti composito, licet ratione materiæ, ut dictum est (in corp.).

Vel dic, quod dictum Philosophi est secundum dictum antiquorum philosophorum, qui formam substantialem ignorantes dixerunt, totum subjectum, quod nos ponimus ex materia et forma componi, esse primam materiam, ut ærem et aquam et aliquid hujusmodi; formas autem dicebant esse, quæ nos dicimus accidentia, ut quantitates et qualitates, quorum subjectum proprium non est materia prima, sed substantia composita, quæ est substantia in actu; omne enim accidens ex hoc est, quod substantiæ inest. — 7. *Metaphys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod potentia materiæ ad formas substantiales potest dici aliquo modo una, aliquo modo plures. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod in potentia passiva materiæ ad formas substantiales duo possunt intelligi: relatio seu ordo materiæ ad formam, et ratio principii in genere substantiæ, secundum quod potentia et actus sunt principia in quolibet genere, ut dictum est ex Philosopho. Si consideretur *relatio et ordo*, manifestum est, quod potentia materiæ est multiplex secundum multitudinem formarum. Quæcunque enim ordinantur ad actus tamquam ad ultimam perfectionem oportet quod secundum actus di-

versos distinguantur, ut patet in habitibus et potentiis operativis; materia autem ordinatur ad actus substantiales diversos : quare illius potentiæ debent distingui per relationem ad diversas formas. — Si vero consideretur materia, *secundum quod est principium* in genere substantiæ, materia una est, sicut et est una substantia, non multiplex. Et quoniam ordo et relatio materiæ ad formas substantiales non est de essentia materiæ, quia essentia materiæ non est relatio (est autem essentia materiæ, quod sit principium in genere substantiæ, et quod sit sua potentia substantialis ad formas substantiales) : ideo potentia materiæ ad formas substantiales est una secundum essentiam, sed multiplex seu multæ secundum relationes ad plures formas, quod est dicere, potentiam propinquam materiæ ad formas omnes substantiales sive contrarias sive non esse multiplicem numero et diversam, potentiam vero remotam esse unam numero; est enim ipsa materia prima, quæ secundum se est in potentia et est sua potentia. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4 et dist. 7, q. 1, a. 2, c ; *Opusc.* 32, c. 8 et 9 (4); *de Pot.* q. 1, a. 1, ad 3; *Opusc.* 9, q. 104; 1. *de Generat.* l. 22; 1. *Phys.* l. 15 (14).

Ad tertium dicendum, quod in materia, quæ est sub igne, est potentia ad formam aeris, et hæc potentia est quidem occupata a forma ignis, non tamen est ab illa perfecta, eademque potentia accipit actum per formam ignis, qui tamen non est perfectio ipsius potentiæ ad aerem, et consequenter propter concomitantiam materiæ perfectæ per formam ignis non habet per se esse actu, quia nihil relinquitur in materia non occupatum ab actu ignis, ut dictum est; quomodo materia alicujus partis organicæ, quæ est potentia ad esse seorsum, non perficitur per actum formæ totius, cum ad illum non ordinetur; occupatur tamen essentia talis materiæ mediante essentia materiæ, quam comitatur, ab esse actu, quod est a forma totius, quod esse non est esse participatum, quod inest toti a partibus; quia esse partium participatum pertinet per se ad esse totius ex partibus constituti; sed est esse non conferens ad ipsum totum nisi per accidens, quatenus impedit esse actu debitum parti a forma propria, quam acquirit pars per dissolutionem a toto. — *Opusc.* 42, c. 17 (6).

Ad primum secundæ partis dicendum, quod tantum probat, diversam esse potentiam materiæ ad formas substantiales et ad formas accidentales, quod verum est, ut dictum est (in corp.); eodemque modo respondendum est *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod ad formas substantiales habet materia unam potentiam numero remotam, sed plures numero proximas, ut dictum est (supra ad 2. primæ partis); eodemque modo respondendum est *ad quartum.*

Ad quintum dicendum, quod probat id, quod dictum est (in corp.), non esse in materia eandem potentiam numero ad formas substantiales et accidentales.

ARTICULUS VI

UTRUM POTENTIA MATERIÆ AD FORMAS SUBSTANTIALES SIT EJUS ESSENTIA, AN VERO PASSIO.

Videtur quod potentia materiæ ad formas substantiales non sit ejus essentia sed passio.

1. Quia potentia importat relationem et ordinem; sed essentia materiæ non est relatio; sed substantia, cum intret constitutionem substantiæ : ergo potentia materiæ ad formas substantiales non est illius essentia, sed passio. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4 et dist. 7, q. 1, a. 2, c.; *de Pot,* q. 1, a. 1, ad 3; 1. *Phys.* l. 15 (14).

2. Præterea, potentia materiæ ad formas substantiales est multiplex juxta multitudinem formarum, ut dictum est (art. præcedenti) sed essentia materiæ una est : ergo potentia materiæ ad formas substantiales non est essentia, sed passio vel accidens illius.

3. Præterea, recedente forma recedit potentia alioqui daretur in materia potentia naturalis ad formas corruptas, et sic naturaliter posset corruptum restitui, quia omni potentiæ passivæ naturali respondet aliqua potentia naturali activa; quod tamen est impossibile naturaliter sed non posset recedere potentia materiæ, si illa esset essentia ipsius : ergo potentia materiæ ad formas substantiales non est essentia materiæ, sed passio vel accidens ipsius. — Il. citandis infra in hoc art. ad 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 16; c. 3) dicit, quod materia neque est quid neque quantum neque quale neque ullum aliud prædicamentorum, sed est potentia ad hæc omni ; et 8. *Metaphys. text.* 5; l. 7, c. 2 et 12 *Metaphys. text.* 26; l. 11, c. 5 substantiam dividit in potentiam et ac

tum, materiam vero vocat potentiam, et formam actum; et eodem 8. *Metaphys. text.* 15; c. 6. ideo dicit fieri unum per se ex materia et forma, quia unum est potentia et alterum actus; forma, autem est essentialiter actus, cum per illum definiatur (2. *de Anima text.* 7; c. 1); ergo potentia materiæ est ejus essentia. — 1. *de Generat.* l. 7; 8. *Metaphys.* l. 2 et 5 (4); 12 *Metaphys.* l. 4 (3).

2. Præterea, materia non ordinatur ad formam nisi per potentiam; nam propterea dicitur ens in potentia ad formas (1. *Phys. text.* 71, sq.; c. 8) et dicitur esse sua potentia passiva, sicut Deus est sua potentia activa; sed materia essentialiter ordinatur ad formam, ut patet tum ex analogia ad formas artificiales, tum quia in genere substantiæ est pura potentia, et ex natura sua est propter formam, unde in sua definitione loco differentiæ habet ordinem ad formam : ergo materiæ potentia est ejus essentia, non autem passio. — 1. *Phys.* l. 14 (13) et 15 (14); *Tabula Aurea* voce « forma » n. 79, 85 et 93 et voce « materia » n. 10 et 11; 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod essentia materiæ est potentia ad formas substantiales. Quod probatur *primo*, quia actus, ad quem est in potentia materia prima, est forma substantialis; potentia autem sumit suam speciem ab actu, ad quem per se ordinatur, ut dicit Philosophus 2. *de Anima text.* 33; c. 4. (1a, q. 115, a. 1, ad 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, c.) — *Secundo*, quia actus et potentia dividunt quodlibet genus entium, ut patet in 9. (8) et 12 (11) *Metaphys.* et 3. *Phys.*; unde sicut potentia ad qualitatem non est aliquid extra genus qualitatis, ita potentia ad esse substantiale non est aliquid extra genus substantiæ; cum autem unius rei una sit substantia, potentia materiæ, quæ est ad esse substantiale, erit ejus substantia et essentia (1. *Phys.* l. 15, al. 14). — *Tertio*, quia ita se habet materia prima, quæ est primum recipiens ad potentiam passivam, sicut se habet Deus, qui est primum agens, ad potentiam activam; Deus autem est sua potentia activa, quare et materia prima erit sua potentia passiva. — *Postremo*, potentia materiæ ad formas substantiales neque est accidens, neque est forma substantialis, neque est substantia composita, ut dictum est (supra a. 5, c.) : ergo erit essentia et substantia ipsius materiæ. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4; *de Spirit. Creat.* a. 11, arg. 15.

Ad primum ergo dicendum, quod si per potentiam passivam materiæ intelligatur ordo vel relatio materiæ ad formam, materia non est sua potentia, et consequenter potentia non est ejus essentia, quia essentia materiæ non est relatio; si autem intelligatur potentia, secundum quod est principium in genere substantiæ, secundum quod potentia et actus sunt principia in quolibet genere, materia est ipsamet sua potentia essentialiter. — 1. *Sent.* l. c. et dist. 7, q. 1, a. 2, c.; 1. *Phys.* l. 15 (14); *Opusc.* 32, c. 8 et 9 (4).

Ad secundum dicendum, quod potentia materiæ subjecto seu secundum essentiam est una respectu multarum formarum; sed ratione sunt multæ potentiæ secundum habitudinem ad diversas formas; unde in 3. *Phys.* dicitur, quod posse sanari et posse infirmari differunt secundum rationem. — 1. *Phys.* l. 15 (14); *Opusc.* 32, c. 8 et 9 (4).

Ad tertium dicendum, quod recedente forma non recedit potentia materiæ, sed remanet eadem, ut docet Philosophus (1. *de Cœlo text.* 108; c. 10), quia cum in corruptione rei naturalis non annihiletur forma, necesse est, quod eadem de actu reducatur in hoc, quod sit in potentia, ita ut remaneat in potentia materiæ sicut prius; neque tamen hinc sequitur dari potentiam ad formam corrupti, quia potentia materiæ remanet in ordine ad formam specificam, ut dicetur infra (q. 5, a. 3 et q. 14, a. 4). — 1. *de Cœlo* l. 23; *de Pot.* q. 5, a. 3, c. et a. 4, ad 9; 1a, q. 104, a. 4, ad 3.

ARTICULUS VII

UTRUM MATERIA PRIMA APPETAT FORMAS SUBSTANTIALES.

Videtur quod materia prima non appetat formam substantiales.

1. Quia si materia appetit formam substantialem, *vel* appetit eam, secundum quod est sub forma, *vel* secundum quod est sub contrario vel privatione. Neutrum autem dici potest; non *primum*, quia omnis appetitus est propter indigentiam, quia est non habiti; at materia actu existens sub forma non amplius indiget esse per illam; neque *secundum*, quia sic unum contrarium esset alterius corruptivum, et sic aliquid appeteret sui corruptionem, quod est falsum : ergo materia non appetit formas substantiales. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

2. Præterea, omnis appetitus vel est naturalis vel animalis seu elicitus; sed neuter convenit materiæ; non quidem *elicitus* seu animalis, ut per se manifestum est, quia hic procedit a forma apprehensa, materia autem est expers cognitionis; neque *naturalis*, quia hic procedit a forma naturali, materia autem nullam habet in se formam vel virtutem inclinantem ipsum ad aliquid, quomodo grave naturaliter appetit locum infimum, quatenus sua gravitate inclinatur ad locum talem : ergo materia non appetit formas substantiales. — *Ibid.* et 1a, q. 87, a. 4.

3. Præterea, si materia appetit formam, hoc est, quia caret omni forma, aut quia appetit multas formas habere simul, quod est impossibile, aut quia fastidit formam, quam habet, et quærit habere aliam, et hoc etiam vanum est : ergo nullo modo materia appetit formas substantiales. — 1. *Phys.* l, 15 (14).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 81; c. 9) dicit, quod materia appetit formam secundum suam naturam. — *Ibid.*

2. Præterea, forma est quoddam divinum et optimum appetibile; *divinum* quidem, quia omnis forma est quædam participatio similitudinis divini esse, quod est actus purus; unumquodque enim in tantum est actu, in quantum habet formam; *optimum* vero, quia actus est perfectio potentiæ et bonum ipsius; sed unumquodque appetit suam perfectionem et bonum : ergo materia appetit formam substantialem. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod omne, quod appetit aliquid, vel cognoscit ipsum et se ordinat in illud, vel tendit in ipsum ex ordinatione et directione alicujus cognoscentis, sicut sagitta tendit in determinatum signum ex ordinatione et directione sagittantis, unde nihil est aliud appetitus naturalis quam ordinatio aliquorum secundum propriam naturam in finem suum. Non solum autem aliquod ens in actu per virtutem activam ordinatur in finem suum, sed etiam materia, secundum quod est in potentia; nam forma est finis materiæ. Nihil igitur est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam ut potentiam ad actum; et quia sub quacunque forma sit, adhuc remanet in potentia ad aliam formam, ideo inest semper illi appetitus formæ, non propter hoc, quod quærat contraria esse simul, sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu. — Et ex his patet *ad tertium*. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 1a, q. 59, a. 2, c.; *de Verit.* q. 22, a 1, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod materia habens privationem formæ appetit formam, sed per se illam appetit secundum suam naturam; privatio vero illi addita tantum per accidens eandem appetit, ratione scilicet materiæ, cui accidit. — 1. *Phys.* l. c.

Ad secundum dicendum, quod appetitus naturalis est duplex : *unus* entis in actu seu compositi, et hic procedit a forma; *alter* entis in potentia, et hic non procedit a forma, cum tendat ad formam tamquam ad finem. — *Ibid.*

Vel dic, quod etiam appetitus naturalis materiæ aliquo modo procedit a forma. Cum enim omne, quod appetit aliquid, appetat illud, in quantum habet similitudinem aliquam cum ipso, nec similitudo illa sufficiat, quæ est secundum esse spirituale (alias oporteret, quod animal appeteret, quidquid cognoscit), sed oporteat, quod sit similitudo secundum esse naturæ, dupliciter hæc similitudo attendi potest : *uno modo*, secundum quod forma unius secundum actum perfectum est in alio, et tunc ex hoc, quod aliquid sic assimilatur fini, non tendit in finem, sed quiescit in fine. *Alio modo* ex hoc quod forma unius est in alio incomplete id est in potentia, et sic secundum quod aliquid habet in se formam finis et boni in potentia, tendit in bonum vel in finem et appetit ipsum, et secundum hunc modum materia dicitur appetere formam, in quantum in ea est forma in potentia; unde est, quod quanto ista potentia magis perfecta et propinquior est actui, tanto causat vehementiorem inclinationem; ex quo contingit, ut omnis motus naturalis in fine intendatur, quando id, quod tendit in finem, jam est fini similius. — *de Verit.* l. c.

Vel dic, quod appetitus naturalis est duplex : *unus* ad id, quod est intra rem, cujusmodi est esse cujuslibet rei, et hic non procedit a sola forma; procedit enim et a materia, quæ appetit esse, antequam habeat, et a forma, quæ tenet rem in esse, postquam fuerit; *alter* est ad id, quod est extrinsecum rei, et hic est per aliquid essentiæ rei superadditum et procedit a forma mediante qualitate, cujusmodi est inclinatio et appetitus gravis ad locum deorsum, qui est per gravitatem. — 1a, q. 59, a. 2, c.

ARTICULUS VIII

UTRUM MATERIA SIT UNA NUMERO OMNIUM CORPORUM GENERABILIUM ET CORRUPTIBILIUM.

Videtur quod materia non sit una numero omnium corporum generabilium et corruptibilium.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Metaphys. text.* 11; l. 7, c. 4), quod quorundam diversorum materiam necesse est esse diversam, quia non quodlibet natum est fieri ex quolibet; sed hoc esset falsum, si eadem esset materia omnium generabilium et corruptibilium : ergo materia non est una numero omnium corruptibilium. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

2. Præterea, cum potentia dicat ordinem ad actum, ens in potentia est diversum ex hoc ipso, quod ordinatur ad diversum actum ; sed materia est ens in potentia ad actus; nam secundum id, quod est, est in potentia ad formas, et formæ ad quas ordinatur, sunt diversæ, ut manifestum est : ergo materia non est una numero omnium generabilium. — 1a, q. 66, a. 2, c. et ad 4; 3. *Sent.* dist. 33, q. 1, a. 1, sol. 1.

3. Præterea, dicit Philosophus (1 *de Generat. text.* 22; c. 3), quod in his, quæ non generantur ex invicem, est diversa materia; sed multa sunt generabilia et corruptibilia, quæ non generantur ex invicem; non enim vinum fit ex aceto neque ex semine sanguis neque ex sanguine cibus, ut dicit 8. *Metaphys. text.* 14; l. 7, c. 5 : ergo materia non est una numero omnium corruptibilium. — 1. *de Generat.* l. 9; 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

Sed contra est : 1. Quod Philosophus (8. *Metaphys. text.* 11; l. 7, c. 4) dicit, quod omnia generabilia et corruptibilia sunt et fiunt ex eadem prima materia, et 1. *de Generat. text.* 29, (c. 5) dicit, quod una eadem numero est materia omnium et solum differt ratione. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 1. *de Generat.* l. 12.

2. Præterea, Philosophus (1. *Phys.*) unam tantum materiam ponit; et tamen in illo libro agit de omnibus corporibus generabilibus et corruptilibus, ut patet ex fine libri. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, arg. 4; 1. *Phys.* l. 15 (14).

Respondeo dicendum, quod materia omnium generabilium et corruptibilium aliqualiter est eadem et aliqualiter alia, et similiter aliquo modo est una numero, aliquo modo plures. Cum enim omnia generabilia et corruptibilia ad invicem transmutentur et ex invicem generentur, necesse est esse eandem materiam primam quod secus esset, si non generarentur ad invicem ; oportet enim ea, quæ ex invicem generantur, communicare in subjecto, quod suscipiat formam utriusque. — Non tamen est omnino eadem, sed aliqualiter diversa; est enim eadem secundum essentiam, est diversa secundum esse et rationem, quia aliam rationem et aliud esse accipit, prout est sub diversis formis, et etiam secundum hoc ipsum, quod ordinatur ad diversas formas, sicut corpus est aliud ratione, secundum quod est ægrotabile, et aliud, secundum quod sanabile, licet sit idem subjecto. — Dici vero potest una numero, non quia habeat unam numero formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ, sed per remotionem omnium formarum distinguentium; est autem plures, secundum quod est in singulis corporibus. — 1. *de Generat.* l. 9; 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, c.; 1a, q. 16, a 7, ad 2.

Verum quia res magis denominatur talis ab eo, quod per se illi convenit ratione remotionis (per hoc scilicet, quod removentur ab illa ea, quæ nata sunt contrariam dispositionem inducere), materia vero dicitur una per remotionem dispositionum et formarum, quæ faciunt differre secundum numerum, dicitur autem plures per adventum formarum distinguentium, — ideo cum nunc in universo materia sit distincta per plures formas, magis simpliciter dicendum est, esse plures materias quam unam. — *de Verit.* q. 1, a. 5, ad 15; *Opusc.* 9, q. 103; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1, ad 3; *Opusc.* 32, c. 5 (2), 8 et 9 (4).

Ad primum ergo dicendum, quod licet materia prima sit una communis omnibus, quia tamen materiæ propriæ sunt diversæ diversorum — nam unumquodque generabilium habet materiam determinatam, ex qua fit, quia formam oportet esse proportionatam, materiæ; (licet enim materia prima sit in potentia ad omnes formas, tamen quodam ordine suscipit eas; per prius enim suscipit formas elementorum, et eis mediantibus, secundum diversas proportiones commixtionum, est in potentia ad diversas formas); — et ideo ex diversitate materiarum propriarum oritur in multis eorundem diversitas, et quodlibet non fit immediate ex quolibet nisi per resolutionem ad materiam primam. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

Ad secundum dicendum quod materia prima

est una, sed materiæ propriæ sunt diversæ diversorum. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

Vel dic, quod materia prima est una secundum essentiam, sed plures secundum ordinem et respectum ad plures formas, ut dictum est. (supra a. 5, c. et ad 2 et a. 6, ad 2).

Ad tertium dicendum, quod quia cujuslibet rei est determinatus modus generationis, licet non omnia generabilia et corruptibilia transmutentur in invicem immediate, transmutantur tamen mediate per resolutionem ad materiam primam. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

ARTICULUS IX

UTRUM MATERIA PRIMA SIT INGENERABILIS ET INCORRUPTIBILIS.

Videtur quod materia prima non sit ingenerabilis et incorruptibilis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 24; c. 4), quod materia est susceptibilis generationis et corruptionis, ortus et interitus; sed quod est tale, est generabile et corruptibile, sicut quod est susceptibile alterationis, est alterabile : ergo materia prima non est ingenerabilis et incorruptibilis. — 1. *de Generat.* l. 10.

2. Præterea, cum generatio sit mutatio de non esse simpliciter ad esse simpliciter, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 7; c. 1), eatenus aliquid dicitur generari vel esse generabile, quatenus mutatur de tali non esse ad tale esse; sed quod sic mutatur, est materia prima, (est enim, ut dictum est supra a. 5 et 6, ens in potentia ad esse simpliciter seu substantiale) : ergo materia prima non est ingenerabilis et incorruptibilis. — 5. *Phys.* l. 2.

3. Præterea, materia est causa generationis et corruptionis omnium generabilium et corruptibilium, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9); sed quod est hujusmodi, est generabile et corruptibile; nam, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2, propter quod unumquodque est, et ipsum magis est : ergo materia est generabilis et corruptibilis, — 1. *Phys.* l. 15 (14); 1. *Poster.* l. 6 (5).

4. Præterea, nullum ingenitum incepit esse; sed materia incepit esse : ergo materia non est ingenita et consequenter non est ingenerabilis et incorruptibilis. — 1a, q. 46, a. 1, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Phys.* . c.) dicit, quod materia est ingenerabilis et ncorruptibilis. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

Respondeo dicendum, quod materia quodam modo generabilis est et corruptibilis, sicut quodammodo corrumpitur, quodammodo non; quia secundum quod est in ea privatio, sic corrumpitur, cum cesset in ea esse privatio, ut si diceremus, æs infiguratum corrumpi, quando desinit esse infiguratum. Sed secundum se, in quantum est ens quoddam in potentia, est ingenita et incorruptibilis; quod sic patet. Si enim materia fiat, oportet ei aliquid subjici, ex quo fiat; sed primum quod subjicitur in generatione, est materia; hoc enim dicimus materiam primum subjectum, ex quo aliquid fit per se et non secundum accidens, et inest rei jam factæ; sequitur ergo quod materia sit, antequam fiat, quod est impossibile. Et similiter omne, quod corrumpitur, resolvitur in materiam primam : quando igitur jam est materia prima, tunc est corruptum; et sic si materia prima corrumpatur, erit corrupta, antequam corrumpatur quod est impossibile. Sic igitur est impossibile materiam primam generari vel corrumpi; unde erit secundum se ingenerabilis et incorruptibilis; per quod tamen non excluditur, quin per creationem in esse procedat. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dupliciter potest aliquid dici mutari, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 15 sq; c. 2) : vel subjective vel terminative, seu vel ut subjectum vel ut terminus; ita dupliciter potest aliquid dici generabile vel corruptibile : *vel* ut subjectum et subjective, et sic materia prima generatur et corrumpitur, inquit Philosophus (l. c. *text.* 7; c. 1); et de eo, quod sic generatur (inquit Philosophus ibidem), dicitur, quod id quod generatur, puta materia, non est hoc aliquid et non est in loco, ad differentiam illius quod dicitur generari secundum quid, seu mutari aliis motibus, quod est compositum substantiale; — *vel* ut terminus et terminative, et tunc terminus generationis potest accipi dupliciter sicut etiam et principium. Dicitur enim principium generationis ipsum generans, et huic principio respondet sicut terminus ipsum genitum, quod est compositum ex materia et forma dicitur etiam principium generationis, a quo incipit generatio, et hoc modo principium vel initium generationis est privatio formæ inducendæ, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta. — 5. *Phys.* l. 3 et 2; 1. *Sent.* dist. 5, q. 3, c.

Eodemque modo dicendum est *ad secundum* et *tertium;* nam tantum probant, materiam sub

jective generari et corrumpi, quod verum est; et illa propositio (propter quod) vera tantum est in his, quæ sunt unius ordinis, puta in uno genere causæ, in quo non sunt materia et illud, quod generatur ex illa.

Ad quartum dicendum, quod materia dicitur ingenita a Philosopho, quia non habet subjectum, de quo fiat, seu quia non cœpit esse per generationem. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 1a, q. 46, a. 1, ad 3.

ARTICULUS X

UTRUM MATERIA PRIMA CAUSA SIT GENERABILITATIS ET CORRUPTIBILITATIS.

Videtur quod materia prima non sit causa generabilitatis et corruptibilitatis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 117; c. 12), quod corruptionis causa per se magis est tempus, quia tempus est numerus motus; motus autem facit distare id, quod est, a dispositione, in qua prius erat; sed tempus, ut patet, et materia maxime diversa sunt inter se : ergo materia non est prima causa corruptibilitatis et generabilitatis rerum. — 4. *Phys.* l. 20.

2. Præterea, corruptio non est, nisi ubi est contrarietas, quia omnis generatio est ex contrario in contrarium; sed contrarietas non est nisi ratione qualitatum corporalium : ergo causa corruptibilitatis non est materia, sed qualitatum contrarietas. — *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 4 et voce « contrarium » n. 5, 25, 36.

3. Præterea, quantum unicuique inest de forma, tantum inest ei de virtute essendi, quia esse est effectus formæ; sed generatio tendit ad esse rei, sicut corruptio ad non esse : ergo causa corruptibilitatis et generabilitatis est præsentia et absentia formæ. — *de Pot.* q. 5, a. 3, c.; *Tabula Aurea* voce « esse » n. 32 et 64 et voce « generatio » n. 3 et 17.

4. Præterea, eatenus aliquid corrumpitur, quatenus forma separatur a materia; unde Philosophus (1. *Phys. text.* 68; c. 7) dicit, quod sufficiens est ad mutationem alterius contrariorum sua præsentia et absentia; sed hoc est causam corruptibilitatis et generabilitatis esse formæ præsentiam et absentiam : ergo materia non est causa generabilitatis et corruptibilitatis rerum. — *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 3; 1. *Phys.* l. 13 (12).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (9. *Metaphys. text.* 17 et 18; l. 8. c. 8) ideo dicit cœlum esse incorruptibile, quia caret materia subjecta privationi et contrarietati; et 1. *Phys. text.* 81 (c. 9) dicit, quod privatio machinatur ad maleficium, quia scilicet ex quo est in materia subjecta alicui formæ non complenti potentialitatem materiæ, est causa, quod materia expolietur illa forma et recipiat aliam, qua privata erat; et 1. *de Generat. text.* 17 (c. 3) reducit perpetuitatem generationis et corruptionis in materiam subjectam privationi, ut in principium primo primum et universale essendi : ergo vere materia ut subjecta privationi est prima causa generabilitatis et corruptibilitatis. — 9. *Metaphys.* l. 9 (4); 1. *Phys.* l. 15 (14); 1. *de Generat.* l. 7.

2. Præterea, primum principium intrinsecum corruptibilitatis rerum non potest esse nisi materia et forma, quia hæc duo tantum rei substantiam ingrediuntur, ut dictum est (in Logica q. 25, a. 5, arg. 3); sed hoc non potest esse forma, tum quia forma est principium essendi, ut dictum est (supra arg. 3), et ideo Philosophus (1. *Phys. text.* 81; c. 9) vocat illam divinum quoddam et optimum appetibile; tum quia, si forma cœli uniretur materiæ sublunarium, cœlum esset corruptibile : ergo dicendum est, quod materia subjecta privationi et contrarietati est prima causa generabilitatis et corruptibilitatis omnium sublunarium. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

Respondeo dicendum, quod cum corruptibilitas sit quædam possibilitas ad esse et non esse, sicut hæc non convenit alicui nisi ratione materiæ, quæ est pura potentia, ita corruptibilitas non nisi ratione materiæ convenit rei. Quod manifestum est, *tum quia* etiam ipsa materia, cum non possit naturaliter esse sine forma, non potest esse in potentia ad non esse, nisi quatenus existens sub una forma est in potentia ad aliam formam; *tum quia* quod in natura alicujus rei non sit possibilitas ad non esse, *vel* contingit ex eo, quod res illa sit forma tantum subsistens in esse suo, sicut substantiæ incorporeæ, quæ sunt penitus immateriales (si enim forma ex hoc, quod inest materiæ, est principium essendi in rebus materialibus, nec res materialis potest non esse, nisi per separabilitatem formæ; ubi ipsa forma in esse suo subsistit, nullo modo poterit non esse, sicut nec esse potest a seipso separari) *vel* ex eo quod in materia non est potentia ad aliam formam, sed tota materiæ possibilitas terminatur ad unam formam, sicut est in corporibus cœlestibus. Unde quia in corporibus sublunaribus materia unius

corporis non tota completur per formam illius, ita ut reducatur in omnem perfectionem possibilem per eam, sed simul cum forma illius corporis manet privatio formæ alterius corporis, ideo omnia corpora sublunaria sunt corruptibilia, et talis corruptibilitatis causa prima est materia prima, ut est subjecta privationi et formæ seu contrarietati. — 1a, q. 66, a. 2, c.; *de Pot.* q. 5, a. 3; 2. *Sent.* dist. 7, q. 1, a. 1, c.; 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod tempus dicitur causa corruptionis ratione motus alterationis corruptivæ; verum quod possit rés per alternationem corrumpi, provenit ex materia subjecta contrarietati, ut dictum est (in c.) — 1. *Phys.* l. 20.

Ad secundum dicendum, quod actualis corruptio oritur ex actione contrariorum et victoria corrumpentis super rem, quæ corrumpitur; sed corruptibilitas oritur tamquam ex prima causa intrinseca ex materia prima subjecta contrarietati seu privationi et formæ; propterea enim et omnem substantiam immaterialem necesse est esse incorruptibilem, et similiter corpora cœlestia, quia carent hujusmodi materia. Præterea quia cum corruptibilitas sit mutabilitas quædam, sicut corruptio est mutatio ad non esse, non potest fieri mutatio inter contraria immediate (non enim mutatur albedo in nigredinem neque contra), sed necesse est ad hoc, ut fiat transmutatio de albo in nigrum, ut sit aliquid præter nigredinem, quod fiat album, quod nimirum sit in potentia ad ipsum contrarium, et ideo possit mutari de contrario in contrarium; et hoc est materia, quæ proinde ratione aptitudinis ad omnes formas materiales et privationis, quam habet adjunctam in unoquoque composito corruptibili, est prima causa intrinseca corruptibilitatis illius et aliorum. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 1a, q. 75, a. 6, et ll. cit. in c.

Ad tertium dicendum, quod forma est quidem causa essendi, non tamen prima, quia præexistit illi ens in potentia ad formam, puta materia; nam agens operatur ad immutationem formæ ex existentia subjecti supposita, ut dictum est (supra a. 2, c., *tertio*); multo vero minus forma est causa corruptionis vel corruptibilitatis rei. Nam licet ideo corrumpatur res, quia separatur forma a materia, ideo tantum separabilis est forma a materia, quia non complet potentiam illius nec reducit illam in omnem perfectionem possibilem in materia, ut dictum est (supra in c.); unde prima causa corruptibilitatis est capacitas materiæ plurium perfectionum et potentia ejusdem ad illas cum privatione earumdem. — Et ex his patet *ad quartum*.

ARTICULUS XI

UTRUM ANTE PRODUCTIONEM FORMÆ SUBSTANTIALIS PRÆEXISTAT IN MATERIA QUANTITAS INTERMINATA ILLI COÆVA.

Videtur quod ante productionem formæ substantialis præexistat in materia quantitas interminata.

1. Omnis enim forma est in materia sibi proportionata et disposita; sed inter dispositiones præcipua est quantitas: ergo hæc debet præexistere ante formam substantialem. — 1a, q. 76, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, diversæ formæ unius speciei requirunt diversas partes materiæ; sed diversæ partes non possunt intelligi nisi secundum divisionem dimensivarum quantitatum : ergo oportet præexistere quantitatem interminatam in materia ante productionem formæ substantialis. — *Opusc.* 32, c. 4 (1).

3. Præterea, corpus non potest fieri ex non corpore ,sicut nec dimensio ex non dimensione; at hoc sequitur, si in materia non præexistat quantitas interminata ante productionem formæ substantialis : ergo vere talis quantitas necessario debet præexistere in materia. — *Ibid.*

4. Præterea, secundum Philosophum in lib. *de Generat.* (*text.* 23 et 24; c. 4) facilius convertitur aer in ignem quam aqua, propterea quod convenit cum eo in una qualitate, scilicet calore; cum ergo ex aere fit ignis, oportet quod maneat et idem calor specie (quia si differret specie calor ignis et aeris, essent octo qualitates primæ et non quatuor tantum; eadem enim ratio est de aliis qualitatibus, quarum quælibet in duobus elementis reperitur) et idem numero, quia si tantum remaneret idem specie, non esset facilior conversio æris in ignem, quam aquæ in ignem (quia forma ignis habebit corrumpere duas qualitates in aere sicut in aqua); sed non potest manere idem numero calor, nisi maneat eadem numero quantitas; nam hæc est prima dispositio ceterarum : ergo quantitas necessario debet præexistere in materia ante productionem formæ substantialis. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 19; 1. *de Generat.* l. 10; 3a, q. 77, a. 2.

5. Præterea, materia prima, quantum est de se, indifferenter se habet ad omnes formas; si ergo non præexistant dispositiones, per quas appropriatur ad hanc formam vel illam, non magis recipietur in ea hæc forma quam illa; sed inter dispositiones prima et præcipua est quantitas : ergo hæc debet præexistere in materia ante omnem formam substantialem producendam. — 3a, l. c.; *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 20.

6. Præterea, in instanti generationis substantialis quantitas præcedentis formæ non corrumpitur, quia forma non corrumpitur, nisi prius sint inductæ dispositiones incompossibiles sibi, per quarum præsentiam ipsa corrumpitur, inter quas prima, ut dictum est, est quantitas; et dispositiones consequentes formam inducendam sunt posteriores inductione formæ et per consequens corruptione formæ præcedentis, quippe quæ est dispositio ad hoc, ut materia recipiat formam sequentem : ergo in productione formæ substantialis remanet quantitas formæ præcedentis tamquam necessaria. — ll. infra citandis in resp. *ad sextum.*

7. Præterea, si in instanti generationis substantialis, v. g. animalis non remanet quantitas cum ceteris dispositionibus præcedentis formæ, sed cum nova forma advenit nova quantitas et novæ dispositiones in materia, sequitur quod in instanti anima formet totum corpus, quod videtur solius Dei : ergo dicendum est, quod in materia præexistit quantitas ad hoc, ut inducatur forma per generationem. — *Quodlib.* 1, a. 6, arg. 2; *Opusc.* 32, c. 6 (3); v. Capreolum in 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, ad 5, repl. 2 arg. principalis contra 2.

8. Præterea, si ante productionem formæ substantialis non præexisteret quantitas interminata, sequeretur, quod forma adveniret materiæ indivisibili et sic ipsam totam actuaret; unde non esset multitudo individuorum sub una specie. — *Opusc.* 32, c. 4 (1)

Sed contra est : 1. quod quantitas est propria passio substantiæ corporeæ et inseparabilis ab illa. Nam unumquodque genus vel speciem consequuntur propria accidentia illius generis vel speciei; nullum autem aliud accidens consequitur substantiam corpoream tamquam propria passio præter quantitatem; sed propria passio præsupponit suum subjectum : ergo prius debet intelligi esse substantiæ corporeæ atque adeo materia unita cum forma substantiali, (nam per talem unionem efficitur corpus de genere substantiæ) quam intelligatur materia cum quantitate. Sed hoc esse non potest, si quantitas præexistit in materia ante formam substantialem inducendam et quantitas præcedentis formæ remanet cum forma sequente : ergo dicendum est, quod non datur in materia quantitas interminata ad hoc, ut producatur forma substantialis. — 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 2, quæstiunc. 3; *Opusc.* 32, c. 6 (3); 1a, q 76, a. 6; *de Spirit. creat.* a. 3, ad 18.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 22 et 23; c. 3 et 4), hoc differre subjectum generationis et alterationis, quod subjectum illius est ens in potentia, hujus vero est ens actu, puta compositum; sed corrupto subjecto desinunt esse illa, quæ in eo subjectabantur : ergo in corruptione substantialis compositi quantitas illius tota desinit esse, et per consequens in materia non remanet ulla quantitas. — 1. *de Generat.* l. 9 et 10; *Opusc.* 30, c. 5; *Opusc.* 32, c. 5 (2).

3. Præterea, (5. *Phys. text.* 8; c. 1) dicit Philosophus, quod subjectum generationis, puta materia non est in loco et ideo non potest moveri localiter; sed si in materia ante adventum formæ substantialis esset quantitas, cum quantitati debeatur locus, subjectum generationis esset in loco : ergo. — 5. *Phys.* l. 2.

4. Præterea, cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet, quod id, quod est primum simpliciter in actibus, primo in materia intelligatur et sit; primum autem inter omnes formas et actus est esse in actu seu esse simpliciter, quod materia habet per formam substantialem; ergo impossibile est prius intelligere materiam calidam vel aliter dispositam, quam quod sit in actu; sed inter dispositiones prima est quantitas : ergo impossibile est in instanti generationis substantialis prius intelligere materiam cum quantitate, quam cum forma substantiali per generationem inducta. — 1a, q. 76, a. 6, c.

5. Præterea, illud quod dicitur maxime et verissime in quolibet genere, est causa eorum, quæ sunt post in illo genere, sicut ignis, qui est in fine caloris in rebus calidis, est causa caliditatis, ut in 2. *Metaphys. text.* 4 (l. 1 min., c. 1) dicitur; sed substantia est primum in genere entis verissime et maxime essentiam habens : ergo oportet, quod sit causa accidentium, quæ secundario et secundum quid rationem entis participant; sed omnis causa naturaliter prius natura existit quam suus effectus :

ergo prius debet existere in instanti generationis substantialis in materia forma substantialis producta ad hoc, ut cum materia constituat causam accidentium, puta substantiam compositam et completam, quam existat materia simul cum quantitate. — *Opusc.* 30, c. 5; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 99 et 100.

6. Præterea, materia et forma non sunt divisibiles nisi per accidens ratione compositi; ergo non potest in materia intelligi quantitas nisi post compositi generationem; sed compositum generatur per hoc, quod inducitur forma substantialis in materia : ergo prius debet induci forma substantialis in materia, quam intelligatur illi advenire quantitas. — *Opusc.* 32, c. 4 (1).

7. Præterea, si accidentia prærequiruntur in materia ante inductionem formæ substantialis, maxime ut illam faciant propriam talis formæ; sed materia secundum se est propria formæ substantialis, ut dantis esse corporeum; nam ex utraque simul unita resultat corpus substantiale, ex quo tanquam ex subjecto proprio manat quantitas, quæ est ejus propria passio : ergo. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, c. et ad 5.

Respondeo dicendum, quod Averroes erravit in lib. *de Substantia Orbis* ponendo, dimensiones interminatas præxistere in materia, et hoc necessario ad productionem formarum substantialium, cujus rationes potissimas primo loco attulimus, contra quas *primo* sic arguitur. Prædictæ dimensiones, quæ essentialiter sunt quantitates, *vel* sunt eductæ de potentia materiæ ei substitutæ *vel* non : si primum, ergo prius non erant in materia nisi in potentia illius per modum aliorum, quæ de potentia materiæ educuntur; spoliari ergo potest materia talibus dimensionibus, cujus contrarium ipse dicit. Et iterum, quod educitur de potentia materiæ, educitur per transmutationem materiæ; non est autem transmutatio in materia nisi transeundo de potentia illius in actum formæ substantialis : oportet igitur tales dimensiones sequi inductionem alicujus formæ substantialis in materia; sed omnes dimensiones, quæ sequuntur formam, sunt terminatæ secundum eundem : igitur non erunt dimensiones interminatæ eductæ de potentia materiæ. — Si vero non sunt eductæ de potentia materiæ, non erunt tantum duo principia in constitutione rerum naturalium, materia scilicet et forma, sed etiam tertium, dimensiones scilicet prædictæ; omne enim quod manet et non fit ex aliquo, necesse est esse principium, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 50; c. 6.) — *Opusc.* 32, c. 4 (1).

Præterea omne, quod pertinet ad genus aliquod, *aut* est contentum in illo genere ut species vel ut genus vel ut individuum; *vel* est reducibile in illud genus, ut principium reducitur ad genus principiati et privatio ad genus sui habitus, et pars ad genus sui totius. Prædictæ autem dimensiones non sunt in genere quantitatis ut species vel individuum, cum omnis species sit denominata vel determinata respectu sui generis, et individuum respectu speciei. Nec sunt in genere quantitatis ut principium; nam principium dimensionum non est dimensio; prima enim dimensio est linea, cujus principium est punctus, qui omni dimensione caret, cum partem et partem non habeat. Cum ergo quædam indivisibilia sint principia omnium dimensionum terminatarum, impossibile est ponere dimensiones interminatas in materia, ut principia dimensionum terminatarum. Nec sunt reducibiles in genere quantitatis ut privationes, quia privationes non habent essentias; illæ autem dimensiones essentiæ quædam dicuntur. Non reducuntur etiam sicut partes ad totum, quia totum in quantitate habet partes determinatas per certas dimensiones; quantitates autem interminatæ non sunt partes alicujus quantitatis terminatæ. — *Ibid.*

Præterea, quod habet essentiam, definiri potest, etsi esse non habeat, quia definitio indicat essentiam rei; sed in accidentibus impossibile est assignare definitionem nisi per subjectum, in quo esse habent, quia essse eorum non sequitur eorum essentias in proprio genere : impossibile est ergo ponere essentias accidentium sine esse sui subjecti. Materia autem non habet esse sine forma; impossibile est ergo ponere dimensiones in materia sine forma substantiali. — *Ibid.*

Præterea, secundum Philosophum (1. *Phys.* *text.* 76; c. 8) si generatur homo, de necessitate generatur homo animal ex non hoc animali, et non ex non animali simpliciter; sed si generaretur animal simpliciter, de necessitate generaretur ex non animali simpliciter (— et hæc est sufficiens ratio ad ostendendum res a Deo esse productas ex nihilo, cum sit causa entis absolute, quod necessario erit ex non ente simpliciter; hoc autem est nihil) : cum ergo dimensiones simpliciter sint dimensiones terminatæ et perfectæ, necessario erunt ex non dimensio-

nibus simpliciter; hoc autem est nihil ante dimensiones : ergo non dantur in materia hujusmodi dimensiones interminatæ illi coævæ. — *Ibid.*

Præterea, principium omnium dimensionum est punctus; unde in definitione lineæ, quæ est prima dimensio, ponitur punctus (linea enim est, cujus extrema sunt duo puncta, ut dicit Euclides); impossibile est autem ponere rem aliquam, et non rei principium : impossibile est igitur lineam sine puncto poni; punctus autem sicut est principium lineæ, sic est ejus terminus, ut patet per definitionem lineæ; impossibile est ergo dimensionem interminatam ponere, cum nulla possit esse sine puncto; punctus autem interminatus non est, cum ipse sit terminus aliarum dimensionum; ergo interminatus non est nec esse potest. — Dicendum ergo est, quod dimensiones *interminatas* in materia ponere et præcedere omnem formam substantialem, est impossibile, nisi intellectu tantum, ut dicunt mathematici. — *Opusc.* 32, c. 4 (1).

Verum nec est possibile ponere dimensiones *terminatas* ante introductionem formæ substantialis; nam dimensio interminata fit terminata per introductionem formæ. Sicut enim essentiæ rerum terminantur per sua esse, quæ sunt in rebus maxime formalia, antequam vero essentiæ dicuntur esse in actu, non considerantur in actu nec proinde sunt terminatæ, ita dimensiones sunt interminatæ, antequam dicantur esse in actu; sunt vero terminatæ post introductionem formæ. — *Ibid.*, c. 7 (3).

Sciendum enim est, quod omnes dimensiones sunt accidentia, quæ sequuntur materiam in ordine ad formam, quam primo materia nata est induere; hæc autem est forma corporis, quia totam materiam necesse est sub forma corporis contineri. Quod non est intelligendum, quod sit una creata vel increata forma corporis, qua prima materia primo informetur, quia secundum Commentatorem materia prima primum habilitatem habet ad formas elementares et postea ad formas mixtorum. Unde manifestum est, quod eadem est forma corporis simplicis cum forma elementi et mixti corporis; sed oportet primo, quod per has formas constituatur genus corporis, deinde specierum perfectarum. Materia namque in quidditate sua indivisibilis est penitus; ablata enim quantitate substantia manet indivisibilis, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 18; c. 2). Sed ex corporeitate, quam sequuntur dimensiones quantitatis in actu, sequitur divisio materiæ, per quam materia ponitur sub diversis sitibus, et secundum hoc acquiruntur in ea diversæ formæ; ordo enim in situ corporum ostendit nobilitatem eorum, sicut ignis est supra aerem. Et sic patet, quod dimensiones interminatæ non trahunt originem a quocumque gradu, quem facit forma, v. g. ignis in igne, sed solum a primo; nihilominus ignis secundum totum est subjectum dimensionum, sicut et secundum totum etiam mensuratur; quod idem necessario invenitur in formis corporum mixtorum — *Opusc.* 32, c. 6 (3).

Et ita manifestum est, quod quantitas quæcumque sive interminata sive terminata necessario supponit in materia formam substantialem, et per consequens in generatione substantiali sicut forma substantialis præcedens corrumpitur et nova inducitur, ita quantitas præcedentis compositi per formam præcedentem simul cum materia constituti corrumpitur, et nova quantitas novam formam inductam consequitur, quæ subjectatur in toto composito de novo producto per illam formam simul cum materia prima.

Ad primum ergo dicendum, quod forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum; et ideo una et eadem existens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, et per quam homo est corpus, et per quam est vivens, et per quam est animal, et per quam est homo. Manifestum est autem, quod unumquodque genus consequuntur propria accidentia; sicut ergo materia præintelligitur perfecta secundum esse ante intellectum corporeitatis, et sic de aliis, ita intelliguntur accidentia, quæ sunt propria entis ante corporeitatem. Et sic præintelliguntur dispositiones ante formam, non quantum ad omnem ejus effectum, sed quantum ad posteriorem. — 1a, q. 76, a. 6, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod dimensiones quantitativæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ toti materiæ convenit; unde materia jam intellecta sub corporeitate et dimensionibus potest intelligi ut distincta in diversas partes, ut sic accipiat diversas formas secundum ulteriores perfectionis gradus. Quamvis enim eadem forma sit secundum essentiam, quæ diversos perfectionis gradus materiæ attribuit, tamen secundum considerationem differt. — *Ibid.* ad 2; *Opusc.* 32, c. 6 (3).

Ad tertium dicendum, quod non est incon-

veniens ullum, quod corpus fiat ex non corpore actu, corpore autem in potentia. Hoc enim differt generatio simpliciter a generatione secundum quid, quod generatio substantialis, sicut et forma substantialis, solam materiam requirit; unde forma substantialis in materia omnem formam accidentalem præcedit; generatio vero secundum quid, quæ terminatur ad accidens, sicut et ipsum accidens requirit pro subjecto ens actu seu materiam cum forma substantiali; unde necessario præsupponit in materia formam substantialem. — *Opusc.* 32, c. 1, 4 (1), 5 (2) et 6 (3).

Ad quartum dicendum, quod idem specie calor est in igne et aere, quia quælibet qualitas specialiter attribuitur uni elemento, in quo est perfecte, et per concomitantiam vel derivationem alteri, tamen imperfectius; cum ergo ex hoc aere fit ignis, calor manet idem specie, sed augmentatus, non tamen idem numero, quia non manet idem subjectum; nec hoc facit ad difficultatem conversionis, cum corrumpatur per accidens ex corruptione subjecti, et non ex contrarietate agentis. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 19; 1. *de Generat.* l. 10.

Ad quintum dicendum, quod materia, prout nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas, sed determinatur ad speciales formas per virtutem moventis, ut traditur in 2. *de Generat.* (*text.* 53; c. 9), et secundum ordinem intelligibilem formarum in materia est ordo agentium naturalium. Inter ipsa enim corpora cœlestia unum est universalius activum quam alterum, nec universalius agens agit seorsum ab agentibus inferioribus, sed ultimum agens proprium agit in virtute omnium superiorum; unde non imprimuntur a diversis agentibus diversæ formæ in uno individuo, sed una forma est, quæ imprimitur a proximo agente, continens in se virtute omnes formas præcedentes. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 20.

Ad sextum dicendum, quod in instanti generationis substantialis simul cum forma antiqua desinunt esse ad corruptionem subjecti, ut dictum est omnia accidentia illius formæ, et ad inductionem novæ formæ substantialis consequuntur nova accidentia et novæ dispositiones. Licet enim in genere causæ materialis prius sit formam antiquam recedere, quam advenire novam; in genere tamen causæ formalis, finalis et efficientis primo introducitur forma substantialis nova, qui forma introducta est similitudo formæ agentis, per quam agens agit, et natura principaliter intendit introductionem formæ. Deinde sequuntur dispositiones formæ inductæ convenientes; demum expellitur forma antiqua cum suis dispositionibus et accidentibus, quæ dicuntur corrumpi ad corruptionem subjecti, quod est ens in actu seu compositum substantiale. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 19; 1. *de Generat.* l. 10; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, sol. 1; 1a 2æ, q. 113, a. 8; 3a, q. 85, a. 6; *de Carit.* a. 12; *Opusc.* 30, c, 5; *Opusc.* 32, c. 4 (1); 5. *Phys.* l. 2.

Ad septimum dicendum, quod anima cum advenit corpori, non facit esse corpus effective, sed formaliter tantum; effective autem facit esse corpus illud, quod dat corpori formam ut perficiens; ut disponens autem illud, quod præoperatur ad formam, paulatim autem et ordine quodam inducendo materiam ad propinquiorem formam et dispositionem. Quanto enim propinquior fuerit forma aut dispositio, tanto minor est resistentia ad introductionem formæ et dispositionis completæ; facilius enim fit ignis ex aere quam ex aqua, quamvis utraque forma immediate adsit materiæ. — *Quodl.* 1, a. 6, ad 2.

Ad octavum dicendum, quod quia formæ substantiales non educuntur ab extra, sed ex potentia materiæ, sicut universalitati materiæ respondet universalitas formæ, ita particulari materiæ respondet particularis forma; et ideo ex materia unius individui non potest generari, quod potest generari ex tota materia; unde ex minimo ignis nulla alia forma potest generari vel educi. — *Opusc.* 32, c. 5 (2).

ARTICULUS XII

UTRUM IN MATERIA PRIMA PRÆEXISTAT FORMA GENERANDA SECUNDUM ALIQUID SUI TAMQUAM INCHOATIO ET PRINCIPIUM ACTIVUM COOPERANS AGENTI AD SUI PRODUCTIONEM.

Videtur quod in materia prima præexistat forma generanda secundum aliquid sui tamquam inchoatio et principium activum cooperans agenti ad sui productionem.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 29; l. 6, c. 9), quod illa, in quorum materia non est principium activum, fiunt tantum ab arte; ergo oportet, quod in materia illorum, quæ fiunt a natura, insit aliquod principium activum, quod nihil aliud esse videtur, quam inchoatio quædam formæ substantialis. — 7. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *Phys.* initio et 3. *Ethic.* c. 1 et 3), quod hoc differt mutatio naturalis ab artificiali et violenta, quod in eo, quod naturaliter movetur, est principium intrinsecum activum talis motus, in mutatione vero artificiali et violenta, principium illius activum est omnino ab extrinseco; sed materia naturaliter movetur ad formam substantialem : ergo in materia debet esse principium activum talis mutationis, et per consequens inchoatio formæ substantialis. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, arg. 6; 3a, q. 32, a. 4, c.; 2. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 8.

3. Præterea, mater active operatur ad conceptionem filii et non tantum passive; nam potentia generativa pertinet ad virtutes animæ vegetabilis, quæ sunt activæ, ut dicit Commentator (2. *de Anima text.* 34; c. 4), et quia alioqui, si sufficeret passive se habere ministrando solam materiam, terra posset dici mater hominis, quia ministrat lutum, unde tamquam ex materia formatur homo, et lignum similiter diceretur mater scamni; sed non alio modo mater operatur active, quam quia in materia, quam ministrat, est activum principium conceptionis et generationis : ergo in materia datur hujusmodi principium activum, quod non est aliud quam inchoatio formarum. — 3a, q. 32, a. 4, arg. 2; 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, arg. 4 et 5.

4. Præterea, *vel* formæ substantiales in generatione substantiali producuntur ex nihilo sui, *vel* ex aliqua parte sui, *vel* certe emergunt actu, cum latitarent in materia; sed *primum* dici non potest, quia sic crearentur, quod est falsum, cum opus creationis distinguatur ab opere gubernationis et propagationis; neque *tertium* dici potest, quia hæc fuit opinio Anaxagoræ, quam Aristoteles in 1. *Phys.* a *text.* 35 (c. 4) improbat : ergo dicendum est *secundum*; unde sequitur inchoatio formarum. — *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 9, 10, 11, 12 et arg. 1 *Sed contra.*

5. Præterea, Deus indidit rebus rationes seminales; sed hæ nihil aliud esse videntur quam aliquid formæ generandæ, quod est principium activum et inchoatio quædam illius : ergo dantur in materia inchoationes formarum substantialium. — 2. *Sent. dist.* 18, q. 1, a. 2.

Sed contra est : 1. quia nihil agit secundum quod est actu; sed antequam forma producatur in generatione substantiali, nihil aliud præexistit in materia, quod sit inchoatio formæ, quam aptitudo quædam ad actum, quæ non est actus : ergo in materia non præexistit forma generanda vel pars ejus et inchoatio tamquam principium activum agenti cooperans ad sui productionem. — 2. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, nulla forma agit in suum subjectum alterando ipsum, quia forma non agit, sed compositum, quod non potest se ipsum alterare, nisi sint in eo duæ partes, quarum una sit alterans et altera alterata; ergo non potest in materia præexistere aliquid formæ tamquam principium activum cooperatium agenti ad sui productionem. — 2. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod eorum, qui ponunt, formas substantiales non creari, sed educi de potentia materiæ, *quidam* dixerunt, ita formas substantiales educi de potentia materiæ, ut ex illa extrahantur, in qua latebant, ut de Anaxagora narrat Philosophus (1. *Phys. text.* 33 et 34; c. 4). Verum hic deceptus fuit ex ignorantia materiæ, quia nesciebat distinguere inter potentiam et actum; putabat enim oportere, quod præextiterit illud, quod generatur, cum tamen oporteat, quod potentia tantum præextiterit, non autem actu. Si enim non præexisteret potentia, fieret ex nihilo; si vero præexisteret actu, non fieret, quia quod est, non fit. — 1a, q. 45, a. 8, c.; *de Pot.* q. 3, a. 8.

Alii vero dixerunt, quod formæ præexistunt in materia imperfecte et incomplete secundum quamdam quasi inchoationem, quam alii dicunt esse privationem, tertium principium naturæ, alii partem aliquam totius formæ producendæ, vel ipsam formam in potentia materiæ præexistentem; nam ratione illius tota forma non est in suo esse perfecte; ideo non habet perfectam virtutem agendi, sed incomplete; unde non potest exire in actum per se, nisi sit agens exterius, quod excitet formam incompletam ad agendum, ut sic cooperetur agenti. — 7. *Metaphys.* l. 8; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2; 2. *Phys.* l. 1.

Fundamentum autem hujus opinionis est, quia existimavit, quod si in his quæ generantur per naturam, non esset aliquod principium generationis activum in materia, eorum generationes non essent naturales, sed violentæ; vel quod non esset aliqua differentia inter generationem naturalem et artificialem. Et si objiciatur contra eos, quod tunc ea, quæ generantur naturaliter, non indigerent extrinseco generante, si eorum generatio est a principio intrinseco, respondent, quod sicut principium intrinsecum non est forma completa, sed quædam inchoatio

formæ, ita etiam non est perfectum principium activum, ut per se possit agere ad generationem, sed habet aliquid de virtute activa, ut cooperetur agenti; nisi enim aliquid conferret mobile exteriori agenti, esset motus violentus; violentum enim est, cujus principium est extra, nil conferente vim passo, ut in 3. *Ethic.* (cap. 1 et 3) dicitur. Verum haec opinio propinqua est præcedenti ponenti latitationem formarum. Cum enim nihil agat, nisi secundum quod est in actu, si partes vel inchoationes formarum, quæ sunt in materia, habent aliquam virtutem activam, sequitur quod sint aliquo modo actu, quod est ponere latitationem formarum. Et præterea cum esse sit ante agere, non potest intelligi forma prius habere agere, quam sit in actu. — 7. *Metaphys.* l. 8.

Et ideo dicendum, quod quamvis formæ de potentia materiæ educantur, illa tamen potentia materiæ non est activa, sed passiva tantum. Sicut enim Commentator dicit in 8. *Phys.*, in motu locali oportet esse aliud movens et aliud motum, ita etiam in motu alterationis; et ponit exemplum, quod quando sanatur corpus naturaliter, cor est sanans et alia membra sanata. Et sicut in corporibus simplicibus non dicimus, quod sint mota ex se secundum situm, quia ignis non potest dividi in movens et motum, ita etiam non potest esse alteratum ex se sic, quod aliqua potentia existens in materia aliquo modo agat in ipsam materiam, in qua est, educendo illam in actum. Sed utrumque contingit in animatis, quia sunt mota secundum locum ex se, et etiam alterata propter distinctionem organorum vel partium, quarum una est movens et alterans et altera mota et alterata.

Neque sequitur, si in materia est tantummodo potentia passiva, quod non sit generatio naturalis, quia materia coadjuvat ad generationem non agendo, sed in quantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quæ etiam habilitas appetitus materiæ dicitur et inchoatio formæ. Non enim eodem modo omnes motus dicuntur naturales, ut in 2. *Phys.* (initio) et 1. *de Cœlo* (*text.* 5; c. 2) Commentator dicit; sed *quidam* propter principium activum intus existens, ut in motu locali gravium et levium, et *quidam* propter principium passivum, quod ab agente naturali natum est in actum educi, ut in generatione et alteratione corporum simplicium; et per consequens non oportet ad motum naturalem, quod semper principium motus, quod est in mobili, sit principium activum et formale, sed quandoque est passivum et materiale, unde et natura in 2. *Phys.* (*text.* 21; c. 2) distinguitur per materiam et formam. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2; 7. *Metaphys.* l. 8.

Differentia tamen est inter materiam naturalium et artificialium, quia in materia rerum naturalium est aptitudo naturalis ad formam, et potest reduci in actum per agens naturale; non autem hoc contingit in materia artificialium. — Unde manifestum est, quod in generatione substantiali non præexistit forma substantialis vel secundum totum vel secundum partem cooperans agenti tamquam principium activum ad sui productionem, sed tota educitur ex pura potentia passiva materiæ per actionem agentis naturalis. — 7. *Metaphys.* l. 8; 2. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus tantum docet, *quædam* esse, quæ possunt fieri ab arte et a casu, ut est sanitas, quæ et arte medicinæ et deambulatione comparari potest; *quædam* vero, quæ non possunt fieri nisi ab arte, ut est domus et statua. Reddens autem rationem prioris generis ait, illud provenire, quia in illis datur pars aliqua, quæ potest aliquando esse principium activum coadjuvans, ut est calor naturalis respectu sanitatis; reddens vero rationem posterioris generis ait, ligna et lapides non habere principium activum internum coadjuvans ad productionem domus; eodemque modo ait dicendum esse de generatione ignis et corporum simplicium. Nam materia ignis non potest moveri ad formam ignis nisi ab alio, sicut et forma ignis non nisi ab alio generatur; ex quibus verbis non colligitur, quod in omnibus his, quæ fiunt naturaliter, præexistit in materia eorum principium activum, sed potius oppositum. — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus tantum vult, quod in rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis motus convenit. Nam quibus convenit movere, est in eis principium activum motus; quibus autem convenit moveri, est in eis principium passivum, quod est materia; quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam et motum, facit esse motum naturalem; et propter hoc factiones rerum artificialium non sunt naturales, quia licet principium materiale sit in eo, quod fit, non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam. — 2. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod præbere materiam simpliciter ad generationem alicujus non facit matrem, sed præbere talem materiam sic præparatam est id, quod matrem facit. In ligno enim non est potentia naturalis, ut ex eo fiat seminum, cum per agens naturale in actum non compleatur; similiter nec in limo terræ, ut ex ea fiat homo; unde quod inducitur, non est simile. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, ad 4 et in c.

Ad quartum dicendum, quod forma substantialis præexistit in materia imperfecte; non quod aliqua pars ejus sit ibi in actu et alia desit, sed quia tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu. — *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 10.

Ad quintum dicendum, quod aliud sunt rationes obedientiales, seminales, primordiales et inchoationes formarum. Nam formæ rerum, secundum quod in arte divina existunt, *primordiales* esse dicuntur, eo quod ipsæ sunt prima principia rerum producendarum; potentia vero, quæ rebus indita est ad suscipiendum illud in se, quod voluntas divina disponit, rationes *obedientiales* dicuntur, secundum quas inest materiæ, ut fieri possit ex ea, quæ Deus disponit. Ipsæ autem virtutes activæ completæ in natura, ut calor, frigus, forma ignis et virtus solis, et hujusmodi dicuntur rationes *seminales;* rationes quidem, non quia sint in materia per modum intentionis, sed quia ab arte divina producuntur et manet in eis ordo et directio divini intellectus, sicut in re artificiata permanet directio artificis in finem determinatum. Seminales vero dicuntur, non propter esse incompletum, quod habent, sicut virtus formativa in semine, sed quia rerum individuis primo creatis hujusmodi virtutes collatæ sunt per opera sex dierum, ut ex eis quasi ex quibusdam seminibus producerentur et multiplicarentur res naturales. Porro inchoatio formæ nihil est aliud quam habilitas materiæ ad recipiendum, quæ simul dicitur potentia passiva materiæ et appetitus ejus. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2, c. et ad 1.

ARTICULUS XIII

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS EDUCATUR DE POTENTIA MATERIÆ IN GENERATIONE SUBSTANTIALI, AN VERO CREETUR.

Videtur quod in generatione substantiali forma substantialis creetur et non educatur de potentia materiæ.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 26 et 27; l. 6, c. 8), quod forma substantialis non generatur, sed solum compositum; sed quod non generatur, creatur; non enim est alius modus productionis: ergo forma substantialis non educitur de potentia materiæ, sed creatur. — *de Pot.* q. 3, a. 8, c.

2. Præterea, nihil educitur de aliquo, quod non est in eo; sed ante finem generationis forma, quæ est terminus generationis, non erat in materia; alioqui essent formæ contrariæ in materia simul: ergo forma naturalis non educitur de potentia materiæ. — l. c. arg. 8.

3. Præterea, sicut aliæ formæ naturales, sic et anima rationalis est forma in materia; sed anima rationalis non educitur ex potentia materiæ: ergo nec reliquæ formæ naturales. — l. c. arg. 7.

4. Præterea, quod non creatur, non est creatura; sed formæ substantiales sunt creaturæ: ergo creantur. — 1a, q. 45, a. 8, arg. 4.

5. Præterea id, quod non habet materiam partem sui, non potest ex materia fieri atque adeo ex ejus potentia educi, sed creatur. Sicut enim cum esse desinit, totaliter desinit, ita cum esse incipit, totaliter esse incipit, quod est creari; sed formæ substantiales non habent materiam partem sui, quia forma distinguitur contra materiam et contra compositum, et cum esse desinunt, totaliter desinunt: cum ergo formæ fiant, quia de novo esse incipiunt, videtur quod non fiant per eductionem de potentia materiæ, sed per creationem. — *Ibid.* arg. 1; *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 6 et q. 5, a, 4, arg. 9; 1a, q. 104, a. 4, arg. 3; 1a 2æ, q. 110, a. 2, arg. 3.

6. Præterea, educi formam substantialem de potentia materiæ *vel* est extrahi illam ex materia, in qua latebat; *vel* præexistere in materia vel partem formæ, quæ juvet actione agens naturale ad productionem totius formæ, vel formam uno modo, quæ postea, per generationem substantialem novum modum acquirat, ut nimirum quæ prius erat in potentia, postea sit in actu; *vel* est habere causam in materia. Sed nullum horum dici potest: non *primum*, quia inde sequitur latitatio formarum, quam ponebat Anaxagoras et impugnat Philosophus 1 *Phys.* (a *text.* 35; c. 4); — neque *secundum*, quia sequitur formam non esse simplicem, cujus contrarium habetur in principio libri *Sex Principiorum* (Gilberti Porretani); et illud saltem, quod

per generationem compositi advenit formæ, cum non præfuerit in materia, non educi de potentia materiæ, sed creari; vel certe sequitur, quod per operationem naturæ non fit aliqua generatio, sed alteratio sola; — neque *tertium*, quia sic illud crearetur, quod non habet causam in subjecto; quod est falsum, quia formæ artificiales non habent causam in subjecto, et tamen non creantur. Ergo dicendum est, quod formæ substantiales non educuntur de potentia materiæ, sed creantur. — *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 5, 9, 10, 11 et 12.

7. Præterea, natura facit sibi simile; sed quædam inveniuntur genita in natura non ab aliquo sibi simili, sicut patet in animalibus genitis ex putri : ergo saltem in his eorum forma non est a natura, sed per creationem. — 1a, q, 45, a. 8, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus in 2. *de Generat. Animal.*, c. 3 dicit, quod intellectus solum ab extrinseco est; ergo ceteræ formæ substantiales carentes intellectu non veniunt ab extrinseco per creationem productæ, sed vere educuntur ex potentia materiæ per actionem agentis naturalis. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, arg. 1 *Sed contra* et a. 3, arg. 2. *Sed contra.*

2. Præterea, opus creationis distinguitur ab opere gubernationis et propagationis; sed productio formarum substantialium ab agente naturali pertinet ad opus gubernationis et ad rerum propagationem : ergo formæ substantiales non creantur, sed educuntur de potentia materiæ. — *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 1 *Sed contra;* 1a, q. 45, a. 8, *Sed contra.*

3. Præterea, nihil potest creare nisi solus Deus; si ergo formæ substantiales sunt per creationem, non erunt nisi a Deo, et sic omnis actio naturæ frustrabitur, cujus finis est forma. — *de Pot.* l. c., arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod omnes qui non consideraverunt id, quod ostendit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 27; l. 6, c. 8), quod proprie forma non fit, sed compositum (quia alioqui forma erit composita ex materia et forma, sicut est id, quod proprie fit, cum in omni genere id, quod fit, fiat ex aliquo subjecto vel materia tamquam ex parte sui), passi sunt difficultatem circa productionem formarum substantialium. Propter hoc namque *quidam* coacti sunt dicere, omnes formas esse ex creatione; nam ponebant formas fieri, et non poterant ponere, quod fierent ex materia, cum materia non sit pars formæ; unde sequebatur, quod fierent ex nihilo, et per consequens quod crearentur. E contrario autem *quidam* posuerunt propter hanc difficultatem, formas præexistere in materia actu, quod est ponere latitationem formarum, sicut posuit Anaxagoras. — Sententia autem Aristotelis, qui ponit, formas non fieri, sed compositum, utrumque excludit. Neque enim oportet dicere, quod formæ sint causatæ ab aliquo extrinseco agente, quia genitum naturale invenitur simile in specie ipsi generanti; et quia formæ substantiales non excedunt virtutem et facultatem principiorum agentium in natura, et quia alioqui cassa erit omnis naturæ actio; — neque quod fuerint semper actu in materia, quia quod jam est, non fit, ut dictum est, sed in potentia tantum, et per consequens, quod in generatione compositi formæ substantiales materiales sint eductæ de potentia materiæ. — 7. *Metaphys.* l. 7; 1a, q. 45, a. 8, c.; *de Pot.* q. 3, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc ipso, quod forma non fit proprie, sed solum compositum, ostendit Philosophus l. c., formas ab agentibus naturalibus produci, educendo illas de potentia materiæ; nam actione sua faciunt, quod materia, quæ est in potentia ad formam, fiat actu sub forma, quod est facere compositum. — *de Pot.* l. c.; 7. *Metaphys.* l. 7.

Ad secundum dicendum, quod forma, quæ est generationis terminus, erat in materia ante generationem completam non in actu, sed in potentia; non est autem inconveniens, duorum contrariorum unum esse actu et aliud in potentia. — *de Pot.* l. c., ad. 8.

Ad tertium dicendum, quod licet anima rationalis habeat materiam, in qua sit, non tamen educitur de potentia materiæ, quia ejus natura est supra omnem materialem ordinem elementorum; sicut ejus intellectualis operatio declarat; et iterum hæc forma est res per se subsistens, cum corrupto corpore maneat. — *Ibid.* ad 7.

Ad quartum dicendum, quod sufficit ad hoc, ut formæ substantiales factæ per naturam sint creaturæ, quod non sint nisi ex præsuppositione principiorum creatorum. — 1a, q. 45, a. 8, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ex hoc, quod forma non habet materiam partem sui, sequitur tantum, quod ei competeret creari, si proprie fieri posset, sicut res per se subsistens. — *Vel dic,* quod licet formæ substantiales sicut et accidentia, etsi non habeant materiam partem sui, ex qua sint, habent tamen materiam, in qua

sunt et de cujus potentia educuntur; unde sicut cum esse desinunt, non omnino annihilantur, sed remanent in potentia materiæ sicut prius, ita cum producuntur, non creantur, sed congenerantur. — *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 6 et q. 5, a. 4, ad 9; 1a, q. 45, a. 8, ad 1 et q. 104, a. 1, ad 3; 1a 2æ, q. 110, a. 2, ad 3.

Ad sextum dicendum, quod educi formam substantialem de potentia materiæ non est per actionem agentis naturalis disponi materiam, ut sit necessitas ad receptionem formæ; nam productio animæ rationalis pertinet ad hunc modum, quæ tamen creatur; hic enim modus sufficit ad hoc, ut agens producat sibi simile, quia proprie forma non generatur sed compositum; sed est ex parte *materiæ* illam fieri actu sub forma, ad quam erat in potentia, vel fieri actu ad, quod prius erat in potentia; ex parte vero *formæ* est secundum esse simpliciter prius fuisse in potentia materiæ, deinde fieri actu secundum tale esse in ipsa, quod est consequenter formam in esse et fieri sustentari a materia; — quod quia non convenit animæ rationali, cujus esse non est dependens a materia, sed per se subsistens et consequenter excedens materiæ capacitatem, propterea non educitur de potentia materiæ, nec consequenter ab illa sive in esse simpliciter sive in fieri sustentatur (licet ab eadem sustentetur, secundum quod est forma hujus habens esse in hoc), sed creaturus. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, ad 4; Capreolus in 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 3, ad 1. Aureoli; 7. *Metaphys.* l. 7; 1a, q. 90, a. 2, ad 2; v. Cajetanum in hunc loc.; 5. *Metaphys.* l. 2.

Ad septimum [1]) dicendum, quod ad generationem animalium imperfectorum sufficit agens universale, quod est virtus cœlestis, cui similantur non secundum species, sed secundum analogiam quamdam. Neque oportet dicere, quod eorum formæ creantur ab agente separato. Ad generationem vero animalium perfectorum non sufficit agens universale, sed requiritur agens proprium, quod est generans univocum. — 1a, q. 45, a. 8, ad 3.

ARTICULUS XIV

UTRUM DEFINITIO MATERIÆ SIT A PHILOSOPHO RECTE TRADITA.

Videtur quod non sit recte a Philosopho definita materia, quod sit primum subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, et non secundum accidens.

1. Quia unius rei est una tantum definitio; sed materia aliter definitur ab eodem (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3) : ergo hæc definitio materiæ non est a Philosopho recte tradita. — 3. *Metaphys.* l. 8; 1. *Sent.* dist. 1, an exposit. textus; 2. *Poster.* l. 19.

2. Præterea, omnia accidentia materialia primo et immediate insunt quantitati; sed hoc est quantitatem esse primum subjectum omnium formarum accidentalium : ergo falsum est, quod materia sit primum subjectum uniuscujusque. — 3a, q. 77, a. 2, c.

3. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7), quod id, quod fit, fit ex aliquo tamquam ex materia; sed aliqua materia proprie fit, ut dicit idem Philosophus (12. *Metaphys. text.* 12; l. 11, c. 3) : ergo falsum : est, quod materia sit primum subjectum uniuscujusque; nam illa materia, quæ fit ex alia, non est primum subjectum. — 7. *Metaphys.* l. 7; 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

4. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 11; l. 7, c. 4), quod ejusdem rei possunt esse multæ materiæ; sed hoc implicat, si materia debeat inesse et permanere in re : ergo falsum est, quod materia sit primum subjectum, ex quo fit aliquid, cum insit. — 8. *Metaphys* l. 4 (3).

Sed contra est auctoritas Philosophi (1. *Phys. text.* 82; c. 9) definientis materiam modo prædicto. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

Respondeo dicendum, quod recte tradita est a Philosopho prædicta definitio; nam optime explicat essentiam et quidditatem primi principii materialis rerum naturalium, ut constare potest ex illius explicatione. Dicitur enim *primo* subjectum, quia in omni transmutatione naturali præter duo principia contraria necessario requiritur aliquod tertium, quod sit subjectum utriusque contrarii, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 51 et 52; c. 6). Dicitur *secundo* primum, quia materia non fit ex alia materia; nam omne agens naturale operatur ex supposita materia; et quia alioqui daretur processus in infinitum. — 1. *Phys.* l. 11 (10); 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1 et dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3, c. et ad 1 et dist. 5, q. 1, a. 3, sol. 3, ad 3; 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

Dicitur *tertio* : ex quo fit aliquid, quia materia est principium rerum naturalium, in quo convenit cum forma et privatione; nam ex his

[1]) Hanc septimæ objectionis solutionem, quæ nescio casu tum in Ticinensi tum in Parisiensi editione edidit, ex S. Thoma l. c. supplevi.

omnibus dicitur fieri res. Dicitur *quarto* : non secundum accidens, quia materia est principium et causa rerum naturalium; illa vero dicuntur esse principia et causæ rerum naturalium, ut dicitur 1. *Phys. text.* 62; c. 7, ex quibus sunt et fiunt per se et non secundum accidens, nisi quod materia est causa rei naturalis ut subjectum, forma vero ut terminus *ad quem* generationis et ut actus materiæ. Dicitur *quinto* : cum insit, quia ex hoc aliquid fit per se et non secundum accidens, quod inest rei, postquam facta est; et hoc dicitur ad differentiam privationis, quæ est principium mutationis per accidens et non per se, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 75 et 76; c. 8), quia licet ex privatione res fiat, non tamen inest rei. Figuratum enim fit ex infigurato per accidens, quia postquam jam est figuratum, non inest ei infiguratum; materia vero inest rei, postquam facta est. — Unde manifestum est, recte fuisse a Philosopho traditam definitionem materiæ. — 1. *Phys.* l. 13 (12), 14 (13) et 15 (14).

Ad primum ergo dicendum, quod quia definitio est ratio, quam significat nomen, ratio autem nihil aliud est quam conceptio, ideo sicut de eadem re plures conceptus formari possunt, ita et plures definitiones afferri. Quia ergo dupliciter potest considerari materia : *vel* in ordine ad compositum, quod proprie fit, et hoc modo sumpta definitur a Philosopho in 1. *Phys.* (*text.* 82; c. 9); — vel in ordine ad mutationes naturales et ad terminos earum, et hoc modo definitur in 7. *Metaphys.* l. c. — 7. *Metaphys.* l. 12; *Opusc.* 9, q. 1.

Ad secundum dicendum, quod materia dicitur subjectum primum, ante quod non est aliud, seu ultimum, in quod alia resolvuntur; accidentia enim immediate quidem insunt quantitati, sed quantitas inest materiæ, et mediante illa eidem insunt reliqua accidentia. — 3a, q. 77, a. 2, c.

Ad tertium dicendum, quod materia prima, quæ dicitur ultima, quia in illam ultimo resolvuntur multa, quæ materiæ rationem habent, non fit ex alia, secus vero quæ non est materia ultima, sed secunda. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 12. *Metaphys.* l. 2 et 3 (1 et 2).

Ad quartum dicendum, quod materia prima, in quam ultimo resolvuntur composita, una tantum est; at vero materia propria et determinata uniuscujusque rei est multiplex. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

ARTICULUS XV

UTRUM IN CORRUPTIONE COMPOSITI SUBSTANTIALIS FIAT RESOLUTIO USQUE AD MATERIAM PRIMAM.

Videtur quod in corruptione compositi substantialis non fiat resolutio usque ad materiam primam.

1. Dicit enim Philosophus, quod non est possibile, materiam esse sine passionibus seu accidentibus (1. de *Generat. text.* 29; c. 5) sed si fieret resolutio usque ad materiam primam posset materia separari ab accidentibus et esse sine illis : ergo in corruptione substantialis compositi non fit resolutio usque ad materiam primam. — 1. *de Generat.* l. 13.

2. Praeterea, materia est ens actu per formam; at si fieret resolutio usque ad materiam primam in corruptione compositi substantialis, materia recederet a tota rerum natura, quia non esset amplius ens actu : ergo in corruptione non fit resolutio usque ad materiam primam. — *Ibid.* l. 7.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 27; c. 5), quod impossibile est, materiam primam nullum possidere locum, quia materia est, ex qua generantur corpora sensibilia; hoc autem, ex quo corpora sensibilia generantur, necesse est in aliquo loco esse; semper enim videmus, quod id, ex quo aliquid generatur, est alicubi ; ibidem autem est, quod generatur ex aliquo, ubi fuit id, ex quo generatum. Quare oportet id, ex quo generatur aliquid secundum materiam, esse alicubi, vel per se vel per accidens; at si daretur resolutio usque ad materiam primam in corruptione compositi substantialis, materia separaretur a quantitate, et sic nullibi esset : ergo dicendum est in corruptione compositi substantialis non fit resolutionem usque ad materiam primam. — *de Generat.* l. 12.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 24; c. 4), quod in transmutatione symboli ex symbolo manet eadem qualitas in genito et corrupto; et patet, quia alioqui non erit facilior transitus ad invicem eorum, qui habent similitudinem, eo quod oportebit utrobique omnia removeri ; et similiter sequitur quod simile corrumpatur a simili; nam generans corrumpit id, quod prius erat; sed si in corruptione compositi substantialis fieret resolutio usque ad materiam primam, non pos-

remanere eadem qualitas in genito et in corrupto in transmutatione symbolorum : ergo dicendum est, quod in corruptione compositi substantialis non fit resolutio usque ad materiam primam. — 1. *de Generat.* l. 10.

5. Præterea in vivo et mortuo corpore remanet eadem cicatrix seu eadem vestigia vulnerum; ergo remanet eadem numero quantitas et qualitas alioqui non esset ratio, cur remanerent alia vestigia adveniente nova forma specifica in corpore mortuo. — *Opusc.* 41, c. 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9) dicit, quod materia est primum subjectum, in quod ultimum resolvitur id, quod corrumpitur. Et in *Prædicam.* (c. 1 vel 6) dicit, quod corruptis primis substantiis impossibile est remanere secundas substantias et accidentia; et 5. *Phys. text.* 8 (c. 1), quod id, quod generatur subjective, scilicet materia, non est in loco, sed nullibi; alicubi autem esset, si remaneret cum quantitate, cui debetur locus; et 1. *de Generat. text.* 23 (c. 4), quod generatio ad differentiam alterationis est transmutatio non solum secundum passsiones, sed etiam secundum formam substantialem ; ergo in corruptione compositi substantialis debent corrumpi omnia accidentia, et ita fiet resolutio usque ad materiam primam. — 1. *Phys.* l. 15 (14); *Opusc.* 48, tract. 2, c. 1; 5. *Phys.* l. 2; 1. *de Generat.* l. 10.

2. Præterea, accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, ut scilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio; accidens enim numerum accipit a subjecto; sed subjectum accidentium est totum compositum, sicut et alterationis, quæ est motus ad accidens, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 24; c. 4) : ergo ad corruptionem subjecti seu compositi substantialis necesse est omnia accidentia illius corrumpi et advenire nova, adveniente nova forma substantiali. — 3a, q. 77, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod in corruptione compositi substantialis fit resolutio usque ad materiam primam. Et ratio est ex dictis, *tum* quia omnia accidentia præsupponunt formam substantialem in materia; *tum* quia accidentia omnia immediate fundantur in quantitate et mediante quantitate sunt in materia (quantitas autem præsupponit in materia formam substantialem corporis seu substantiam corpoream, cum sit illius propria passio inseparabilis ab illa); *tum* quia substantia cum sit primum in genere entis, debet esse causa accidentium, quæ sunt entia secundum quid; *tum* quia subjectum accidentium non est materia sola, sed materia simul cum forma vel unita formæ substantiali; est enim ens actu, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 23 et 24; c. 4), ad differentiam formæ substantialis, quæ habet pro suo subjecto ens potentia seu solam materiam primam. Quare ad hoc, ut adveniant materiæ, præsupponere debent in illa formam substantialem, ratione cujus materia potest illa recipere. *Præterea*, quia si accidentia eadem, quæ sunt in corrupto, remanerent etiam in genito, idem accidens numero esset in duobus subjectis, quod dici non potest. — Unde manifestum est, quod in corruptione compositi substantialis fit ultima resolutio usque ad materiam primam. — 3a, q. 77, a. 2; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 2; *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 18; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 2, sol. 3 et dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3 ; *Opusc.* 30, c. 7; 1. *de Generat.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod ex eo, quod materia non potest esse sine accidentibus, non sequitur, in corruptione compositi substantialis non fieri resolutionem usque ad materiam, ita ut idem numero accidens, puta quantitas, semper sequatur materiam, et hæc ab illa nunquam spolietur : (nam hoc est impossibile, ut dictum est); sed tantum sequitur, non posse materiam existere spoliatam quantitate, quod verum est; quia cum materia non sit sine forma, impossibile est, eam esse sine primo gradu, quem facit forma; primus autem gradus est corporeitas, quem sequitur quantitas tamquam propria passio; unde impossibile est, materiam esse sine quantitate. — Quod autem impossibile sit, materiam existere sine aliqua forma substantiali, patet, quia cum materia sit subjectum generationis et corruptionis, et generatio unius sit corruptio alterius, necesse est, ut materia, ex qua aliquid generatur et in quam aliquid corrumpitur, semper habeat aliquam formam, per quam assimiletur vel contrarietur generanti vel corrumpenti. — 1. *de Generat.* l. 13 et 7; *Opusc.* 72, c. 19.

Ad secundum dicendum, quod quia uno corrupto, ut mox (ad 1) dictum est, generatur aliud, et uno genito aliud corrumpitur, ideo nec materia secedit a rerum natura nec remanet sine forma, quia in eodem instanti, in quo privatur forma præcedenti et fit non ens, hoc, quod est corruptum, recipit aliam formam et fit ali-

quid, puta id, quod est generatum; unde non potest unquam materia remanere, quin sit subjecta alicui formæ. — 1. *de Generat.* l. 7.

Ad tertium dicendum, quod duplex est materia : una est prima et communis, alia secunda et propria; *hæc* semper est alicubi; nam involvit dispositiones accidentales atque adeo quantitatem, cui debetur locus; quin etiam involvit formam substantialem et est ens actu, ut cum dicimus, ex aere fieri ignem tamquam ex materia; illa vero ex se et per se nullibi est, ut docet Philosophus (5. *Phys. text.* 8; c. 1). — 1. *de Generat.* l. 12.

Vel dic, quod materia semper est alicubi per accidens ratione formæ substantialis et accidentium, a quibus nunquam existit separata, cum semper habeat aliquam formam substantialem, ut dictum est (ad 4 et 2).

Ad quartum dicendum est, quod non manet idem numero accidens in genito et corrupto; sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti recedente forma, quæ prius erat talis acidentis, et advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem vel accedentem; et quia per hoc accidens non erat aliqua repugnantia in agendo et patiendo, facilior fuit transmutatio. Nec est inconveniens, quod simile per acccidens corrumpat suum simile per acccidens corrumpendo subjectum vel materiam; sic enim major flamma consumit minorem. — 1. *de Generat.* l. 10.

Ad quintum dicendum, quod in vivo et mortuo non remanent eadem numero accidentia, sed specie, puta eadem quantitas idemque vestigium vulnerum, quia manet origo et radix quantitatis, puta eadem materia numero cum eodem ordine ad formam generalem, quam consequitur quantitas ut propria passio. — *Opusc.* 41, c. 1; *Opusc.* 30, c. 7; 1a, q. 76, a. 6, ad 1, ubi præclare Cajetanus; v. Dominicum de Flandria *in* 7. *Metaphys.* a. 2.

QUÆSTIO IV

DE FORMA SUBSTANTIALI

Deinde considerandum est de forma substantiali.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR

TRIA :

1. Utrum detur forma substantialis.
2. Utrum recte definiatur a Philosopho quod quid erat esse rei.
3. Utrum forma substantialis sit principium mutationis substantialis, puta generationis, ut finis et terminus, an vero ut forma substantialis.

ARTICULUS I

UTRUM DETUR FORMA SUBSTANTIALIS.

Videtur quod non datur forma substantialis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster. text.* 17; c. 13), quod omnes particulæ definitionis debent esse in plus quam definitum; sed si daretur forma substantialis, hæc posita in definitione physica æqualis esset definito; ergo non datur forma substantialis. — 2. *Poster.* l. 13.

2. Præterea, de ratione substantiæ particularis etiam materialis est, quod per se subsistat quasi per se ens, alioqui non erit in prædicamento substantiæ; sed nulla forma materialis subsistit per se : ergo non datur ulla forma substantialis. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 1; 1a, q. 75, a. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (8 *Metaphys. text.* 5; l. 7. c. 2). quod quædam substantiæ differunt sensibilium passionibus, quædam tempore, quædam loco, et quod in differentiis consistit esse rei ; ergo cum Philosophus rerum differentias dicat desumi ex qualitatibus, nulla dabitur forma substantialis. — 8. *Metaphys.* l. 2.

4. Præterea, si datur forma substantialis, maximè *vel* propter mutationem, cujus ipsa est terminus; *vel* propter actionem, cujus ipsa est principium; *vel* propter essentialem compositionem rerum; *vel* denique propter quædam accidentia, quorum ipsa est origo et principium. Sed propter nullum prædictorum necesse est dari formam substantialem : non quidem propter *primum*, quia omnis mutatio est ex contrario in contrarium, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7 et 12. *Metaphys. text* 12; l. 11, c. 2; sed contrarietas tantum est in accidentibus, quia substantiæ nihil est contrarium, ut dictum est (in Logica q. 10, a. 3 quæstiunc. 4); — neque *secundum*, quia actionis immediatum principium est tantum qualitas; ignis enim tantum agit ut calidus, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensib.* c. 4, a. 2; c. 4); — neque *tertium*, quia differentiæ constitutivæ elementorum, quæ sunt prima corpora naturalia, sunt qualitates sensibiles, ut dicit Philosophus 1. *de Generat. text.* 18; c. 3 et 2. *de Generat. text.* 3; c. 1); — neque *quartum*, quia sola forma accidentalis est immediate a

tiva; nam eatenus aliqua agunt ad invicem et patiuntur, quatenus habent contrarietatem, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 10; c. 2; nihil autem agit ultra suam speciem; non ergo per actionem naturalem agentium naturalium materia transmutatur ad formam substantialem, sed solum ad accidentalem, et ita nulla dabitur forma substantialis. — 7. *Metaphys.* l. 6; 12. *Metaphys.* l. 3 (2); *de Sensu et Sensato* l. 10; 1. *de Generat.* l. 8; 2. *de Generat.* l. 1 et 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys.* text. 7; l. 6, c. 3; 8. *Metaphys. text.* 5; l. 7, c. 2; *de Anima text.* 4; c. 1) substantiam dividit in materiam et formam. — 7. *Metaphys.* l. 2; 8. *Metaphys.* l. 2; 2. *de Anima* l. 1 et 2.

2. Præterea, 1. *Phys. text.* 24 (c. 3) ex specifica distinctione probat Philosophus, dari formam substantialem; nam materia est ejusdem rationis in omnibus, et ideo per illam res naturales non possunt distingui specie; sed evidens est, dari substantias naturales specie distinctas, ut hominem et equum, et similiter contraria, ut ignem et aquam : ergo evidens etiam est, dari aliud principium intrinsecum præter materiam, per quod essentialiter et specifice distinguantur; hoc autem est forma, cujus propria ratio est distinguere specie res a se constitutas. — 1. *Phys.* l. 5.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, dari formas substantiales præter accidentales. — Quod potest esse manifestum ex multis, et *primo* ex specie corporis naturalis, quod est corpus animatum. Hoc enim dari patet sensu ex operibus vitæ, puta ex alimento, augmento et decremento, ex intellectu et voluntate, quorum principium est anima, ut dicitur 2. *de Anima text.* 3 et sqq.; c. 1; anima autem est forma substantialis; est enim sic actus, sicut substantia est actus, ut dicitur ibidem — 2. *de Anima* l. 1.

Secundo ex proportione, quæ debet esse inter materiam et formam; actus enim et potentia ob talem proportionem debent esse in eodem genere, ut dictum est; materia autem est potentia quædam substantialis et de genere substantiæ, ut dictum est (supra q. 3, a. 6); unde Philosophus sæpe dividit substantiam in materiam, formam et compositum. — *Tertio*, ex compositione essentiali rerum. Manifestum enim est, dari plurima entia simpliciter, qualia sunt omnes substantiæ completæ, quæ sunt hoc aliquid, id est aliquid demonstratum, quod est simpliciter in esse et specie; hujusmodi autem non possunt constitui per formas accidentales. Nam forma accidentalis non facit ens actu simpliciter, sed ens actu tale vel tantum, puta magnum vel album vel quid hujusmodi; unde et advenit subjecto jam præexistenti actu; debent ergo constitui per formas substantiales, quarum proprium est facere ens actu simpliciter, quæque proinde non adveniunt subjecto jam præexistenti actu, sed existenti in potentia tantum. — *Ibid.*; 1a, q. 44, a. 2, c.

Quarto, ex mutatione substantiæ. Non solum enim datur mutatio, secundum quam aliquid generatur secundum quid, ut cum aliquid mutatur de non albo in album, sed etiam qua aliquid simpliciter generatur, quia nimirum mutatur ex non esse simpliciter in esse simpliciter; terminus autem generationis est forma, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 14; c. 1). Sed non potest forma accidentalis esse terminus generationis simpliciter; nam ratione illius non generatur aliquid simpliciter, sed tantum secundum quid; debet ergo illius terminus esse forma substantialis. — *Demum* idem patet ex termino generationis naturalis, ut naturalis est; hic enim est natura, ut dicit Philosophus l. c. Sed non potest natura terminus generationis naturalis ut sic esse materia; nam hæc est subjectum generationis naturalis, non ejus terminus, ut dicit Philosophus ibidem; nec est forma accidentalis; nam hæc non est natura, sed secundum naturam : erit ergo forma substantialis. — Unde manifestum est, dari formas substantiales. — 5. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 11; 2. *Phys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod si accipi posset differentia, quæ notificaret ipsam formam substantialem speciei, nullo modo differentia ultima esset in plus quam species; nam hæc adæquat speciem, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12). Et ratio est, quia, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 5 et 6; l. 7, c. 2), ratio quæ est ex differentiis, videtur esse speciei et actus, id est formæ; cujuslibet autem speciei est propria forma, quæ nulli alii convenit; sed quia formæ essentiales non sunt nobis per se notæ, oportet, quod manifestentur per aliqua accidentia, quæ sunt signa illius formæ, ut patet in 8. *Metaphys.* l. c.; non autem oportet per accidentia propria illius speciei, quia talia oportet per definitionem speciei demonstrari, sed oportet notificare formam spe-

cici per alia accidentia communiora. Et secundum hæc differentiæ sumptæ dicuntur substantiales, in quantum inducuntur ad declarandam formam substantialem; sunt autem communiores specie, in quantum assumuntur ex aliquibus signis, quæ sequuntur signa superiora. — 2. *Poster.* l. 13; 1. *de Anima* l. 1; 8. *Metaphys.* l. 2; 1. de *Generat.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod solius substantiæ completæ proprium est, quod subsistat quasi per se ens, quia illa sola dicitur proprie esse; unde et directe est in prædicamento substantiæ. Forma vero substantialis, sicut et materia non sunt substantiæ completæ nec species prædicamenti substantiæ directe proinde contentæ sub illo, sed sunt principia illius atque adeo reductive ad illud pertinent. — 2. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 1, ad 1.

Vel dic, quod forma substantialis dicitur substantia secundum, quod dividitur contra accidens, non autem secundum quod est genus; et ideo non mirum, si non convenit illi ratio substantiæ, quæ est esse rem, cui debetur esse per se. — *Tabula Aurea* voce « substantia » n. 6, 10, 13.

Ad tertium dicendum, quod nulla prædictarum differentiarum est substantia neque aliquid substantiæ affine quasi pertinens ad genus substantiæ; significant tamen formam substantialem et quod quid est multarum substantiarum. Quia enim formæ substantiales et principia essentialia rerum sunt nobis ignota, ideo oportet, quod utamur differentiis accidentalibus in designatione essentialium; per differentias enim accidentales pervenimus in cognitionem essentialium. — 8. *Metaphys.* l. 2; 1. *de Anima* l. 1; 2. *Poster.* l. 13.

Ad quartum dicendum, quod ex omnibus illis quatuor capitibus necesse est dari formas substantiales, ut dictum est (supra in c.). Cum enim omnis mutatio vel sit ex contrario vel contradictorio, ut dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 7; l. 11, c. 2), non solum datur mutatio ex subjecto in subjectum, sed etiam ex non subjecto in subjectum, quæ est generatio substantialis terminata ad formam substantialem, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 7; c. 1 et 11. *Metaphys.* c. 12; l. 10, c. 11). Præterea forma substantialis est principium actionis principale (non autem instrumentale) et immediatum, et terminus immediatus generationis substantialis, ut dictum est, et causa efficiens passionum, ut dictum est. Cum autem differentiæ substantiales, ut habetur in 8. *Metaphys.* (l. c. ad 1), sint ignotæ, per differentias accidentales manifestantur, et sic calidum et frigidum dicuntur differentiæ ignis et terræ, cum alioqui non sint differentiæ essentiales illorum. — 5. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 11; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 100; 1. *de Generat.* l. 8.

ARTICULUS II

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS SIT A PHILOSOPHO RECTE DEFINITA.

Videtur quod forma substantialis non sit a Philosopho recte definita, quod sit ratio quod quid erat esse rei.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 28; c. 3), quod partes definitionis pertinent ad causam formalem; sed materia communis est pars definitionis, cum sit pars essentiæ rei, a qua sumitur genus : ergo etiam materia pertinet ad causam formalem et per consequens ad quodquid erat esse rei. — 2. *Phys.* l. 5; 7. *Metaphys.* l. 7.

2. Præterea, hoc intelligitur per quodquid erat esse alicujus, per quod convenienter responderi potest ad quæstionem de eo factam per : quid est? sed interroganti : quid est res? responderi potest per materiam; nam responderi potest per genus, quod est pars definitionis et sumitur a materia, ut dictum est (in Logica q. 3, a. 1 et 4) : ergo materia pertinet ad quodquid est esse rei, et consequenter non potest quodquid est esse rei esse definitio formæ. — 7. *Metaphys* .l. 3.

3. Præterea, materia universalis per se pertinet ad speciem, nam in hoc distinguitur a materia individuali; sed illud, quod per se pertinet ad speciem, pertinet ad quodquid erat esse rei ; ergo materia etiam est quodquid erat esse rei. — 7. *Metaphys.* l. 9.

4. Præterea, ratio quodquid erat esse rei est definitio, per quam scitur, quid est res; sed definitio continet tam materiam quam formam : ergo utraque pertinet ad quodquid erat esse rei, et per consequens male in definitione tribuitur soli formæ, quod sit ratio quodquid erat esse rei. — 5. *Metaphys.* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 9.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 28; c. 3) dicit, quod forma est ratio quodquid erat esse rei. — 2. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, natura generis vel speciei est id,

quod significat definitio dicens quodquid est esse rei; sed unumquodque per suam formam consequitur naturam generis vel speciei : ergo forma est quodquid erat esse rei. — 5 *Metaphys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod sola forma est ratio quodquid erat esse rei atque adeo quodquid esse rei. — Cujus ratio est, quia id est ratio quodquid erat esse rei, per quod scimus de unoquoque, quid est; sed hoc scimus per formam, non autem per materiam; nam materia est quid indeterminatum et infinitum, et finitur tantum ac determinatur per formam ad talem speciem, ut dictum est (supra q. 3, a. 2). Præterea quia per id, secundum quod aliquid est tantum in potentia ad hoc, quod sit tale, sicut non dicitur habere esse tale, ita nec cognosci potest esse tale, quia unumquodque sicut se habet, ut sit, ita et veritatem et per consequens, ut cognoscatur, ut dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1); per materiam autem res tantum est in potentia talis, ut patet tam in artificialibus quam in naturalibus. *In artificialibus* enim per materiam tantum res habet, quod sit in potentia ad hoc, quod sit artificiosa, et nondum dicitur habere aliquod esse artis, donec adveniat figura, per quam dicitur habere speciem lecti vel domus; *in naturalibus* vero per materiam est aliquid in potentia caro vel os, et nondum habet naturam et speciem carnis et ossis, antequam accipiat formam, secundum quam sumitur ratio definitiva rei, per quam scimus, quid est caro vel os, nec adhuc est natura vel species in ipso, antequam habeat formam. — Unde manifestum est, quod forma recte definitur, quod sit ratio quodquid erat esse rei. — 2. *Phys.* l. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod eatenus dicuntur partes definitionis ad causam formalem pertinere, quatenus natura speciei constituta ex materia et forma se habet ut formalis respectu individui vel suppositi, quod participat talem naturam. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod interroganti : quid est res secundum propriam naturam et speciem, non nisi per formam responderi potest, ut dictum est. — V. supra in c. et infra ad 4.

Ad tertium dicendum, quod materia per se pertinet ad speciem, quia species componitur ex genere et differentia, quorum genus sumitur a materia, differentia vero a forma, ut dictum est (in Logica q. 3, a. 4); non tamen per se pertinet ad speciem tamquam ratio illius et tamquam principale et quid perficiens speciem ac definitionem rei, ut dictum est; nec ut conveniens rei, in quantum habet speciem; hoc enim tantum est forma, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 34; l. 6, c. 10); ut patet similiter in artificialibus, ut dicit Philosophus ibidem. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod licet materia ingrediatur definitionem substantiæ compositæ, sola tamen forma dicitur ratio quodquid erat esse rei, quia id, quod est principale in definitione, est ex parte formæ, et quia sola perficit rationem quidditatis rei; unde modo particulari dicitur a Philosopho (5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2) causa rei. — 5. *Metaphys.* l. 2.

ARTICULUS III

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS SIT PRINCIPIUM GENERATIONIS UT TERMINUS ET FINIS, AN UT FORMA.

Videtur quod forma substantialis sit principium generationis ut forma, non autem ut finis vel terminus generationis.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 27; l. 6, c. 8 et 12. *Metaphys. text.* 12; l. 11, c. 3), quod forma non generatur, sed compositum; sed id est terminus generationis, quod generatur : ergo si forma est principium generationis, debet esse principium ut forma, non autem ut finis et terminus. — 7. *Metaphys.* l.7; 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea, terminus generationis debet respondere principio generanti; sed principium generationis est compositum generans : ergo terminus generationis est compositum genitum, et consequenter forma erit principium generationis ut forma, non autem ut terminus generationis (1. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 1, c.) — Sed dices, quod forma generatur per accidens, et consequenter est terminus generationis per accidens.

3. Contra, unumquodque consequitur naturam speciei per formam suam; sed natura neque per se neque per accidens generatur seu est terminus generationis, ut patet in divinis in generatione Filii : ergo forma substantialis nullo modo est terminus generationis et sic ad generationem tantum concurret ut forma. — 1. *Sent.* l. c., arg. 2.

4. Præterea, forma concurrit ad mutationem substantialem ut principium per se intrinsecum

ejus, quod fit per mutationem; sed forma non sic concurrit nisi ut forma, non autem ut finis, quia forma inest rei, quæ fit, finis vero est causa extrinseca, ut dictum est (in Logica q. 30, a. 2) : ergo forma non est principium mutationis substantialis ut finis vel terminus, sed ut forma. — 2. *Phys.* l. 13 et 14.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (5. *Phys. text.* 4; c. 1 et 12. *Metaphys. text.* 12; l. 11, c. 3) dicit, quod de ratione mutationis est duplex terminus, a quo et ad quem ; nam per illam aufertur unus et acquiritur alius; sed ratio termini est ratio finis : ergo sicut privatio est principium mutationis ut terminus a quo, ita cum sola forma sit id, in quod fit mutatio, et quod per illam acquiritur, ad mutationem substantialem concurret ut finis et terminus, non ut forma. — 5. *Phys.* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 3 (2); *Tabula Aurea* voce « finis » n. 18, 19 et alibi.

2. Praeterea, forma de ratione sua habet, quod sit causa ejus, quod secundum eam formatur, vel per modum inhærentiæ vel per modum imitationis; sed forma neutrum habet respectu mutationis substantialis seu generationis, ut patet : ergo forma non est principium generationis ut forma, sed ut finis et terminus. — *Tabula Aurea* voce « forma » n. 4, 11, 26.

Respondeo dicendum, quod forma est principium generationis formaliter, ut est terminus ad quem ipsius, non autem ut forma. — Ratio hujus duplex afferri potest : *una* est, quia de ratione formæ est, quod sit in eo, cujus est forma ; forma autem non est in generatione vel mutatione substantiali, sed in subjecto generationis; nam per generationem materia, quæ est ens in potentia, mutatur in formam substantialem. *Altera* est, quia de ratione mutationis est transitus et processus a contrario in contrarium; nam per illam agens mutat aliquid ex uno contrario in aliud, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6. c. 7 et 12. *Metaphys. text.* 12; l. 11, c. 2); sed eatenus aliqua ut contraria pertinent ad mutationem vel motum, quatenus unum est terminus a quo, qui abjicitur, alterum vero terminus ad quem, qui acquiritur, quatenus nimirum non se compatiuntur in eodem subjecto; unde necesse est, ut per mutationem unum abjiciatur, et alterum acquiratur; sic enim habent rationem contrarietatis, ut dictum est (supra q. 2, a, 2, ad 7). Ergo dicendum est, quod forma, quæ est terminus ad quem, concurrit ad generationem vel mutationem substantialem ut terminus, non autem ut forma. — 1a, q. 40, a. 1, c.; 1. *Phys.* l. 14 et 15 (13 et 14); 7. *Metaphys.* l. 6; 12. *Metaphys.* l. 3 (2); 5. *Metaphys.* l. 12 (13); *Tabula Aurea* voce « motus » et « mutatio ».

Ad primum ergo dicendum, quod terminus generationis in creaturis dupliciter potest accipi, sicut etiam et principium. Dicitur enim primo principium generationis ipsum generans, et huic principio correspondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis, a quo incipit generatio, et hoc modo principium vel initium generationis est privatio formæ inducendæ, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta, sicut in dealbatione terminus a quo est nigredo, et terminus ad quem est albedo, et sic patet *ad secundum.* — 1. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod essentia non est genita in Filio Dei neque per se neque per accidens, quia eadem est essentia in generante et genito; si autem essentia esset divisa, tunc sequeretur necessario, quod esset genita per accidens, quamvis non per se, sicut in rebus creatis. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod finis est duplex generationis et rei generatæ; primus coincidit cum forma in idem numero et sic est intrinsecus rei generatæ; non autem secundus. — *Tabula Aurea* voce « finis » n. 33.

QUÆSTIO V

DE PRIVATIONE

Deinde considerandum est de privatione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR

TRIA :

1. Utrum privatio sit aliquid.
2. Utrum privatio sit principium mutationis per se an vero per accidens.
3. Utrum privatio, quæ est principium mutationis sit privatio formæ specificæ an vero numericæ.

ARTICULUS I

UTRUM PRIVATIO SIT ALIQUID.

Videtur quod privatio sit aliquid.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 12), quod eo ipso quod qui

habet privationem, habet aliquid, et quod propterea privatio potest significari ut habitus et ut aliquid habitum; et (4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2), quod ens dicitur analogice non solum de substantia, quantitate et qualitate, sed etiam de privatione; ens autem et aliquid idem sunt; ergo privatio est aliquid. — 5. *Metaphys.* l. 14 (17); 4. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 66 et 70; c. 7), quod privatio est accidens materiæ et unum numero cum illa; est autem accidens aliquid, sicut et materia, ut patet 2. *de Anima* text. 138; l. 3, c. 2, ubi dicitur, quod visu percipimus tenebras; visus autem objectum aliquid est, ut manifestum est : ergo privatio est aliquid. — 1. *Phys.* l. 13 (12); 3. *de Anima* l. 2.

3. Præterea, corrumpere est agere; sed privatio corrumpit; cæcitas enim corrumpit visum, et omnis privatio corrumpit habitum, ut malum corrumpit bonum : ergo privatio agit; sed nihil agit, nisi in quantum est aliquid : et ergo p ivatio est aliquid. (*de Malo* q. 1, a. 1, arg. 8; 1a, q. 48, a. 1, arg. 4.) — Sed dices, quod corrumpere non est agere, sed defectus actionis.

4. Sed contra, corruptio est motus vel mutatio; ergo corrumpere est movere; sed movere est agere : ergo corrumpere est agere. — *de Malo* l. c. arg. 9.

5. Præterea, in omni motu naturali natura intendit aliquid; sed generatio et corruptio sunt motus naturales : ergo natura in his motibus intendit aliquid; sed per generationem intendit natura formam, per corruptionem vero privationem : ergo privatio est aliquid sicut et forma. —*Ibid.* arg. 10; *de Pot.* q. 3, a. 6, arg. 19.

6. Præterea, quidquid appetitur, est ens et bonum, et consequenter aliquid; sed aliquid appetit privationem alicujus rei, sicut ovis absentiam lupi : ergo privatio est aliquid. — *de Malo* l. c. arg. 17.

7. Præterea, si privatio non esset aliquid, nec aliquid esset ens privatum; sicut si malitia, quæ est privatio bonitatis, non esset aliquid, nullum esset malum, et similiter si bonitas non esset aliquid, nihil esset bonum; sed constat, multa privata esse, sicut et esse multa mala et multa bona ; ergo privatio vere est aliquid in rerum natura. — *Ibid.* arg. 19.

8. Præterea, bonum et malum opponuntur ut privatio et habitus; sed bonum et malum sunt in rebus, sicut verum et falsum in intellectu : ergo privatio est in rebus et sic est aliquid reale. — *Ibid.* arg. 20.

9. Præterea illud, quod non est aliquid, non potest intendi et remitti, seu suscipere magis et minus; sed privatio intenditur et remittitur seu suscipit magis et minus : ergo est aliquid. — *Ibid.* arg. 13; *Tabula Aurea* voce « privatio » n. 2.

10. Præterea, Deus habet scientiam privationum sicut et malorum; sed scientia non est nisi verorum, verum autem cum ente convertitur : ergo privatio est ens et consequenter aliquid. — 1a, q. 14, a. 9 et 10; *de Verit.* q. 2, a. 15.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 75; c. 8) dicit, quod privatio est per se non ens, et *text.* 79 (c. 9) docet, hoc distingui privationem a materia, quod hæc est non ens secundum accidens, privatio vero est non ens per se. Præterea materia est prope rem et est aliqualiter, quia est in potentia ad rem, et est aliqualiter substantia rei, quia intrat constitutionem substantiæ; at privatio neutrum habet; et *text.* 81 (c. 9) dicit, quod privatio est penitus non ens et extra totum ens: ergo privatio non est aliquid.— 1. *Phys.* l. 14 et 15 (13 et 14).

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 68; c. 7), quod privatio nihil est aliud quam absentia formæ; sed absentia formæ non est aliquid : ergo privatio non est aliquid. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

3. Præterea, privatio est ens rationis; dividitur enim ens rationis in relationem, negationem et privationem; sed ens rationis dividitur contra ens reale et contra aliquid : ergo privatio non est aliquid. — *de Verit.* q. 21, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod omnis privatio quantum ad id, quod significatur per nomen, est non ens; sed tamen oportet, quod aliquid præsupponatur. Quia enim privatio est negatio in subjecto apto nato, ut dicitur 4. *Metaphys. text.* 4; l. 3, c. 2, præsupponitur subjectum et habilitas ipsius ad receptionem formæ, quæ privatur; unde res opposita per modum privationis habitui tripliciter potest sumi, ut patet in nomine « tenebra », quæ opponitur luci per modum privationis : *aut* pro ipso subjecto privato, quod est aer obscurus, et sic tenebra et consequenter privatio est aliquid et est creatura. *Secundo*, potest sumi pro ipsa virtute et habilitate subjecti, per quam subjectum est receptivum habitus, ut aer lucis, et sic etiam tenebra est aliquid; potest

enim dici obscura qualitas aeris, quæ aliquid creatum est ac positivum. *Tertio*, sumitur proprie pro eo, quod significatur per nomen, et sic privatio est non ens, et hoc modo, per se loquendo non dicit aliquam naturam neque potest dici creata a Deo, sed solum per accidens, in quantum fecit aliquam naturam, unde resultat talis privatio. Sic dicitur per accidens tenebra a Deo creata, quatenus fecit naturam opacam, ex cujus oppositione ad corpus luminosum tenebra relinquitur; sicut tenebras in domo facere dicitur, qui claudit fenestram.

Ceterum licet privatio proprie et per se sit non ens et consequenter non sit aliquid, duobus tamen modis contingit dici posse ens, ut dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 2; l. 3, c. 2) : *uno modo* in ratione seu rationis, quod est esse, debilissimum, quatenus scilicet ratio negotiatur de privatione sicut et de negatione quasi de quibusdam entibus, dum de eis affirmat vel negat aliquid. Non enim absurdum est, quod id, quod non est ens rei atque adeo ens in natura, accipiatur ut ens rationis vel in ratione, quatenus illud cognoscit et de eo compositionem facit, ut cum de privatione, ut de cæcitate formatur affirmativa propositio : cæcitas est. — *Altero modo* dici potest privatio ens vel esse, quomodo generatio et corruptio et motus dicuntur entia vel esse, quod est proximum præcedenti in debilitate, quia nimirum removet id, quod est, puta vel substantiam vel accidens; sicut corruptio dicitur esse, quia est via ad non esse substantiæ, et generatio, quia est via ad esse substantiæ. — Unde manifestum est, quomodo privatio sit aliquid et ens et quomodo non. — 4. *Metaphys.* l. 1; *Tabula Aurea* voce « ens » n. 18.

Ad primum ergo dicendum, quod eo modo privatio potest dici aliquid, quomodo potest dici ens. Dicitur autem ens vel esse, quia removet ens, ut dictum est. — 5. *Metaphys.* l. 14 (17); 4. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod privatio dicitur accidens materiæ, quia accidit materiæ, et maria simul cum privatione dicitur unum subjectum, ratione autem duo, quia in subjecto est considerare entitatem positivam materiæ et id, quod accidit ei, puta privationem. Visus autem dicitur videre tenebras, quatenus post immutationem organi judicat de ipsa immutatione organi a sensibili, etiam abeunte sensibili. — 1, *Phys.* l. 13 (12); 3. *de Anima* l. 2.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod corrumpit aliud effective vel active, agit et est natura realis et consequenter aliquid; secus vero quod corrumpit aliud formaliter, quomodo privatio corrumpit habitum et malum bonum et cæcitas visum, in quantum est ipsa visus corruptio seu privatio. — 1a, q. 48, a. 1, ad 4 *de Malo* q. 1, a. 1, ad 8.

Ad quartum dicendum, quod corrumpere formaliter non est movere nec agere, sed corruptum esse; corrumpere autem active est movere et agere — *de Malo* l. c. ad 9.

Ad quintum dicendum, quod aliter se habet natura ad generationem et aliter ad corruptionem. Forma enim, quæ est terminus generationis, est per se intenta a natura universali et particulari, privatio vero est præter intentionem naturæ particularis; est autem secundum intentionem naturæ universalis, non quidem ut per se natura et ut principaliter intentum, sed secundario, quatenus sine privatione alicujus formæ non potest introduci forma; ad esse namque ignis generati ex aqua requiritur non esse formæ aquæ. — *Ibid.* ad 10; *de Pot.* q. 3, a. 6, ad 19.

Ad sextum dicendum, quod non esse nunquam appetitur, nisi in quantum per non esse alicujus conservatur proprium esse alterius, sicut ovis absentiam lupi appetit propter conservationem propriæ vitæ. — *de Malo* l. c. ad 17.

Ad septimum dicendum, quod ens dupliciter dicitur, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 14; l. 4, c. 7) : *uno modo*, secundum quod respondetur ad quæstionem : « quid est? » seu quatenus significat naturam decem generum seu entitatem rei, quæ dividitur per decem prædicamenta; et sic neque privatio neque malum est ens neque aliquid. *Alio modo* dicitur ens, quod significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cujus nota est hoc verbum « est » et hoc est ens, secundum quod respondetur ad quæstionem « an est? » et sic privatio est, et est in aliquo tanquam subjecto, sicut et malum est in bono; cæcitas enim vere dicitur, quod est et quod est in oculo. Non tamen privatio, puta cæcitas vel malum est aliquid, quia esse aliquid non solum significat, quod respondetur ad quæstionem « an est? » sed etiam quod respondetur ad quæstionem « quid est? » — *Ibid.* ad 19; 5. *Metaphys.* l. 9 (7); 1a, q. 48, a. 2, ad 2; 3. *Sent.* dist. 6, q. 2, a. 1, arg. 5. et ad 5 et in c.

Ad octavum dicendum, quod privatio est quidem in rebus et similiter malum, non tamen ut

aliquid reale; sed in ratione est aliquid ut intellectum. Et ideo dici potest, quod privatio est ens rationis et non rei et similiter malum, quia in intellectu est aliquid, non autem in re, et hoc ipsum, quod est esse in intellectu, secundum quod aliquid dicitur ens rationis, est bonum; bonum enim est aliquid intelligi. — *de Malo* q. 1, a. 1, ad 20.

Ad nonum dicendum, quod privatio non suscipit magis et minus secundum se, sed secundum suas causas. — *Ibid.* ad 13; *Tabula Aurea* voce « privatio » n. 3.

Ad decimum dicendum, quod Deus cognoscit privationem per habitum oppositum, et consequenter malum per bonum, quia aliter nec definiri nec cognosci potest. Unde dicit S. Dionysius (*de Div. Nominibus* c. 7, Migne PP. Gr. t. 3, c. 883), quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde vidèns tenebras quam a lumine.

ARTICULUS II

UTRUM PRIVATIO SIT PRINCIPIUM PER SE AN VERO PER ACCIDENS MUTATIONIS.

Videtur quod privatio sit principium mutationis per se et non per accidens.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 43; c. 5), quod non fit quodlibet ex quolibet, nisi secundum accidens; album enim non fit ex musico, nisi in quantum musico accidit esse album; sed album fit per se ex tali non albo; tale vero non album est privatio, ut patet ex Philosopho (l. c. *text.* 68; c. 7) : ergo privatio est principium per se. — 1. *Phys.* l. 10 (9) et 13 (12).

2. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 6; c. 1), quod principia per accidens, quippe infinita, non sunt principia mutationis, quæ est in contrariis et mediis, ut patet ex 1. *Phys. text.* 43; c. 5 : ergo privatio non est principium per accidens. — 5. *Phys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 9 (8) et 10 (9).

3. Præterea, si privatio est principium per accidens, et non per se, maxime quia accidit subjecto, sicut dicimus, quod ædificator est causa activa domus per se, musicum autem est causa activa per accidens; sed privatio non accidit subjecto, quando est sub forma, quia expellitur a forma : ergo privatio non est principium mutationis naturalis per accidens. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

4. Præterea, de ratione mutationis naturalis est, quod sit inter terminum a quo et terminum ad quem seu quod sit inter contraria, ut dictum est (supra q. 2, a. 2); sed privatio est terminus a quo et unum contrarium, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 66 et 67; c. 7) : ergo privatio est principium per se mutationis. — 4. *de Cælo* l. 2; 1. *Phys.* l. 13 (12).

5. Præterea, de ratione principii per se est, quod sit, unde aliquid procedit quocunque modo, vel per influxum vel per solam originem et processum sine ullo influxu, ut dictum est (supra q. 2, a. 1); sed ita se habet privatio respectu mutationis, ut ibidem dictum est : ergo privatio est principium mutationis per se et non per accidens.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Phys. text.* 66; c. 7) dicit, quod res fiunt ex materia per se, ex privatione vero per accidens; et *text.* 70 (c. 7) dicit, esse differentiam inter contraria, quia nimirum, ut dixerat *text.* 66 (c. 7), privatio est principium per accidens, forma vero est principium per se. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 75 et 79; c. 8 et 9), quod privatio est per se non ens; sed ex non ente nihil fit, nisi secundum accidens, ut dicitur ibidem : ergo privatio est principium per accidens. — *Ibid.* l. 14 (13); 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

Respondeo dicendum, quod principium, ut dictum est (supra q. 2, a. 2, c. et a. 3, c. et ad 4), dupliciter sumi potest : *uno modo*, secundum quod dicit causam et influxum; *altero modo*, secundum quod dicit ordinem. Si *priore modo* sumitur principium mutationis, privatio non est principium mutationis per se, sed per accidens; nam ex hoc aliquid fit per se, quod inest rei, postquam jam facta est; privatio autem non ingreditur essentiam et compositionem rei factæ per mutationem. Si vero sumitur principium *posteriori modo*, quia per se fit aliquid ex opposito, ut patet, cum aliquid vel creatur (nam per se fit res ex nihilo), vel generatur sive simpliciter sive secundum quid, (nam homo fit per se ex non homine et musicum ex immusico, ut dicit Philosophus 1. *Phys.* text. 43 et 44; c. 5), ideo privatio est principium per se et non per accidens. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, in exposit. textus, ad 1; v. Sotum *Quæst. in 1. Phys.* q. 5 et (Franciscum Silvestrum) Ferrariensem *Quæst.* 10 *in* 1. *Phys.*

Et ex his patet *ad objecta* utriusque partis; nam *posteriora* duo tantum probant, privationem esse principium per accidens, sumendo nomen principium pro causa influente, et comparando privationem *tum* ad rem, quæ fit, quia nimirum non ingreditur substantiam illius, postquam facta est; *tum* ad subjectum, quia accidit illi, quippe quod numquam denudatur a privatione. *Priora* vero tantum probant, privationem esse principium per se, sumendo principium, secundum quod significat ordinem et comparando privationem tantum ad ipsam mutationem.

ARTICULUS III

UTRUM PRIVATIO, QUÆ EST PRINCIPIUM MUTATIONIS, SIT PRIVATIO FORMÆ SPECIFICÆ, AN NUMERICÆ.

Videtur quod privatio, quæ est principium mutationis, sit privatio formæ numericæ.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 38; c. 3) quod causis generalibus debent respondere effectus generales et singularibus singulares; sed per mutationem causæ naturales effectus suos producunt : ergo in omni mutatione debet produci terminus singularis, et per consequens privatio, quæ est principium mutationis terminatæ ad formam singularem, erit privatio formæ numericæ. — 2. *Phys.* l. 6; 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea privatio, quæ est principium mutationis, est absentia formæ, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 68; c. 7); sed mutatio terminatur ad formam singularem; nam omnis actio agentis naturalis, quæ est cum mutatione, terminatur ad singulare : ergo erit privatio formæ numericæ. — 1. *Phys.* l. 13 (12).

3. Præterea, materia prima est in potentia ad omnes formas materiales tam specificas quam numericas, sed reducitur ad actum per ipsam formam in mutatione : ergo terminus a quo mutationis, per quam materia acquirit formam numericam, erit privatio formæ numericæ, et non specificæ.

Sed contra est : 1. quod omne generans producit sibi simile secundum formam, qua agit; sed non producit sibi simile nisi secundum formam in specie, quia genitum oportet assimilari generanti in omnibus, quæ ad naturam speciei pertinent, non autem in proprietatibus individuantibus : ergo in omni generatione terminus ad quem a natura intentus est forma secundum speciem, et consequenter terminus a quo erit privatio formæ specificæ et non numericæ. — *Tabula Aurea* voce « generatio » n. 26 et 38; *de Pot.* q. 2, a. 2, ad 5.

2. Præterea, in corruptione rei naturalis ideo forma non annihilatur, ut dictum est (supra q. 3, a. 6, ad 3), quia eadem forma de actu reducitur in hoc, quod sit in potentia, ita ut remaneat in potentia materiæ sicut prius; sed non potest remanere eadem numero sicut prius, quia idem numero corruptum per motum redire non potest, sed idem specie : ergo remanet in potentia materiæ eadem specie sicut prius, et per consequens sicut terminus corruptionis est non esse formæ specificæ, ita terminus a quo generationis est privatio formæ specificæ, non autem numericæ. — *Tabula Aurea* voce « corruptum » n. 2.

Respondeo dicendum, quod privatio, quæ est principium mutationis rerum naturalium, non est privatio formæ numericæ, sed specificæ; quod potest esse manifestum ex tribus. *Primo*, ex intentione naturæ; pluralitas enim materialis a nullo agente est intenta ut finis, quia multitudo materialis non habet certum terminum, sed de se tendit in infinitum; infinitum autem repugnat fini; finis vero cujusque actionis physicæ duplex est, generatio et forma, quæ est finis generationis. — 1a. q. 47, a. 3, ad 2 et q. 50, a. 4, ad 4; *Tabula Aurea* voce « actio » n. 97.

Secundo ex ordine, quem habet forma in materia. Cum enim potentia passiva et activa naturales sibi correspondeant, ita ut cuilibet potentiæ passivæ respondeat activa in natura et contra, quælibet potentia passiva se extendit ad ea tantum, ad quæ se extendit potentia activa ejusdem generis; cum ergo potentia activa naturalis agentis non respiciat tamquam finem multitudinem numeralem, sed specificam, ut dictum est, nec potentia passiva materiæ per se et formaliter respiciet in generatione multitudinem numericam, sed specificam, et per consequens terminus a quo formalis et per se generationis naturalis erit privatio formæ specificæ. — *Tabula Aurea* voce « potentia » n. 30 et 34.

Quod *confirmatur primo*, quia materia ordine quodam respicit formas, quarum est capax; hinc enim est, quod in generatione animalis ex cibo fit sanguis, et ex sanguine semen et menstruum, ex quibus generatur

animal, non autem contra ex semine fit sanguis aut ex sanguine cibus; et quod prius materia est in potentia ad formas elementares et eis mediantibus secundum diversas proportiones commixtionum est in potentia ad diversas formas; ordo autem per se tantum est in speciebus, non autem in individuis ejusdem speciei nisi per accidens. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 12. *Metaphys.* l. 2 (1); *Tabula Aurea* voce « ordo » n. 8.

Confirmatur secundo, quia cum inter individua ejusdem speciei non sit per se ordo, si materia successive posset recipere plures formas ejusdem speciei, ex quolibet fieri posset quodlibet, quod multis in locis negat Philosophus contra Anaxagoram. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1); 1. *Phys.* l. 10 (9).

Tertio ex esse, quod materia essentialiter respicit; hoc enim est esse substantiale specificum, perfectivum et completivum, ut dictum est, (supra q. 3, a. 2, c., octavo) non autem individuale. Unde est, quod cum sit duplex perfectio universi, essentialis et accidentalis, essentialis sit tantum in speciebus, accidentalis in individuis; constat autem, quod sola forma specifica potest dare esse specificum et perfectivum materiæ, non autem forma numerica. — *Tabula Aurea* voce « perfectio » n. 9.

Ceterum quia privatio est terminus per se mutationis, non autem contrarium positivum (nam hoc est terminus a quo motus, ut differt a mutatione, ut dictum est); ideo cum privatio nihil aliud requirat nisi absentiam formæ, (supposita tamen aptitudine in subjecto, sine hoc, quod determinet aliquam dispositionem in subjecto, per quam subjectum sit propinquum formæ vel distans ab illa), neque significat neque præsupponit præter aptitudinem subjecti ullam aliam formam in subjecto, cum præsertim, ut dictum est, in generatione simpliciter in instanti productionis formæ substantialis nulla forma accidentalis præcedere debeat in materia. — 7. *Metaphys.* l. 6.

Et sic manifestum est, quod privatio, quæ est principium mutationis rerum naturalium, et est absentia formæ specificæ, non numericæ, et nullam præsupponit in mutatione substantiali dispositionem in materia, quæ natura præcedat ipsam formam substantialem in instanti generationis productam, sed solam aptitudinem materiæ ad talem formam.

Ad primum ergo dicendum, quod privatio formæ numericæ est terminus a quo per accidens et materiale mutationis substantialis, sicut forma numerica ut sic, est terminus materialis et per accidens ad quem illius, quatenus forma specifica non nisi in individuo produci potest et in individuis conservari, ut dictum est (supra in c. et arg. 1 *Sed contra*). —

Et sic patet *ad reliqua objecta*.

QUÆSTIO VI

DE NATURA REBUSQUE NATURALIBUS.

Post considerationem de principiis rerum naturalium sequitur consideratio de principiis scientiæ naturalis. Ea vero, quæ oportet cognoscere in aliqua scientia, sunt subjectum ipsius et medium, per quod demonstrat. Et ideo primum agemus de subjecto seu de his, de quibus est consideratio scientiæ naturalis, puta de natura rebusque naturalibus; deinde ex quibus causis scientia naturalis demonstrat.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum recte tradita sit a Philosopho definitio naturæ.
2. Utrum natura dicatur de materia et forma.
3. Utrum omnis forma substantialis sit natura.
4. Utrum ratio naturæ tantum conveniat materiæ et formæ.
5. Utrum ridiculum sit velle demonstrare, naturam esse.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE TRADITA SIT A PHILOSOPHO DEFINITIO NATURÆ.

Videtur quod non recte tradita sit a Philosopho definitio naturæ, quod sit principium alicujus et causa movendi et quiescendi, in quo est, primum et per se et non secundum accidens.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 3; l. 3, c. 2; 5. *Metaphys. text.* 1; l. 4, c. 1 et 12. *Metaphys. text.* 23; l. 11, c. 4), quod idem est causa et principium : ergo superflue ponitur in definitione naturæ nomen principii et nomen causæ, cum alterum sufficeret. — V. supra q. 2, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, cœlum naturaliter movetur; sed non naturaliter quiescit : ergo male definitur natura, quod sit principium motus et quietis. — 2. *Phys.* l. l.

3. Præterea, in alteratione et generatione corporum simplicium totum principium motus est ab extrinseco agente, puta a generante, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 31: c. 1); sed tales motus sunt a natura : ergo male definitur natura, quod sit principium motus in eo, in quo est. — *Ibid.* et 8. *Phys.* l. 1 et 8.

4. Præterea, Philosophus definit naturam, ut contradistinguat naturalia ab artificialibus; sed in his etiam principium motus est in eo, in quo est. Nam medicus est sibi ipsi per se causa sanitatis per artem, quæ est in ipso; et principium motus deorsum statuæ lapideæ est in ipsa statua, ipsius nimirum materia; et corpora figuræ acutæ facilius descendunt, ut dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 44; c. 6); est autem figura principium talis motus in ipso corpore, ut patet; ergo non bene definitur natura, quod sit principium motus in eo, in quo est. — 2. *Phys.* 1; 4. *de Cœlo* l. 3.

5. Præterea, natura est substantia rei, ut dicit Philosophus 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4); sed nulla substantia est immediate per se activa : ergo natura non recte definitur, quod sit principium et causa motus. — 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

6. Præterea, sola gravitas movet animal deorsum, quia animal non movetur deorsum, ut animal, sed ut grave, et similiter ignis movetur sursum, in quantum habet levitatem, ut docet Philosophus (4. *de Cœlo text.* 29; c. 4) ; sed neque gravitas neque levitas sunt natura, ut patet; ergo natura male definitur, quod sit principium et causa motus. — 2. *Phys.* l. 1; 4. *de Cœlo* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *de Cœlo text.* 3; c. 1) definit naturam, quod sit principium et causa motus et quietis ejus, in quo est primum et per se. — 2. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod definitio naturæ a Philosopho recte tradita est, ut manifeste patet discurrendo per singulas ejus particulas. Ponitur enim *primo* in definitione « principium » quasi genus et non aliquid absolutum, quia nomen naturæ importat habitudinem principii. Quia enim nasci dicuntur ea, quæ generantur conjuncta generanti, ut patet in plantis et animalibus, ideo principium generationis vel motus natura nominatur; unde irridendi sunt, qui volentes definitionem Aristotelis corrigere, naturam per aliquid absolutum definire conati sunt dicentes, quod natura est vis insita rebus, vel aliquid hujusmodi.

Dicitur *secundo*, « principium et causa » ad designandum, quod non omnium motuum natura est eodem modo principium in eo, quod movetur, sed diversimode. In quibusdam enim natura est principium activum motus, ut in motu gravium et levium; licet enim forma substantialis eorum non sit motor, est tamen principium elicitivum motus; in quibusdam vero est principium passivum, ut in generatione simplicium corporum. Natura vero est principium motus sive activum sive passivum in eo, in quo est, et hoc importatur, cum dicitur principium et causa, ut principium intelligatur principium passivum, per causam vero activum.

Dicitur *tertio* « motus et quietis», quia ea, quæ naturaliter moventur ad locum, similiter vel magis naturaliter quiescunt in loco; propter hoc enim ignis naturaliter movetur sursum, quia naturaliter ibi est, et propter quod unumquodque et illud magis. Non tamen intelligendum est, quod in quolibet, quod movetur naturaliter, natura sit etiam principium quiescendi, quia corpus cœleste naturaliter quidem movetur, sed non naturaliter quiescit sed hoc pro tanto dicitur, quia non solum motus, sed etiam quietis principium est. — 2 *Phys.* l. 1; 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, ad 6 *Tabula Aurea* voce « grave » n. 1, 2, 3; v (Francisc. Silvestrum) Ferrariensem *Quæst.* *in 2. Phys.*

Ceterum nomine *motus* maxime quidem in telligitur motus localis, ut patet 2. *Phys. text* 1; c. 1; unde (1. *de Cœlo text.* 5; c. 2) ex e Philosophus probat, quod corpora physica mobilia sunt secundum locum, quia in eis est natura quæ est principium motus localis; intelligitur tamen etiam motus augmenti et decrementi e alterationis, ut patet 2. *Phys.* l. c., et motus generationis, ut patet *ibid. text.* 10; c. 1. E quidem motus localis natura est in omni corpor naturali principium passivum ratione materia et activum ratione formæ, excepto cœlo, cuju motus localis dicitur naturalis tantum ration principii passivi. Motus vero augmentationis i animalibus et plantis habet principium passi vum et activum, nempe animam mediante cor pore naturali, ut dicit Philosophus (1. de *Gene*

rat. text. 34; c. 5). Motus vero alterationis corruptivæ in elementis et omnibus his, quæ componuntur ex illis, habet principium passivum tantum, perfectivæ vero etiam activum per quandam resultantiam et naturalem consequentiam, et est ipsa forma. Motus vero generationis habet tantum principium passivum. — 1. *de Cœlo* l. 3; 2. *Phys.* l. 1 et 2; 1. *de Generat.* l. 14; *Tabula Aurea* voce « grave » n. 1, 2, 3, voce « cœlum » n. 81, v. « alteratio » n. 8 et v. « accidens » n. 53.

Nomine vero *quietis* non intelligitur illa, quæ est in termino a quo, sed quæ est in termino ad quem; nam illa est opposita motui, non hæc, ut dicitur 5. *Phys. text.* 54 et 55; c. 6; et illa non causatur per motum nec est perfectio motus; natura autem est causa quietis per motum, cum sit finis naturalis illius et per se intenta a natura, ut patet ex Philosopho (8. *Phys. text.* 23; c. 3). — 5. *Phys.* l. 9; 1. *Sent.* dist. 40, q. 4, a. 2, ad 1; 8. *Phys.* l. 5.

Dicitur *quarto* « ejus, in quo est », ad differentiam artificialium, in quibus non est motus nisi per accidens; lectus enim et indumentum et similia, quæ accipiunt hujusmodi prædicationem, secundum quod sunt ab arte, nullius mutationis principium habent in seipsis nisi per accidens, in quantum scilicet materia et substantia corporum artificialium sunt res naturales. Sic igitur in quantum artificialibus accidit esse ferrea vel lapidea, habent aliquod principium motus in seipsis, sed non in quantum sunt artificiata; cultellus enim habet in se principium motus deorsum, non in quantum est cultellus, sed in quantum est ferreus.

Dicitur *quinto* « primum », quia licet natura sit principium motus compositorum, non tamen primo; quod enim animal moveatur deorsum, non est ex natura animalis, in quantum est animal, sed ex natura dominantis elementi. — 2. *Phys.* l. 1.

Dicitur *sexto* « per se, et non secundum accidens », quia ut ibidem exponit Philosophus, contingit aliquando, quod aliquis medicus est sibi ipsi causa sanitatis, et sic principium sanationis quæ est in eo, sed per accidens; unde principium sanationis in eo non est natura. Non enim secundum quod sanatur, habet medicinam, sed secundum quod est medicus; accidit autem eumdem esse medicum et sanari; sanatur enim in quantum est infirmus, et ideo per accidens conjunguntur, et aliquando per accidens dividuntur; contingit enim, alium esse medicum sanantem et alium infirmum, qui sanatur. Sed principium motus naturalis est in corpore naturali, quod movetur, in quantum movetur; in quantum enim ignis habet levitatem, fertur sursum; nec dividuntur ad invicem, ut aliud sit corpus, quod movetur sursum, et aliud leve, sed semper unum et idem. Et sicut est de medico sanante, ita est de omnibus artificialibus; nullum enim eorum habet in seipso suæ factionis principium, sed quædam fiunt ab extrinseco, ut domus et alia, quæ manu inciduntur; quædam autem fiunt a principio intrinseco, sed per accidens, ut dictum est. — Et sic manifestum est, recte fuisse a Philosopho traditam definitionem naturæ. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum est, ut alibi (supra q. 2, a. 1, c.) dictum est.

Ad secundum, *tertium* et *quartum* dictum etiam est, nisi quod figura, ut objiciebatur in arg. 4, non est causa essentialis motus corporis, sicut est natura, sed tantum majoris velocitatis et tarditatis ipsius. — 4. *de Cœlo* l. 3.

Ad quintum dicendum, quod natura est mediatum et primum principium motus, accidentia vero, cujusmodi sunt gravitas et levitas, sunt immediatum et proximum. — Et sic etiam patet *ad sextum*. — 2 *Sent.* dist. 14, q. 1. a. 5, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM NATURA DICATUR DE MATERIA ET FORMA.

Videtur quod natura non dicatur de materia, sed solum de forma.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 12. c. 1), quod per materiam res est naturalis in potentia, non autem in actu; ergo materia non est actu natura. — 2. *Phys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

2. Præterea, Philosophus. (12 *Metaphys. text.* 14; l. 11, c. 3) dividit substantiam in materiam, compositum et naturam; ergo sola forma est natura. — 12. *Metaphys.* l. 3 (2); 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

3. Præterea, materia non est natura, nisi quia est susceptibilis naturæ, sicut et generatio dicitur natura, quia terminatur ad naturam, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4 et 2. *Phys. text.* 14; c. 1; sed hoc est materiam formaliter non esse secundum se naturam, sicut nec generatio vere est natura secundum se :

ergo materia non est natura. — 5. *Metaphys.* l. 5 (4); 2. *Phys.* l. 2.

4. Præterea, illud est natura, per quod naturalia distinguuntur ab artificialibus; sed, ut patet ex Philosopho (2. *Phys. text.* 1; c. 1), per materiam non distinguuntur naturalia ab artificialibus; nam etiam de illis verificatur, quod principium materiale sit in eo, in quo est: ergo materia non est natura. — 2. *Phys.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (2 *Phys. text.* 4 et 7; c. 1) dividit naturam in materiam et formam, et *text.* 12 (c. 1) formam dicit esse magis naturam quam materiam, qui modus loquendi supponit, materiam esse vere et proprie naturam; et *text.* 21 (c. 2) probat, quod philosophus naturalis debet considerare tam materiam quam formam, quia considerat de natura, quæ est tam forma quam materia; et 5. *Metaphys. text.* 5 (l. 4, c. 4) materiam numerat inter ea, de quibus natura proprie dicitur et non metaphorice; et 7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7 probat, etiam materiam esse naturam, quia generationes corporum simplicium dicuntur naturales, licet principium activum generationis eorum sit extrinsecum, nonnisi quia materia, in qua est naturalis aptitudo ad talem formam, est principium intrinsecum, et ab hoc principio tales generationes dicuntur naturales. — 2. *Phys.* l. 1, 2, 4; 5. *Metaphys.* l. 5 (4); 7. *Metaphys.* l. 6 et 8 (vers. finem).

Respondeo dicendum, quod ratio naturæ proprie et non metaphorice tam dicitur de materia quam de forma, licet magis conveniat formæ quam materiæ. Ratio hujus est, quia tam materia quam forma est proprie et non metaphorice natura. Et quidem *de materia* manifestum est *primo* auctoritate philosophorum antiquorum naturalium, qui non valentes usque ad materiam primam pervenire, aliquod corpus sensibile primam materiam omnium rerum posuerunt, puta ignem, aerem vel aquam, et illud dixerunt esse substantiam et naturam rerum omnium. (2. *Phys.* l. 2) — *Deinde* quia vere et proprie materia est principium substantiale intrinsecum rei naturalis principiumque passivum generationis atque adeo motus ejus, in quo est, ut dictum est (supra q. 2, a. 2 et 3); unde convenit illi proprie definitio naturæ, in qua nomen principii et causæ in communi accipiuntur, prout abstrahunt a quacunque ratione principii et causalitatis particularis hujus aut illius generis, et ideo æque conveniunt cuicunque principio et causæ motus, sive sit activum sive passivum, cujusmodi est materia, ut dictum est (art. præced.). — *Præterea*, quia per principium passivum aliquid dicitur moveri naturaliter ab alio seu esse naturaliter susceptivum motionis alterius; sic enim cum corpora inferiora moventur a corporibus superioribus, non est talis motus violentus, sed naturalis, quia nimirum in corporibus naturalibus est naturalis aptitudo, ut sequantur motiones corporum superiorum; habet autem materia rationem principii passivi. — 2. *Phys.* l. 1 et 2; 3. *de Cœlo* l. 7.

Quod vero *forma* sit natura, patet *primo*, quia sicut illud est ars, quod competit alicui, in quantum est secundum artem et artificiosum, ita illud est natura, quod competit alicui, in quantum est secundum naturam et naturale. Illud autem, quod est in potentia tantum ad hoc quod sit artificiosum, non dicimus habere aliquod esse artis, quia nondum habet speciem artis, verbi gratia lecti; ergo in rebus naturalibus id, quod est potenti caro et os, non habet naturam carnis et ossis, antequam accipiat formam, secundum quam sumitur ratio definitiva rei, per quam scilicet scimus, quod est caro vel os; nec adhuc est natura in illo, antequam habeat formam; quare ratio naturæ maxime convenit formæ. — *Secundo*, quia sicut in artificialibus forma v. g. lecti non est natura, sed lignum, quoniam si lignum germinet, non fiet lectulus, sed lignum; ita in naturalibus quia forma rei naturalis redit per generationem, (fit enim ex homine homo) erit natura. — *Demum* quia nativitas seu generatio dicitur natura, quia tendit ad naturam; tendit autem ad formam erit ergo forma natura. — 2. *Phys.* l. 2.

Quod autem forma sit magis natura quam materia, probatur, quia unumquodque magis dicitur secundum quod est actu, quam secundum quod est potentia; secundum formam autem aliquid est naturale in actu, secundum materiam vero est naturale in potentia. — Et ita manifestum est, quod natura duplex est, scilicet materia et forma. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod quia materia est intrinsecum principium constitutivum rei naturalis et principium passivum generationis et motus ejus, in quo est, ut dictum est (in c.), proprie est natura. Dicitur vero res secundum materiam in potentia naturalis, quia natura, secundum quam res dicitur talis, puta caro vel os, non affirmatur actu de re nisi existente forma in materia. — 2. *Phys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod nomine naturæ *aliquando* intelligitur quidquid pertinet ad essentiam rei, quomodo Philosophus 5. *Metaphys. text.* 5 (l. 4, c. 4) dicit, non solum formam partis, sed etiam formam totius, quæ involvit materiam et formam, esse naturam; *aliquando* sumitur pro eo, quod dat speciem rei naturali, et hoc modo sumitur a Philosopho ibidem, cum ait, uno modo dici naturam ipsam formam partis, secundum quam sumitur et perficitur ratio definitiva rei, per quam scimus, quid est caro vel os; — quo modo si sumatur natura, verum est, quod per materiam res dicitur in potentia naturalis, per solam vero formam actu naturalis. — *Ibid.*; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

Ad tertium dicendum, quod materia est actu natura, sumpta natura pro essentia et substantia rei, ut dictum est (ad 2); est autem id, secundum quod res est potentia naturalis, sumpta natura pro eo, quod in essentia rei illam specificat et determinat; generatio vero nullo modo pertinet ad essentiam et substantiam rei, licet possit etiam dici natura, ut patet ex Philosopho (5. *Metaphys.* l. c).

Ad quartum dicendum, quod naturalia distinguuntur ab artificialibus et iamper materiam; nam in artificialibus principium materiale non habet potentiam naturalem ad talem formam. Contra vero in naturalibus; unde et factiones rerum naturalium non sunt naturales, secus vero generationes rerum naturalium. — 2. *Phys.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 8.

ARTICULUS III

UTRUM OMNIS FORMA SUBSTANTIALIS SIT NATURA.

Videtur quod non omnis forma substantialis sit natura.

1. Quia natura, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 3; c. 1), est principium motus in eo, in quo est; sed forma substantialis mixti non est principium ullius motus; non enim animal vel lapis movetur deorsum, in quantum est animal vel lapis, sed ex natura prædominantis elementi : ergo forma substantialis mixti non est natura. — 2. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, natura non movet ad contraria loca; sed anima movet ad contraria loca, puta ad motum augmenti et decrementi, qui sunt secundum contraria loca : ergo anima non est natura. — 2. *de Anima* l. 3.

3. Præterea, motus animalium localis, quo se movent sursum, est violentus; sed motus violentus contradistinguitur a naturali : ergo non habet pro principio naturam, et per consequens anima sensitiva non est natura. — 8. *Phys.* l. 7.

4. Præterea, Philosophus (1. *de Partib. Animal.* c. 1) expresse tribus rationibus probat, quod anima rationalis non est natura, quia nimirum alioqui sequeretur, quod physicus deberet agere de rebus omnibus, cum res omnes sint intelligibiles ab anima rationali; deinde quia qui agit de intellectu, debet agere etiam de omni intelligibili; præterea quia anima rationalis non est principium motus et abstrahit a materia. — V. infra 3am 2æ (*de Anima*) q. 91, a. 1, ad 8.

5. Præterea, anima rationalis, ut rationalis est (ut patet ex posteriori definitione animæ 2. *de Anima text.* 8, sq.; c. 1 et 2), non est principium nisi intelligendi; sed intellectio non est motus : ergo anima rationalis non est natura. — 2. *de Anima* l. 3 et 4.

6. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 9; l. 7, c. 3), quod natura solum reperitur in rebus corruptibilibus; sed cœlum est incorruptibile, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 20; c. 3) : ergo forma substantialis cœli non est natura. — 8. *Metaphys.* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 4 et 7; c. 1; 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4; 12. *Metaphys. text.* 14; l. 11, c. 3. et alibi) absolute docet, formam substantialem esse naturam, et 1. *de Anima text.* 2 (c. 1) dicit, cognitionem animæ vehementer conferre ad scientiam de natura, quia nimirum cum anima sit fons et principium omnis motus in rebus animatis, est natura. — 2. *Phys.* l. 1 et 2; 5. *Metaphys.* l. 5 (4); 12. *Metaphys.* l. 3 (2); 1. *de Anima* l. 1; 2. *de Anima* l. 4.

Respondeo dicendum, quod omnis forma substantialis sive animata sive inanimata est vere et proprie natura. Ratio hujus patet ex dictis (supra a. 2, c.). Illud enim est maxime et proprie natura, per quod actu res aliqua est caro vel os vel alia similis res naturalis in aliqua specie determinata; sed hoc est quælibet forma substantialis sive animata sive inanimata. Donec enim adveniat forma, res non dicitur actu caro, os et similia; et donec veniat anima, res naturalis non dicitur planta, animal vel homo, sed tantum in potentia. — *Præterea*, quia quælibet forma substantialis est principium et causa motus ejus, in quo est, et quælibet ingreditur constitutionem rei naturalis.

Anima enim vegetativa est principium et causa motus nutritionis et augmenti; anima vero sensitiva est principium motus localis; et anima rationalis ut rationalis est principium doctrinationis seu locutionis doctrinalis, medicationis, fletus et admirationis et similium, quos Philosophus (3. *Phys. text.* 7; c. 1) explicans definitionem motus inter species motus numerat. — *Demum*, per quamcunque formam distinguuntur naturalia ab artificialibus. Manifestum igitur est, omnem formam substantialem esse naturam. — 2. *Phys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod forma mixti vel animalis, licet non primo moveat mixtum vel animal deorsum, est tamen primum et principale principium talis motus. — 2. *Phys.* l. 1.

Vel dic, quod quia in eodem composito substantiali una tantum forma substantialis esse potest, illa, quæ est superior, involvit in se perfectionem inferioris, ut forma mixti formam elementarem et anima formam elementarem et mixti. Ab anima enim habet res, quod sit, quod sit corpus et quod sit corpus vivum; et qualitates, quæ erant in materia ut instrumenta formæ præcedentis, fiunt hac recedente instrumenta alterius sequentis. — *Opusc.* 32, c. 8 (4); 2. *de Anima* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod natura in his, quæ carent vita, determinata est ad unum motum; secus in his, quæ participant vitam; sic enim grave tantum tendit deorsum, et animalia moventur pluribus motibus. — 2. *de Anima* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod motus localis sursum animalium est violentus, si comparetur ad corpus ipsius, si tamen constet ex elemento gravi prædominante; est vero naturalis, si comparetur ad animal, quia est ab anima, quæ est natura et forma animalis. — 8. *Phys.* l. 7,

Ad quartum dicendum, quod anima rationalis est natura, quatenus est forma dans esse corpori et habens esse in illo, et quatenus est principium motuum supradictorum; non est autem natura, quatenus est forma et quatenus separata, et ex ea parte, qua excedit corporis capacitatem et naturam habet intellectualem communem cum Angelis, et quatenus habet operationem, in qua non communicat corpus; nam sub his rationibus spectat ad metaphysicum; et de anima rationali hoc modo considerata intelligendus est Philosophus l. c. in argumento, ut patet ex illius rationibus. — V. infra 3am 2ae (*de Anima*) q. 91, a. 1, ad 8 et 4am, q. 37.

Vel dic, quod Philosophus l. c. non loquitur de anima rationali, sed de intellectu et mente absolute et secundum se, sub qua comprehenduntur substantiæ separatæ et maxime substantia illa, quam antiqui et Aristoteles (2. *de Cœlo text.* 6 et 13; c. 1 et 2) animam cœli vocabant, ut patet ex contextu. Nam ubi docuisset, ad philosophum non spectare omnem animam, sed illam, qua constituitur animal tale, statim quærit hoc ipsum et diligentius examinat, utrum ad physicum spectet agere de omni anima, et concludit negative, et ad illum inquit spectare agere de tali anima, qua scilicet constituitur tale animal, ut superius definierat. Et idem patet ex consequentibus, ubi est sermo de anima cœli, quam antiqui naturam vocabant, quos Philosophus reprehendit.

Ad quintum patet ex dictis (in c.).

Ad sextum dicendum, quod sensus Philosophi hic est : cum supra quæsisset, utrum formæ rerum corruptibilium essent separabiles, respondet, esse manifestum, quod formæ quorundam corruptibilium sunt inseparabiles, puta formæ artificiales, ut forma domus, vasis et similium, quia tales formæ non possunt esse sine materia; tum excludit quandam objectionem dicens, quod formæ artificialium forsan non sunt substantiæ, nec ipsæ sunt aliquid per se, unde separari non possunt, et similiter nullum aliorum artificialium, quæ non sunt secundum naturam, quia solum materia in rebus artificialibus ponitur esse substantia, formæ autem artificiales accidentia sunt; formæ vero naturales sunt de genere substantiæ; et propter hoc Plato non posuit, formas artificiales esse separatas a materia, sed solum formas substantiales. — 8. *Metaphys.* l. 3.

ARTICULUS IV

UTRUM RATIO NATURÆ TANTUM CONVENIAT MATERIÆ ET FORMÆ

Videtur quod ratio naturæ conveniat etiam causæ efficienti.

1. Dicunt enim philosophi, quod opus naturæ est opus intelligentiæ; sed intelligentia est causa efficiens sublunarium; cœlum enim causat vitam in virtute sui motoris vivi : ergo causa efficiens est natura. — *de Pot.* q. 2, a. 3, ad 5; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 149.

2. Præterea, motus naturalis dicitur a natura, ut habetur 2. *Phys.* initio; sed fluxus et refluxus maris est motus naturalis, ut dicit Commentator in 3. et 4. *de Cœlo* (*text.* 20) : ergo talis motus est a natura; est autem a luna tamquam a causa efficiente : ergo causa efficiens est natura. — 2. *Phys.* l. 1; *de Pot.*, q. 1, a. 3, ad 1; 2a 2ae, q. 2, a. 3, c.; *Tabula Aurea* voce « mare » n. 2.

3. Præterea, anima dicitur natura respectu motus localis animalis et respectu augmenti, ut dicitur 2. *Phys. text.* 1; c. 1; sed anima est causa efficiens respectu horum motuum, ut ait Philosophus (2. *de Anima text.* 37; c. 4) : ergo causa efficiens est natura. — 2. *Phys.* l. 1; 2. *de Anima* l. 7.

4. Præterea, natura aliquando est principium passivum, aliquando activum motus; nam multa non solum naturaliter moventur, sed etiam naturaliter se movent; sed principium activum est causa efficiens : ergo causa efficiens est natura. — 2. *Phys.* l. 1.

5. Præterea, (2. *Phys. text.* 13; c. 1) probat Philosophus, quod forma est natura, quia est generationis principium; ex homine enim fit homo; sed forma est generationis principium, ut causa efficiens; homo enim efficienter generat hominem : ergo causa efficiens est natura. — *Ibid*, l. 2.

6. Præterea, Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7) probat, quod materia, forma et efficiens sunt natura; ergo ratio naturæ convenit etiam efficienti. — 7. *Metaphys.* l. 6.

Sed contra est : 1. quod Philosophus multis in locis naturam distinguit ab efficiente, ut 2. *Phys. text.* 3; c. 1 et *text.* 86; c. 8, ubi per hoc distinguit naturam ab arte, quod hæc est principium extrinsecum, cujusmodi etiam est efficiens, illa intrinsecum; et quod natura similis est medico medenti seipsum; et 3. *de Cœlo text.* 28 (c. 2) naturam distinguit a potentia movente per violentiam, quæ movet efficienter, quod natura est principium motus existens in eo, quod movetur; at potentia movens violenter est principium motus in alio, secundum quod est aliud, quod idem asserit 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4; 6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1 et alibi. — 2. *Phys.* l. 1 et 14; 3. *de Cœlo* l. 5.

2. Præterea, illud est natura, per quod naturalia distinguuntur a non naturalibus, puta ab artificialibus et violentis; sed naturalia distinguuntur a non naturalibus per hoc, quod habent principium motus in se, illa vero habent principium motus in alio : ergo natura non est causa efficiens, quæ a Philosopho (2. *Phys. text.* 29; c. 3) definitur : a quo principium motus, in alio scilicet, ut ostendunt exempla, quæ affert. — 2. *Phys.* l. 1 et 5.

II. Videtur quod causa finalis sit natura.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 1; c. 1), quod forma respectu motus localis, augmentationis et alterationis est natura; sed forma respectu horum motuum est causa finalis, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 37; c. 4) : ergo causa finalis est natura. — 2. *Phys.* l. 1; 2. *de Anima* l. 7.

2. Præterea, generatio dicitur natura, quia tendit ad formam, ut natura est, ut dicitur 2. *Phys. text.* 14; c. 1 et 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4; sed ibidem (5. *Metaphys.*) dicit Philosophus, quod forma dicitur natura, quia est finis generationis : ergo causa finalis est natura. — 2. *Phys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

Sed contra est, quod Philosophus naturam dicit esse principium intrinsecum ejus, cujus est natura; sed causa finalis est causa extrinseca rei, sicut et causa efficiens : ergo causa finalis non est natura. — 2. *Phys.* l. 1; 3. *de Cœlo* l. 7.

III. Videtur quod ratio naturæ conveniat privationi.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 15; c. 1), quod forma et natura dupliciter dicitur, quia etiam privatio est quodammodo forma. — 2. *Phys.* l. 2.

2. Præterea, terminus ad quem generationis est natura, ut dicit Philosophus (*ibid. text.* 13 et 14; c. 1); sed eodem modo privatio est terminus motus corruptionis : ergo etiam privatio est natura. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (*ibid, text.* 4; c. 1 et 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4) duplicem tantum facit naturam, materiam et formam. — 2. *Phys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l 5 (4).

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod efficiens secundum Philosophum dupliciter sumitur : *uno modo* propriissime pro eo, quod reducit aliud de potentia ad actum, *vel* producendo in illo actum secundum, quomodo movens aliquid localiter per vectionem, pulsionem, tractionem et vertiginem dicitur causa efficiens illius motus, ut dicitur 7. *Phys. text.* 9, sq.; c. 2; — *vel* tribuendo actum primum, ad quem sequitur actus secundus, quomodo ele-

menta (8. *Phys. text.* 31; c. 4) moventur a generante effective, et 2. *de Anima text.* 59 (c. 5) activa sensationum dicuntur esse objecta, quæ sunt ad extra; et *text.* 105 (c. 10) gustabile dicitur esse factivum actus gustativi. Et hoc modo sumptum efficiens definitur 2. *Phys. text.* 29 (c. 3) et 7. *Phys.* l. c.: unde principium motus, in alio scilicet, ut patet exemplis ibi adductis, et distinguitur a natura, ut patet ex multis aliis locis supra citatis.

Alio modo sumitur efficiens, non ita proprie, pro eo, quod vere efficit motum, non tamen in alio subjecto, sed in eo, a quo non distinguitur subjecto, quomodo anima dicitur causa efficiens motus localis et motus augmenti animalis et motus alterationis alimenti præcedentis ipsam augmentationem (2. *de Anima text.* 37; c. 4); et eadem ibidem dicitur esse causa efficiens sensationis, respectu cujus sensus proprie dicitur principium activum seu elicitivum, sicut sensatio proprie dicitur actio (*ibid. text.* 139 et 140; [1]) l. 3, c. 2); et quomodo (4. *de Cœlo text.* 22; c. 3) dicit Philosophus, quod gravitas et levitas sunt factiva motus sursum et deorsum. — 2. *de Anima* l. 7; 3. *de Anima* l. 2; 4. *de Cœlo* l. 2.

Si ergo sumatur efficiens *posteriori modo*, natura potest dici de efficiente, quia, ut dictum est (supra in arg. 3), anima est causa efficiens motus localis, augmenti et sensationis, ut dicit Philosophus l. c., et eadem respectu eorundem motuum est natura, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 1 et 2; c. 1). Si vero sumatur *priori modo*, nullo modo illi convenit nomen vel ratio naturæ, cum a Philosopho distinguatur a natura, ut dictum est (initio corp.).

Ad primum ergo dicendum, quod natura dupliciter sumitur: *uno modo* pro natura naturante, et hæc est Deus ordinans omnium naturas; *alio modo*, pro natura naturata, quæ est instrumentum naturæ naturantis, quæ postea multipliciter sumitur, et præsertim quadrupliciter. Significat enim *primo* generationem viventium; *secundo* principium intrinsecum cujuscunque motus; *tertio* materiam et formam; *quarto* essentiam cujuscunque rei. — Argumentum procedit de natura primo modo sumpta. — *Tabula aurea* voce « natura » n. 18, 20, 21.

Vel dic, quod opus naturæ dicitur opus intelligentiæ, quantum ad ea tantum, quæ ad propria principia naturalia non se extendunt, et non propter hoc, quod operationes naturales fiant ab intelligentia tamquam a principio intrinseco. — *de Pot.* q. 2, a. 3, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod motus fluxus dicitur mari naturalis, quia in mari est inclinatio ad recipiendum illum a natura superiori. — *Tabula Aurea* voce « naturale » n. 4; 2a 2æ, q. 2, a. 3, c; *de Pot.* q. 1, a. 3, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod causa efficiens, de qua loquitur argumentum, potest esse natura, ut dictum est (supra in c.); eodemque modo respondetur *ad quartum* et *ad sextum*.

Ad quintum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod licet non fiat lectulus ex lectulo, ut Antiphon dicebat, fit tamen homo ex homine; unde verum est, quod dicunt, quod forma lecti non est natura, sed lignum, quoniam si lignum germinet, non fiet lectulus, sed lignum. Sicut igitur hæc forma, quæ non redit per germinationem, non est natura, sed ars, ita forma, quæ redit per generationem, est natura; forma autem rei naturalis redit per generationem; fit enim ex homine homo; quare forma rei naturalis est natura. — 2. *Phys.* l. 2.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod finis est duplex: generationis et rei generatæ. *Prior* coincidit cum forma in idem numero, et per consequens sicut forma est natura, ita et finis hoc modo sumptus; quamquam forma non habet rationem naturæ, quatenus est finis, sed quatenus est forma substantialis; non enim forma habet, quod sit primum principium motus in eo, in quo est, quatenus est finis, sed quatenus est forma substantialis. *Posterior* vero non coincidit cum forma et consequenter non potest esse natura. Et de fine *priore modo* sumpto procedunt *objecta* facta. — *Tabula Aurea* voce « finis » n. 33.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod privatio nullo modo est natura. Cujus ratio est, quia privatio, licet sit principium motus et generationis, non tamen est ejus causa, ut dictum est (supra q. 2, a. 1, c.); de ratione autem naturæ est, quod sit principium et causa. (V. supra . 1 hujus quæst.) Præterea quia natura est substantia rei, ut docet Philosophus (2. *Phys. text.* 7; c. 1); privatio autem non est substantia rei, ut patet. — 2. *Phys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi hic est: natura, quæ est forma, du-

1) In utraque editione tum Ticinensi tum Parisiensi adducitur hic 1. Polit. c. 8; verum cum is locus nihil omnino ad rem faceret, hunc ex libro de Anima substituimus.

pliciter dicitur, scilicet de forma incompleta et completa, et hoc patet in generatione secundum quid, ut puta cum aliquid fit album; nam albedo est forma completa, et privatio alhedinis est quodammodo species, in quantum conjungitur nigredini, quæ est forma imperfecta. — 2. *Phys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod generatio ideo dicitur natura, quia est via ad naturam, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 14; c. 1); unde quia corruptio non tendit ad naturam, sed ad non esse naturæ, non dicetur natura. — *Ibid.*

ARTICULUS V

UTRUM RIDICULUM SIT VELLE DEMONSTRARE NATURAM ESSE.

Videtur quod non sit ridiculum velle demonstrare naturam esse.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 4 et 7; c. 1), quod materia est natura; sed idem Philosophus (1. *Phys. text.* 57 sq.; c. 7) probat, materiam esse; ergo probat, naturam esse. — 2. *Phys.* l. 1 et 2; 1. *Phys.* l. 12 (11).

2. Præterea, Philosophus (2. *Phys. text,* 11; c. 1) pluribus rationibus probat, formam esse naturam et magis naturam quam materiam, et idem de utraque probat (1. *de Cœlo text.* 1; c. 1); sed idem Philosophus (1. *Phys.*) probat, dari formam : ergo similiter probavit naturam. — 2. *Phys.* 1, 2; 1. *de Cœlo* l. 1; 1. *Phys.* l. 11 (10).

3. Præterea, (6. *Metaphys. text.* 1; l. 5, c. 1) dicit Philosophus, quod ejusdem mentis est cognoscere, quid sit et an sit; sed Philosophus (2. *Phys. text.* 3; c. 1) definit naturam ; ergo debuit simul probare naturam esse. — 6. *Metaphys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 1.

4. Præterea, per effectum potest probari causa, præsertim in physicis, ubi demonstrationes plerumque sunt ex effectu, ut dictum est (in Logica q. 22, a. 1); sed motus est effectus naturæ; definitur enim a Philosopho natura, quod sit principium motus : ergo per motum recte potest a philosopho naturali demonstrari naturam esse. — 2. *Phys.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 6; c. 1) dicit, quod ridiculum est tentare demonstrare, quod natura est. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod ridiculum est tentare demonstrare naturam esse. Cujus ratio est ex Philosopho (l. c.), quia manifestum est secundum sensum, quod multa sunt a natura, quæ habent principium sui motus in se; velle autem demonstrare manifestum per non manifestum, est hominis, qui non potest judicare, quid est notum propter se, et quid non est notum propter se; quia dum vult demonstrare id, quod est notum propter se, utitur noto quasi non noto propter se. Naturam enim esse, est per se notum, in quantum naturalia sunt manifesta sensui; manifestum enim est inductione, quod naturalia moveantur, quia ad sensum apparet, quod res naturales moveantur. — 2. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ignorantia principiorum moventium non impedit, quominus naturam esse sit per se notum. Aliud enim est probare, quod aliquid sit natura et principium movens, et quid sit natura cujusque; aliud vero, quod natura sit; nam illud non est notum, hoc vero notissimum est ; eodemque modo respondetur *ad secundum.* — 1. *Phys.* l. 12 (11); 2. *Phys.* l. 1.

Ad tertium dicendum, quod sensus Philosophi est, quod sicut nulla scientia tractat de aliquo particulari ente, in quantum est ens, nec de definitione vel quidditate ejus, ut est quidditas absolute, quia utrumque spectat ad metaphysicum (vide in Logica q. 32, a. 1, ad 4); — ita nulla scientia particularis probat de suo particulari subjecto, quod sit, sed illud supponit tamquam spectans ad eandem Metaphysicam. Quod tamen non obstat, quin scientia quælibet particularis atque adeo Physica accipiat sibi aliquod determinatum genus entis, circumscribens illud et dividens ab aliis entibus, sicut et considerat particularia accidentia particularium substantiarum et ipsas substantias tales, puta leonem vel bovem, relinquens Metaphysicæ agere de omnibus substantiis, in quantum sunt entia vel substantiæ. — *Tabula Aurea* voce « Metaphysica » n. 25 et 26; 2. *Phys.* l. 4; 4. *Metaphys.* l. 1.

Ad quartum dicendum, quod necessarium est in scientia naturali supponi motum, sicut necessarium est supponi naturam, in cujus definitione ponitur. Quod autem supponitur in scientia, non probatur; propterea enim nulla scientia probat sua principia, quæ supponit. — 1. *Phys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 1.

QUÆSTIO VII.

DE CAUSIS RERUM NATURALIUM IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de causis rerum naturalium, et *primo* quidem de causis per se, ex quibus scientia naturalis demonstrat; *secundo* de causis per accidens; *tertio* de serie seu ordine causarum secundarum seu de fato.

Consideratio autem de causis per se quadripartita erit : *primo* namque considerabimus illas absolute in se; *secundo* comparative tum ad invicem tum ad effectus. Circa considerationem autem absolutam causarum primo agendum est de illis in communi, deinde in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum ad philosophum naturalem spectet agere de causis rerum naturalium.
2. Utrum recte causa definiatur : ad quam sequitur esse alterius.
3. Utrum sint tantum quatuor genera causarum.

ARTICULUS I

UTRUM AD PHILOSOPHUM NATURALEM SPECTET AGERE DE CAUSIS RERUM NATURALIUM.

I. Videtur quod agere de causis rerum naturalium spectet ad logicum.

Philosophus enim (2. *Poster. text.* 11; c. 11) ostendit, quod per medium demonstrationis manifestantur omnes quatuor causæ, et quod unius rei possunt esse diversæ causæ; at hoc est agere de omnibus rerum naturalium causis : ergo ad logicum spectat agere de causis rerum naturalium, et consequenter id non spectabit ad physicum ; nam ut docet Philosophus (3. *Metaphys. text.* 4; l. 2, c. 2), si de iisdem rebus ageretur in pluribus scientiis, superfluum id esset. — 2. *Poster.* l. 9; 3. *Metaphys.* l. 4.

II. Videtur quod ad metaphysicum spectet agere de causis rerum naturalium.

Philosophus enim (1. *Metaphys.* c. 3) enumerat quatuor genera causarum, et examinat opiniones circa illas; et (2. *Metaphys. text.* 6; l. 1 min., c. 2) probat, non dari processum in infinitum in causis, et (3. *Metaphys. text.* 3; l. 2, c. 2) quaerit, utrum ad metaphysicum spectet agere de omnibus causis ; et licet ibidem talem quæstionem non solvat, ex his tamen, quæ dicit in quarto et in sequentibus libris, colligitur, ad metaphysicum spectare causam formalem, finalem, efficientem. Eadem autem etiam agit de materia; nam substantiam dividit in materiam, formam et compositum (5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4) : ergo ad metaphysicum spectabit agere de causis rerum naturalium et non ad physicum. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3); 3. *Metaphys.* l. 4 et 5; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 70; c. 7) dicit, quod ad naturalem pertinet, omnes causas cognoscere et per omnes naturaliter demonstrare. — 2. *Phys.* l. 11.

RESPONDEO DICENDUM, quod tripliciter possunt considerari quatuor causæ : *primo*, quatenus assumuntur ut media in demonstratione, et hoc modo tractare de causis rerum pertinet ad logicum; nam cum agat de demonstratione, necessario debet etiam agere de medio ipsius, quod sumitur ex quatuor causis (2 *Poster.* l. 9). — *Secundo*, quatenus sunt causæ absolute, et hoc modo agere de causis spectat ad metaphysicum, qui propterea tres tantum causas prædictas, non autem materiam pertractat, quia illæ sunt causæ entis, cujus consideratio pertinet ad metaphysicum, non autem hæc, cum sit causa solius determinati entis, substantiæ scilicet mobilis, licet illam consideret, quatenus continetur sub ente. — 2. *Phys.* l. 5; 3. *Metaphys.* l. 4; *Opusc.* 70, q. 5, a, 2 et 3.

Tertio, quatenus dicunt ordinem ad materiam, et per consequens quatenus forma habet esse in materia, non autem secundum quod est forma absolute, et similiter quatenus efficiens est tale; tales enim causæ pertinent ad considerationem particularium scientiarum. Et hoc modo agere de causis rerum naturalium spectat ad philosophum naturalem, quod bene probat Philosophus (1. *Phys. text.* 1; c. 1), quia in omnibus scientiis, quarum sunt principia et causæ, scientia procedit ex cognitione principiorum et causarum ; habet autem Physica, quæ est scientia de natura, principia et causas; quare de illis debet agere. Et ex his patet solutio *ad objecta.*

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIATUR CAUSA : AD QUAM SEQUITUR ESSE ALTERIUS.

Videtur quod non recte definiatur causa : ad quam sequitur esse alterius.

1. Principium enim latius patet, quam causa, ut dictum est (supra q. 2, a. 1); sed ad principium sequitur esse ejus, quod est a principio (nam principium relativum est; significat enim relationem; ad esse autem relativi necessario sequitur esse alterius, ut dictum est in Logica q. 13, a. 10, ad 5 quaestiunc.) : ergo. — *Tabula Aurea* voce « principium » n. 3; *de Pot.* q. 1, a. 1, arg. 3 et ad 3.

2. Præterea, non semper posita causa sive naturali sive voluntaria sequitur esse effectus; ergo causa non est illa, ad quam sequitur esse alterius. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 2, 3, 4.

3. Præterea, causa *sine qua non* est aliquando causa per se; sed ad causam *sine qua non* non sequitur esse effectus (alioqui esset causa principalis) : ergo causa male definitur : ad quam sequitur esse alterius. — *Ibid.* n. 17.

4. Præterea, occasio est quædam causa; sed ad occasionem non sequitur esse effectus, ut patet : ergo causa non est, ad quam sequitur esse effectus. — *Ibid.* n. 13.

Sed contra est, quod causa proprie importat influxum ad esse causati, sicut principium importat ordinem alicujus processus sive originis; sed ut influxus ad esse causati necessario sequitur tale esse : ergo causa recte definitur : ad quam sequitur esse causati. — 5. *Metaphys.* l. 1; 1. *Phys.* l. 1; *de Verit.* q. 23, a. 5, ad 1; *Opusc.* 31; 1. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 1, c. et ad arg.

Respondeo dicendum, quod licet omnis causa dici possit principium et omne principium causa, eo quod aliquando unum ponitur pro alio, sumendo nomen causæ late; sumendo tamen illud proprie, principium in plus est quam causa, et hæc quam elementum, ut dicit Commentator (in 5. *Metaphys.* initio), unde omnis causa est principium, sed non contra. Causa enim addit supra principium communiter dictum; quia id, quod est principium, sive ex eo sequatur esse posterioris sive non, potest esse principium, sicut faber dicitur principium cultelli, quia ex ejus operatione est esse cultelli; sed quando movetur aliquid de albedine in nigredinem, dicitur, quod albedo est principium motus talis, et universaliter omne id, a quo incipit motus, dicitur principium; tamen albedo non est id, ad quod sequitur esse alterius, scilicet nigredinis ; sed solum causa dicitur de illo principio, quod habet influxum in id, quod est ex illo, et consequenter de illo, ad quod sequitur esse alterius, sive hoc esse sequatur ad esse causæ, ut contingit in naturalibus, sive ad dispositionem causæ, ut contingit in causis liberis; ex voluntate enim non sequitur res eo modo, quo ipsa habet esse, sed eo modo, quo disponit. — *Ibid.*; *Tabula Aurea* voce « principium » n. 3; 2. *Phys.* l. 1; 5. *Metaphys.* l. 1; *Opusc.* 31; *de Pot.* q. 10, a. 1, ad 8; *de Verit.* q. 23, a. 5, ad 1.

Hinc sequitur *primo*, quod causa proprie dicta dicit ordinem principii atque adeo influxum ad esse sui causati, quod per ipsam constituitur; secus vero principium. Datur enim aliquod principium, quod non habet aliquam influentiam ad esse principiati, sicut terminus a quo dicitur principium motus, et mane diei, et in divinis Pater non habet aliquem ordinem principii ad esse Filii, sicut nec ad esse suum, cum unum et idem sit esse utriusque; unde Pater non dicitur causa Filii, sed principium, quia principium dicit ordinem originis absolute, non determinando aliquem modum, qui ab origine personarum alienus sit. — *Secundo* sequitur, quod nomen causæ importat dependentiam alicujus ab aliquo in esse vel fieri, quam non importat nomen principii, ut patet in divinis, cum tamen omnis effectus dependeat a sua causa. — *Tertio* sequitur, quod nomen causa importat diversitatem substantiæ, quam non importat nomen principium; nam in omnibus causæ generibus semper invenitur distantia inter causam et id, cujus est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem; sed nomine principii utimur etiam in his, quae nullam habent hujusmodi differentiam, sed solum quendam ordinem. — Unde manifestum est, quod recte definitur causa : ad quam sequitur esse causati. — 1. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 1, c. et ad arg.; 1a, q. 33, a. 1, c. et *Sed contra; Tabula Aurea* voce « causa » n. 99; 1. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod cum aliquid sit principium, quod non est causa, ut dictum est (in c. et supra q. 2, a. 1, c.; nam terminus a quo est principium motus, non tamen causa; et similiter punctus respectu lineæ, et mane respectu diei) — ad esse principii non sequitur esse ejus quod est a principio; nam in tali sequela involvitur influxus unius rei in aliam, qui non includitur in ratione principii, ut dictum est (*ibid.*).

Ad secundum dicendum, quod esse effectus sequitur ex causa juxta modum ipsius; nam ex causa naturali, per se, sufficienti et completa et non impedita necessario sequitur esse effec-

tus; nam hoc esse sequitur eo modo, quo causa habet esse; ex causa vero voluntaria sequitur esse effectus juxta dispositionem illius, quia non sequitur ex illa eo modo, quo habet esse, sed eo modo, quo disponit. — *de Verit.* q. 23, a. 5, ad 1; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 2, 3, 4.

Ad tertium dicendum, quod causa *sine qua non* est duplex. Nam *aliquando* est causa per accidens, quoniam nimirum nihil omnino facit et non influit ad inducendum effectum vel disponendo vel meliorando; nam quantum ad rationem causandi nihil omnino habet supra causas per accidens, sicut album est causa domus, si ædificator est albus; quod est autem per accidens, omittitur ab arte et non ingreditur definitionem. *Aliquando* vero est causa per se, quando nimirum est concausa et cooperatur principali causæ necessariæ, sumendo necessarium pro eo, sine quo res nullo modo potest esse. — 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 1; 5. *Metaphys.* l. 6 (5).

Ad quartum dicendum, quod quia occasio aliquando significat causam per accidens, aliquando vero causam imperfectam et insufficientem, ideo etiam occasio significat influxum insufficientem et imperfectum, quomodo quis suo peccato vel ex natura sua vel ex intentione peccantis inducente alterum ad peccandum, dicitur alicui dare occasionem ruinæ, cum tamen causa sufficiens talis nulla alia sit præter voluntatem peccantis. — 4. *Sent*, dist. 38, q. 2, a. 1, ad 4; 2a 2æ, q. 43, a. 1, ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM SINT TANTUM QUATUOR GENERA CAUSARUM.

I. Videtur quod genera causarum sint plura quam quatuor.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 1; l. 4, c. 1), quod tot modis dicitur causa, quot principium; sed principia sunt plura quam quatuor, cum principium, ut dictum est (art. præced.), sit in plus quam causa : ergo causæ sunt plures, quam quatuor. — 5. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, idea secundum Platonem et veritatem est causa cognitionis et generationis rerum; sed idea neque est materia neque forma, quia est extra rem; neque est finis, quia per ideam sibi determinat agens finem; neque est agens, quia quod est in alio, non est illud (est autem idea in mente artificis) : ergo est quintum genus causæ. — *Tabula Aurea* voce « idea » n. 2, 7, 8, 9, 10; *de Verit.* q. 3, a. 5.

3. Præterea, causa *sine qua non* potest esse causa per se et similiter occasio; sed neutra continetur sub ullo ex quatuor generibus causarum : ergo constituunt duo alia genera. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 13, 17, 18.

4. Præterea, instrumentum est causa; dividitur enim causa in principalem et instrumentalem; sed instrumentum nullum est ex quatuor generibus causarum : ergo constituet quintum genus, et ita causæ erunt plures quam quatuor. — *Ibid.* n. 40, 41.

5. Præterea, subjectum est causa acccidentis et præmissæ conclusionum, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2 et q. 25, a. 4); sed non sunt in ullo genere ex quatuor : ergo causarum genera sunt plura. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2, ad 2.

6. Præterea, bonum est causa mali; omnium enim malorum principium et finis est bonum, inquit S. Dionysius (*de Divin. Nomin.* c. 4; Migne PP. Gr. t. 3, c. 731), et non nisi ex bono oriri potest malum, inquit S. Augustinus in *Enchiridio* (c. 14 et 15; Migne PP. L. t. 40, c. 238); sed bonum non est causa materialis vel formalis mali, quia bonum excludit malum formaliter; neque efficiens, quia malum non habet causam efficientem, sed deficientem; neque finis, quia malum ordinatur ad malum, non autem ad bonum : ergo constituet aliud genus causæ. (*de Malo* q. 1, a. 3; 1a, q. 49, a. 1) — Sed dices, quod bonum est causa mali per accidens et non per se.

7. Contra, agens aliquid illicitum præter intentionem non peccat, ut si quis intendat percutere hostem et percutit patrem; per accidens autem causa alicujus est, quod non intendit ipsum; si ergo malum non habet nisi causam per accidens, sequitur, quod nullus faciendo malum peccat, quod est absurdum : ergo dicendum est, quod bonum est causa per se mali, et quod per consequens constituit aliud genus causæ præter quatuor prædicta. — *de Malo* q. 1, a. 3, arg. 15.

8. Præterea, illud, quod provenit per accidens, provenit ut in paucioribus; sed malum provenit ut in pluribus, ut experientia patet; nam stultorum infinitus est numerus : ergo malum habet causam per se, et per consequens bonum, quod est causa mali, consti-

tuet aliud genus causæ præter quatuor prædicta. — *Ibid.* arg. 17.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 68 et 69; c. 7) probat, quod tantum sunt quatuor genera causarum. — 2. *Phys.* l. 10.

2. Præterea, philosophi nullum genus causæ valuerunt addere supra quatuor, puta supra materiam, formam, efficientem et finem : ergo sunt tantum quatuor genera causarum et non plura. — 1. *Metaphys.* l. 11 (8).

II. Videtur quod genera causarum sunt pauciora quam quatuor.

1. Quia causare est quoddam agere; at neque in materia est ulla activitas, cum sit pura potentia; neque in fine, cum hic sit postremus in executione; neque in forma respectu materiæ, cui inest, sicut nec in accidente respectu sui subjecti : ergo materia, forma et finis non sunt causæ. — *Tabula Aurea* voce « materia » n. 12, voce « finis » n. 5 et « accidens » n. 61.

2. Præterea, omnis causa est nobilior suo effectu, et ideo omnia nobiliori modo sunt in causa quam in seipsis; sed materia non est nobilior suo effectu, puta composito : ergo materia non est causa. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 91 et 94; 1a, q. 4, a. 2 et q. 18, a. 4.

3. Præterea, causa est naturaliter prior suo effectu; sed forma est simul cum re, cujus est causa, et finis est posterior effectu : ergo forma et finis non sunt causæ. — *Tabula Aurea* l. c. n. 98, 100, 101, 102.

4. Præterea, efficiens est effectus causæ finalis, ut dicitur 2. *Phys. text.* 30 (c. 3); sed effectus non est causa, sed quid causatum : ergo efficiens non est causa. — 2. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, dicit Philosophus (*ibid. text.* 70; c. 7), quod efficiens et finis coincidunt in idem specie, forma vero et finis in idem numero : ergo non sunt quatuor genera causarum. — 2. *Phys.* l. 11.

6. Præterea, omnis causa est principium, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 1; l. 4, c. 1); sed finis opponitur principio : ergo finis non est causa. — 5. *Metaphys.* l. 1.

Sed contra est auctoritas Philosophi (2. *Phys. text.* 28, sq; c. 3, *text.* 68 et 69; c. 4 et 5. *Metaphys. text.* 2 et 3; l. 4, c. 2) dicentis et probantis, quatuor esse genera causarum.

Respondeo dicendum, quod necesse est quatuor esse genera causarum. Et ratio est, quia cum causa sit, ad quam sequitur esse alterius, — esse ejus, quod habet causam, potest dupliciter considerari : *uno modo* absolute, et sic causa essendi est forma, per quam aliquid est in actu; *alio modo*, secundum quod de potentia ente fit actu ens; et quia omne, quod est in potentia, reducitur ad actum per id, quod est actu ens, ex hoc necesse est esse duas alias causas, scilicet materiam et agens, quod reducit materiam de potentia in actum. Actio autem agentis ad aliquod determinatum tendit, sicut ab aliquo determinato principio procedit; nam omne agens agit, quod est sibi conveniens; id autem, ad quod tendit actio agentis, dicitur causa finalis. Sic igitur necesse est esse quatuor causas; quamquam, quia forma est causa essendi absolute, aliæ vero tres sunt causæ essendi secundum quod aliquid accipit esse, inde est, quod in immobilibus non considerantur aliæ tres causæ, sed solum causa formalis. — 2. *Phys.* l. 10.

Quod autem non sint plures causæ quam quatuor dictæ, manifestatur sic. Hoc quod dico « propter quid », quærit de causa; sed ad « propter quid » non respondetur nisi aliqua dictarum causarum. *Quandoque* enim « propter quid » reducitur ultimo in quodquid est, id est definitionem, ut patet in omnibus immobilibus, sicut sunt mathematica, in quibus « propter quid » reducitur ad definitionem recti vel commensurati vel alicujus alterius, quod demonstratur in Mathematica. Cum enim definitio recti anguli sit, quod constituatur ex linea super aliam cadente, quæ ex utraque parte faciat angulos duos æquales, si quæratur, propter quid iste angulus sit rectus, respondetur, quia constituitur ex linea faciente duos angulos æquales ex utraque parte; et ita est in aliis. — *Quandoque* vero reducitur « propter quid » in primum movens, ut : propter quid aliqui pugnaverunt? Quia furati sunt; hoc enim est, quod incitavit ad pugnam. — *Quandoque* autem reducitur ad causam finalem, ut si quæramus : cujus causa aliqui pugnant? respondetur, ut dominentur. *Quandoque* autem reducitur in causam materialem, ut si quæratur, propter quid sit istud corpus corruptibile, et respondeatur, quia compositum est ex contrariis. Non ergo sunt plures causæ, quam quæ dictæ sunt.— Et ex his patet ad primam et secundam quæstionem.— 2. *Phys.* l. 10.

Ad primum ergo *primæ quæstionis* dicendum, quod sensus Philosophi l. c. est, quod

causæ tot modis dici possunt, quot modis dictum est in eo capite sumi nomen principii. Nam omnes causæ sunt quædam principia; ex causa enim incipit motus ad esse rei, licet non eadem ratione dicatur causa et principium. — 5. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod idea reducitur ad genus causæ efficientis; est enim idea forma in mente artificis operativa et productiva rei. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1 et 3; 1a, q. 15, a. 1, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod causa *sine qua non* et occasio reducuntur ad causam efficientem, ut dictum est (supra a. 2, ad 3 et 4).

Ad quartum dicendum, quod instrumentum agit in virtute principalis agentis et ideo ad causam principalem unam ex quatuor dictis reducitur. — *Tabula Aurea* voce « instrumentum » n. 12, 15, 16.

Ad quintum dicendum, quod subjectum est causa accidentium vel materialis vel efficiens saltem reductive, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2); et similiter dicendum de præmissis respectu conclusionis, ut etiam dictum est (ibid. q. 25, a. 4).

Ad sextum dicendum, ut dictum est in objecto, quod bonum est causa mali per accidens et non per se, quatenus nimirum est deficiens et per accidens agens. — *de Malo* q. 1, a. 3, c.

Ad septimum dicendum, quod *aliquando* accidens alicujus effectus conjungitur ei ut in paucioribus et raro; et tunc agens dum intendit effectum per se, non oportet, quod aliquo modo intendat effectum per accidens. *Aliquando* vero hujusmodi accidens concomitatur effectum principaliter intentum semper vel ut in pluribus, et tunc accidens non separatur ab intentione agentis. — Si ergo bono, quod voluntas intendit, adjungitur aliquod malum ut in paucioribus, potest excusari a peccato, sicut si aliquis incidens lignum in silva, per quam raro transit homo, projiciens lignum interficiat hominem; sed si semper vel in pluribus adjungatur malum bono, quod per se intendit, non excusatur a peccato, licet illud malum non per se intendat. Delectationi autem, quæ est in adulterio, semper conjungitur malum, scilicet privatio ordinis justitiæ; unde non excusatur a peccato, quia ex hoc ipso, quod elegit bonum, cui semper conjungitur malum, etsi non velit malum secundum seipsum, magis tamen vult incidere in hoc malum, quam carere tali bono. — *Ibid.* ad 15.

Ad octavum dicendum, quod nec semper id, quod est per accidens, est ut in paucioribus, sed quandoque est semper aut ut in pluribus, sicut vadens ad forum emendi causa aut semper aut ut in pluribus invenit multitudinem hominum, quamvis hoc non intendat. Similiter adulter intendens bonum, cui semper conjungitur malum, semper incidit in malum. Quod autem accidit in hominibus, quod bonum sit ut in paucioribus, malum ut in pluribus, ex hoc contingit, quod pluribus modis contingit deviare a medio, quam medium tenere, ut dicitur in 2. *Ethic.* (c. 6, al. 5), et quia sensibilia bona sunt magis nota apud multos quam bona rationis. — *Ibid.* ad 17.

Vel dic, quod malum nunquam invenitur nisi in paucioribus, si referuntur effectus ad causas proprias, quod quidem in naturalibus patet; nam peccatum vel malum non accidit in actione naturæ nisi propter impedimentum superveniens illi causæ agenti, quod quidem non est nisi in paucioribus, ut sunt monstra in natura et alia hujusmodi. In voluntariis autem magis videtur malum esse ut in pluribus quantum ad agibilia, non quantum ad factibilia, in quantum ars non deficit nisi ut in paucioribus; imitatur enim naturam. In agibilibus autem, circa quæ sunt virtus et vitium, est duplex appetitus movens, scilicet rationalis et sensualis; et id, quod est bonum secundum unum appetitum, est malum secundum alterum; sicut prosequi delectabilia est bonum secundum appetitum sensibilem, qui sensualitas dicitur, quamvis sit malum secundum appetitum rationis. Et quia plures sequuntur sensus, quam rationem, ideo plures inveniuntur mali in hominibus quam boni; sed tamen sequens appetitum rationis in pluribus bene se habet, et non nisi in paucioribus male. — *de Pot.* q. 3, a. 6, ad 5.

Ad primum secundæ quæstionis dicendum, quod sicut causa dicit influxum ad esse causati, ita causare non est agere, sed influere; influit autem omnis causa suo modo: vel sustentando, ut contingit in materia, vel agendo sive formaliter sive finaliter sive efficienter, ut contingit in reliquis causis. — 5. *Metaphys.* l. 1; *Tabula Aurea* voce « agens » n. 27.

Ad secundum dicendum, quod quædam causæ sunt nobiliores his, quorum sunt causæ, scilicet efficiens, formalis et finalis; et ideo quod est in talibus causis, nobilius est in eis, quam in his, quorum sunt causæ. Sed materia est imper-

fectior eo, cujus est causa; et ideo aliquid est in materia minus nobiliter, quam sit in materiato; in materia enim est incomplete et in potentia, et in materiato est actu. — *de Verit.* q. 7, a. 7, ad 1; 1a, q. 4, a. 2, c.

Ad tertium dicendum, quod forma est simul cum effectu duratione, sed est prior natura; finis vero est primus in intentione, quo modo est causa, sed est postremus in executione. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 100 et voce « finis » n. 5.

Ad quartum dicendum, quod sicut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 30; c. 3), ita efficiens est effectus finis, ut sub alia ratione sit etiam causa illius et prius illo; efficiens enim est prius secundum esse et posterius secundum rationem; est enim causa finis quantum ad esse, quia movendo perducit efficiens ad hoc, quod sit finis; finis autem est prius secundum rationem, sed est posterius secundum esse; est enim causa efficientis non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis, unde ex fine habet causalitatem. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2.

Ad quintum dicendum, quod non semper, sed multoties, ut inquit Philosophus l. c., tres causæ concurrunt in unam, ita quod causa formalis et finalis sint una secundum numerum. Et hoc intelligendum est de causa generationis finali, non autem de causa finali rei generatæ. Finis enim generationis hominis est forma humana; non tamen finis hominis est forma ejus, sed per formam suam convenit sibi operari ad finem. Sed causa movens est eadem secundum speciem utrique earum, et hoc præcipue in agentibus univocis, in quibus agens facit sibi simile secundum speciem, sicut homo generat hominem. In his enim forma generantis, quæ est principium generationis, est idem specie cum forma generati, quæ est finis generationis. In agentibus autem non univocis alia est ratio; in his enim ea, quæ fiunt, non possunt pertinere ad hoc, quod consequantur formam generantis secundum eandem rationem speciei, sed participant aliquam similitudinem ejus, secundum quod possunt, ut patet in iis, quæ generantur a sole. Unde non semper agens est idem specie cum forma, quæ est finis generationis, nec similiter omnis finis est forma. Materia vero neque est idem specie neque idem numero cum aliis causis, quia materia in quantum materia, est eius in potentia; actus vero est eius in actu, in quantum hujusmodi; forma vero vel finis est actus vel perfectio. — 2. *Phys.* l. 11.

Ad sextum dicendum, quod finis est oppositus tantum principio efficienti, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 3); nam efficiens est principium motus, finis autem est terminus motus. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3); *Tabula Aurea* voce « causa » n. 51.

QUÆSTIO VIII

DE CAUSA MATERIALI.

Deinde considerandum est de causis in particulari, et *primo* de materia; *secundo* de forma; *tertio* de efficiente; *quarto* de fine.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR :

UTRUM CAUSALITAS MATERIÆ CONSISTAT IN RECEPTIONE ET SUSTENTATIONE FORMÆ.

ARTICULUS I

UTRUM CAUSALITAS MATERIÆ CONSISTAT IN RECEPTIONE ET SUSTENTATIONE FORMÆ.

Videtur quod causalitas materiæ non consistat in receptione et sustentatione formæ.

1. Anima enim rationalis, cum sit forma subsistens, non eget ulla sustentatione; sed materia exercet suam causalitatem erga animam rationalem : ergo causalitas materiæ non consistit in sustentatione formæ. — 1a, q. 75, a. 2, c.

2. Præterea, materia est pars compositi naturalis; est enim materia, sicut et forma, causa per se et principium ejus, quod fit secundum naturam, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 65; c. 7); sed omnis pars habet suam causalitatem respectu totius, cum omnes partes sint propter perfectionem totius : ergo causalitas materiæ non consistit in receptione et sustentatione formæ substantialis. — 1. *Phys.* l. 13 (12); *Opusc.* 31; 1a, q. 65, a. 2, c.

3. Præterea, unum principium non est ex alio, ut dicit Philosophus — (1. *Phys. text.* 42; c. 5); sed si materia haberet causalitatem respectu formæ, forma esset ex materia, et per consequens unum principium esset ex alio : ergo materia non habet causalitatem respectu formæ, et per consequens multo minus ejus

causalitas consistet in receptione et sustentatione formæ. — 1. *Phys.* l. 10 (9).

Sed contra est, quod materia est subjectum, ex quo fit aliquid, cum insit, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9); sed hoc facit materia, quatenus recipit et sustentat formam substantialem; nam species ejus, ad quod terminatur generatio, resultat ex unione formæ et materiæ, atque adeo ex receptione et sustentatione formæ in materia : ergo causalitas materiæ consistet in receptione et sustentatione formæ. — 1. *Phys.* l 15. (14); *de Pot.* q. 3, a, 8, c.; 5. *Metaphys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod causalitas materiæ respectu formæ substantialis consistit in receptione et sustentatione illius. Cujus ratio est, quia materia prima est essentialiter potentia passiva seu receptiva; sed causalitas potentiæ passivæ vel receptivæ est recipere formam illamque receptam substentare *vel* secundum esse et informationem, quomodo recipit et sustentat formas substantiales materiales; *vel* secundum informationem tantum, quomodo recipit et sustentat animam rationalem : ergo dicendum est, quod causalitas materiæ consistit in receptione et sustentatione formæ. — 5. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod quia formæ substantiales sunt in duplici differentia, — nam *aliæ* sunt materiales, quæ per se subsistunt, et ideo indigent, quod in eo, cui communicantur, sit aliquid aliud, propter quod subsistentiam recipiant, et consequenter ab illo sustententur in esse; *aliæ* vero sunt spirituales, ut animæ rationales, quæ sunt subsistentes in suo esse et non indigent, ut ab eo, cui communicantur, subsistentiam recipiant et in esse simpliciter sustententur, licet requirant, quod sustententur secundum quid, quatenus nimirum sunt formæ hujus vel illius, habentes esse in hoc vel in illo, seu secundum informationem, non autem secundum esse; — propterea causalitas materiæ consistit in absoluta sustentatione, non autem in tali sustentatione. Nam formas materiales sustentat et secundum esse simpliciter, et secundum quod sunt formæ hujus vel illius, habentes esse in hoc vel in illo.

Ad secundum dicendum, quod materia habet quidem causalitatem circa compositum substantiale, cum sit hoc causatum et principiatum ab illa, ut dictum est (in arg.); sed hanc exercet mediante causalitate, quam habet respectu formæ. Nam species seu compositum, respectu cujus materia est pars, resultat ex unione materiæ et formæ seu ex eo, quod materia recipit et sustentat formam; et eatenus materia est in potentia ad compositum et est causa illius, quatenus est in potentia ad formam illamque recipit et sustentat. — *Opusc.* 31.

Ad tertium dicendum, quod licet materia sit causa formæ, non tamen unum principium est ex alio, ut dictum est (supra q. 2, a. 4).

QUÆSTIO IX

DE CAUSA FORMALI.

Deinde considerandum est de forma, quæ cum importet respectum causæ ejus, quod secundum illam formatur, *vel* per modum inhærentiæ, ut contingit in forma intrinseca, quæ simul cum materia constituit compositum; *vel* per modum imitationis, ut contingit in ideis vel exemplaribus, *primo* dicemus de forma intrinseca; *deinde* de extrinseca seu de idea.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum causalitas formæ consistat in informatione materiæ.
2. Utrum forma sit tota quidditas compositi.
3. Utrum forma sit nobilior composito.
4. Utrum forma substantialis sit immediatum principium actionis.

ARTICULUS I

UTRUM CAUSALITAS FORMÆ CONSISTAT IN INFORMATIONE MATERIÆ.

Videtur quod causalitas formæ non consistat in informatione materiæ.

1. *Vel* enim hæc informatio consistit in inhærentia formæ in materia, *vel* in relatione unionis cum materia, *vel* in actione aliqua circa materiam; sed nullum horum potest dici. — Non *primum*, quia quando plures formæ faciunt unum effectum formalem communem, in quo scilicet conveniunt, non possunt talem effectum facere per aliquid proprium illarum : omnes autem formæ substantiales informant materiam, non tamen omnes inhærent materiæ, sed solæ

formæ materiales; nam anima rationalis habet esse subsistens in materia : ergo. — Neque *secundum*, quia omnis relatio realis prædicamentalis fundata in actione consurgit posito fundamento seu actione et termino, ut dictum est (in Logica q. 13, a. 1); sed fundamentum relationis unionis est unitio seu actio unitiva, terminus vero unitionis est unum quid ex materia et forma seu compositum, quod nequit intelligi sine causalitate formæ respectu materiæ et contra, quia per hoc constituitur compositum, quod forma exercet suam causalitatem in materiam, et contra : ergo informatio non consistit in relatione unionis. — Neque etiam *tertium* dici potest, quia forma substantialis non est immediate activa, ut dicetur (infra a. 4) : ergo causalitas formæ non est informatio. — *Tabula Aurea* voce « forma » n. 4, 137, 166; *de Pot.* q. 3, a. 8, c.; 1a, q. 28, a. 1, c.; 3, *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 1, sol. 1.

2. Præterea, forma substantialis, cum sit secundum quam formatur aliquid, sicut anima dicitur forma hominis, et proinde tamquam pars ordinatur ad illud sicut ad finem, habet causalitatem suam circa ipsum compositum, quod formatur per ipsam; sed materia, ut patet, non est ipsum compositum, sed pars illius, ejusque causa : ergo causalitas formæ non consistit in informatione materiæ. — *de Verit.* q. 3, a. 1; *Opusc.* 31; 3. c. *Gent.* c. 20; 1. *Phys.* l. 13 (12).

Sed contra est, quod materia est ens in potentia, et forma est ejus actus; sed causalitas actus consistit in actuatione potentiæ : ergo et causalitas formæ consistit in informatione materiæ. — 7. *Metaphys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod duplex est actus formæ; ***primus***, et est informatio materiæ; et ***secundus***, et est operatio, quæ tribuitur composito. Cum enim compositum constituatur per hoc, quod materia fit actu sub forma vel forma fit in materia; necesse est, quod prius uniatur forma cum materia, quam quod ex tali unione resultet compositum, et per consequens, quod causalitas formæ prius natura exerceatur in ordine ad materiam, quam ad compositum. Eatenus autem intelligitur causalitas formæ respectu materiæ, quatenus per unionem cum illa fit illi forma formaliter communicat; hoc enim est informare materiam. Licet enim forma non agat in materiam, cui est unita, effective, quia nulla forma agit effective in subjectum, in quo est, ut patet in forma accidentali respectu subjecti, agit tamen formaliter, sicut et forma accidentalis, et sic exercet causalitatem in materiam, cum sit ejus actus, ut dictum est (in arg. *Sed contra*). Agere autem formaliter nihil est aliud, quam seipsam actu communicare, formando et actuando materiam, quæ fit actu sub ipsa; hoc autem est informare materiam. — *de Verit.* q. 27, a. 3, ad 25; 7. *Metaphys.* l. 2 et 7; *Tabula Aurea* voce « agens » n. 27 et voce « accidens » n. 61.

Ad primum ergo dicendum, quod quia forma, sicut et materia, est pars essentiæ rei ad differentiam efficientis et finis, quæ sunt causæ extrinsecæ, non exercet suam causalitatem per aliquid medium, sicut illam exercet efficiens per actionem, sed per seipsam; et ideo informatio in forma neque est actio, neque relatio neque inhærentia, sed est ipsamet entitas formæ per modum actus secundi considerata, sicut similiter causalitas materiæ ob eandem rationem est ipsa entitas materiæ per modum actus secundi. — 2. *Phys.* l. 5; 1a, q. 76, a. 7, c.; 2. *c. Gent.* c. 8.

Ad secundum dicendum, quod quia ex unione formæ cum materia resultat species, ideo forma causalitatem exercet respectu compositi per causalitatem, quam habet respectu materiæ; forma enim ut communicata materiæ est causa formalis in actu compositi. Ut enim inquit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 27; l. 6, c. 8), facere compositum est facere formam in materia vel materiam actu sub forma; sicut similiter eatenus materia est in potentia ad compositum et exercet causalitatem in illud, quatenus est in potentia ad formam et exercet suam causalitatem in illam. — *Opusc.* 30, c. 5 *Opusc.* 31; v. Capreolum in 3. *Sent.* dist. 5, q. 2 ad 3; 7. *Metaphys.* l. 7; *de Pot.* q. 3, a. 8, c.

ARTICULUS II

UTRUM FORMA SIT TOTA QUIDDITAS ET ESSENTIA COMPOSITI SUBSTANTIALIS.

Videtur quod forma substantialis sit tota quidditas et essentia compositi substantialis.

1. Dicit enim Philosophus (in *Prædicamentis* c. 6, al. 5 et 7. *Metaphys. text.* 48 et 50; l. 6, c. 13), quod species significat quale quid et non hoc aliquid; sed si species et consequenter quidditas significaret totum compositum ex materia et forma, significaret

hoc aliquid; nam vere compositum est hoc aliquid, ad differentiam universalis, quod significat quale quid : ergo quidditas et natura specifica non includit materiam, sed solam formam. — V. in Logica q. 3, a. 1, arg. 5.

2. Præterea, in his, quæ sunt composita ex materia et forma, differt suppositum a natura et quidditate, quia suppositum super hanc addit materiam individualem; sed præter materiam individualem nihil est aliud substantiale quam forma : ergo forma substantialis est tota quidditas et natura specifica. — *Quodl.* 2, a. 4, arg. 1.

3. Præterea, materia est principium individuationis et per consequens incommunicabilitatis, ut dicitur 7. *Metaphys. text.* 34; l. 6, c. 10; sed quidditas seu natura specifica est communicabilis pluribus : ergo natura specifica seu quidditas compositi solam formam includit. — *Opusc.* 30, c. 1 et 2; 7. *Metaphys.* l. 9; 8. *Metaphys.* l. 3; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 19 et 23.

4. Præterea, tam late patet essentia, quam esse, quod est actus illius; sed esse provenit a sola forma tamquam a principio : ergo et essentia erit a sola forma. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

5. Præterea, natura compositi substantialis, puta hominis, leonis, dicitur forma; sed non ita diceretur, nisi forma esset tota natura et quidditas et essentia compositi substantialis : ergo. — 3. *Sent.* dist. 5, in exposit. textus.

6. Præterea, anima rationalis est forma substantialis hominis; sed anima rationalis est homo atque adeo tota quidditas et essentia hominis, *tum* quia est hoc aliquid et substantia quædam non universalis, sed particularis; *tum* quia ratione animæ rationalis Petrus v. g. est persona et homo; propter quod autem aliquid est tale, illud est magis tale; *tum* quia anima rationalis ab angelo, qui est sua quidditas et natura, tantum differt per unibilitatem, unibilitas autem non impedit rationem personæ. Nam id, quod potest fieri per divinam virtutem, non immutat aliquid de ratione rei; sicut quod Deus possit assumere Petrum, non aufert Petro rationem personæ; anima autem separata non unitur corpori nisi per resurrectionem, quæ non erit naturalis, sed per divinam virtutem : non ergo anima per unibilitatem rationem personæ et hominis amittit, et sic anima rationalis erit homo. — 1a, q. 75, a. 4; 3. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 21; l. 6, c. 6) dicit, quod in his, quæ sunt per se, cujusmodi sunt substantiæ compositæ ex materia et forma, unum et idem est unumquodque et quodquid erat esse ejus : ergo quidditas compositi substantialis includit materiam et formam. — 7. *Metaphys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod circa substantia compositæ definitionem et essentiam seu naturam specificam et quidditatem, (hæc enim omnia idem significant,) duplex est opinio. *Quidam enim dicunt*, quod tota quidditas et essentia speciei et compositi substantialis est forma, ita ut tota essentia hominis sit anima; et propter hoc dicunt, quod eadem est secundum rem forma totius, quæ significatur nomine humanitatis et forma partis, quæ significatur nomine animæ, sed differunt solum secundum rationem. Nam forma partis dicitur, secundum quod perficit materiam et facit eam esse in actu; forma autem totius, secundum quod totum compositum per eam in specie collocatur, et ex hoc volunt quod nullæ partes materiæ ponantur in definitione indicante speciem, sed solum principia formalia speciei. Et hæc opinio videtur Averroi et quorundam sequentium illum; sed est contra intentionem Aristotelis et non videtur vera. Dicit enim Philosophus (6. *Metaphys. text.* 2 l. 5, c. 1), quod res naturales habent in sua definitione materiam sensibilem, et in hoc differunt a mathematicis; non autem potest dici quod substantiæ definiantur per id, quod non sit de essentia earum; substantiæ enim non habent definitionem ex additione, sed sola accidentia. Unde relinquitur, quod materia sensibilis sit pars quidditatis et essentiæ substantiarum naturalium non solum quantum ad individua sed etiam quantum ad species ipsas; definitiones enim non dantur de individuis, sed de speciebus — 7. *Metaphys.* l. 9.

Unde est *alia opinio*, quam sequitur Avicenna, et secundum hanc forma totius, quæ est ipsa quidditas speciei, differt a forma partis, sicut totum a parte; nam quidditas speciei est composita ex materia et forma, non tamen ex hac forma et ex hac materia individuali; ex his enim componitur individuum ut Socrates et Callias. Et hæc est sententia Aristotelis (7. *Metaphys. text.* 21; l. 6, c. 6 et 8. *Metaphys. text.* 7; l. 7, c. 3), quæ confirmari sic potest. Quod enim *materia sola* non sit essentia et quidditas tota substantiæ naturalis, planum est, qui

res per suam essentiam cognoscibilis est et in specie ordinatur vel in genere; sed materia neque cognitionis principium est, nec secundum eam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur, sed secundum id, quo aliquid actu est. Neque etiam *forma tantum* est tota essentia substantiæ compositæ, quia esse substantiæ compositæ non est tantum formæ nec tantum materiæ, sed ipsius compositi; essentia autem est, secundum quam res esse dicitur. Unde oportet, quod essentia et quidditas, qua res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed utrumque, quamvis hujusmodi esse suo modo sola forma sit causa. Relinquitur ergo, quod in rebus compositis ex materia et forma essentia, quidditas et natura non sit sola forma, sed et materia seu compositum ex utraque. — *Ibid.*; *Opusc.* 30, c. 2; 8. *Metaphys.* l. 3; *Quodl.* 2, a. 4; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 2; 1a, q. 29, a. 2, ad 3 et q. 75, a. 4; *de Pot.* q. 9, a. 1, ad 6; 3. *Sent.* dist. 6, in divis. textus et dist. 5, q. 3, a. 2; 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod species duobus modis sumi potest: *uno modo* pro natura, cui intellectus attribuit intentionem universalitatis, quo modo est quidditas et essentia rei compositæ; et hoc modo significat substantiam rei et prædicatur in quid et non in quale. *Alio modo* pro natura, ut subest intentioni universalitatis; et hoc modo significat quale quid, quia qualitatem seu uniformitatem rationis, per quam fit formaliter universalis, circa substantiam, quæ est proprie quid, determinat. — *Opusc.* 30, c. 2; v. in Logica q. 3, a. 1, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod in substantiis compositis quidditas seu natura speciei non est tantum forma, sed est compositum ex materia et forma; et in his suppositum differt a natura, quod suppositum supra naturam specificam et quidditatem addit individuationem et esse et consequenter subsistere, quod est proprium existere substantiæ. — II. cit. in c., præsertim 1a, q. 9, a. 2, ad 3 et *Opusc.* 30, c. 2.

Ad tertium dicendum, quod principium individuationis non est materia in communi, quæ est pars quidditatis et essentiæ substantiæ compositæ, sed est materia signata, quæ est extra quidditatem et definitionem substantiæ compositæ. — *Opusc.* 30, c. 2; 7. *Metaphys.* l. 9; 8. *Metaphys.* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod si aliquid consequitur aliqua plura convenientia ad invicem, non potest denominari aliquid secundum alterum illorum, quamvis etiam illud sit principium totius, sed per totum. Verbi gratia sapor consequitur calidum et humidum, prout aliquo modo conveniunt, et quamvis calor sit principium saporis sicut effectivum, non tamen aliquid denominatur sapidum a calore, sed a sapore, qui complectitur simul humidum et calidum aliquo modo convenientia. Similiter dico, quod cum esse consequatur compositionem materiæ et formæ, quamvis forma sit principium esse, non tamen denominatur aliquid ens a forma, sed a toto; et ideo essentia non dicit formam tantum, sed in compositis ex materia et forma dicit totum, et hoc etiam dicitur quidditas et natura rei. — 1. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 1, c.

Ad quintum dicendum, quod natura humana dicitur forma, non quia comprehendat principia solum formalia (comprehendit enim formam et materiam), sed per modum, quo quidditas compositi dicitur forma totius. — 3. *Sent.* dist. 5, in exposit. textus.

Ad sextum dicendum, quod anima rationalis neque est homo neque persona. Neque obstant in contrarium probationes allatæ; nam *primo* anima rationalis dicitur hoc aliquid per modum, quo esse subsistens est hoc aliquid, etiam si habeat naturam partis; sed ad rationem personæ exigitur ulterius, quod sit totum et completum. *Præterea*, licet anima rationalis dicatur substantia particularis, non tamen est persona, quia non quælibet substantia particularis est persona, sed quæ habet completam naturam speciei. Unde manus vel pes non potest dici persona, et similiter nec anima, cum sit pars speciei humanæ, cum hæc, sicut et persona, ex anima rationali et corpore subsistat. *Demum*, quia quamvis unio animæ separatæ ad carnem non possit fieri nisi per virtutem supernaturalem, tamen in ea est naturalis aptitudo ad hoc; et quod non possit unio compleri per virtutem naturalem, est ex defectu corporis, non ex defectu animæ. — 3. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 2; 1a, q. 75, a. 4.

ARTICULUS III

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS SIT NOBILIOR COMPOSITO.

Videtur quod forma substantialis sit nobilior et perfectior composito.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3), quod si forma est prior et magis

ens quam materia, et eadem ratione erit quam compositum ex utrisque; ergo forma est perfectior et nobilior composito. — 7. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2), quod propter quod unumquodque est tale, ipsum magis est tale; sed propter formam compositum habet suam nobilitatem et perfectionem; nam est in actu et habet esse et speciem : ergo forma est nobilior composito. — 1. *Poster.* l. 6 (5); *Opusc.* 30, c. 1 et 2; 7. *Metaphys.* l. 2.

3. Præterea, simplicia sunt perfectiora compositis; nam omne, quod est melius, tribuendum est Deo; ipsi autem tribuitur, quod sit simplex, omni compositione carens; sed forma substantialis etiam materialis est simplex, cum non componatur ex quo est et quod est : ergo forma est perfectior quam compositum substantiale. — 1a, q. 3, a. 7, arg. 2; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 18.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 8; l. 6, c. 3) dicit, quod compositum est magis substantia quam forma, et hæc quam materia, quia solum compositum est separabile et hoc aliquid, quæ duo maxime conveniunt substantiæ; sed illud est perfectius, quod est magis substantia : ergo compositum est nobilius et perfectius quam forma. — 7. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, forma substantialis est propter compositum, ut dictum est (supra a. 1, arg. 2), tamquam propter finem, cum sit illius pars, quæ est propter totum tamquam finem; sed in per se ordinatis ad finem, finis est nobilior et perfectior ordinatis ad finem : ergo compositum est nobilius et perfectius quam forma substantialis. — 2a 2æ, q. 152, a. 5, c.

Respondeo dicendum, quod compositum simpliciter est nobilius et perfectius forma substantiali. Et ratio est, quia perfectio bonitatis creatæ in pluribus invenitur; invenitur enim in utraque parte compositi (1a, q. 3, a. 7, ad 2; 3. c. *Gent.* c. 20). Et in *forma* quidem manifestum est; in *materia* vero probatur, quia cum sit a Deo causata, necesse est, quod aliquo modo sit ejus idea in Deo et per consequens, quod similitudinem ipsius utcunque recipiat. Quamvis enim secundum se considerata sit informis, inest tamen illi imitatio primæ formæ; nam præter esse perfectum et completum, quod habet in composito, habet in se proprium esse, licet debile et imperfectum, quod est imitatio primi entis et aliqua bonitas et perfectio. Nam eatenus aliquid bonum est et perfectum, quatenus habet esse; nam ipsum esse habet rationem boni; et ex triplici perfectione, quæ in qualibet re invenitur : secundum essentiam, secundum esse et secundum operationem, duæ priores materiæ conveniunt. Nam et est partialis quædam essentia, cum sit pars essentiæ totius compositi et definiri possit per genus et differentiam, quæ essentiam rei constituunt, et per immediatam productionem, per creationem scilicet habuit esse a Deo. — *de Verit.* q. 3, a. 5, c. et ad 1; 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1, c. et a. 3, ad 2; *Tabula Aurea* voce « bonitas » n. 77 et 79, voce « perfectio » n. 16 et « materia » n. 9 et 10; 1. *Sent.* dist. 19, q. 3, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 15, q. 3, a. 1, c.; 1a, q. 6, a. 3, c.

Unde manifestum est, quod compositum simpliciter est perfectius et nobilius quam forma substantialis; est tamen hæc secundum quid perfectior composito, *tum* quia est causa illius, omnis autem causa est potior suo effectu (nam effectus ut sic dependet a causa, non contra) ; *tum* quia in forma, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3), non est materia, est autem in composito; et ideo ratione illius compositum est posterius et minus nobile quam forma. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 87, 94, 99; 7. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi est, quod quia forma est prior natura, quia materia non fit ens actu nisi per formam, ob eandem rationem forma est prior composito ex utrisque, in quantum est in composito aliquid de materia. — 7. *Metaphys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod compositum non habet totam quidditatem et essentiam a forma, sed partim ab illa, partim a materia, ut dictum est (a. 2 in c.) ; et ideo non est necesse ponere, quod sit forma simpliciter perfectior composito, sed tantum secundum quid, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod apud nos composita sunt perfectiora simplicibus, secus vero in Deo; et ratio est, quia ut dictum est, perfectio bonitatis creatæ non invenitur in uno simplici, sed in pluribus; sed perfectio divinæ bonitatis invenitur in uno simplici. — 1a, q. 3, a. 7, ad 2; 3. *c. Gent.* c. 20.

ARTICULUS IV

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS SIT IMMEDIATUM PRINCIPIUM ACTIONIS.

Videtur quod forma substantialis sit immediatum principium actionis.

1. Philosophus enim (2. *de Generat. text.* 54 et 55; c. 9) reprehendit eos, qui efficientiam formarum substantialium negabant asserentes, eam solum præstari per accidentia tamquam per instrumenta, his verbis : amplius autem et potentias corporibus attribuunt, propter quas generant admodum instrumentaliter, auferentes eam, quæ secundum speciem causam; ergo forma substantialis est immediatum principium actionis. — 2. *de Generat.* l. 9.

2. Præterea, idem est principium essendi et operandi; sed forma substantialis est immediatum principium essendi, quia secundum suam essentiam est forma, et quia inter materiam primam et formam substantialem, quæ est ejus actus, nihil est medium : ergo et erit immediatum principium operandi. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 10.

3. Præterea, materia prima est sua potentia; sed forma substantialis est nobilior quam materia; hæc enim est propter formam tamquam propter finem : ergo forma substantialis est sua potentia. — 1a, q. 77, a. 1, arg. 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 12.

4. Præterea, forma substantialis est simplicior et virtuosior quam forma accidentalis. Cum enim agere sequatur ad esse in actu, potentior erit ad agendum actus perfectior quam imperfectior: perfectior autem actus est forma substantialis quam accidentalis; sed hæc est sua virtus et per consequens est immediatum principium actionis: ergo et illa erit sua virtus et potentia, et sic erit immediatum principium actionis, non quidem illius, qua disponitur materia, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales, sed ejus, qua forma substantialis introducitur in materiam. — 3. c. *Gent.* c. 69, n. 9; 1a, l. c., arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 9.

5. Præterea, nihil agit ultra suam speciem, quia effectus non potest esse nobilior causa; sed forma substantialis est nobilior accidentali : ergo forma accidentalis non potest esse principium actionis, qua producitur substantia, sed hoc erit forma substantialis. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, quæstiunc. 2, arg. 2; *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 13; 1a, q. 45, a. 8, arg. 2 et q. 67, a. 3, arg. 3 et q. 115, a. 1, arg. 2; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, arg. 5 et dist. 18, q. 2, a. 3, ad 2.

6. Præterea, diversorum actuum sunt diversæ potentiæ; sed forma substantialis et accidentalis sunt diversi actus : ergo sicut accidens est principium producendi accidens, ita forma substantialis erit principium introducendi formam substantialem. — 1a, q. 54, a. 3, c. et q. 77, a. 3, c.; *de Spirit. Creat.* a. 11, c.

7. Præterea, omne generans debet esse simile generato; sed omne, quod simpliciter generatur, est substantia : ergo principium immediatum producendi substantiam debet esse substantia : hoc autem est forma substantialis, non autem accidentalis; nam hæc est accidens : ergo forma substantialis est immediatum principium actionis. — 4. *Sent.* dist. 12, q, 1, a. 2, quæstiunc. 2, arg. 1.

8. Præterea, subjectum est causa efficiens suarum passionum et potentiarum, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2); ergo forma substantialis, quæ constituit subjectum in suo esse substantiali, erit principium immediatum actionis.

9. Præterea, aqua calida semoto igne se restituit suæ pristinæ frigiditati; sed talis actionis immediatum principium nullum aliud est præter formam substantialem aquæ : ergo forma substantialis est immediatum principium actionis. — 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 2, sol. 2.

Sed contra est: 1. Quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 4, a. 2) dicit, quod ignis ut ignis et terra ut terra nihil agere aut pati nata sunt, neque aliud quippiam, sed quatenus illis inest contrarietas, eatenus omnia agunt et patiuntur; contrarietas autem tantum est inter accidentia, quia substantiæ nihil est contrarium : ergo forma substantialis non est immediatum principium actionis. — *de Sensu et Sensibili* l. 10.

2. Præterea, semen decisum a generante est instrumentum separatum animalis, cujus virtute producit substantiam sibi similem, ubi non est animal ipsum per se præsens, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 10; c. 1); et calor naturalis est instrumentum animæ nutritivæ ad producendum carnem, ut dicit Philosophus, (*ibid. text.* 41; c. 4); sed virtus seminalis et calor naturalis sunt accidentia : ergo accidens est immediatum principium actionis, non autem forma substantialis. — 7. *Metaphys.* l. 8; 4.

Sent. dist. 12, q. 1, a. 2, quæstiunc. 2, arg. 1 et 2.

3. Prætere , lux solis generat ignem et animalia, ut sensu patet; non enim potest *ignem* generare sol per suam formam substantialem, quia, ut docet Philosophus (7. *Phys. text.* 10 et 11; c. 2, et 1. de *Generat. text.* 44 et 45; c. 6), approximatio agentis ad passum et contactus ejus omnino necessarius est ad agendum; neque *viventia* tum ob eandem rationem, tum quia cœlum est inanimatum; nullum autem inanimatum potest esse causa productiva viventis. Neque enim esse potest causa illorum univoca, cum corruptibile et incorruptibile differant genere, ut sæpe dictum est ex Philosopho; neque æquivoca, quia causa æquivoca est nobilior effectu; at nullum inanimatum est nobilius animato : ergo dicendum est, quod immediatum principium actionis productivæ non est forma substantialis, sed accidentalis. — 1a, q. 67, a. 3, ad 3; 2. *Sent.* dist. 13, a. 3, ad 7; 2. *de Cœlo* l. 10; 7. *Phys.* l. 3 et 4; 1. *de Generat.* l. 18.

4. Præterea, sicut se habet posse ad esse, ita se habet potentia ad essentiam; sed in nulla re creata verum est dicere, quod suum esse est suum posse : ergo in nulla re creata sua essentia est sua potentia, et ita nec in forma substantiali. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

5. Præterea, omne agens, quod agit per essentiam suam, est agens primum, ut dicit Avicenna (*de Intelligentia* c. 1). Cujus ratio est, quia omne secundum agens agit, in quantum participat aliquid, et ita agit per aliquid additum essentiæ; sed forma substantialis non est gens primum : ergo non est agens per suam essentiam, sed per suam potentiam : ergo sua potentia non est sua essentia. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod forma substantialis est quidem primum principium actionis, quia est natura, ut inquit Philosophus (2. *Phys. text.* 2 et 3; c. 1), quæ est primum principium motus et quietis; et quia quælibet res secundum illud sortitur speciem, quod est propriæ operationis principium primum; sortitur autem unumquodque speciem per propriam formam substantialem, quare hæc debet esse primum principium operationis; — non tamen est proximum et immediatum principium illius, sed hoc est forma accidentalis. — *de Malo* q. 4, a. 4, ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.; 1a, q. 77, a. 1, c.

Quod multipliciter potest apparere, et *primo* quidem, quia forma, in quantum est forma, non dicit causam activam; nam actio est ut in exeundo ab agente; sed forma, in quantum hujusmodi, habet esse in perficiendo illud, in quo est, et quiescendo in ipso; et ideo forma non est principium agendi nisi mediante virtute. Et in quibusdam quidem ipsa forma est virtus, sed non secundum rationem formæ; in quibusdam autem virtus est aliud a forma substantiali rei, sicut videmus in omnibus corporalibus, a quibus non progrediuntur actiones nisi mediantibus aliquibus suis qualitatibus. (*de Verit.* q. 2, a. 14, c.) — *Secundo*, quia secundum diversitatem actuum oportet esse diversitatem propriarum potentiarum, quia unusquisque actus proprius respondet propriæ potentiæ; operatio autem et esse in qualibet creatura sunt actus omnino diversi, ita ut nullius creaturæ esse sit sua operatio: ergo et forma substantialis et potentia operativa, quæ sunt propriæ potentiæ illorum actuum, erunt plane diversæ. — 1a, q. 54, a. 3, c.; *de Spirit. Creat.* a. 11, c.

Tertio, quia unumquodque agit, secundum quod est actu illud, quod agit; ignis enim non calefacit, in quantum est lucidus actu, sed in quantum est actu calidus; et exinde est, quod omne agens agit sibi simile. Unde oportet, quod ex eo, quod agit, consideretur principium, quo agit; oportet enim utrumque esse conforme; unde in 2. *Phys.* (*text.* 70; c. 7) dicitur, quod forma et generans sunt idem specie. Cum ergo id, quod agitur, non pertineat ad esse substantiale rei, impossibile est, quod principium, quo agit, sit aliquid de essentia rei. — Et hoc manifeste apparet in agentibus naturalibus. Quia enim agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam — quod quidem fit, secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis — necesse est, quod ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis correspondens dispositioni materiæ; oportet tamen, ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis quasi instrumentum ejus; alias non induceret agendo formam substantialem. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionum nisi qualitates activæ et passivæ, quæ tamen agunt in virtute formarum substantialium; et propter hoc earum actio non

solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales; nam et in artificialibus actio instrumenti terminatur ad formam intentam ab artifice. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.

Similiter et potentiæ animæ, quia non dicuntur directe per respectum ad aliquid substantiale, sed ad aliquid accidentale, non sunt substantiæ, sed accidentia. Intelligens enim et sentiens actu non est esse substantiale, sed accidentale, ad quod ordinatur intellectus et sensus; et similiter esse magnum vel parvum, ad quod ordinatur vis augmentativa. Generativa vero potentia et nutritiva ordinantur quidem ad substantiam producendam vel conservandam, sed per transmutationem materiæ. Unde talis actio, sicut et aliorum agentium naturalium, fit a substantia mediante principio accidentali, et per consequens nulla forma substantialis est immediatum principium actionis, sed illam operatur mediante proprio accidente, atque adeo mediante qualitate, quæ, licet sit activa, non tamen agit solum in virtute propria producendo scilicet accidens, sed etiam in virtute formæ substantialis, cujus est instrumentum. Et ideo ejus actio non solum terminatur ad formam accidentalem, sed etiam ad substantialem, propter quod generatio est terminus alterationis; hujusmodi autem virtutem instrumentalem recipit qualitas eo ipso, quod a principiis essentialibus formæ substantialis causatur. Quando vero agens directe et immediate sua actione producit substantiam, sicut est Deus, qui creando producit rerum substantias, hujusmodi agens agit per suam essentiam, et sic non est in eo aliud virtus vel potentia activa et ejus essentia. — *Ibid.*; 4. *Sent.* dist, 12, q. 1, a. 2, sol. 2; 7. *Metaphys.* l. 8.

Confirmari potest hæc ratio ex divisione entis in actum et potentiam. Cum enim hæc dividant ens et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur actus et potentia, et ideo si actus non est in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum tamquam immediatum principium illius, non potest esse in genere substantiæ; operatio autem cujuslibet agentis creati non est in genere substantiæ, sed hoc est in solo Deo; quare et in illo solo substantia erit immediatum principium actionis, non autem in ullo agente creato. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, c.; 1a, q. 77, a. 1, c.

Ad primum dicendum, quod Philosophus loco citato non reprehendit asserentes, efficientiam solum præstari per accidentia et negantes illam formis substantialibus, sed reprehendit eos, qui negabant genus causæ formalis et efficientiam tribuebant causæ materiali mediantibus accidentibus, ut patet ex contextu. — 2. *de Generat.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod forma substantialis est etiam principium operandi, sed mediante virtute; est enim principium primum, sed non proximum. Operantur enim qualitates propriæ formarum substantialium virtute illarum, sicut et qualitates elementorum in virtute formarum substantialium ipsorum elementorum; est autem forma substantialis immediatum principium essendi, quia esse non est accidens. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 10.

Ad tertium dicendum, quod actus, ad quem est in potentia materia prima, est substantialis forma; et ideo potentia materiæ non est aliud quam ejus essentia. — 1a, q. 77, a. 1, ad 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 12.

Ad quartum dicendum, quod actio est compositi sicut et esse; existentis enim est agere. Compositum autem per formam substantialem habet esse substantialiter; per virtutem autem, quæ consequitur formam substantialem, operatur; unde sic se habet forma accidentalis activa ad formam substantialem agentis ut calor ad formam ignis, et sicut se habet potentia animæ ad animam. — 1a, q. 77, a. 1, ad 3.

Vel dic, quod introductio formæ substantialis fit a qualitatibus activis agentibus instrumentaliter in virtute formæ substantialis. Nam illæ sicut causantur a forma substantiali, quæ simul cum materia est ratio propriorum accidentium, ita agunt ad introductionem formæ substantialis in virtute illius. Quod autem agit in virtute alterius, producit effectum similem non sibi tantum, sed magis ei, in cujus virtute agit, et causa actionis magis est id, cujus virtute agitur, quam illud, quod agit; sicut principale agens magis agit quam instrumentum.

Ad quintum dicendum, quod propria virtute nihil agit ultra suam speciem; sed virtute alterius, cujus est instrumentum, potest agere ultra suam speciem. Sic enim serra agit ad formam scamni, et calor naturalis, in quantum est instrumentum animæ, agit ad generationem carnis, et quæcunque forma accidentalis ut instrumentum formæ substantialis agit ad productionem formæ substantialis. Ad accidens

autem agit propria virtute; non enim est contra rationem accidentis, quod excedat suum subjectum in agendo, sed quod excedat in essendo; nisi forsan quis imaginetur, idem accidens numero defluere ab agente in patiens, sicut ponebat Democritus, fieri actionem per defluxum atomorum. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 2; 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, ad 3 et dist. 1, q. 1, a. 4, ad 5; 1a, q. 67, a. 3, ad 3 et q. 115, a. 1, ad 5.

Unde ex actione qualitatum elementarium atque adeo accidentium dupliciter sequitur aliquid : *uno modo* ex ipsis secundum se, et sic ex actione illarum nulla forma substantialis sequitur, quia alioqui sequeretur, quod formæ substantiales ex necessitate inducerentur, ut Empedocles dixit; sed tantum sequitur forma accidentalis ut sapor, odor, durum, molle et aliæ similes qualitates. Sic enim calor propria virtute producit calorem, et sic de reliquis. *Alio* autem *modo* sequitur aliquid ex eis sicut ex instrumentis, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 40 et 41; c. 4), quod ignis in motu augmenti est sicut instrumentum regulatum, sed principaliter agens et regulans est virtus animæ dirigens in determinatam quantitatem. Et similiter ex actionibus qualitatum activarum consequitur anima et forma quælibet substantialis, secundum quod in eis ut instrumentis manet virtus animæ vel alterius formæ substantialis et ipsius cœli. Et ideo non oportet, cum non agant in virtute sua tantum, quod ex actionibus earum nihil sequatur ultra earum speciem, quia ex motu instrumenti sequitur effectus secundum rationem principalis agentis. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, ad 2; 1a, q. 115, a. 1, ad 5; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 2; 7. *Metaphys.* l, 8; *Quæst. disp. de Anima* a. 12; v. respons. ad superiora argum.

Ad sextum dicendum, quod quia forma accidentalis et substantialis sunt subordinatæ, (unde per eundem motum acquiruntur; generatio enim est terminus alterationis, per quam acquiritur forma accidentalis) propterea per idem principium proximum producuntur; sed forma accidentalis in virtute propria illius, forma vero substantialis in virtute alterius, ut dictum est. — 1a, q. 115, a. 1, ad 5.

Ad septimum dicendum, quod generatum non debet assimilari instrumento, sed principali agenti, ut dicit Commentator (12. *Metaphys. text.* 13), quia instrumentum non agit virtute sua, sed alterius, et illi assimilat, non sibi; forma vero accidentalis, quæ est immediatum principium omnis actionis, agit ut instrumentum substantiæ atque adeo in virtute illius. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 1.

Ad octavum dicendum, quod quia forma accidentalis agit in virtute formæ substantialis, necesse est ad hoc, ut ei competat vis agendi ex virtute illius, ut ab illa immediate derivetur; nam hanc virtutem instrumentalem recipit eo ipso, quod a principiis essentialibus formæ substantialis causatur. — Verum quia talis virtus non causatur a forma substantiali per actionem propriam, sed per improp iam, quæ dicitur naturalis consequentia vel resultantia (actio enim proprie dicta est conjuncta cum transmutatione, et cum sit actualitas virtutis, supponit formam substantialem, per quam res constituitur in esse substantiali, et virtutem agendi, quæ non competit formæ substantiali secundum suam essentiam ut sic, ut dictum est); — propterea forma substantialis non dicitur esse immediatum principium actionis absolute sumptæ, quando ex illa resultat forma accidentalis, quæ est ejus passio; nam cum hæc nata sit simul esse cum illa, advenit illi sine ejus transmutatione. — *de Sensu et Sensibili* l. 10; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 2; 1a, q. 77, a. 6, ad 3 et a. 7, ad 1 et a. 1, c. et q. 54, a. 1, c. et q. 5, a. 4, c.

Ad nonum dicendum, quod reductio aquæ ad pristinam frigiditatem non est per aliquam transmutationem, sed per naturalem quandam resultantiam, sicut ex uno naturaliter resultat aliud, ut ex luce color. Unde sicut frigus, quando primo cœpit esse, fluxit ex essentia aquæ, cum qua simul esse natum est tamquam effectus talis formæ substantialis, ita quando secundo recipit esse, denuo idem specie refluit ex forma; sicut si color, qui fluxit ex luce, corrumperetur, iterum ex illo flueret; et ita aqua vi suæ speciei recuperat suam frigiditatem per violentam actionem ignis amissam. Sicut similiter, quia anima secundum suam essentiam est origo suarum potentiarum, et forma substantialis est origo suarum proprietatum, si anima vel forma substantialis a suo composito per divinam potentiam separaretur, in illa separata maneret efficacia iterum influendi potentias sensitivas vel proprietates toti composito, si iterum illi uniretur, quia hæc efficacia non est quid superadditum essentiæ animæ vel formæ substantiali; nam utraque est secundum suam essentiam origo suarum potentiarum et proprietatum. — 1a, q. 77, a. 6, ad 3 et a. 7, ad 1; 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 2,

sol. 2 et dist. 44, q. 3, a. 3, sol. 1; v. infra 2am 2æ, q. 45, a. 6, ad 3.

QUÆSTIO X

DE CAUSA EXEMPLARI SEU DE IDEA.

Deinde considerandum est de causa exemplari seu de idea.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum necesse sit ponere ideam.
2. Utrum recte definiatur idea, quod sit forma extra rem, quam effectus imitatur, ex intentione agentis determinantis sibi finem.
3. Utrum idea sit terminus intrinsecus cognitionis practicæ seu verbum practicum, an vero sit res ipsa facienda ut ab intellectu cognita.
4. Utrum idea reducatur ad causam formalem vel finalem vel ad causam efficientem.

ARTICULUS I

UTRUM NECESSE SIT PONERE IDEAS.

Videtur quod non sit necessarium ponere ideas.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Metaphys. text.* 32; c. 9), quod dicere exemplaria esse vaniloquium est et poeticas metaphoras dicere; sed ideas exemplaria dicimus : ergo vanum est ponere ideas. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, perfectius est agens, quod non eget in sua actione ad exemplar respicere, quam quod exemplari indiget; sed agens intellectuale est inter omni agentia perfectissimum : ergo non est illi opus ideis, ad quas respiciat, ut ibidem subdit Philosophus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, perfectius est scire res per suam essentiam quam per suam similitudinem; sed agens intellectuale perfecte cognoscit res : ergo scit eas per essentiam et non per ideas, et proinde non sunt hæ necessariæ. — *Ibid.* arg. 3; *de Verit.* q. 3, a. 1, arg. 1.

4. Præterea, si idea est necessaria, maxime ut sit principium cognoscendi et operandi; sed nullum agens artificiale indiget idea tamquam principio cognoscendi et faciendi opus artificiatum. Non quidem agens *increatum, tum quia* essentia divina est illi sufficiens principium cognoscendi et operandi omnia; *tum quia* Deus eodem modo cognoscit se et alia; alioqui ejus scientia multiplex esset et divisibilis; seipsum autem non cognoscit per ideam; quare nec alia cognoscet per ideam. Neque agens artificiale *creatum, tum quia* principium factivum operis artificiati est, inquit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7), prima substantia; *tum quia* ars est sufficiens principium productivum operis artificiati, ut docet Philosophus (5. *Metaphys. text.* 2; l 4, c. 2. et 7. *Metaphys.* l. c.) : ergo non est necesse ponere ideas. — *de Verit.* l. c., arg. 8 et 11; 1a, q. 15, a. 1, arg. 3; 7. *Metaphys.* l. 6; 5. *Metaphys.* l. 2.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 7. *Metaphys.* l. c. dicit, in artificialibus domum externam fieri a domo in anima et similiter sanitatem ad extra a sanitate, quæ est forma in anima, sed hæc domus vel sanitas, quæ est forma in anima, nihil aliud est quam idea. — 7. *Metaphys.* l. 6; 1a, q. 15, a. 1, c.

2. Præterea, dicit D. Augustinus (*Libro LXXXIII Quæstionum* q. 46; Migne PP. L. t. 40 c. 29 et 30), quod qui negat ideas esse, negat in divinis Filium esse, quod est hæreticum; et ibidem dicit, quod tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. — 1a, q. 15, a. 1, *Sed contra;* 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, omne agens per intellectum habet rationem sui operis apud se, nisi ignoret, quid agat; sed datur agens intellectuale tam creatum quam increatum non ignorans, quid agat : ergo necesse est in utroque agente dari ideas. — *de Verit.* q. 3, a. 1, arg. 2 *Sed contra.*

4. Præterea, in omni productione sive naturali sive artificiali effectus determinatam formam consequitur; sed hæc determinatio in productione artificiali oritur ab exemplari vel idea. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum : ergo necesse est in agente intellectuali creato dari ideas; ergo et in increato, quia cum ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequantur, oportet, quod hæc formarum determinatio reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit, et per consequens, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quæ ideæ nuncupantur. — 1a, q. 44, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere in mente intellectualis agentis tam creati quam increati ideas. Idea enim græce, latine forma dicitur; unde per ideas intelliguntur formæ aliarum rerum, præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens ad duo esse potest: *vel* ut sit exemplar ejus, cujus dicitur forma; *vel* ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. Et quantum ad utrumque necesse est ponere ideas, quod sic patet. In omnibus enim, quæ non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cujuscumque; agens autem non ageret propter formam, nisi in quantum similitudo formæ esset in ipso. Quod quidem contingit dupliciter: in quibusdam enim agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in his, quæ agunt per naturam; sicut homo generat hominem, et ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in iis, quæ agunt per intellectum; sicut similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, et hæc potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formæ, quam mente concepit. Quia ergo plurimi sunt effectus, qui non sunt a casu facti, sed sunt facti ab agente intellectuali creato, et similiter quia mundus non est casu factus a Deo per intellectum agente, necesse est, quod in mente utriusque agentis intellectualis, increati scilicet et creati, sit forma, ad similitudinem cujus utrumque agens suum effectum operetur, quam formam appellamus ideam. — 1a, q. 15, a. 1, c.

Hoc tamen interest inter formam exemplarem existentem in mente divina et in mente artificis creati, quod creatus artifex agit ex præsupposita materia; unde formæ exemplares, quæ sunt in mente illius, non sunt factivæ materiæ, quæ est individuationis principium, sed tantum formæ, a qua est species artificiati; et ideo hujus formæ exemplares non respiciunt directe artificiatum quantum ad individuum, sed quantum ad speciem solum. Formæ autem exemplares intellectus divini sunt factivæ totius rei, et quantum ad formam et quantum ad materiam, et ideo respiciunt creaturam non solum quantum ad naturam speciei, sed etiam quantum ad singularitatem individui, per prius tamen quantum ad naturam speciei; quod ex hoc patet. — *Quodl.* 8, a. 2, c.

Exemplar enim est, ad cujus imitationem fit aliquid; unde ad rationem exemplaris requiritur, quod ipsa assimilatio operis ad exemplar sit intenta ab agente; alias assimilatio casu accideret et non secundum viam exemplaritatis. Sic ergo in ratione exemplaris includitur intentio agentis. Ad hoc ergo per prius exemplar respicit, quod agens primo intendit in opere; agens autem quilibet principaliter intendit in opere id, quod perfectius est; natura autem speciei est quid perfectissimum in unoquoque individuo. Per ipsam enim duplex imperfectio perficitur: imperfectio materiæ, quæ est singularitatis principium; quæ cum sit in potentia ad formam speciei, perficitur, quando naturam speciei consequitur; et imperfectio formæ generalis, quæ se habet ad differentias specificas in potentia ut materia ad formam. Unde species specialissima est primo in intentione naturæ, ut patet per Avicennam in principio suæ Metaphysicæ; non enim natura intendit principaliter generare Socratem; alias destructo Socrate ordo et intentio naturæ periret; intendit autem in Socrate generare hominem. Similiter non intendit principaliter generare animal; alioquin quiesceret ejus actio, quando ad naturam animalis perduxisset, cum tamen in individuo generato prius compareat natura animalis quam hominis, ut patet in 2. *de Generat. Animal.* (c. 3, a. 1); non autem prius est homo quam hic homo. Unde exemplar, quod est in mente divina, primo naturam respicit in qualibet creatura. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Commentator in 12. *Metaphys. text. 4*, Plato et alii antiqui philosophi quasi ab ipsa veritate coacti tendebant in illud, quod postmodum Aristoteles expressit, quamvis non pervenerint in ipsum. Et ideo Plato ponens ideas ad hoc tendebat, secundum quod et Aristoteles posuit, scilicet eas esse in intellectu divino; unde hoc improbare Philosophus non intendit, sed secundum modum, quo Plato posuit, formas naturales per se existentes sine materia esse. — 1. *Sent.* 36, q. 2, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod agens intellectuale creatum, quia est imperfectum, cognoscit per ideam acceptam a rebus, et ideo eget respicere in exemplar, quod non est sua essentia; at intellectus divinus, quia est infinite perfectus, non cognoscit per ideam acceptam a rebus, sed per essentiam suam, quæ est similitudo omnium rerum. — *de Verit.* q. 3, 1, ad 6; 1. *Sent.* l. c. ad 2; 1a, q. 15, a. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod res cognosci non possunt per suam essentiam ab aliquo intellectu,

nisi per essentiam in intellectu existant, qualiter res ad extra non sunt in ullo intellectu ; unde nullus intellectus cognoscit res ad extra per earum essentias, sed vel per suam, si sit intellectus divinus, quia per illam perfectius repræsentantur; vel per formam mente conceptam, si sit intellectus creatus. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1, ad 3; Hannibaldus ibid. ad 2; 1a, q. 15, a. 1, c.

Ad quartum dicendum, quod necesse est ponere ideas tam in intellectu increato quam in creato, ut dictum est. Neque obstant rationes allatæ in objectione. Non enim *prima*, quia cum Deus secundum suam essentiam sit similitudo omnium rerum, idea in Deo nihil aliud est quam ejus essentia (1a, q. 15, a. 1, ad 3). Sicut enim Deus, quia non potest non esse, non indiget essentia, quæ sit aliud quam suum esse, ita quia non potest deficere in cognoscendo vel operando, hoc non indiget alia regula a seipso; sed propter non potest deficere, quia ipse est sui ipsius regula, sicut propter hoc non potest non esse, quia sua essentia est suum esse. (*de Verit.* q. 3, a. 1, ad 8) — Neque *secunda*, quia licet Deus per essentiam suam se et alia cognoscat, tamen essentia sua est principium operativum aliorum, non autem sui ipsius, et ideo habet rationem ideæ, secundum quod ad alia comparatur, non autem secundum quod comparatur ad ipsum Deum (1a, l. c. ad 2); præterquam quod Deus eodem modo cognoscit se et alia, si accipiatur modus cognitionis ex parte cognoscentis, non autem si accipiatur ex parte rei cognitæ, quia creatura, quæ a Deo cognoscitur, non est idem secundum rem cum eo ; unde nulla multiplicitas in ejus essentia sequitur (*de Verit.* l. c. ad 11). — Neque *tertia*, quia Philosophus nomine substantiæ primæ intelligit formam in mente artificis, quæ dicitur prima substantia, quia est prima forma productiva formæ existentis in materia (7. *Metaphys.* l. 6). — Neque *quarta*, quia præter artem eget agens artificiale forma aliqua, ad cujus similitudinem et imitationem aliquid efficiat ipsamque respiciat, dum operatur, quæ non competunt arti, sed ideæ, ut per se patet; præterquam quod ars est una et est principium, quo agens intellectuale intelligit; at idea est, quod intelligitur, et sub eadem arte sunt plures ideæ. — *de Verit.* q. 3, a. 1 et 2, c. et ad 9; 1a, q. 15, a. 2 et q. 44, a. 3, c.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIATUR IDEA, QUOD SIT FORMA EXTRA REM, QUAM ALIQUID IMITATUR EX INTENTIONE AGENTIS DETERMINANTIS SIBI FINEM.

Videtur quod non recte definiatur idea, quod sit forma extra rem, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.

1. Quia forma importat respectum causæ ejus, quod secundum eam formatur; sed forma non informat nisi per modum inhærentiæ; nam informat, ut dictum est (supra q. 9, a. 1, c.), communicando se ipsam : ergo idea non est forma extra rem. — *de Verit.* q. 3, a. 3, c.

2. Præterea, de ratione imitationis duo sunt : illud, in quo est imitatio, et illa, quæ se imitantur; illud autem, respectu cujus est imitatio, est aliqua qualitas vel forma per modum qualitatis significata; unde de ratione imitationis est similitudo. Sed inter res ad extra et res existentes in intellectu agentis intellectualis sive increati sive creati non est ulla similitudo, quia creaturæ longe distant a divina similitudine; et quia similia sunt, quorum est eadem qualitas; at inter illas res non est eadem qualitas, sed est diversitas, cum prædicamento differant : ergo idea non est forma, quam aliquid imitatur. — 1. *Sent.* dist. 28, q. 2, a. 1, c.; *de Verit.* q. 3, a. 1, arg. 9; 1a, q. 44, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, idea non est forma realis, sed intelligibilis; non enim est forma artificialis vel materialis habens esse in actu, secundum quod est in materia, sed est habens esse in potentia activa, secundum quod est in mente artificis vel Dei; sed forma intelligibilis non est forma, quam aliquid imitetur seu ad cujus similitudinem aliquid fiat; nam potius ipsa imitatur formam ad extra, cum ab illa causetur : ergo idea non est forma, quam aliquid imitatur. — *Quodl.* 5, a. 9, c. et ad 1; 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 1, c.

4. Præterea, omnis artifex per ideam operatur effectum suum; sed plerumque pictores faciunt imaginem alicujus, de quo non intendunt : ergo idea non est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.

5. Præterea, definitum non debet poni in definitione, nam bis poneretur; sed idea habet rationem finis; est enim forma, ad quam aliquid formatur, ly *ad* autem importat respectum ad finem. Præterea ab illa sumit aliquando agens formam, qua agit; ergo frustra ponitur in defi-finitione ideæ, quod sit forma, quam aliquid

imitatur ex intentione agentis sibi determinantis finem. — *Ibid.*

Sed contra est : 1. quod id est ratio ideæ, in quo conveniunt tam forma artis in mente artificis existens, quam forma extra artificem existens, quam sibi pictor proponit ad exprimendum; nam utraque habet rationem exemplaris et ideæ; sed utraque in eo convenit, quod sit forma extra rem, ad cujus imitationem agens intellectuale aliquid facit, ex intentione sibi finem determinans : ergo hæc est ratio ideæ. — *Ibid.*

2. Præterea, idea pertinet ad cognitionem practicam; sed eatenus ad talem cognitionem pertinet, quatenus est forma concepta et intellecta ab agente, ut ad ejus similitudinem opus exterius producat ; sicut ædificator in mente sua præconcipit formam domus, ad cujus imitationem et similitudinem intendit producere formam domus in materia. — *Quodl.* 4, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod si attendamus proprietatem vocabuli, idea nihil est aliud quam forma vel species. Forma autem alicujus rei potest dici tripliciter : *uno modo*, a qua formatur res; sicut a forma agentis procedit formatio effectus. Sed quia non est de necessitate actionis, ut effectus pertingant ad completam rationem formæ agentis, cum frequenter deficiant, maxime in causis æquivocis, ideo forma, a qua formatur aliquid, non dicitur esse idea vel forma. *Alio modo* dicitur forma alicujus, secundum quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis et figura statuæ est forma cupri. Et quamvis forma, quæ est pars compositi, vere dicatur esse illius forma, non tamen consuevit dici ejus idea, quia videtur hoc nomen *idea* significare formam separatam ab eo, cujus est forma. *Tertio modo* dicitur forma alicujus illud, ad quod aliquid formatur. Et hæc est forma exemplaris, ad cujus similitudinem aliquid constituitur, et in hac significatione consuetum est nomen ideæ accipi, ut idea idem sit quod forma, quam aliquid imitatur. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.

Sed notandum, quod aliquid potest imitari formam aliquam dupliciter : *uno modo* ex intentione agentis, sicut pictura ad hoc fit a pictore, ut imitetur aliquem, cujus figura depingitur. *Aliquando* autem prædicta imitatio per accidens est et præter intentionem et a casu, sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, de quo non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam a casu, non dicitur ad illam formari, quia ly *ad* videtur importare ordinem ad finem ; unde cum forma exemplaris vel idea sit, ad quam formatur aliquid, oportet quod formam exemplarem vel ideam aliquid imitetur per se, non per accidens. — *Ibid.*

Videmus etiam, quod aliquid propter finem dupliciter operatur : *uno modo* ita, quod ipsum agens determinet sibi finem, sicut est in omnibus agentibus per intellectum; *aliquando* autem agenti determinatur finis ab alio principali agente, sicut patet in motu sagittæ, quæ movetur ad finem determinatum ; sed hic finis determinatur ei a projiciente. Et similiter operatio naturæ, quæ est ad determinatum finem, præsupponit intellectum præstituentem finem naturæ et ordinantem ad finem illum naturam, ratione cujus omne opus naturæ dicitur esse opus intelligentiæ. Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius per agens, quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideæ, (non enim dicimus, quod forma hominis generantis sit idea vel exemplar hominis generati), sed solum hoc dicimus, quando agens propter finem sibi determinat finem, sive illa forma sit in agente sive extra agentem; dicimus enim, formam artis in artifice esse exemplar artificiati, et similiter etiam formam, quæ est extra artificem, ad cujus imitationem artifex aliquid facit. Et sic patet, quod ratio ideæ est, quod sit forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.

Ex hac definitione *sequitur primo*, quod illi, qui ponebant, omnia accidere casu, non poterant ponere ideas. Quæ opinio merito a philosophis reprobatur, quia quæ sunt a casu, non se habent eodem modo nisi ut in paucioribus; naturæ autem cursum videmus semper eodem modo progredi aut ut in pluribus. *Sequitur secundo*, similiter etiam secundum eos, qui posuerunt, quod a Deo procedunt omnia per necessitatem naturæ, non per arbitrium voluntatis, non posse poni ideas, quia ea, quæ ex necessitate naturæ agunt, non prædeterminant sibi finem. Sed hoc esse non potest, quia omne, quod agit propter finem, si non determinat sibi finem, determinatur ei finis ab aliquo superiori; et sic aliqua causa erit eo superior; quod non potest esse, quia omnes loquentes de Deo intelligunt, eum esse causam primam entium. Et ideo Plato refugiens Epicureorum opinionem, qui ponebant omnia a casu accidere, et Empedoclis et aliorum, qui ponebant, omnia accidere ex necessitate naturæ, posuit

ideas esse. Et hanc etiam rationem ponendi ideas, scilicet prædefinitionem operum agendorum innuit S. Dionysius (*de Divin. Nomin.* c. 5; Migne PP. Gr. t. 3, c. 823) dicens : exemplaria dicimus in Deo existentes, quas theologia prædefinitiones vocat, et divinas et bonas voluntates existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit et produxit. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod cum idea sit forma, forma vero ut sic dicat respectum ad id, quod secundum illam formatur, et ex hoc habeat rationem causæ (est enim forma quodammodo causa ejus, quod secundum ipsam formatur), etiam ideæ conveniet esse causam et formare aliquid. Verum dupliciter fieri potest formatio : *vel* per modum inhærentiæ, et hoc modo formare pertinet ad formam intrinsecam; *vel* per modum imitationis, et hoc modo formet forma separata a re, quam dicimus ideam seu formam exemplarem.—*de Verit.* q. 3, a. c. 3,

Ad secundum dicendum, quod aliqua dicuntur similia tripliciter : *vel* similitudine speciei seu participationis, quia nimirum participant unam formam; *vel* similitudine imitationis, quia nimirum unum imitatur alterum vel perfecte vel proportionaliter; *vel* similitudine expressionis seu secundum repræsentationem rationis intellectæ a Deo. (*Tabula Aurea* voce « similitudo » n. 5 et 7). Prima similitudo non exigitur ad ideam, sed secunda et tertia. Et quidem si loquamur de *tertia*, maxima est inter res creatas et ideas divinas; nam illæ expressissime per has repræsentantur. Si vero loquamur de *secunda*, in his, quæ ad imitationem alterius producuntur, *quandoque* id, quod alterum imitatur, perfecte imitatur ipsum; et tunc intellectus operantis præconcipiens formam operati, habet ut ideam ipsam formam rei imitatæ, prout est illius rei imitatæ. *Quandoque* vero quod est ad imitationem alterius, non perfecte imitatur illud; et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatæ absolute ut ideam vel exemplar rei operandæ, sed cum proportione determinata, secundum quam exemplatum a principali exemplari deficit vel imitatur. *Priori modo* se habent ideata creata in ordine ad ideas creatas existentes in mente artificis; *posteriori* vero *modo* se habent res creatæ ad ideas divinas. Deus enim per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem essentiæ suæ producit, unde essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatæ non perfecte imitantur divinam essentiam; unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea vel imitatur eam. Diversæ autem res diversimode ipsam imitantur et unaquæque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera, et ideo ipsa divina essentia cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscujusque rei; unde fit, ut cum sint diversæ rerum proportiones, sint etiam plures ideæ, licet sit una omnium ex parte divinæ essentiæ. — Si demum loquamur de *prima* similitudine, hæc minima est inter Deum et creaturas; verum ut dictum est, hæc non requiritur ad ideam. — *de Verit.* q. 3, a. 1, ad 9 et a 2, c.; 1a, q. 44, a. 3, ad 1; S. Bonaventura in 1. *Sent.* dist. 35, a. 1, q. 1.

Ad tertium dicendum, quod idea est quidem forma in intellectu artificis existens atque adeo forma intelligibilis, non tamen est species intelligibilis, quia hæc est principium operationis intellectualis, et est id, quo tamquam instrumento utimur ad aliud intelligendum. Præterea species intelligibilis non est id, quod intelligitur et respicitur ab artifice, sicut et ars; secus vero idea. — *Quodl.* 5, a. 9; *de Verit.* q. 3, a 1 et 2, c. et ad 9; 1a, q. 15, a. 2, c. et ad. 2; 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 2.

Ad quartum patet ex dictis (supra in c.).

Ad quintum dicendum, quod licet idea sive interior sive exterior, habeat quodammodo rationem finis, et ab illa accipiat artifex formam, si sit extra ipsum, non tamen est ille finis, quem sibi agens determinat, sed alius. Ideo enim agens intellectuale seu artifex excogitat interius formam, puta domum, ut fabricet exterius talem domum in materia; ideo enim ad productionem alicujus rei necessaria est idea, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit interius mente conceptum, sive sit extra ipsum artificem. — *de Verit.* q. 3, a. 1 et 2, c.; 1a, q. 44, a. 3, c.

ARTICULUS III

UTRUM IDEA SIT TERMINUS INTRINSECUS COGNITIONIS PRACTICÆ SEU VERBUM PRACTICUM, AN VERO RES FACIENDA UT COGNITA AB INTELLECTU.

Videtur quod idea respectu cujuscunque agentis intellectualis sit res facienda ut cognita, non

autem terminus intrinsecus cognitionis practicæ seu verbum practicum.

1. Sunt enim in Deo plures ideæ; sed non possunt esse plures, nisi idea sit ipsa creatura facienda a Deo, ut cognita ab ipso. Neque enim dici potest, quod sit ipsa essentia divina; nam illa una est et simplicissima; unde et idea erit una et non plures. Neque etiam dici potest, quod in Deo sunt plures secundum diversos respectus ejus ad creaturas; nam isti respectus vel sunt secundum rem vel secundum rationem tantum. Si *primum*, vel sunt in creaturis tantum, et tunc, cum creaturæ non sint ab æterno, neque erunt plures ideæ, vel certe temporale erit causa æterni, quod dici non potest; vel sunt in Deo tantum, et tunc sequitur, quod sit alia pluralitas realis in Deo quam pluralitas personarum, quod est contra sanctos Patres. — Neque *secundum*, quia neque multiplicantur isti respectus per ordinem ad ideata, secundum quod sunt in Deo, quia in eo sunt unum, ut dicit S. Dionysius (*de Divin. Nomin.* c. 5; Migne PP. Gr. t. 3, c. 823) neque per ordinem ad ideata, secundum quod in propria natura existunt, quia sic res ideatæ sunt temporales, ideæ vero sunt æternæ; præterquam quod omnis relatio vel respectus Dei ad creaturam est realiter in creatura et non in Deo. Unde cum ideæ sint plures in Deo, non poterunt multiplicari ideæ per diversos respectus, et consequenter idea divina non erit essentia Dei, sed res facienda, ut cognita a Deo. — 1a, q. 15, a. 2, arg. 1, 3, 4; *de Verit.* q. 3, a. 2, arg. 7, 8; 1. Sent. dist. 36, q. 2, a. 2, arg. 1 et 2.

2. Præterea, angelus beatus videns Deum potest per artem producere aliquem effectum et mediante idea; sed in tali visione nullus datur terminus intrinsecus et nullum verbum : ergo in tali casu idea non erit terminus intrinsecus cognitionis practicæ, sed erit effectus ipse producendus ut cognitus a Deo.

3. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9 et 12. *Metaphys. text.* 13, l. 11, c. 3), quod universa, qua fiunt, fiunt ab univoco; sed si idea est terminus cognitionis practicæ, nullo modo potest esse univocatio inter ideam et ideatum; secus vero si sit res facienda ut cognita : ergo idea est res facienda, ut cognita. — 7. *Metaphys.* l. 8; 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

4. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23, l. 6, c. 7), quod domus in materia fit a domo, quæ est in mente artificis, sicut sanitas, quæ est in corpore, fit a sanitate, quæ est in mente medici; sed domus vel sanitas in mente nihil est aliud quam sanitas vel domus ad extra, sed ut cognita ab intellectu; nam sic est objective in ipso : ergo idea non est terminus intrinsecus cognitionis practicæ, sed est res ipsa facienda ut cognita. — 7. *Metaphys.* l. 6.

5. Præterea, idea est in mente artificis sicut id, quod intelligitur; nam artifex respicit ideam internam, ut ad ejus similitudinem producat ideatum; sed id, quod intelligitur, non est verbum, sed res. Nam verbum non intelligitur nisi per cognitionem reflexam; nam intelligitur, quando intellectus intelligit se intelligere, quod facit per cognitionem reflexam; at artifex non operatur per cognitionem reflexam, sed per directam : ergo idea non est verbum practicum, sed res facienda ut cognita. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.; v. supra a. 2, ad 3; 4. *c. Gent.* c. 11; 1a, q. 15, a. 1.

6. Præterea, cum idea sit similitudo ideati expressa, ut dictum est (supra a. 2, arg. 2 et ad 2), ideatum debet esse maxime simile suæ ideæ; at id non potest esse, si idea sit conceptus mentis; potest autem esse, si sit res ad extra facienda ut cognita, cum tam rei ad extra quam ejusdem ut cognita est, sit una qualitas, quæ est definitio similium, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 9) : ergo idea non est terminus cognitionis practicæ, sed res facienda ut cognita. — 1a, q. 15, a. 1, c.; *de Verit.* q. 3, a. 3, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23 et 30; l. 6, c. 7 et 9) dicit, quod in his, quæ fiunt per artem, principium, quod facit et unde incipit motus, est forma, quæ est in anima; sed nulla alia forma reperitur, quæ sit in anima et quæ sit principium factionis rei, quam conceptus seu verbum practicum; nam res ad extra, etiam ut cognita, non est forma existens in anima, sed extra animam : ergo. — 7. *Metaphys.* l. 6.

2. Præterea, Philosophus ibidem docet, quod in artificialibus forma in materia fit a forma, quæ est in anima, quæ est quodquid est esse illius; sed nulla datur forma in anima, quæ sit quodquid est esse formæ existentis in materia quam conceptus mentis, terminus intrinsecus cognitionis practicæ : ergo. — *Ibid.; de Verit.* q. 3, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere,

ideam esse terminum intrinsecum cognitionis practicæ et non rem ipsam ad extra faciendam, ut cognita est. Quod potest esse manifestum ex multis, et *primo* quidem ex ipsa ratione ideæ. Idea enim cum sit forma, quam aliquid imitatur, necessario importat imitationem et per consequens similitudinem eorum quæ se imitantur; nam hæc sunt de ratione imitationis, ut dictum est (supra art. 2, arg. 2). Sed tam similitudo quam imitantia distinctionem et pluralitatem rerum important; neque enim una res imitatur seipsam, sed aliam; neque est similis sibi, sed alteri; sibi vero est eadem. Res autem facienda ad extra proprie similis esse et imitari dicitur formam ab artifice intelligendo excogitatam et formatam, qui est terminus intrinsecus cognitionis practicæ et ab hac forma seu termino realiter distinguitur; erit ergo idea talis terminus, non autem res ad extra ut cognita. — *Quodl.* 4, a. 1; *de Verit.* q. 3, a. 1 et 2; 1a, q. 15, a. 1 et 2; 1, *Sent.* dist. 28, q. 2, a. 1, c.; *Tabula Aurea* voce « similitudo » n. 28.

Secundo, ex munere ideæ respectu agentis intellectualis; hoc enim est constituere agens intellectuale in esse agentis intellectualis ad agendum. Sicut enim agens naturale constituitur in actu primo ad agendum per formam naturalem, ita agens intellectuale per formam intellectualem; est enim idea ratio operis agendi, quam agens intellectuale in se habet et per cognitionem practicam format, antequam efficiat opus ad extra; intendit enim artifex assimilare domum ad extra domui interiori, quam intelligendo excogitavit et effecit, sicut agens naturale per actionem intendit effectum assimilare suæ formæ naturali; non est autem aliud forma per intellectionem excogitata et effecta quam terminus cognitionis practicæ. Nam domus ad extra, licet sumatur ut cognita, non est forma informans intellectum et constituens illum in actu primo, ut per se patet. — *de Verit.* q. 3. a. 1 et 2, c.; 1a, q. 15, a. 1; v. supra a. 1, *Sed contra.*

Tertio, ex munere ideæ respectu ideati; est enim idea principium cognitionis et productionis rei, ut docet Philosophus (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9) præter Platonem et SS. Patres Dionys. (*de Divin. Nomin.* c. 5 — Migne l. c.) et S. Augustin. (*Libro LXXXIII Quæstionum* q. 46 — Migne PP. L. t. 40, c. 29 et 30). Pertinet enim idea sumpta secundum propriam rationem nominis ad illam scientiam, secundum quam aliquid formari potest, quæ est actu vel virtute practica; unde idea vere est causa realis ideati; sed causa realis ideati, ut domus ad extra, non est ipsa domus ad extra ut cognita. Nam inter causam realem et reale causatum debet esse distinctio realis, cum effectus realis realiter dependeat a causa, et nihil dependeat realiter a se vel sit causa sui; res autem ad extra facienda ut cognita ab intellectu non distinguitur realiter ab ipsa re, ut est ad extra; est autem sic distincta et diversa secundum substantiam a termino cognitionis practicæ, ut patet. — 1a, q. 15, a. 1, c. et q. 44, a. 3, c.; *de Verit.* q. 3, a. 2, c.

Quarto, ex causalitate ideæ. Hæc enim consistit in determinatione intellectus ad hoc, ut determinatam formam inducat in effectum; non potest autem hæc determinatio fieri ab ipsa forma ad extra, quia nihil effective se ipsum determinat. Et in naturalibus alia est forma effective determinans, et alia, quæ est effective determinata; erit ergo hæc determinatio ab alia forma distincta a forma effectus, quæ alia esse non potest, quam terminus cognitionis practicæ. — 1a, q. 44, a. 3, c.

Postremo patet ex idea divina. Hæc enim esse non potest creatura producenda ut cognita, *primo*, quia idea est principium cognitionis et productionis; inconveniens est autem, Deum accipere aliunde tale principium, sine quo non est sufficiens ad agendum (*de Verit.* q. 3, a. 1, c. in fine.). *Secundo*, quia creaturæ imperfecte et inadæquate imitantur ideas divinas; perfecte autem et adæquate illas imitarentur, si ideæ essent ipsæ creaturæ producendæ ut cognitæ. *Tertio*, quia ex communi sententia Sanctorum Patrum ideæ divinæ sunt formæ et rationes incommutabiles, æternæ, substantiales et vitales intra ipsum Deum aut divinum intellectum existentes (v. præsertim S. Dionys. *de Divin. Nomin.* c. 5 — Migne PP. Gr. t. 3 c. 823; S. Augustin. *Libro LXXXIII Quæstion.* q. 46 — PP. L. t. 40, c. 29 et 30, et *de Civit. Dei* l. 11, c. 29 — PP. L. t. 41, c. 343, et *Tract.* 1. *in Joannem* c. 1 — ibid. t. 35 c. 1384; S. Ambros. *Hexæmeron* l. 1, c. 2 — ibid. t. 14, c. 125). Unde dicendum est, quod idea est aliquid aliud præter creaturas producendas ut cognitas realiter in Deo existens, quod aliud esse non potest præter divinam essentiam. Nam idea ponitur ut principium cognoscendi et operandi, divina autem essentia est sibi sufficiens principium cognoscendi; quamquam quia idea est forma excogitata ab artifice per actum intel-

ligendi et per talem actum effecta, quæ non se habet ut principium actus intelligendi, ita ut sit primum, quo intellectus intelligat, sed se habet ut primum intellectum, quo intelligens aliquid operatur et secundum quod intelligit id, quod faciendum est, quia per formam excogitatam artifex intelligit, quid operandum sit, — propterea essentia divina non est idea rerum, ut est essentia, sed ut intellecta; nam ut sic est ratio et similitudo creaturarum. — 1a, q. 15, a. 3, arg. 2 et a. 2, *Sed contra* et a. 1, arg. 3, c. et ad 3.

Verum adhuc quia res creatæ non perfecte imitantur divinam essentiam, ideo essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione rei fiendæ ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea vel eam imitatur. Diversæ autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquæque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera; et ideo ipsa divina essentia cointellectis diversis proportionibus rerum ad ideam est idea uniuscujusque rei, et consequenter plures secundum pluralitatem proportionum, et una omnium ex parte essentiæ, ut dictum est (a. præced. ad 2). Unde manifestum est, ideam absolute sumptam non esse rem faciendam ut cognitam, sed esse terminum intrinsecum cognitionis practicæ. — *de Verit.* q. 3, a. 2, c.

Ad *primum* dicendum, quod idea non nominat essentiam divinam, in quantum est essentia, sed essentiam imitabilem seu in quantum est ratio hujus vel illius; unde secundum quod est multiplex imitabilitas in essentia propter plenitudinem suæ perfectionis et ratione plurium respectuum, secundum quos est ratio imitationis, quam idea præter divinam essentiam importat, sunt plures ideæ in Deo. Hujusmodi autem respectus, licet fundentur realiter in rebus, non tamen causantur a rebus; non enim pluralitas rerum est causa pluralitatis idearum, sed contra. Non enim quia res diversimode imitantur divinam essentiam, ideo intellectus ejus intuetur eam diversimode imitabilem, sed potius contra; intellectus enim divinus est causa rerum, distinctio autem idealium rationum est secundum operationem intellectus divini, prout intelligit essentiam suam diversimode imitabilem a creaturis. Et ideo prædicti respectus causantur ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res; et consequenter quamvis creaturæ ab æterno non fuerint, tamen intellectus divinus ab æterno fuit intelligens essentiam suam diversimode a creaturis imitabilem; et propter hoc fuit ab æterno pluralitas idearum in intellectu divino, non in natura ipsius. Non enim eodem modo est in Deo forma equi et vita, quia forma equi non est in Deo nisi sicut ratio intellecta; sed ratio vitæ in Deo est non tantum sicut intellecta, sed etiam sicut in natura Dei firmata. Unde simul hæc duo stare possunt, quod diversi respectus ad res in propria natura existentes, secundum quos multiplicantur ideæ, sint æterni, et res ipsæ sint temporales, sicut et in intellectu hominis potest esse respectus ad rem, quando non est. Cujus ratio est, quia actio intellectus sive divini, sive angelici sive humani potest universaliter se extendere ad aliquid, etiam quando illud non est, sicut quando intelliguntur præterita; actionem autem relatio consequitur, ut in 5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15 dicitur; unde non mirum, si respectus prædicti ad res temporales in intellectu divino sint æterni. — 1a. q. 15, a. 2, ad 1, 3, 4; *de Verit.* q. 3, a. 2, ad 7 et 8; 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 2, ad 1, 2, 3.

Ad *secundum* dicendum, quod beati non formant unum conceptum de Deo, quia impossibile est, quod conceptio intellectus creati repræsentet totam perfectionem divinæ essentiæ; sed illis essentia divina seu Verbum divinum est loco conceptus, sicut et ipsa divina essentia est loco speciei intelligibilis; vi tamen visionis beatificæ formant varios conceptus de iis, quæ vident in essentia divina inadæquate illos repræsentante; et ideo angelus videns divinam essentiam vel per divinum Verbum vel per alium conceptum vi visionis divinæ formatum potest operari aliquem effectum artificiosum. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, c. Quantum vero ad quartum; *de Pot.* q. 7, a. 6, c.; *de Verit.* q. 8, a. 5, ad 4; 1a, q. 12, a. 9, ad 2.

Ad *tertium* ergo dicendum, quod artificiata dicuntur fieri aliquo modo ab univoco et non simpliciter, ut patet 7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9, quia licet idea, quæ est domus in mente artificis existens, nec conveniat in modo essendi nec in substantia ejusdem rationis physice sumpta cum domo extra, conveniunt tamen in eadem ratione formæ intelligibiliter sumptæ, quia idea est expressa similitudo repræsentans rem faciendam, ut dictum est (a. præced. ad 2). — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad *quartum* dicendum, quod sicut homo ve

lapis simpliciter est homo vel lapis, qui est ad extra, homo vero vel lapis in mente, qui est homo vel lapis intellectus, est verbum mentis speculativum, ut dictum est (in Logica q. 2, a. 1); ita in practicis sanitas vel domus simpliciter est sanitas, quæ est in corpore, et domus, quæ est in materia; sanitas vero in mente medici et domus in mente artificis, seu domus vel sanitas intellecta est verbum practicum seu terminus cognitionis practicæ. — *de Verit.* q. 3, a. 2, c.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter potest cognosci idea seu verbum practicum sicut et verbum speculativum : *uno modo*, secundum quod est species talis rei, et tunc cum eadem intellectione cognoscatur species et res, immediatum objectum et principale dicitur ipsa res. *Alio modo*, secundum quod est res quædam, et hoc modo cognoscitur distincta cognitione a cognitione rei, et consequenter cognoscitur cognitione reflexa, sicut priori modo cognoscitur cognitione directa. Unde priori modo cognitio non terminatur ad verbum vel ad similitudinem rei in se, sed ad rem; at posteriori modo terminatur ad ipsum verbum et ad ipsam imaginem in se, ut est similitudo talis rei. — 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 3 et dist. 36, q. 1, a. 3; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 5.

Ratio autem hujus distinctionis respectu cujuscunque intellectus, etiam divini est, quia idea significatur, ut quod Deus intelligit, ad differentiam sapientiæ et artis, quæ significantur, ut quo Deus intelligit. Deus autem uno intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in seipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum. Sicut enim artifex, dum intelligit formam domus ut a se speculatam, ex eo quod intelligit, se intelligere eam, intelligit ideam vel rationem domus, ita Deus non solum intelligit multas res per essentiam suam, sed etiam intelligit, se intelligere multa per essentiam suam, et hoc est, plures rationes et ideas rerum et plures ideas esse in ejus intellectu ut intellectas. Et quia prior intellectio fit directe, posterior vero fit reflexe (licet in Deo sit utraque unica intellectio); necesse est autem ad hoc, ut artifex per ideam operetur, quod illam inspiciat, propterea ad hoc, ut artifex per ideam operetur, necesse est, ut illam cognoscat cognitione reflexa, non autem directa. — 1a, q. 15, a. 2, c. et ad 2 et q. 44, a. 3, c.

Ad sextum dicendum, quod similitudo requisita inter ideam et ideatum non est similitudo participationis ejusdem formæ, quam definit Philosophus 5. *Metaphys.* l. c., sed est similitudo expressionis et repræsentationis, ut dictum est (a. præced. ad 2), qualis est inter ideam, ut est terminus cognitionis practicæ, et ideatum seu rem ad extra.

ARTICULUS IV

AD QUOD GENUS CAUSÆ REDUCATUR IDEA.

I. Videtur quod idea reducatur ad genus *causæ formalis.*

1. Philosophus enim (2. *Phys. text.* 28; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2) sub causa formali ponit exemplar; enumerans enim causarum genera, enumeratis tribus generibus de formali ita subjungit : alio autem modo forma et exemplar. Et (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7) loquens de causa exemplari illam vocat, « quodquid est » effectus artificiati; et (*text.* 31; c. 9) idem repetit dicens, quod sicut in speculabilibus syllogismus procedit ad demonstrandam passionem de subjecto ex consideratione quodquid est, ita et in practicis syllogismus procedit ex consideratione exemplaris, quod est quodquid est effectus artificialis; est autem quodquid est ratio et definitio causæ formalis, ut dictum est (supra q. 4, a. 2) : ergo idea revocatur ad genus causæ formalis. — 2. *Phys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 6 et 8.

2. Præterea id, quod dat speciem rei, est causa formalis ejus, ut dictum est; (supra, q. 4, a. 2); sed idea est hujusmodi; est enim id, ad quod agens respicit, ut certam speciem et effectui froma mconferat, ut dictum est : ergo idea pertinet ad genus causæ formalis.

3. Præterea, idea est forma, ad quam aliquid formatur; sed ly *ad* importat respectum ad finem; finis autem identificatur cum forma, ut constat ex Philosopho. Sic enim finis generationis est forma (2. *Phys. text.* 14; c. 1), et finis materiæ est itidem forma (*ibid. text.* 24; c. 2) et *text.* 70 (c. 7) dicit Philosophus, quod forma et finis incidunt in idem numero; ergo idea reducitur ad genus causæ formalis. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.; 2. *Phys.* l. 2, 4, 11.

4. Præterea, impossibile est, quod duæ causæ efficientes sint sibi invicem causæ, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 30; c. 3); sed a forma, quæ est in materia, efficienter procedit forma,

quæ est in anima, quam dicimus ideam; nam intellectus noster non est causa rei, sed contra : ergo a forma, quæ est in anima, seu ab idea non procedit efficienter. Sed neque procedit materialiter, quia materia non est activa, idea autem est activa; est enim, ut dictum est (a. 3), principium cognoscendi et operandi. Neque proprie est finis, quia idea formatur propter ideatum tamquam finem; ergo procedit formaliter, et ita pertinebit idea ad genus causæ formalis. — 2. *Phys.* l. 5; *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 285 et voce « materia » n. 12.

5. Præterea, idea, si attendatur proprietas vocabuli, est forma; si res ipsa, est ratio et similitudo; sed quatenus est forma, dicit habitudinem causæ formalis intrinsecæ vel extrinsecæ; quatenus vero est ratio et similitudo, nulla competit ei habitudo causæ : ergo idea non pertinet ad causam efficientem, sed ad formalem.

II. Videtur quod idea pertineat ad genus *causæ efficientis*.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7), quod domus in materia fit ex domo, quæ sine materia; et similiter sanitas ex sanitate, ubi particula *ex* denotat habitudinem causæ efficientis; et clarius ibidem ait : faciens igitur, et unde convalescendi motus incipit, si ab arte, forma est in anima. Et (2. *Phys. text.* 33; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2) assignans differentiam inter caus s efficientes per se et per accidens asserit, aliter Polycletum esse causam statuæ, aliter statuarium; nam ille per accidens, quia accidit statuario, quod sit Polycletus, sicut accidit quod sit musicus vel albus; statuarius autem est causa per se per artem, quam ut talis habet; sed ars non est principium efficiens statuæ nisi per ideam ejus, a qua determinatur ad inducendum formam determinatam in effectum, ut dictum est (a. 1, ad 4). — 2. *Phys.* 5. 6; 7. *Metaphys.* l. 6; 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea, de ratione ideæ est, quod sit exemplar rei; sed de ratione exemplaris est causalitas efficientis respectu exemplati, quia exemplar est, ad cujus similitudinem fit aliquid; unde est, quod angeli non sunt exemplaria rerum sublunarium, quia non sunt creatores vel productores illarum : ergo. — 1a, q. 15, a. 1 et 3; Cajetanus ibid.; *de Verit.* q. 8, a. 8, ad 1 et q. 3, a. 3, arg. 3 et ad 3.

3. Præterea, cognitio practica est causa efficiens rei; sed idea pertinet ad cognitionem practicam; pertinet enim ad illam scientiam, secundum quam aliquid formari potest, quæ est cognitio actu vel virtute practica : ergo idea est causa efficiens ideati. — *de Verit.* q. 3, a. 3, c.; 1a, q. 15, a. 3; 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 3, c.

III. Videtur quod idea pertineat ad genus *causæ finalis*.

1. Est enim idea forma, ad quam aliquid formatur; sed ly *ad* importat respectum ad finem : ergo idea habet rationem finis. — *de Verit.* q. 3, a. 1, c.

2. Præterea, a fine accipit agens formam, quam inducit in effectum; sed artifex formam operis artificiati accipit ab exemplari : ergo exemplar seu idea pertinet ad causam finalem. — *Ibid.*

Sed contra est, quod artifex antequam concipiat artificiatum, considerat finem, ad quem debet ordinare artificiatum, sive mente conceptum per ideam sive in re faciendum; ergo idea est quid distinctum a fine. — 1. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1.

Respondeo dicendum, quod idea diverso modo considerata pertinet ad causam formalem et ad causam efficientem. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod ita se habet forma naturalis ad agens naturale, sicut forma intellectualis seu idea ad agens intellectuale. In omnibus enim, quæ non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cujuscumque; agens autem non ageret propter formam, nisi in quantum formæ similitudo esset in ipso. Quod quidem contingit dupliciter : *in quibusdam* enim agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in his, quæ agunt per naturam; sicut homo generat hominem et ignis ignem. In *quibusdam* vero secundum esse intelligibile, ut in his, quæ agunt per intellectum; sicut similitudo domus præexistit in mente artificis; et hæc dicitur idea domus, sicut similitudo rei fiendæ secundum esse naturale dicitur forma substantialis agentis naturalis. — 1a. q. 15, a. 1, c.

Sicut ergo hæc, cum sit principium essendi et operandi, habet rationem duplicis causæ, formalis scilicet et efficientis; — *formalis* quidem per comparationem ad agens, quod per illam intrinsece formatur et constituitur in esse agentis naturalis; *efficientis* vero per comparationem ad effectum, quia ratione illius, cum agens naturale simile sibi producat, necesse est, quod habeat rationem causæ efficientis; omne

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

namque simile agit sibi simile, tam in his, quæ agunt per voluntatem, quam in his, quæ agunt per necessitatem, ut probat Philosophus (2. *de Anima text.* 34; c. 4), ratione formæ in ipso agente existentis; — et hinc est, quod Plato ponebat ideas principia cognitionis et generationis rerum; ipsumque secutus S. Dionysius (*de Div. Nom.* c. 5; Migne PP. Gr. t. 3, col. 823) ideam vocat similitudinem et rationem rei in Deo existentem, secundum quod est productiva ipsius rei et prædeterminativa. Unde et spectat ad cognitionem practicam, quæ ordinatur ad opus tamquam causa ad effectum, modo sumatur idea secundum quod est forma exemplaris; nam ut sic dicit ordinem ad factionem et formationem rei. Si enim sumatur ut ratio et similitudo, est principium tantum cognoscendi, et ut sic non dicit habitudinem causæ et pertinere potest ad cognitionem speculativam. Unde manifestum est, quod idea vario modo considerata pertinet ad causam formalem et ad causam efficientem. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 2, a. 3, c.; 1a, q. 15, a. 3, c.; *de Verit.* q. 3, a. 3, c.

Quod autem *quodammodo* possit habere rationem *finis*, et multo magis externum exemplar, quam internum, probatur, quia artifex producit formam in materia ad similitudinem et imitationem exemplaris, ad quod respicit, sive sit internum sive externum; particula vero *ad* dicit respectum ad finem, ut dictum est, et ab externo accipit agens formam, qua agit, non ab interno. Neutrum tamen *proprie* et *simpliciter* rationem finis habet; non enim illam habet per ordinem ad agens, quia saltem ab interno exemplari non recipit agens formam, qua agit, cum sit ipsa forma activa agentis, ut dictum est, et antequam concipiat formam internam, concipit finem, ad quem vult opus dirigere, cujus formam interius excogitat. Neque illam habet per ordinem ad ideatum; nam finis *ut quo* domus fabricatæ ad similitudinem domus in mente, est inhabitatio; finis vero *ut cujus*, est ipse inhabitator, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 25; c. 2), et finis domus in mente est ipsa domus in materia. Cum enim illa pertinent ad cognitionem practicam, ut dictum est, sicut hæc refertur ad opus tamquam ad finem, ad distinctionem cognitionis speculativæ, cujus finis est cognitio veritatis, ita et illa. Unde manifestum est, ad quod genus causæ pertineat idea. — Et ex his patet *ad omnia objecta.* — *de Verit.* q. 3, a. 1 et 3, c.; 1a, q. 44, a. 3, c.; 1. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1, c.; 2. *Phys.* l. 4; 6. *Metaphys.* l. 1 et 2.

QUÆSTIO XI

DE CAUSA EFFICIENTE.

Deinde considerandum est de causa efficiente.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR OCTO :

1. Utrum aliquid aliud a Deo sit causa efficiens alicujus rei.
2. Utrum causalitas agentis consistat in agere.
3. Utrum recte sit a Philosopho definitum efficiens: unde principium motus.
4. Utrum Deus in omni operatione naturæ et voluntatis operetur, seu in natura et voluntate operantibus operetur.
5. Utrum agentia naturalia tantum disponant materiam ad formam substantialem, et solus Deus illam producat per creationem.
6. Utrum conservatio rei distinguatur ab ejus productione.
7. Utrum res creatæ conserventur in esse a Deo, an vero circumscripta omni actione Dei per se in esse remaneant.
8. Utrum Deus immediate omnem creaturam conservet.

ARTICULUS I

UTRUM ALIQUID ALIUD A DEO SIT CAUSA EFFICIENS ALICUJUS REI.

Videtur quod nihil aliud sit causa efficiens vel efficiat aliquam rem nisi Deus.

1. Agens enim, quod agit sine medio, est perfectius quam illud, quod medio indiget in sui actione; sed Deus est agens perfectissimum : ergo videtur, quod omnia nullo mediante producat. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, arg. 1; 3. *c. Gent.* c. 69; 1a, q. 115, a. 1.

2. Præterea, idem specie non producitur a diversis agentibus secundum speciem; sed prima individua omnium specierum immediate a Deo creata sunt : ergo videtur, quod

nihil possit producere aliquid sibi simile secundum speciem. — 2. *Sent.* l. c. arg. 3.

3. Præterea illud, quod non est ex aliqua materia, non potest fieri nisi per creationem; sed formæ substantiales et accidentia non habent materiam partem sui, vel esset in infinitum abire: ergo non possunt fieri nisi per creationem. — Inde sic: omnis causa efficiens alicujus rei dat illi formam vel substantialem vel accidentalem; sed hujusmodi non producuntur nisi per creationem, ergo nihil potest esse causa efficiens alicujus rei nisi creator, qui tantum Deus est. — *Ibid.* arg. 4.

4. Præterea, causa efficiens nunquam est deficientior quam effectus; sed agentia naturalia non agunt nisi per qualitates activas, quæ sunt accidentia; quod probatur ex hoc, quod non est possibile aliquid esse formam substantialem in uno et accidentalem in altero; unde calor, qui est accidens hominis, non potest esse forma substantialis ignis, et sic de aliis; ergo nullum agens naturale potest producere aliquam formam substantialem. Sed neque potest producere formam accidentalem, quia accidens nec transit a subjecto in subjectum, et sic idem quod prius, nec excedit suum subjectum. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, arg. 5; 3. *c. Gent.* c. 69; 1a, q. 115, a. 1, arg. 5.

5. Præterea, omnis creatura vel est spiritualis, ut angelus, vel corporalis, ut res omnes sublunares ac ceteræ creaturæ; sed neutra potest aliquam rem efficere; non enim creatura *spiritualis*, quia nec unus angelus est causa alterius, nec est causa corporalis creaturæ, cum hæc solum illi obediat ad motum corporalem. (2. *Sent.* l. c. arg. 2). — Neque creatura *corporalis*, *primo* quia inveniuntur in istis inferioribus, quæ non generantur ex similibus, sicut animalia ex putrefactione generata; unde videtur, quod horum formæ ex altioribus principiis proveniant; ergo et pari ratione provenient ex illis aliæ formæ, quarum quædam sunt multo nobiliores. *Secundo*, quia omnis corporis forma est adjuncta quantitati; quantitas autem impedit substantiam ab actione et motu, quia comprehendit eam et mergitur in ea, sicut impeditur aer nubilosus a perceptione luminis; et hujus signum est, quod quanto magis creverit quantitas corporis, tanto est ponderosius et gravius ad hoc, quod moveatur. *Tertio*, quia omne patiens est subjectum agenti, et omne agens, præter primum quod causat, requirit subjectum inferius se; nulla autem substantia est inferior corporali; unde videtur, quod nulla creatura corporalis est activa. *Quarto*, quia omne agens habet virtutem agendi ex propinquitate ad primum activum; a primo autem activo, quod est simplicissimum, remotissima sunt corpora, quæ sunt maxime composita: ergo hæc non sunt activa. — 3. *c. Gent.* c. 69.

Sed contra est: 1. quod si Deus solus in omnibus operaretur, sequerentur multa inconvenientia contra divinam bonitatem, virtutem et sapientiam. Nam *primo* sequeretur *contra sapientiam*, frustra fuisse a Deo adhibitas alias res ad producendos effectus; contra rationem enim sapientiæ est, pati aliquid frustra in operibus sapientis. *Secundo contra* divinam *virtutem*, dedisse Deum creaturæ id, quod est in illa principale, et illi denegasse omnia, quæ consequuntur ad illud; communicasse nimirum illi suam similitudinem quantum ad esse et non quantum ad agere, quod tamen consequitur ad ipsum. Nam facere aliquid actu, quod est agere, consequitur ad hoc, quod est esse actu, cum tamen in rebus naturalibus, quod dat alicui principale, dat etiam illi id, quod ad illud consequitur; sicut causa, quæ dat terræ gravitatem, dat ei motum deorsum, qui ad gravitatem consequitur. — Præterea sequitur, res a Deo imperfectas fuisse conditas; ex abundantia enim perfectionis est, quod perfectionem, quam creatura habet, possit alteri communicare; et ideo si nulla creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturæ, et per consequens detrahitur perfectioni divinæ virtutis. *Tertio* sequitur *contra* divinam *bonitatem*. Sicut enim est boni bonum facere, ita summi boni est aliquid optime facere; sed Deus est summum bonum: ergo ejus est optime omnia facere. Melius est autem bonum, quod alicui collatum sit multorum commune; nam tale bonum est divinius quam bonum unius; bonum autem unius fit multis commune, si ab uno ad alia derivetur per propriam actionem; manet autem proprium, si illud non possit ad alia transfundere. Sic igitur Deus rebus creatis suam bonitatem communicavit, ut una res quod accepit, possit in aliam rem transfundere. — 3. *c. Gent.* c. 69 n. 2, 3, 4, 5.

2. Præterea, si nulla inferior causa et maxime corporalis aliquid operatur, sed Deus

operatur in omnibus solus, cum Deus non varietur per hoc, quod operatur in rebus diversis, non sequetur diversus effectus ex diversitate rerum, in quibus operatur; sed hoc ad sensum apparet falsum; non enim ex appositione calidi sequitur infrigidatio, sed calefactio tantum, neque ex semine hominis sequitur generatio nisi hominis. Non ergo causalitas inferiorum est ita attribuenda divinæ virtuti, quod subtrahatur causalitas inferiorum agentium. — *Ibid.* n. 1.

3. Præterea, si Deus immediate causaret omnia, una res non dependeret ab alia sicut causatum a causa, et sic res non magis fieret ab uno quam ab alio; sed videmus ad sensum, quod non fit quodlibet ex quolibet, sed ex semine hominis semper generatur homo : ergo semen patris est causa filii. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, arg. 2 *Sed contra.*

4. Præterea, subtrahere ordinem rebus est eis subtrahere id, quod optimum habent; nam singula in seipsis sunt bona, simul autem omnia sunt optima propter ordinem universi; semper enim totum melius est partibus ut finis ipsarum. Si autem a rebus subtrahantur actiones, subtrahitur ordo rerum ad invicem; rerum enim, quæ sunt diversæ secundum suas naturas, non est colligatio in ordinis unitatem nisi per hoc, quod quædam agunt et quædam patiuntur. Igitur dicendum est, quod res creatæ habent proprias actiones. — 3. *c. Gent.* c. 69, n. 6.

5. Præterea, si effectus non producuntur ex actione rerum creatarum, sed solum ex actione Dei, impossibile est, quod per effectus manifestetur virtus alicujus causæ creatæ; non enim effectus ostendit virtutem causæ nisi ratione actionis, quæ a virtute procedens ad effectum terminatur. Natura autem causæ non cognoscitur per effectum, nisi in quantum per ipsum cognoscitur ejus virtus, quæ naturam consequitur. Si igitur res creatæ non habent actiones ad producendum effectus, sequitur, quod nunquam natura alicujus rei creatæ poterit cognosci per effectum, et sic subtrahitur nobis omnis cognitio scientiæ naturalis, in qua præcipue demonstrationes per effectum sumuntur. — *Ibid.* n. 7.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem sunt tres positiones. Quarum *una* est, quod Deus immediate omnia operetur ita, quod nihil aliud sit causa rei; unde dicunt, quod ignis non calefacit, sed Deus præsente igne, nec manus movetur, sed Deus movet manum præsente illo, cujus est manus quæ movetur, et sic de aliis effectibus naturalibus. Sed hæc positio derogat divinæ bonitati, sapientiæ et virtuti, ut dictum est, et cum tollat ordinem universi et propriam operationem a rebus, et destruat judicium sensus, stulta est. — *Secunda* positio est quorumdam philosophorum, qui ut proprias operationes rerum sustineant, Deum omnia immediate creare negant, sed dicunt, quod immediate est causa primi creati, et illud est causa alterius, et sic deinceps. Sed hæc opinio erronea est, quia secundum fidem non ponimus angelos creatores, sed solum Deum creatorem omnium visibilium et invisibilium. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, c.

Tertia positio est, quod Deus immediate omnia operatur, et quod res singulæ proprias operationes habeant, per quas causæ proximæ rerum sunt, non tamen omnium, sed quarundam. Quia enim secundum fidem non ponitur creatura aliqua aliam in esse producere per creationem nec virtute propria nec aliena, ideo omnium illorum, quæ per creationem in esse exeunt, solus Deus immediate causa est. Hujusmodi autem sunt, quæ per motum in esse exire non possunt, nec per generationem, *primo*, propter simplicitatem essentiæ suæ, in qua subsistunt; quia omne, quod generatur, oportet esse compositum ex materia et forma; unde nec angeli nec animæ rationales possunt generari, sed solum creari. Secus autem de aliis formis, quæ etiamsi sunt simplices, non tamen habent esse absolutum, cum non sint subsistentes; unde exitus in esse non debetur eis, sed composito habenti talem formam, quod per se generari dicitur quasi per se esse habens; formæ vero prædictæ non dicuntur generari nisi per accidens. Et eadem ratione materia prima, quæ generationi substat, propter sui simplicitatem non generatur, sed creatur. *Secundo*, propter elongationem a contrarietate, ut corpora cœlestia; omne enim, quod generatur, generatur ex contrario. *Tertio*, propter necessitatem generantis similis in specie generato; propter quod primæ hypostases immediate a Deo creatæ sunt, ut primus homo, primus leo et sic de aliis; non enim homo generari potest nisi ab homine. Aliter autem est de illis rebus, ad quarum generationem non requiritur agens simile in specie, sed sufficit virtus cœlestis cum quali-

tatibus activis et passivis, ut quæ ex putrefactione generantur. — *Ibid.*

Aliorum vero, quæ per generationem et motum producuntur, creatura causa esse potest, *vel* ita quod causalitatem habeat supra totam speciem, sicut sol est causa in generatione hominis vel leonis; *vel* ita, quod habeat causalitatem ad unum individuum speciei tantum, sicut homo generat hominem et ignis ignem. Horum tamen causa etiam Deus est magis intime in eis operans quam aliæ causæ moventes, quia ipse est dans esse rebus. Causæ autem aliæ sunt quasi determinantes illud esse; nullius enim rei totum esse ab aliqua creatura principium sumit, cum materia a Deo solum sit; esse autem est magis intimum cuilibet rei quam ea, per quæ esse determinatur; unde et remanet illis remotis, ut in libro *de Causis* (propos. 1) dicitur; unde operatio Creatoris magis pertingit ad intima rei quam operatio causarum secundarum. Et ideo hoc, quod creatum est causa alii creaturæ, non excludit, quin Deus immediate in rebus omnibus operetur, in quantum virtus sua est sicut medium conjungens virtutem cujuslibet causæ secundæ cum suo effectu. Non enim virtus alicujus creaturae posset in suum effectum nisi per virtutem Creatoris, a quo est omnis virtus et virtutis conservatio et ordo ad effectum, quia ut in lib. *de Causis* (ibid.) dicitur, causalitas causæ secundæ firmatur per causalitatem causæ primæ. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, c.; 1a, q. 105, a. 5, c. et q. 115, a. 1, c. et a. 3, ad 2; 3. *c. Gent.* c. 69.

Ad primum ergo dicendum, quod non est ex indigentia Dei, quod causis aliis indigeat ad causandum, sed ex bonitate ipsius, qui etiam dignitatem causandi aliis conferre voluit. — 2. *Sent.* l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod non potest idem effectus secundum speciem esse a diversis agentibus immediatis habentibus operationes determinatas ad determinatos effectus sicut ab arte et natura; sed Deus non habet operationem determinatam ad aliquem effectum; imo una sola operatione potest omnes effectus, quos vult, producere. Unde eundem effectum specie, quem natura producit, Deus potest sine operante natura facere. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod circa exitum rerum in esse per generationem fuit triplex opinio. *Prima* fuit ponentium latitationem, scilicet Anaxagoræ, qui ponebat omnia in omnibus et generationem fieri per abstractionem; et sic non ponebat veram generationem, quæ est per hoc, quod nova forma substantialis acquiritur materiæ. Et in hunc defectum incidit omnis opinio antiquorum, qui non ponebant veram generationem, sed generationem esse vel per congregationem et segregationem vel per alterationem tantum; et hoc contingebat eis, quia non ponebant causam formalem, sed vel materiam tantum vel cum hac etiam agentem. Unde et ad hanc opinionem pertinere potest opinio Democriti, qui ponebat, actionem esse per effluxionem atomorum a corpore agente, et passionem esse per receptionem eorundem in corpore patientis, quam opinionem improbat Philosophus (1. *de Generat. text.* 75, sq.; c. 8). Sequeretur enim, quod corpus non pateretur per totum, et quod quantitas corporis agentis diminueretur ex hoc, quod agit, quæ sunt manifeste falsa. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, ad 4; 1a, q. 115, a. 1, c.

Est igitur *alio opinio* huic contraria, quæ fuit Platonis, qui posuit, formas separatas, quas vocavit ideas, esse inducentes formas in materiis; et quasi ad hanc opinionem reducitur opinio Avicennæ, qui dicit, quod omnes formæ sunt ab intelligentia, et agens naturale non est nisi præparans materiam ad receptionem formæ. Et ista opinio procedit ex hoc, quod vult unumquodque generari ex suo simili, quod frequenter non invenitur in rebus naturalibus, sicut in his, quæ per putrefactionem fiunt; et etiam quia ponebat, fieri per se terminari ad formam, quod non potest esse, quia per se fieri terminatur ad hoc, quod habet esse, quod est terminus factionis, et hoc est tantum compositum, non forma neque materia; unde forma non nisi per accidens generatur. — *Tertia* est Aristotelis media inter has, scilicet, quod omnes formæ sunt in potentia in materia prima, non autem actu, sicut ponentes latitationes dixerunt; et agens naturale agit non formam, sed compositum, reducendo materiam de potentia in actum. Et hoc agens naturale in sua actione est quasi instrumentum ipsius Dei agentis, qui etiam materiam condidit et formæ potentiam dedit; unde non oportet, hanc opinionem sustinendo, quod generans creet formam, vel quod faciat aliquid ex nihilo, quia non facit formam, sed compositum. — 2. *Sent.* l. c., ad 4.

Ad quartum dicendum, quod agens naturale agit et ad formam accidentalem et ad formam

substantialem; qualitas enim activa ut calor, etsi sit accidens, agit tamen in virtute formæ substantialis sicut ejus instrumentum, et ideo potest agere ad formam substantialem, sicut et calor naturalis, in quantum est instrumentum animæ, agit ad generationem carnis; ad accidens autem agit propria virtute. Nec est contra rationem accidentis, quod excelat suum subjectum in agendo, sed quod excelat in essendo. Neque ex hac positione Philosophi sequitur transitus accidentis de subjecto in subjectum, sicut imaginabatur Democritus ponens, fieri actionem per defluxum atomorum. Non enim hoc modo dicitur corpus calidum calefacere, quod idem numero calor, qui est in calefaciente corpore, transeat ad corpus calefactum, sed quia virtute caloris, qui est in calefaciente corpore, alius calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in eo in potentia. Agens enim naturale non est traducens propriam formam in alterum subjectum, sed reducens subjectum, quod patitur, de potentia in actum. — 1a, q. 115, a. 1, ad 5; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, ad 5; 3. *c. Gent.* c. 69, n. 9 in solutione rationum.

Ad quintum dicendum, quod agere ad productionem compositi substantialis et accidentalis, atque adeo agere ad formam accidentalem et substantialem est substantiæ corporeæ, non autem incorporeæ, cum illi materia corporalis non obediat ad nutum, sed tantum ad motum localem (1a, q. 110, a. 2 et 3). Unde *ad primam instantiam* dicendum, quod in animalibus, quæ ex putrefactione generantur, causatur forma substantialis ex agente corporali, scilicet corpore cœlesti, quod est primum alterans. Unde oportet, quod omnia moventia ad formam in his inferioribus agant in virtute illius; et propter hoc ad producendum aliquas formas imperfectas sufficit virtus cœlestis sine agente univoco; ad producendas autem formas perfectiores, sicut sunt animæ animalium perfectorum, requiritur cum agente cœlesti agens univocum, talia enim animalia non generantur nisi ex semine, et propter hoc dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 26; c. 2), quod sol et homo generant hominem. — 3. *c. Gent.* c. 69, n. 4 in solut. ration.

Ad secundam instantiam dicendum, non esse verum, quod quantitas impediat actionem formæ, nisi per accidens, in quantum scilicet omnis quantitas continua est in materia; forma autem in materia existens, cum sit minoris actualitatis, est per consequens minoris virtutis in agendo; unde corpus, quod habet minus de materia et plus de forma, sicut ignis, est magis activum. Supposito autem modo actionis, quam forma in materia existens, cum sit minoris actualitatis, habere potest, quantitas auget magis quam minuat actionem. Nam quanto corpus ignis fuerit majus, supposita æque intensa caliditate, tanto magis calefacit; et supposita gravitate æque intensa, quanto majus fuerit corpus grave, tanto velocius movebitur motu naturali; et inde est, quod tardius movetur motu innaturali. Quia igitur corpora gravia sunt tardioris motus innaturalis, cum fuerint majoris quantitatis, non inde ostenditur, quod quantitas impediat actionem, sed magis, quod coangeat ipsam. — *Ibid.* n. 5 et 6.

Vel dic, quod quantitas non impedit formam corporalem omnino ab actione, sed impedit eam, ne sit agens universale, in quantum forma individuatur, prout est in materia quantitati subjecta; quod patet, quia secundum quod participatur aliquid, secundum hoc est necessarium, quod participetur id, quod est ei proprium; sicut quantum participatur de lumine, tantum participatur de ratione visibilis. Agere autem, quod nihil est aliud, quam facere aliquid actu, est per se proprium actus, in quantum est actus; unde et omne agens agit sibi simile. Sic ergo ex hoc, quod aliquid est forma non determinata per materiam quantitati subjectam, habet quod sit agens indeterminatum et universale; ex hoc vero quod est determinata ad hanc materiam, habet quod sit agens contractum et particulare. Unde si esset forma ignis separata, ut Platonici posuerunt, esset aliquo modo causa omnis ignitionis; sed hæc forma ignis, quæ est in hac materia corporali, est causa hujus ignitionis, quæ est ab hoc corpore in hoc corpus; unde et fit talis actio per contactum duorum corporum. — Signum autem, quod inducitur de ponderositate corporum, non est ad propositum, *primo* quidem, quia additio quantitatis non est causa gravitatis, ut probatur in 4. *de Cœlo text.* 9; c. 2. *Secundo*, quia falsum est, quod ponderositas facit tardiorem motum; imo quanto aliquid est gravius, tanto magis movetur motu proprio. *Tertio*, quia actio non fit per motum localem, ut Democritus posuit, sed per hoc, quod aliquid reducitur de potentia in actum. — 1a, q. 115, a. 1, c. et ad 3.

Ad tertiam instantiam dicendum, quod non

oportet, quod corpus omne careat actione propter hoc, quod in ordine rerum substantia corporalis est infima secundum suum genus; quia etiam inter corpora unum est superius altero et formalius et magis activum, sicut ignis est respectu inferiorum corporum; nec tamen etiam infimum corpus excluditur ab agendo. Manifestum enim est, quod corpus non potest agere se toto, cum sit compositum ex materia, quæ est ens in potentia, et forma, quæ est actus. Agit enim unumquodque, secundum quod est actu. Et propter hoc omne corpus agit secundum suam formam, ad quam comparatur aliud corpus, scilicet patiens, secundum suam materiam ut subjectum, in quantum materia ejus est in potentia ad formam agentis. Si autem e converso ad formam corporis patientis sit in potentia materia corporis agentis, erunt agentia et patientia ad invicem, sicut accidit in duobus corporibus elementaribus; sin autem, erit unum tantum agens et alterum tantum patiens respectu illius, sicut est comparatio corporis cœlestis ad corpus elementare; sic igitur corpus agit in subjectum non ratione totius corporis, sed formæ, per quam agit. — 3. *c. Gent.* c. 69, n. 7 in solut. ration.

Ad quartam instantiam dicendum, quod corpus non est id, quod maxime distat a Deo; participat enim aliquid de similitudine divini esse secundum formam, quam habet; sed id, quod maxime distat a Deo, est materia prima, quæ nullo modo est agens, cum sit in potentia tantum. — 1a, q. 115, a. 1, ad 4.

ARTICULUS II

UTRUM CAUSALITAS AGENTIS CONSISTAT IN AGERE.

Videtur quod causalitas agentis non consistat in agere.

1. Nam agere vel facere pertinet etiam ad alias causas, puta ad formalem et finalem; dicitur enim albedo facere album; ergo causalitas agentis vel efficientis non consistit in agere vel facere. — *Tabula Aurea* voce « agere » n. 27.

2. Præterea, causalitas efficientis vel agentis constituit agens in ratione agentis et causæ; sed per actionem constituitur in tali ratione; nam agens denominatur ab actione; unde talis denominatio constituit prædicamentum actionis : ergo actio, non autem agere erit causalitas agentis. — *de Verit.* q. 28, a. 7; 3. *Phys.* l. 5.

3. Præterea, sicut per actionem infertur passio, ita per agere infertur pati; sed non omne agens per suam causalitatem efficit passionem, ut patet in agentibus actione immanente : ergo causalitas agentis non consistit in agere. — *Tabula Aurea* voce « actio » n. 22, 23, 29.

Sed contra est, quod causalitas agentis consistit in facere aliquid actu; hoc enim est per se proprium actus, in quantum est actus, unde et omne agens agit sibi simile; sed facere aliquid actu nihil est aliud quam agere : ergo causalitas agentis consistit in agere. — 1a, q. 115, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod causalitas agentis consistit in agere. Cujus ratio est, quia finis est causa agentis non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam a fine habet efficiens suam causalitatem; ideo autem finis dicitur esse causa agentis secundum causalitatem, quia a fine accipit agens, quod sit causa seu quod agat; non enim agit efficiens nisi causa finis. Sed quod agens sit actu causa et quod agat, non potest explicari nomine abstracto actionis; nam cum actio sic sumpta significetur per modum rei, non significat causalitatem, sed effectum causalitatis; unde denominatio agentis ab actione est denominatio ab effectu. Optime vero explicatur nomine concreto actionis, quod est agere; nam cum hoc importet inhærentiam actionis ad subjectum, significat, ipsum subjectum esse actu causam, et quod actu agit, in quo consistit causalitas agentis. — 5. *Metaphys.* l. 2; *de Verit.* q. 28, a. 7; 3. *Phys.* l. 5; 1. *Periherm.* l. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod agere tripliciter sumitur : primo efficienter, et in hoc consistit causalitas agentis; secundo formaliter, et in hoc consistit causalitas formæ; tertio finaliter, et in hoc consistit causalitas finis. Agere tamen per se sumptum tantum significat causalitatem agentis. — *Tabula Aurea* voce « agere » n. 27.

Ad secundum dicendum, quod denominatio agentis ab actione est tamquam ab effectu; denominatio vero agentis ab agere est tamquam a causalitate agentis, ut dictum est (in c.)

Ad tertium dicendum, quod per solam actionem transeuntem infertur passio, non autem

per immanentem; et ideo causalitas agentis potest esse agere. — *Tabula Aurea* voce « actio » n. 22, 23, 29.

ARTICULUS III

UTRUM CAUSA EFFICIENS RECTE A PHILOSOPHO DEFINIATUR.

Videtur quod non recte a Philosopho definiatur efficiens, quod sit, unde primum principium motus et quietis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 2; c. 1), quod natura est primum principium motus; sed causa efficiens non est natura, quia natura tantum dividitur in materiam et formam, ut patet 2. *Phys. text.* 7, seq.; c. 1: ergo male definitur causa efficiens, unde primum principium motus. (2. *Phys.* l. 1). — Sed dices, quod natura est primum principium motus in eo, in quo est, et efficiens est primum principium motus in alio.

2. Sed contra alteratio, qua vivens alterat cibum ad sui augmentationem, est a natura, et similiter alteratio corporum simplicium, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 1; c. 1); sed hæ actiones et motus sunt in alio, ut per se patet; nam aqua calefit ab igne, et aer convertitur in ignem ab ipso igne, et alimentum alteratur ab animali : ergo. — 2. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 29; c. 3), quod tam consilians quam præparans rem et illam perficiens sunt causæ efficientes; sed perficiens rem non est primum principium motus et constitutionis rei; nam præsupponit actionem consiliantis et præparantis : ergo male definitur efficiens, unde primum principium motus. — 2. *Phys.* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 29; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2) definit causam efficientem, quod sit, unde primum principium motus et status. — l. c.; 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

Respondeo dicendum, quod recte definitur a Philosopho causa efficiens : unde primum principium motus aut quietis. Causa enim constituitur et multiplicatur ex varia ratione causandi; ratio autem causandi efficientis optime explicatur per hoc, quod sit id, a quo vel unde est primum principium motus aut quietis. Sic enim explicatur influxus in effectum, qui est de ratione causæ, ut dictum est (supra q. 7, a. 2 et 3), et distinguitur causa efficiens ab aliis causis. Nam causa materialis est id, ex quo aliquid fit, cum insit; formalis vero, cum sit ratio et quodquid erat esse rei, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 28; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2), est id, per quod aliquid et est in actu et actu hoc, ut dictum est (supra q. 6, a. 2 et 3); finalis est id, propter quod res est; efficiens vero est id, a quo vel unde est primum principium motus aut quietis et consequenter rei; nam motus est via ad rem, unde non distinguitur a re, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 4 et 7; c. 1). — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 3 (2); 1a, q. 11, a. 2; 2. *c. Gent.* c. 16; 3. *Phys.* l. 1 et 2.

Ad primum ergo dicendum, quod efficiens est primum principium motus in alio; natura vero est principium motus in eo, in quo est, ut dictum est in objecto. — 2. *Phys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod augmentatio est a natura, quia cibus est intra vivens, et quia ex parte cibi est in eo principium passivum motus, sicut et in alteratione, ut dictum est (supra q. 6, a. 1). — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod tam consilians quam præparans et perficiens sunt primum principium motus in suo genere, unum in ratione causæ moralis, aliud in genere causæ physicæ, sed inchoantis, aliud in eodem genere, sed complentis. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

ARTICULUS IV

UTRUM DEUS IN OMNI OPERATIONE SECUNDI AGENTIS OPERETUR, SEU IN NATURA ET VOLUNTATE OPERANTIBUS OPERETUR.

Videtur quod Deus in nulla operatione agentis secundi seu in nulla creatura operante operetur.

1. Natura enim neque deficit in necessariis neque abundat in superfluis; sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis et passiva ex parte patientis : ergo non requiritur virtus divina in rebus operans. (*de Pot.* q. 3, a. 7, arg. 1). — Sed dices, quod virtus activa naturæ dependet in sua operatione ab operatione divina.

2. Contra, sicut operatio naturæ creatæ

dependet ab operatione divina, ita operatio corporis elementaris dependet ab operatione corporis cœlestis; nam corpus cœleste comparatur ad corpus elementare sicut causa prima ad secundam; sed non dicitur, quod corpus cœleste operetur in quolibet corpore elementari agente : ergo non est dicendum, quod Deus operetur in qualibet operatione naturæ. — *de Pot.* q. 3, a. 7, arg. 2.

3. Præterea, si Deus operatur in qualibet operatione naturæ, *aut* una et eadem operatione operatur Deus et natura, *aut* diversis; sed non una et eadem, quia una actio a duobus agentibus non videtur progredi posse; unitas enim operationis attestatur unitati naturæ. Unde quia in Christo sunt duæ naturæ, sunt etiam ibi duæ operationes; creaturæ autem et Dei constat non esse unam naturam. Similiter nec est possibile, quod sint operationes diversæ; nam diversæ operationes non videntur ad idem factum terminari, cum motus et operationes penes terminos distinguantur; ergo nullo modo est possibile, quod Deus in natura operetur. (*Ibid.* arg. 3; 1a, q. 105, a. 5, arg. 2; 3. *c. Gent.* c. 70, n. 1) — Sed dices, quod duæ operationes possunt terminari ad idem, quæ se habent secundum prius et posterius.

4. Contra, ea, quæ immediate se habent ad aliquid unum, non habent ad invicem ordinem; sed tam Deus quam creatura immediate operantur effectum naturalem : ergo operatio Dei et operatio creaturæ non se habent secundum prius et posterius. — *de Pot.* q. 3, a. 7, arg. 4.

5. Præterea, quandocunque Deus aliquam naturam instituit, ex hoc ipso dat ei omnia illa, quæ sunt de ratione illius naturæ; sicut ex hoc ipso, quod facit hominem, dat ei animam rationalem; sed de ratione virtutis est, quod sit principium agendi, cum virtus sit ultimum potentiæ, quæ est principium agendi in alio, secundum quod est aliud, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 12 : ergo ex hoc ipso, quod virtutes naturales rebus indidit, dedit eis, quod operationes naturales perficerent; unde non oportet, quod ulterius in rebus naturalibus operetur. — *Ibid.* arg. 5.

6. Præterea, si Deus in natura operante operatur, oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat; nam agens agendo aliquid actu facit; aut ergo illud sufficit ad hoc, quod natura possit per se operari, aut non. Si sufficit, cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione potest dici, quod et virtus naturalis sufficiebat ad agendum; nec oportebit, quod Deus postquam virtutem naturæ contulit, ulterius ad ejus operationem aliquid operetur. Si autem non sufficit, oportebit, quod ibi aliquid aliud iterum faciat, et si illud non sufficit, iterum aliud et sic in infinitum, quod est impossibile; nam unus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis, quia cum infinita non sit pertransire, nunquam compleretur; ergo standum est in primo, dicendo, quod virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem sine hoc, quod Deus in ea ulterius operetur. — *Ibid.* arg. 7.

7. Præterea, posita causa agente ex necessitate naturæ sequitur ejus actio, nisi per accidens impediatur, eo quod natura est determinata ad unum; si ergo calor ignis ex necessitate naturæ agit, ergo posito calore sequitur calefactio, nec requiritur aliqua virtus superior agens in ipso calefaciente. — *Ibid.* arg. 8.

8. Præterea ea, quæ sunt omnino disparata, possunt ab invicem separari; sed actio Dei et actio naturæ sunt omnino disparatæ, cum Deus agat per voluntatem, natura autem per necessitatem : ergo actio Dei potest separari ab actione naturæ, et ita non oportet, quod Deus in natura agente operetur. — *Ibid.* arg. 9.

9. Præterea, voluntas est domina sui actus; hoc autem non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis : ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante. — *de Pot.* q. 3, a. 7, arg. 13.

10. Præterea, liberum est, quod causa sui est, ut dicitur 1. *Metaphys.* c. 2; quod ergo non potest agere nisi causa in ipso agente, non est liberum in agendo; sed voluntas nostra est libera in agendo : ergo potest agere nulla alia causa in ipsa agente, et sic idem quod prius. — l. c. arg. 14.

11. Præterea, causa prima plus est influens in causatum quam causa secunda; si ergo Deus operatur in voluntate et natura, sicut prima causa in secunda, sequitur quod defectus, qui accidunt in operatione voluntatis et naturæ, magis Deo quam voluntati et naturæ tribuerentur, quod est absurdum. — *Ibid.* arg. 15.

12. Præterea, posita causa sufficienter operante superfluum est alterius causæ opera-

tionem ponere; quod enim potest fieri sufficienter per unum, superfluum est, quod fiat per multa. Sic videmus, quod natura non facit per duo instrumenta, quod potest facere per unum; sed constat, si Deus operatur in natura et voluntate operantibus, quod sufficienter operatur, quia nulla insufficientia est Deo attribuenda, et cum totum effectum producat, nihil de effectu producendo reliquit naturali agenti : ergo superflueret omnis operatio naturæ vel voluntatis. Vel si ponitur natura vel voluntas sufficienter propriam operationem vel effectum producere, superflua erit operatio Dei ad operationem vel effectum, quem creatura producit, producendum. — *Ibid.* arg. 16; 3. *c. Gent.* c. 70, n. 2 et 3; 1a, q. 105, a. 5, arg. 1.

13. Præterea, faciens dicitur esse causa operationis facti, in quantum dat ei formam, qua operatur; si igitur Deus est causa operationis rerum factarum ab ipso, hoc erit in quantum dat eis virtutem operandi; sed hoc est a principio, quando rem facit : ergo videtur, quod ulterius non operetur in operatione creaturæ. — 1a, q. 105, a. 5, arg. 3.

Sed contra : 1. sicut ars præsupponit naturam, ita natura præsupponit Deum; sed in operatione artis operatur natura; non enim sine operatione naturæ artis operatio efficitur, sicut igne emollitur ferrum, ut percussione fabri extendatur : ergo et Deus in operatione naturæ operatur. — *de Pot.* q. 3, a. 7, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, virtus Dei est in quolibet ente, quia Deus in omnibus rebus esse dicitur per essentiam, præsentiam, potentiam; sed non est dicendum, quod virtus divina, secundum quod est in rebus, sit otiosa : ergo secundum quod est in natura, operatur. Nec potest dici, quod aliud quam ipsa natura operetur, cum non appareat ibi nisi una operatio : ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur. — l. c. arg. 5 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod simpliciter concedendum est, Deum operari in natura et voluntate operantibus, quidquid in contrarium afferant ita tribuentes Deo omnem naturæ operationem, ut nulla virtus creata aliquid operetur in rebus, sed solus Deus immediate omnia operetur, quorum sententia superius reprobata est. Manifesta enim est hæc veritas *primo* per fidem; hinc enim est, quod dicitur *Isai.* 26, 12 : omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine; et hoc ipsum, quod Salomon dicit : cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, vertet illud (*Proverb.* 21, 1), ostendit, non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Eodem etiam pertinent verba illa *Joan.* 15, 5 : sine me nihil potestis facere; et *ad Philipp.* 2, 13 : Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Et hac ratione frequenter in Scriptura naturæ effectus operationi divinæ attribuuntur, quia ipse est, qui operatur in omni operante per naturam vel per voluntatem. Sicut illud *Job.* 10, 10 et 11 : nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti; pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me? et in *Psalm.* 17, 14 : intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis. — 3. *c. Gent.* c. 67.

Secundo per auctoritatem Philosophi; arguit enim lib. 7, c. 18 (14) *Eudemicæ Ethicæ* per hunc modum : hujus, quod aliquis intelligat, consilietur et eligat et velit, oportet aliquid esse causam, quia omne novum oportet quod habeat aliquam causam; si autem est causa ejus aliud consilium et alia voluntas præcedens, cum non sit procedere in his in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum. Hujusmodi autem primum oportet esse aliquid, quod est melius ratione; nihil autem est melius intellectu et ratione nisi Deus; est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum et voluntatum. — 3. *c. Gent.* c. 89, n. 6.

Tertio ratione, quia Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius; ergo res creata non potest virtute sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem, in cujus virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus; quod in artifice apparet, in cujus virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum. — l. c. n. 3.

Deus igitur est causa creaturæ non solum virtutis agendi, sed etiam actionis, et per consequens Deus in creatura operante operatur. Quod quidem qualiter intelligi possit, ostendendum est. Sciendum namque est, quod actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter, et *primo* quidem, quia tribuit ei

virtutem operandi, sicut dicitur 8. *Phys. text.* 32 (c. 4), quod generans movet grave et leve, in quantum dat virtutem, ad quam sequitur talis motus, et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt. *Secundo*, quia conservat virtutem illius in esse; conservans enim virtutem alicujus dicitur facere actionem; sic enim medicinæ conservantes visum dicuntur facere videre. Et hoc modo dicitur Deus causa actionis rei naturalis, quatenus conservat virtutem naturalem in esse ad differentiam generantis, quod virtutem quidem tribuit gravi et levi, non tamen eam ulterius conservat. *Tertio*, quia movet illam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, neque coefficientia cum ipsa re ad actionem ipsius, sed applicatio virtutis illius rei ad actionem, atque adeo facere, ut res illa agat, seu operari in illa, ut agat; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota, eo quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cœlum autem est alterans non alteratum, et tamen non est movens nisi motum, et hoc non cessat, quousque perveniatur ad Deum, — sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum. — *de Pot.* q. 3, a. 7, c.

Sed ulterius invenimus, secundum ordinem causarum esse ordinem effectuum, quod necesse est propter similitudinem causæ et effectus; nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam, quamvis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causæ per motum ejus, sicut dolabra non est causa rei artificiatæ per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis, a quo movetur, et eam quodammodo participat. Unde *quarto modo* una res est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti; et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior; et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus, quod est ens, et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturæ; quorum primum est commune omnibus entibus; secundum omnibus rebus naturalibus; tertium in una specie, et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei; ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior aliis effectibus, et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus. Unde etiam, ut dicitur in lib. *de Causis* (propos. 9), intelligentia non dat esse, nisi prout in ea est virtus divina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinæ virtutis operantis. Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens creatum particulare est immediatum ad suum effectum; si autem consideremus virtutem, qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui quam virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris, unde dicitur in lib. *de Causis* (propos. 1), quod virtus causæ primæ prius agit in causatum et vehementius ingreditur in ipsum. — *de Pot.* q. 3, a. 7, c.

Sic ergo oportet virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti; sed in hoc differt; quia ubicunque est virtus divina, est essentia divina; non autem essentia corporis cœlestis est, ubicunque est sua virtus; et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste. Et ideo potest dici, quod Deus in qualibet re operatur in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum; non autem potest proprie dici, quod cœlum semper agat in corpore elementari. — Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, *primo*, in quantum dat virtutem agendi; *secundo*, in quantum conservat illam; *tertio*, in quantum applicat eandem actioni; *quarto*, in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit; *quinto*, in ratione finis; nam

cum omnis operatio sit aliquod bonum verum vel apparens, nihil autem sit vel appareat bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus, sequitur quod Deus sit cujuslibet operationis causa ut finis. Quod si conjunxerimus his, quod Deus est sua virtus et quod est intra quamlibet rem atque adeo intra quamlibet operationem et effectum rei per essentiam, præsentiam et potentiam, neque ibi sit vel tamquam pars rei vel otiosa, sed sicut operans id, quod operatur ipsa creatura, — sequitur, quod *sexto* modo sit Deus in qualibet operatione agentis et in quolibet ejus effectu per coefficientiam et cooperationem cum creatura operante. — *de Pot.* q. 3, a. 7; 1a, q. 105, a. 5; 3. *c. Gent.* c. 67, 70, 89.

Ad primum dicendum, quod virtus activa et passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo seu in ordine secundorum agentium; requiritur tamen virtus divina ob rationes dictas, nimirum tamquam virtus primi agentis. — *de Pot.* l. c. ad 1; 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod operatio virtutis naturalis ad Deum, et corporis naturalis elementaris ad corpus cœleste sunt quantum ad aliquid similes, non autem quantum ad omnia, ut dictum est (supra in c.) — *de Pot.* q. 3, a. 7, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis, sed nihil prohibet, quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente. — 1a, q. 105, a. 5, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod tam Deus quam creatura immediate operantur, licet ordinentur secundum prius et posterius. — *de Pot.* l. c. ad 4.

Ad quintum dicendum, quod de ratione inferioris virtutis est, quod sit operationis principium in suo ordine, id est, ut agat ut instrumentum superioris virtutis et tamquam agens secundum subordinatum primo. — *Ibid.* ad 5; 1a, l. c. ad 1 et 2.

Ad sextum dicendum, quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura: sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quodd m incompletum per modum, quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem ei dari potuit, quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei, quod esset universale principium essendi. Nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret seipsam, nec ut conservaret se in esse; unde sicut instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione divina. — *de Pot.* q. 3, a. 7, ad 7.

Ad septimum dicendum, quod necessitas naturæ, per quam agit calor, constituitur ex ordine omnium causarum præcedentium; unde non excluditur virtus primæ causæ. — *Ibid.* ad 8.

Ad octavum dicendum, quod licet natura et voluntas sint secundum esse disparata, in agendo tamen habent aliquem ordinem. Nam sicut actio naturæ præcedit actionem nostræ voluntatis, ratione cujus in operibus artis, quæ a voluntate sunt, naturæ operatione indiget; ita voluntas Dei, quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ; unde et ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur. — *Ibid.* ad 9.

Ad nonum dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntatem, ut eam de necessitate determinet ad unum, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis. — *Ibid.* ad 13.

Ad decimum dicendum, quod non quælibet causa excludit libertatem, sed solum causa cogens et necessitans; sic autem Deus non est causa operationis nostræ liberæ. — l. c. ad 13 et 14.

Ad undecimum dicendum, quod quia causa prima magis influit in effectum quam secunda, ideo quidquid perfectionis est in effectu, principaliter reducitur ad causam primam; quod autem est de defectu, reducitur ad causam secundam, quæ non ita efficaciter operatur sicut causa prima. — *Ibid.* ad 15.

Ad duodecimum dicendum, quod Deus perfecte operatur ut causa prima; requiri-

tur tamen operatio creaturæ ut causæ secundæ; unde idem effectus est et a Deo et a creatura, non tamen ita, ut sit partim a Deo, partim a creatura, sed totus est ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus tribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus. Et hinc colligitur, quod si res naturalis producit effectum, non est superfluum, quod Deus illum producat, sicut neque est superfluum, si Deus per se ipsum potest omnes effectus naturales producere, quod per quasdam alias causas simul producantur. Non enim hoc est ex insufficientia divinæ virtutis, sed ut servetur ordo in rebus creatis ejusque decor appareat, et ut magis manifestetur immensitas divinæ bonitatis, per quam Deus suam similitudinem rebus communicare voluit non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causæ essent; his enim duobus modis creaturæ communiter omnes divinam similitudinem consequuntur. — *de Pot.* q. 3, a. 7, ad 16; 1a, q. 105, a. 5, ad 1; 3. *c. Gent.* c. 70, n. 3 et 2 et c. 21.

Ad tertium decimum dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse et applicat eas ad agendum et cum illis coefficit et cooperatur ad earum operationes et effectus producendos, ut dictum est (supra in c.) — 1a, l. c. ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM RES NATURALES TANTUM DISPONANT MATERIAM AD FORMAM SUBSTANTIALEM, ET SOLUS DEUS ILLAM PRODUCAT PER CREATIONEM.

Videtur quod formæ substantiales a Deo per creationem producantur et res naturales tantum disponant materiam ad illas.

1. Dicitur enim in lib. *de Causis* (propos. 18), quod esse per creationem producitur; sed in generatione substantiali producitur esse: ergo Deus operatur in materia aliquid creando. — *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 19.

2. Præterea id, quod non habet materiam partem sui, non potest ex materia fieri; sed formæ non habent materiam partem sui, quia distinguuntur contra materiam et contra compositum: ergo cum formæ fiant, quia de novo esse incipiunt, non fiunt ex materia, sed ex nihilo, et consequenter creabuntur. (l. c. arg. 6.) — Sed dices, quod licet formæ naturales non habeant materiam partem sui, ex qua sint, habent tamen materiam, in qua sunt, et pro tanto non creantur.

3. Contra, sicut aliæ formæ naturales, ita et anima rationalis est forma in materia; sed anima rationalis ponitur creari; ergo et similiter de aliis formis naturalibus ponendum. (l. c. arg. 7). — Sed dices, quod anima rationalis non educitur de materia sicut aliæ formæ.

4. Contra, nihil educitur de aliquo, quod non est in eo; sed ante finem generationis forma, quæ est generationis terminus, non erat in materia; alias essent formæ contrariæ in materia simul: ergo formæ naturales non educuntur de materia. — l. c. arg. 8.

5. Præterea forma, quæ est terminus generationis, non apparebat ante generationem completam; si ergo erat ibi, erat latens, et ita sequitur latitatio cujuslibet in quolibet, quam ponebat Anaxagoras, et Aristoteles improbat in 1. *Phys.* a *text.* 32; c. 4. (*de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 9) — Sed dices, quod forma naturalis non existebat in materia ante generationem complete, ut Anaxagoras ponebat, sed incomplete.

6. Contra, si forma aliquo modo est in materia ante terminum generationis, puta incomplete, secundum aliquid sui ibi est; et si non est complete, secundum aliquid sui ibi non est; habet ergo forma aliquid et aliquid, et sic non est simplex, cujus contrarium habetur in principio lib. *Sex Principiorum* (Gilberti Porretani). — *de Pot.* l. c. arg. 10.

7. Præterea, si non complete præexistit in materia et postmodum completur, oportet, quod per generationem ei adveniat complementum; illud autem complementum in materia non præexistebat, quia sic fuisset ibi complete: ergo illud complementum per creationem erit ad minus. (*Ibid.* arg. 11) — Sed dices, quod præexistebat in materia incomplete, non quidem secundum partem, sed quia alio modo erat ante et alio modo post; prius enim erat in potentia, sed post est in actu.

8. Contra, ex hoc quod aliquid alio et alio modo se habet, est alteratio, non generatio; si ergo per opus naturæ non fit aliquid, nisi quod forma, quæ prius erat in potentia, postea fit actu, sequitur quod per operationem naturæ non sit aliqua generatio, sed alteratio sola. — l. c. arg. 12.

9. Præterea, in natura inferiori non inveni-

tur aliquod activum principium nisi accidens; nam ignis agit per calorem, qui est accidens, et similiter de aliis; sed accidens non potest esse causa activa formæ substantialis, quia nihil agit ultra suam speciem; effectus autem non præeminet causæ, cum tamen forma substantialis præemineat accidenti : ergo forma substantialis non producitur per actionem naturæ inferioris, et ita oportet, quod sit per creationem. — *de Pot.* q. 3, a. 8, arg. 13.

10. Præterea, imperfectum non potest esse causa perfecti; sed in semine bruti animalis non est vis animæ nisi imperfecte : ergo anima bruti non producitur per actionem naturalem virtutis seminalis; ergo fit per creationem et pari ratione omnes aliæ formæ naturales. — arg. 14.

11. Præterea illud, quod non est animatum et vivum, non potest esse causa rei animatæ viventis; sed animalia, quæ generantur ex putrefactione, sunt res animatæ viventes; non autem inveniuntur in natura aliqua viventia, in quibus eis vita conferatur : ergo oportet, quod eorum animæ sint per creationem a primo vivente, et pari ratione aliæ formæ naturales. — arg. 15.

12. Præterea, natura non agit nisi sibi simile; sed aliqua res naturalis invenitur generari, cujus similitudo in generante non præcessit; mulus enim neque equo neque asino similis est in specie : ergo forma muli non est per actionem naturæ, sed per creationem. — *In c.* arg. 16.

13. Præterea id, quod est per se, est causa ejus, quod non est per se; sed formæ rerum naturalium non sunt per se, sed sunt in materia : ergo earum causa est forma per se stans, et ita oportet, quod formæ naturales sint per creationem ab agente extrinseco. — arg. 20.

Sed contra : 1. Nihil potest creare nisi solus Deus; si ergo formæ sunt per creationem, non erunt nisi a Deo, et sic omnis actio naturæ frustrabitur, cujus finis est forma. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra*.

2. Præterea, sicut forma substantialis non habet materiam partem sui, ita nec forma accidentalis; si ergo propter hoc formas substantiales oportet esse per creationem, quia non habent materiam, pari ratione et formas accidentales; sicut autem res generata perficitur per formam substantialem, ita fit dispositio per formam accidentalem : ergo res naturalis nullo modo erit generans, neque sicut perficiens, neque sicut disponens, et sic cassa erit omnis actio naturæ. — arg. 3 *ibid.*

3. Præterea, natura est ex similibus similia procreans; sed generatum invenitur simile procreanti in specie et forma : ergo ipsa forma generati fit per actionem generantis et non per creationem. — arg. 4 *ibid.*

Respondeo dicendum, quod circa istam quæstionem diversæ fuerunt opiniones, quarum omnium videtur radix fuisse unum et idem principium, secundum quod natura non potest ex nihilo aliquid facere. Ex hoc enim *aliqui* crediderunt, quod nulla res fieret nisi per hoc, quod extrahebatur a re alia, in qua latebat, sicut de Anaxagora narrat Philosophus (1. *Phys.* a *text.* 32; c. 4); qui ex hoc videtur fuisse deceptus, quia non distinguebat inter potentiam et actum; putabat enim oportere, quod actu præexisteret illud, quod generatur; oportet autem, quod præexistat potentia et non actu. Si enim non præexisteret potentia, fieret ex nihilo; si vero præexisteret actu, non fieret, quia quod est, non fit. — Sed quia res generata est in potentia per materiam, et in actu per suam formam, posuerunt *aliqui*, quod res fiebat quantum ad formam ex materia præexistente. Et quia operatio naturæ non potest esse ex nihilo, et per consequens oportet, quod sit ex præsuppositione, non operabitur secundum eos natura nisi ex parte materiæ, disponendo ipsam ad formam; formam vero, quam oportet fieri et non præsupponi, oportet esse ex agente, qui non præsupponit aliquid, sed potest ex nihilo facere. Et hoc est agens supernaturale, quod Plato posuit datorem formarum; et hoc Avicenna dixit esse intelligentiam ultimam inter substantias separatas. Quidam vero moderni eos sequentes dicunt, hoc esse Deum. Hoc autem videtur esse inconveniens, quia, cum unumquodque natum sit simile sibi agere (nam unumquodque agit in eo, quod actu est, hoc scilicet, quod est in potentia id, quod agendum est), non requireretur similitudo secundum formam substantialem in agente naturali, nisi forma substantialis geniti esset per actionem agentis. Ex quo etiam id, quod in genito acquirendum est, actu in generante naturali invenitur, et unumquodque agit, secundum quod actu est; inconveniens videtur, hoc generante prætermisso aliud exterius inquirere. — *de Pot.* q. 3, a. 8, c.

Unde sciendum est, quod istæ opiniones videntur provenisse ex hoc, quod ignoratur natura formæ, sicut et primæ proveniunt ex hoc, quod ignorabatur natura materiæ. Forma enim naturalis non dicitur univoce esse cum re genita. Res enim generata dicitur esse per se et proprie, quasi habens esse et in suo esse subsistens. Forma autem non sic esse dicitur, cum non subsistat nec per se esse habeat, sed dicitur esse vel ens, quia ea aliquid est, sicut et accidentia dicuntur entia, quia substantia eis est vel quanta vel qualis, non quod eis sit simpliciter sicut per formam substantialem ; unde accidentia magis proprie dicuntur entis quam entia, ut patet in 7. *Metaphys. text.* 2 ; l. 6, c. 1. Unumquodque autem factum hoc modo dicitur fieri, quo dicitur esse ; nam esse est terminus factionis; unde illud, quod proprie fit, per se est compositum ; forma autem non proprie fit, sed est id, quo fit, id est per cujus acquisitionem aliquid fieri dicitur. Nihil ergo obstat per hoc, quod dicitur, quod per naturam ex nihilo nihil fit, quin formas substantiales ex operatione naturæ esse dicamus. Nam id, quod fit, non est forma, sed compositum, quod ex materia fit et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum per hoc, quod est in potentia ad formam ; et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de potentia materiæ educatur. Ex hoc autem ipso, quod compositum fit et non forma, ostendit Philosophus in 7. *Metaphys.* (*text.* 26 et 27; l. 6, c. 8), quod formæ sunt ex agentibus naturalibus. Nam cum factum oporteat esse simile facienti, ex quo id, quod factum est, est compositum, oportet id, quod est faciens, esse compositum, et non forma per se existens, ut Plato dicebat ; ut sic, sicut factum est compositum, quo autem fit, est forma in materia in actum reducta ; ita generans sit compositum, non forma tantum ; sed forma sit, quo generat : forma, inquam, in hac materia existens, sicut in his carnibus et in his ossibus et in aliis huiusmodi. — *de Pot.* q. 3, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod esse per creationem dari dicitur, in quantum omnis causa secunda dans esse hoc habet, in quantum agit in virtute primæ causæ creantis, cum esse sit primus effectus nihil aliud præsupponens. —*Ibid.* ad 19.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc, quod forma non habet materiam partem sui, sequitur, quod ei creari competeret, si proprie fieri posset, sicut res per se subsistens. — l. c. ad 6.

Ad tertium dicendum, quod licet anima rationalis habeat materiam, in qua sit, non tamen educitur de potentia materiæ, cum ejus natura supra omnem materialem ordinem elevetur, quod ejus intellectualis operatio declarat ; et iterum hæc forma est res per se subsistens, cum corrupto corpore maneat. — l. c. ad 7.

Ad quartum dicendum, quod forma, quæ est generationis terminus, erat in materia ante generationem completam, non in actu, sed in potentia; non est autem inconveniens, duorum contrariorum unum esse actu et aliud potentia. — l. c. ad 8.

Ad quintum patet ex dictis; nam Anaxagoras non ponebat, formas actu præexistere in materia, sed latere. — l. c. ad 9.

Ad sextum dicendum, quod forma præexistit in materia imperfecte, non quod aliqua pars ejus sit ibi in actu et alia desit, sed quia tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu. — *Ibid.* ad 10.

Ad septimum dicendum, quod non perficitur esse formæ in materia alio exteriori addito, quod in potentia materiæ non esset. — *Ibid.* ad 11.

Ad octavum dicendum, quod esse in potentia et esse in actu non dicunt diversos modos accidentales, ex quorum diversitate alteratio proveniat, sed substantiales; unde etiam substantia dividitur per potentiam et actum, sicut et quodlibet genus. — l. c. ad 12.

Ad nonum dicendum, quod forma accidentalis agit in virtute formæ substantialis quasi instrumentum ejus, sicut etiam in 2. *de Anima text.* 50 (c. 4) calor ignis dicitur instrumentum virtutis nutritivæ ; et ideo non est inconveniens, si actio formæ accidentalis ad formam substantialem terminetur. — l. c. ad 13.

Ad decimum dicendum, quod etiam in semine calor seminis agit ut instrumentum virtutis animæ, quæ est in semine, quæ quidem licet imperfecta sit, tamen est impressio

quædam animæ perfectæ relicta; unde agit et in virtute animæ generantis, et similiter in virtute corporis cœlestis, cujus est quasi instrumentum ; et propter hoc non dicitur, quod semen generat, sed quod animal et sol. — *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 14.

Ad undecimum dicendum, quod animalia generata ex putrefactione sunt minoris perfectionis aliis animalibus; unde in eorum generatione efficit vis cœlestis corporis inferiori materiæ impressa, quod in generatione animalium perfectorum facit eadem cœlestis vis cum virtute seminis. — l. c. ad 15.

Ad duodecimum dicendum, quod licet mulus non sit similis equo vel asino in specie, est tamen similis in genere proximo, ratione cujus similitudinis ex diversis speciebus una species quasi media generatur. — l. c. ad 16.

Ad decimum tertium dicendum, quod forma naturalis, quæ est in materia, non potest reduci ad formam per se existentem ejusdem speciei, cum forma naturalis habeat materiam in sui ratione, sed reducitur ad formam per se existentem sicut ad primum exemplar et non sicut ad proximum. — l. c. ad 18 et 20.

ARTICULUS VI

UTRUM CREATIO ET CONSERVATIO EJUSDEM REI SINT ACTIONES REALITER DISTINCTÆ.

Videtur quod creatio et conservatio ejusdem rei sint actiones realiter distinctæ.

1. Actio enim supponens aliam ab illa realiter distinguitur; sed conservatio rei et est actio, quia Deus conservando res aliquid agit, propter quod *Joan.* 5, 17 dicitur : « Pater meus usque modo operatur » ; et supponit actionem productivam rei, puta creationem : ergo creatio et conservatio ejusdem rei realiter inter se distinguuntur. — *de Pot.* q. 5, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, conservatio rei pertinet ad causalitatem formæ substantialis; nam hæc est principium essendi; per idem autem res est et in esse conservatur; creatio autem pertinet ad causalitatem causæ efficientis : ergo creatio distinguitur a conservatione. — *Ibid.* arg. 7 et 10; 1a, q. 104, a. 2, arg. *Sed contra.*

3. Præterea, creatio durat per instans ; dicit enim novitatem essendi et incœptionem, quæ est in instanti; conservatio vero est et durat per tempus sequens : ergo creatio et conservatio realiter distinguuntur. — *de Pot.* q. 3, a. 3, arg. 6 et ad 6.

4. Præterea, creare est communicabile creaturæ, non autem est communicabile posse conservare; nam cum unaquæque res magis sit proxima sibi quam alteri rei, sicut non potest communicari alicui creaturæ, ut conservet seipsam, ita multo minus poterit communicari, quod conservet aliam; ergo. — *de Pot.* q. 5, a. 2, arg. 1; 1a, q. 104, a. 2, arg. 2.

Sed contra est, quod conservatio nihil est aliud quam continuata creatio et productio rei; sicut conservatio luminis in aere est per continuatum influxum a sole : ergo creatio et conservatio non distinguuntur realiter. — 1a, l. c. a. 1, ad 4.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, conservationem non esse actionem realiter distinctam a creatione rei. Et ratio est, quia per quamlibet actionem agentis, si sit efficax, aliquid fit in effectu; unde si conservatio est actio distincta realiter a creatione, oportet, quod per actionem conservantis aliquid fiat in re producta; quod esse non potest, quia per hujusmodi actionem neque fit ipsum esse rei, quia quod jam est, non fit; neque aliquid aliud superadditum, quia vel non continue conservaretur res in esse, vel aliquid continue adderetur rei creatæ et productæ, quod est inconveniens. — 1a, q. 104, a. 1, arg. 4; *de Pot.* q. 5, a. 1, arg. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Deus eadem virtute producit et conservat res (et idem dico de agente creato, ut de sole illuminante aerem), ita eadem actione producit res in esse et eas in esse conservat; ipsum enim esse rerum permanentium non est divisibile nisi per accidens, prout alicui motui subjacet; secundum se autem est in instanti. Unde operatio Dei, quæ est per se causa, quod res sit, non est alia, secundum quod facit principium essendi et essendi continuationem; est enim conservatio continuatio actionis, qua datur esse, sicut et conservatio luminis in aere est, ut dictum est, per continuatum influxum a sole. — *de Pot.* l. c. ad 2; 1a, q. 104, a. 1, c. et ad 4; 2. *Sent.* dist. 15, q. 3, a. 3, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod quia divina actione cessante creatura deficeret et conse-

ter conservationem formæ requiritur conservatio Dei, quæ eadem est realiter cum productione ejusdem, ut dictum est. — *de Pot.* q. 5, a. 1, ad 10; 1a, q. 104, a. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod creatio et conservatio dicunt in recto actionem divinam, quæ est ejus essentia, et ideo sunt idem realiter; differunt tamen ratione, quia creatio connotat relationem rationis Dei ad creaturam cum novitate essendi et incœptione, quam novitatem et incœptionem non importat conservatio. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 2 et 6.

Ad quartum dicendum, quod cum propria causa sit conservativa effectus ab ea dependentis, sicut nulli effectui præstari potest, quod sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari, quod sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest, quod sit sui ipsius conservativus, potest tamen ei præstari, quod sit conservativus alterius. (1a, q. 104, a. 2, ad 2). An vero possit communicari creaturæ, quod sit creativa alterius, communiter tenent quod non; quod saltem intelligendum est, secundum quod est actus primi agentis. — *de Pot.* q. 5, a. 2, ad 1.

ARTICULUS VII

UTRUM RES CONSERVENTUR IN ESSE A DEO, AN VERO CIRCUMSCRIPTA OMNI ACTIONE DEI, PER SE IN ESSE PERMANEANT, ITA UT NON EGEANT A DEO CONSERVARI.

Videtur quod creaturæ, circumscripta omni actione Dei, per se in esse permaneant, ita ut non egeant a Deo conservari.

1. Quod enim non potest non esse, non eget, ut conservetur, et consequenter circumscripta omni actione Dei permanet in esse; sicut quod non potest abscedere, non indiget, ut conservetur, ne abscedat; sed quædam creaturæ sunt, quæ secundum sui naturam non possunt non esse: ergo non omnes creaturæ indigent, ut a Deo conserventur in esse. Probatur media; quod per se inest alicui, necesse est ei inesse, et oppositum ejus impossibile est ei inesse; sicut necessarium est binarium esse parem, et impossibile est eum esse imparem; esse autem per se consequitur ad formam, quia unumquodque secundum hoc est ens actu, quod habet formam. Quædam autem creaturæ sunt, quæ sunt formæ quædam subsistentes, ut angeli, et sic per se inest eis esse; et eadem ratio est de illis, quorum materia non est in potentia nisi ad unam formam, ut sunt corpora cœlestia. Hujusmodi ergo creaturæ secundum suam naturam ex necessitate sunt, et non possunt non esse; potentia enim ad non esse non potest fundari neque in forma, quam per se sequitur esse, neque in materia existente sub forma, quam non potest amittere, cum non sit in potentia ad aliam formam. — 1a, q. 104, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, Deus est potentior quolibet creato agente; sed aliquod creatum agens potest communicare suo effectui, ut conservetur in esse, etiam ejus operatione cessante; sicut cessante actione ædificatoris remanet domus, et cessante actione ignis remanet aqua calefacta per aliquod tempus: ergo multo magis Deus potest suæ creaturæ conferre, quod conservetur in esse, sua operatione cessante. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, nullum violentum potest contingere absque aliqua causa agente; sed tendere ad non esse est innaturale et violentum cuilibet creaturæ, quia quælibet creatura appetit esse: ergo nulla creatura potest tendere in non esse nisi aliquo agente ad corruptionem; sed quædam sunt, ad quorum corruptionem nihil agere potest, sicut spirituales substantiæ et corpora cœlestia: ergo hujusmodi creaturæ non possunt tendere in non esse, etiam operatione Dei cessante. — l. c. arg. 3.

4. Præterea, Dei perfecta sunt opera, ut dicitur *Deuteron.* 32, 4; sed hoc falsum esset si res in esse conservari non possent, sed indigerent conservari a Deo: ergo. Minor patet *primo*, quia perfectum est, cui nihil deest secundum Philosophum (3. *Phys. text.* 63 et 64; c. 6); ei autem aliquid deest ad suum esse, quod non potest esse nisi aliquo exteriori agente. *Secundo*, quia perfectum secundum naturam est, quod habet totum illud, cujus natura sua est capax; quod vero hujusmodi est, potest remanere in esse, circumscripta omni conservatione Dei; alioqui, cum per conservationem, quia est actio, aliquid recipiatur in effectu, nondum res producta haberet totum suum esse, et sic non esset perfecta. *Tertio*, quia unumquodque non est perfectum, nisi perficiat hoc, ad quod est; principia autem, cum ad hoc sint, ut res in esse conservent, si non possunt rem in esse quenter et ipsa forma substantialis, ideo pra

esse tenere, essent imperfecta, et ita non essent opera Dei, quod est absurdum. — *de Pot.* q. 5, a. 1, arg. 1, 2, 3.

5. Præterea, si res aliqua desinit esse, aut hoc est propter materiam aut propter hoc, quod est ex nihilo; materia autem non est causa corruptionis, nisi secundum quod est subjecta contrarietati; non autem in omnibus creaturis est materia talis : ergo illa, in quibus non est materia subjecta contrarietati, ut corpora cœlestia, non possunt deficere ratione materiæ; nec iterum ratione ejus, quod sunt ex nihilo, quia ex nihilo nihil sequitur, et nihilum nihil agit et ita non corrumpit : ergo cessante omni actione divina hujusmodi res esse non desinerent. — *Ibid.* arg. 8.

Sed contra est : 1. quod dicitur *ad Hebr.* 1, 3 : « portans *omnia verbo virtutis suæ.* »— 1a, q. 104, a. 1 *Sed contra*; *de Pot.* q. 5, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, in lib. *de Causis* (propos. 9) dicitur, quod omnis intelligentiæ fixio, id est permanentia et essentia, est per bonitatem, quæ est causa prima; multo ergo fortius istæ creaturæ non figuntur in esse nisi per Deum. — *de Pot.* q. 5, a. 1, arg. 4 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere secundum fidem et secundum rationem, quod creaturæ conservantur in esse a Deo, ita ut in momento in nihilum redigerentur, si a Deo desererentur. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod aliquid conservatur ab altero dupliciter : *uno modo* indirecte et per accidens, sicut ille dicitur rem conservare, qui removet corrumpens; puta si aliquis puerum custodiat, ne cadat in ignem, dicitur eum conservare. Et sic etiam Deus dicitur aliqua conservare, sed non omnia, quia quædam sunt, quæ non habent corrumpentia, quæ necesse est removere ad rei conservationem. *Alio modo* dicitur aliquid rem aliquam conservare per se et directe, quando scilicet illud, quod conservatur, dependet a conservante, ut sine eo esse non possit. Et hoc modo omnes creaturæ indigent divina conservatione; dependet enim esse cujuslibet creaturæ a Deo, ita quod nec per momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinæ virtutis conservarentur in esse, sicut dicit S. Gregor. M. l. 16 *Moral.* c. 18 (Migne PP. L. 75, col. 1143, n. 45). — 1a, q. 104, a. 1, c. Et hoc sic perspici potest. Omnis enim effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus. Sed considerandum est, quod est aliquod agens causa sui effectus secundum fieri tantum et non directe secundum esse ejus; quod quidem contingit et in artificialibus et in naturalibus. Ædificator enim est causa domus quantum ad ejus fieri, non autem directe quantum ad ejus esse; manifestum enim est, quod esse domus consequitur formam ejus; forma autem domus est compositio et ordo, quæ quidem forma consequitur naturalem virtutem quarumdam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem activam v. g. ignis, ita ædificator facit domum adhibendo cementum, lapides et ligna, quæ sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis; unde esse domus dependet ex naturis harum rerum, sicut fieri domus dependet ex actione ædificatoris. — Et simili ratione est considerandum in rebus naturalibus; quia si aliquod agens non est causa formæ in quantum hujusmodi, non erit per se causa esse, quod consequitur ad talem formam, sed erit causa effectus secundum fieri tantum. Manifestum est autem, quod si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formæ alterius, in quantum est talis forma, quia sic esset causa formæ propriæ, cum sit eadem ratio utriusque; sed potest esse causa hujusmodi formæ, secundum quod est in materia, id est quod hæc materia acquirat hanc formam; et hoc est esse causam secundum fieri, sicut cum homo generat hominem et ignis ignem. — 1a, q. 104, a. 1, c.

Et ideo quandoque naturalis effectus est natus impressionem agentis recipere secundum eandem rationem, secundum quam est in agente; et tunc fieri effectus dependet ab agente, non autem esse ipsius. Sed aliquando effectus non est natus recipere impressionem agentis secundum eandem rationem, secundum quam est in agente, sicut patet in omnibus agentibus, quæ non agunt simile secundum speciem; sicut cœlestia corpora sunt causa generationis inferiorum corporum dissimilium secundum speciem; et tale agens potest esse causa formæ secundum rationem talis formæ, et non solum secundum quod acquiritur in hac materia, et ideo est causa non solum fiendi, sed etiam essendi. Sicut igitur fieri rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri, ita nec esse rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus non solum secundum fieri,

sed etiam secundum esse. Et hæc est ratio, quare aqua calefacta retinet calorem cessante actione ignis, non autem remanet aer illuminatus, nec ad momentum, cessante actione solis; quia scilicet materia aquæ susceptiva est caloris ignis secundum eandem rationem, qua est in igne. Unde si perfecte perducatur ad formam ignis, retinebit calorem semper; si autem imperfecte participet aliquid de forma ignis secundum quandam inchoationem, calor non semper remanebit, sed ad tempus propter debilem participationem principii caloris. Aer autem nullo modo natus est recipere lumen secundum eandem rationem, secundum quam est in sole, ut scilicet recipiat formam solis, quæ est principium luminis; et ideo quia non habet radicem in aere, statim cessat lumen cessante actione solis. — Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aer autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis; ita Deus solus est ens per essentiam suam, quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit ejus esse. Et ideo S. Aug. *super Genes. ad Litt.* (l. 8, c. 12; Migne PP. L. t. 34, col. 383, n. 23) dicit, quod sicut aer præsente lumine fit lucidus, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur. — 1a, q. 104, a. 1, c.; *de Pot.* q. 5, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod esse per se consequitur formam creaturæ, supposito tamen influxu Dei, sicut lumen sequitur diaphanum aeris, supposito tamen influxu solis; unde potentia ad non esse in spiritualibus creaturis et corporibus cœlestibus magis est in Deo, qui potest subtrahere suum influxum, quam in forma vel in materia talium creaturarum. — 1a, q. 104, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod Deus non potest communicare alicui creaturæ, ut conservetur in esse sua actione cessante, sicut non potest ei communicare, quod non sit causa illius; in tantum enim indiget creatura conservari a Deo, in quantum esse effectus dependet a causa essendi. Unde non est simile de agente, quod non est causa essendi, sed fieri tantum. — l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de conservatione, quæ est per remotionem corrumpentis, qua non indigent omnes creaturæ, ut dictum est (in c.) — l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod creaturæ Dei sunt perfectæ in sua natura et in suo ordine; sed inter alia, quæ ad earum perfectionem requiruntur, hoc etiam est, quod a Deo contineantur in esse; continentur autem in esse per eandem operationem, qua illas produxit in esse; unde non est verum, quod res productæ recipiat novum esse. Et licet quandiu principia essentialia rerum sunt, tandiu res conserventur in esse, ipsa tamen rerum principia esse desinerent divina actione cessante. — *de Pot.* q. 5, a. 1, ad 1, 2, 3.

Ad quintum dicendum, quod creatura deficeret divina actione cessante, non propter contrarium, quod sit in materia, quia ipsum etiam cum materia cessaret; sed propter hoc, quod creatura est ex nihilo, non propter hoc, quod nihilum aliquid ageret ad corruptionem, sed non ageret ad conservationem. — l. c. ad 8; v. supra in c.

ARTICULUS VIII

UTRUM DEUS IMMEDIATE OMNEM CREATURAM CONSERVET.

Videtur quod Deus immediate omnem creaturam conservet.

1. Eadem enim actione Deus est conservator rerum, qua et creator, ut dictum est (supra a. 6, c. et ad 1); sed Deus immediate est creator omnium : ergo immediate est etiam conservator. — 1a, q. 104, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, unaquæque res magis est proxima sibi quam rei alteri; sed non potest communicari alicui creaturæ, quod conservet seipsam : ergo multo minus potest communicari, quod conservet aliam; ergo Deus omnia conservat absque alia causa conservante. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, effectus conservatur in esse ab eo, quod est causa ejus non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse; sed omnes causæ creatæ, ut videtur, non sunt causæ suorum effectuum nisi secundum fieri; non sunt enim causæ nisi movendo : ergo non sunt causæ conservantes suos effectus in esse. — l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod per idem conserva-

tur res, per quod habet esse; sed Deus dat esse rebus mediantibus aliquibus causis mediis : ergo etiam eas in esse conservat mediantibus aliquibus causis. — *Ibid. Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (supra a. 7), dupliciter aliquid rem aliquam in esse conservat : *uno modo* indirecte et per accidens, per hoc, quod removet vel impedit actionem corrumpentis; *alio modo* directe et per se, quia ab eo dependet esse alterius, sicut a causa dependet effectus. Utroque autem modo aliqua res creata invenitur esse alterius conservativa. Manifestum est enim, quod etiam in rebus corporalibus multa sunt, quæ impediunt actiones corrumpentium et per hoc dicuntur rerum conservativa, sicut sal impedit carnes a putrefactione; et simile est in multis aliis. Invenitur etiam, quod ab aliqua creatura dependet aliquis effectus secundum suum esse. Cum enim sunt multæ causæ ordinatæ, necesse est, quod effectus dependeat primo quidem et principaliter a causa prima, secundario vero ab omnibus causis mediis; et ideo principaliter quidem prima causa est effectus conservativa, secundario vero omnes mediæ causæ, et tanto magis, quanto causa fuerit altior et primæ causæ proximior. Unde superioribus causis etiam in corporalibus rebus attribuitur conservatio et permanentia rerum; sicut dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 34; l. 11, c. 6), quod primus motus, scilicet diurnus, est causa continuitatis generationis; secundus autem motus, qui est per zodiacum, est causa diversitatis, quæ est secundum generationem et corruptionem; et similiter astrologi attribuunt Saturno, qui est supremus planetarum, res fixas et permanentes. Sic igitur dicendum est, quod Deus conservat res quasdam in esse mediantibus aliquibus causis. — 1a, q. 104, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus immediate omnia creavit, et in ipsa rerum creatione ordinem in rebus instituit, ut quædam ab aliis dependerent, per quas secundario conservarentur in esse, præsupposita tamen principali conservatione, quæ est ab ipso. — Ibid. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod cum propria causa sit conservativa effectus ab ea dependentis, sicut nulli effectui præstari potest, quod sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari, quod sit causa alterius, ita etiam nulli effectui præstari potest, quod sit sui ipsius conservativus, potest tamen ei præstari, quod sit conservativus alterius. — Ibid. c. ad 2; *de Pot.* q. 5, a. 2.

Ad tertium dicendum, quod nulla creatura potest esse causa alterius quantum ad hoc, quod acquirat novam formam vel dispositionem, nisi per modum alicujus mutationis, quia semper agit præsupposito aliquo subjecto. Sed postquam formam vel dispositionem induxit in effectu, absque alia immutatione effectus hujusmodi formam conservat; sicut in aere prout illuminatur de novo, intelligitur quædam mutatio, sed conservatio luminis est absque aeris immutatione, ex sola præsentia illuminantis. — 1a, q. 104, a. 2, ad 3.

QUÆSTIO XII

DE CAUSA FINALI.

Deinde considerandum est de causa finali.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR SEX :

1. Utrum finis sit causa.
2. Utrum definitio finis sit, esse id, cujus gratia res fit.
3. Utrum de ratione finis sit, esse ultimum simpliciter, ita ut nullo modo dentur fines intermedii.
4. Utrum causalitas finis sit ab agente appeti vel desiderari.
5. Utrum finis causet secundum esse reale an vero secundum esse intentionale.
6. Utrum omnia agant propter finem.

ARTICULUS I

UTRUM FINIS SIT CAUSA.

Videtur quod finis non sit causa.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 1; l. 4, c. 1), quod omnis causa est principium; sed finis opponitur principio, cum sit terminus rei : ergo finis non est causa. — 5. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, causa naturaliter est prior effectu; sed finis habet rationem ultimi, ut sonat ipsum nomen; ergo finis non habet rationem causæ. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3); 5. *Metaphys.* l. 2; 1a 2æ, q. 1, a. 1, arg. 1.

3. Præterea illud, quod non est in rerum natura, non potest actu agere; sed finis dum

movet et agit, non est in rerum natura, sed tantum est in mente : ergo finis non est causa, saltem realis et physica, sicut sunt materia, forma et efficiens. — 3a, q. 62, a. 6, c.

4. Præterea, finis est effectus efficientis; nam efficiens perducit ad hoc, quod finis sit; sed nullus effectus est causa sui efficientis; alioqui idem se haberet in ratione principii et ejus, quod est a principio, seu idem produceretur ab eo, cujus est principium, quod est absurdum : ergo finis non est causa. — 5. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 5 et 10; Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 11, a. 1, ad 3; *de Pot.* q. 10, a. 4, ad 6.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 28 sqq.; c. 3, et 1. *Metaphys.* sum. 2, c. 1; c. 3, et 5. *Metaphys. text.* 2 et 3; l. 4, c. 2) probat, quatuor esse genera causarum, et inter illa numerat finem. — 2. *Phys.* l. 5 et 10; 5. *Metaphys.* l. 2.

5. Præterea, hæc quæstio : *quare* vel *propter quid*, ut argumentatur Philosophus (5. *Metaphys.* l. c.) probans, finem esse causam, quærit de causa; cum autem quæritur, quare vel propter quid quis ambulat, convenienter respondentes dicimus : ut sanetur, et sic respondentes opinamur reddere causam; respondemus autem per finem : ergo finis est causa. — Il. cit.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod finis sit causa. Cujus ratio duplex afferri potest : *una* ex definitione causæ; causa enim est, ad quam sequitur esse alterius; hoc autem convenit fini. Nam actio agentis, ad quam sequitur effectus, ad aliquod determinatum tendit, sicut ab aliquo determinato principio procedit; nam omne agens agit, quod sibi conveniens est; id autem, ad quod tendit actio agentis, dicitur causa finalis, sicut id, a quo procedit, dicitur causa efficiens. — 2. *Phys.* l. 10.

Altera est ex ordinatione causarum ad invicem; causæ enim ita sunt sibi invicem ordinatæ, ut si prima subtrahatur, necesse sit alias subtrahi; prima autem inter omnes causas est causa finalis. Quod sic probatur, quia materia non sequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente; nihil enim reducit se de potentia ad actum; agens autem non movet, nisi ex intentione finis. Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis. Unde manifestum est, quod finis habet rationem causæ. — 1a 2æ, q. 1, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod finis est oppositus tantum principio efficienti, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* sum. 2, c. 1; c. 3); nam efficiens est principium motus, finis autem est terminus motus. —1. *Metaphys.* l. 4 (3); *Tabula Aurea* voce « causa » n. 51.

Ad secundum dicendum, quod finis, etsi sit postremus in executione, est tamen primus in intentione agentis, et hoc modo habet rationem causæ. — 1a 2ae, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod duplex est movens : *unum*, quod movet secundum usum exteriorum rerum; et hoc debet esse in rerum natura ad hoc, ut moveat; et ideo quia causa efficiens movet hoc modo, debet, antequam moveat et actu causet, esse in rerum natura; *alterum* quod movet, secundum quod est in mente, seu per actum animæ, et hoc movet actu, licet nondum sit in rerum natura, sed sufficit, quod sit apprehensum et desideratum; et hoc modo movet finis. — 3a, q. 62, a. 6, c.

Ad quartum dicendum, quod finis est effectus efficientis quantum ad esse, sed est causa ipsius quoad rationem causalitatis; unde licet sit posterior efficiente secundum esse, est tamen prior illo secundum rationem, ut dictum est (supra q. 7, a. 3, quæstiunc. 2, ad 4).

ARTICULUS II

UTRUM DEFINITIO FINIS SIT, ESSE ID CUJUS GRATIA.

Videtur quod definitio finis non sit, esse id cujus gratia.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Metaphys.* sum. 2, c. 1; c. 3) finem definiens, quod finis est terminus motus; sed unius rei una tantum est definitio, ut dictum est (supra q. 3, a. 14, arg. 1) : ergo non recte definitur finis, quod sit cujus gratia. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3).

2. Præterea, finis, ut dicit Philosophus l. c., est bonum; sed definitio boni non est esse id, cujus gratia, sed esse quid appetibile; unde Philosophus (1. *Ethic.* c. 1) dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt : ergo finis non recte definitur, quod sit cujus gratia. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3); 1a, q. 5, a. 1, c.

3. Præterea, de ratione finis est esse desideratum vel appetitum ab his, quæ finem

nondum attingunt, et esse dilectum vel diligibile ab his, quæ finem participant; sed esse appetitum et dilectum pertinent ad rationem boni, ut dictum est (arg. præced.) : ergo finis non recte definitur, quod sit cujus gratia. — *de Verit.* q. 21, a. 2, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 29; c. 3 et 5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2) definit finem, quod sit id, cujus gratia. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod omnia intermedia, quæ sunt inter primum agens et ultimum finem, dicuntur finis respectu præcedentium, et efficiens respectu sequentium, non nisi quia præcedentia fiunt gratia illorum; ergo finis recte definitur id, cujus gratia. — *Ibidem.*

Respondeo dicendum, quod finis dupliciter potest considerari : *uno modo*, secundum esse seu in executione; et sic est terminus motus et non est causa. Nam causa est prior effectu; at finis secundum suum esse et in executione consideratus est ultimum in generatione, et propterea veteres philosophi hanc causam prætermiserunt, ut dicit Philosophus (1. *Metaphys.* l. c.) — *Alio modo*, ut est in intentione, quomodo habet rationem causæ; nam ab illo ut sic dependent omnes causæ, ita ut illa subtracta, ceteræ removeantur, ut dictum est (a. 1); et hoc modo definitur finis, quod sit id, cujus gratia. Quæ definitio, quod sit recte tradita, patet *primum*, quia per illam essentialiter distinguitur finis a ceteris causis. Sicut enim efficiens est, unde principium motus, materia vero, ex quo aliquid fit ut inexistente, forma ratio ipsius quod quid erat esse, ita finis est cujus gratia; omnia enim fiunt causa finis. *Deinde*, quia hæc definitio optime explicat rationem finis; hæc enim proprie respicit motum, operationem et ordinem rei ad rem, et ideo non est in mathematicis; cum autem dicimus, quod finis sit cujus gratia, significamus, gratia finis agens se movere ad operandum et assumere media propter consecutionem finis. Unde manifestum est, quod definitio finis recte tradita est. — *Tabula Aurea* voce « finis » n. 5 et 6; 1a 2ae, q. 1 a. 1, arg. 1 et ad 1; 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.*, l. 2; 3. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 4, ad 11.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus (1. *Metaphys.* l. c.) per tria notificavit causam finalem, puta per esse terminum motus, per esse cujus gratia, et per esse bonum, — quia finis quoad suum esse est terminus motus et opponitur principio efficienti, et non est causa; quoad rationem vero causalitatis seu quoad esse in intentione, est causa, et omnium prima, et definitur id, cujus gratia, ut dictum est (a. 1); quoad fundamentum vero suæ causalitatis et rationis, convenit illi esse bonum; nihil enim habet, ut sibi conveniat ratio finis, ut scilicet sit id, propter quod aliquid est vel fit, nisi quia est bonum. Et ratio est, quia finis cujuslibet rei est ejus perfectio; eatenus autem aliquid est perfectio alicujus, quatenus est bonum ipsius. — 1. *Metaphys.* l. 4 (3); 3. *c. Gent.* c. 16 et 17; v. Ferrariensem in h. loc.

Ad secundum dicendum, quod bonum est fundamentum finis, ut dictum est (*ad primum*).

Ad tertium dicendum, quod finis est quid appetitum et desideratum et dilectum ratione sui fundamenti; nam bonum est, quod omnia appetunt, ut dictum est (supra arg. 2). Ratio tamen boni et ratio finis distinguuntur; nam ratio boni cum in hoc consistat, quod sit quid appetibile, dicit ordinem ad appetitum; ratio vero finis dicit ordinem ad motum et operationem, et dicit ordinem rei ad rem, ut dictum est (in c.). — *Tabula Aurea* voce « bonum » n. 61 et 62; 1a, q. 5, a. 6, c.

ARTICULUS III

UTRUM DE RATIONE FINIS SIT, ESSE ULTIMUM SIMPLICITER, ITA UT NON DENTUR FINES INTERMEDII.

Videtur quod de ratione finis sit esse ultimum simpliciter.

1. Probat enim Philosophus (2. *Metaphys. text.* 8; l. 1 min. c. 2), quod in finibus non datur processus in infinitum; quia si datur talis processus, tollitur ratio ultimi, qua sublata tollitur ratio finis; ergo de ratione finis est esse ultimum simpliciter. — 2. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, Philosophus ibidem dicit, quod finis est terminus rei; sed de ratione termini est esse ultimum simpliciter; nam si non esset quid ultimum simpliciter, non esset terminus, sed terminatus; ergo de ratione finis est esse ultimum simpliciter. — *Ibidem.*

3. Præterea, Philosophus (2. *Phys. text.*

23; c. 2) consentit cum poeta dicente, quod de ratione finis est, esse ultimum, et (2. *Ethic. ad Eudem.* c. 1) finis, inquit, et ultimum et optimum est, utpote cujus gratia cetera fiunt; ergo. — 2. *Phys.* l. 4.

4. Præterea, finis est, quem propter seipsum, et propter quem cetera volumus, ut dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 2; c. 1). Nam si non propter se, sed propter aliud appeteretur, non appeteretur ut finis, sed ut medium; sed hæ conditiones finis non conveniunt finibus intermediis, sed tantum fini ultimo simpliciter; nam illi appetuntur propter ultimum : ergo de ratione finis est, esse ultimum simpliciter, et consequenter non dantur proprie fines intermedii. — 1. *Ethic.* l. 2; 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2; 3. *c. Gent.* c. 17.

5. Præterea, bonum sufficienter dividitur in honestum, delectabile et utile; sed horum bonorum ideo utile non est finis, quia non appetitur propter se, sed propter aliud : ergo de ratione finis est, quod propter illum cetera omnia sint volita, et per consequens quod sit ultimum simpliciter. — *Tabula Aurea* voce « bonum » n. 52 et 54.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 29; c. 3) dicit, quod non solum finis dicitur id, quod est ultimum simpliciter, puta sanitas, sed etiam omnia, quæ sunt intermedia inter primum movens et ultimum finem, ut macies, quæ est propter sanitatem ut ultimum finem simpliciter, est finis purgationis, et purgatio potionis, et potio organorum, et organa sunt fines in operatione vel inquisitione organorum. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 1), quod quando actio habet opus post se relictum, tam actio est finis agentis (quod idem dicit 2. *de Cœlo text.* 17; c. 3), quam opus, et quod hoc est finis melior; sed actio non potest esse finis ultimus simpliciter, quia non possunt dari duo fines ultimi simpliciter : ergo erit finis intermedius, et ita de ratione finis non est, esse ultimum simpliciter. — 1. *Ethic.* l. 1 et 9; 2. *de Cœlo* l. 4.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 2; c. 1), quod finis civilis, quippe quæ est præstantissima omnium scientiarum, amplectitur fines aliarum, ut militaris, equestris et frenefactoriæ; sed non potest amplecti illos tamquam fines ultimos simpliciter : ergo tamquam fines intermedios et subordinatos. Nam finis frenefactoriæ est propter finem equestris; finis hujus est propter finem militaris, qui est victoria, et hæc propter bonum humanum, quod est finis civilis. — 1. *Ethic.* l. 1.

4. Præterea, (1. *Ethic.* c. 7; c. 5) dicit Philosophus, quod tres sunt gradus finium; nam *aliqui* sunt imperfecti, quia movent agens, sed non propter bonitatem, quam habent in se, sed quia sunt quid utile ad aliud, ut potio amara. *Quidam* vero sunt perfecti; nam movent agens secundum bonitatem, quam habent in se, appetuntur tamen propter aliud, ut potio dulcis. *Quidam* vero sunt perfectissimi, qui movent secundum bonitatem, quam habent in se, et movent propter illam et non propter aliquid aliud. Sed primus et secundus finis non possunt habere rationem ultimi simpliciter, ut patet; nam hoc tantum convenit tertio : ergo sunt fines non ultimi simpliciter, sed intermedii, et consequenter de ratione finis non est, quod sit ultimum simpliciter. — 1. *Ethic.* l. 9.

5. Præterea, qui vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult nisi sanitatem, et hoc solum est, quod movet voluntatem, et est ejus finis; sed qui sumit potionem dulcem, non solum illam vult propter sanitatem, sed etiam propter se, et ideo tam sanitas quam dulcedo est finis respectu voluntatis; sed dulcedo non est finis ultimus; nam hic est sanitas : ergo erit finis intermedius. — 1a, q. 19, a. 2, ad 2.

Respondeo dicendum, quod de ratione finis est, esse ultimum, non tamen simpliciter, sed respectu aliquorum, et consequenter dantur fines intermedii præter ultimum. — Et quidem *quod finis sit quid ultimum*, patet ex dictis (a. 1. et 2); licet enim consideratus finis secundum rationem causalitatis sit prima omnium causarum, consideratus tamen secundum esse, est omnium postrema, ut dictum est. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2; 1. *Ethic.* l. 1 et 9.

Quod vero de ratione illius non sit, esse ultimum simpliciter, sed respectu aliquorum multipliciter potest esse manifestum. *Et primo* quidem ex proportione finis ad agens. Ita enim de ratione finis est, esse ultimum, sicut de ratione efficientis est, esse primum, unde motus, ut definit Philosophus (2. *Phys. text.* 29 c. 3, et 2. *Metaphys. text.* 5; l. 1 min. c. 2). De ratione autem efficientis non est, esse primum principium simpliciter, sed tantum

aliquorum; alioqui nec causæ secundæ creatæ nec instrumenta dicerentur causæ efficientes, nec in genere causarum efficientium darentur causa prima et secunda, quod est falsum : ergo nec de ratione finis est, esse ultimum simpliciter. — *Et confirmatur*; nam cum agens ad finem moveat, et finis moveat agentis desiderium, oportet gradus finium proportionari gradibus efficientium. Sed vere datur triplex agens : *unum* imperfectum, quod non agit per propriam formam, sed in quantum est motum ab alio, unde effectus secundum formam adeptam non assimilatur agenti, sed ei, a quo motum est agens, ut cum malleus facit cultellum. *Aliud* perfectum, quod assimilat effectum suæ formæ, per quam agit, sed moveri indiget ab alio priore et universaliore, ut sunt omnes causæ secundæ creatæ. *Aliud* perfectissimum, quod agit secundum proprium formam et non movetur ab alio, ut est Deus. Ergo dabitur etiam triplex genus finium, ut dictum est (arg. 4 *Sed contra*) ex Philosopho, quorum duo non nisi fines intermedii dici possunt. Et vere sicut agere secundum propriam formam, sed motum ab alio, est differentia constituens intra genus agentis unam speciem ita movere secundum bonitatem propriam, sed propter alterum potest esse differentia constituens intra genus finis unam speciem, puta finis intermedii; nam sicut forma est ratio agendi ipsi efficienti, ita bonitas est ratio ipsi fini movendi agens. — 2. *Phys.* l. 5 : 2. *Metaphys.* l. 2; 1. *Ethic.* l. 9; 3. *c. Gent.* c. 17.

Secundo ex definitione finis; definitur enim a Philosopho, ut dictum est, quod sit cujus gratia, seu propter quod aliud; ergo de ratione finis tantum est, esse ultimum respectu aliquorum, quæ fiunt propter ipsum. Sed quod est tale, potest ipsum propter aliud appeti, ut patet in medicina dulci; nam propter ejus dulcedinem potest quis medicum adire, et rursum eadem appeti potest propter sanitatem. Similiter propter bonum virtutis potest quis aliquid facere, et rursum bonum virtutis potest appeti propter beatitudinem : neque enim inconveniens est, quod aliquid propter se ametur, quia est formaliter in se bonum, et per consequens propter illud ametur aliquid, et rursum illud ad aliud ordinetur et propter illud appetatur, ut dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 7; c. 5). — 1. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 1, ad 3; *Expositio in Epist. ad Galat.* c. 5, l. 6; 1. *Anim.* l. 9.

Tertio ex ratione ultimi. *Vel* enim de ratione finis est, esse quod ultimum; et hoc non, quia sic mors esset proprie finis, quia est quod ultimum, quod tamen negat Philosophus (5. *Metaphys. text.* 21; l. 4, c. 15) asserens, non nisi metaphorice mortem dici finem, quia est quod ultimum; — *vel* est esse ultimum simpliciter in genere appetibilium; et hoc etiam non, *tum quia* bonum honestum seu virtutis est vere finis, et tamen non est ultimum appetibile simpliciter et ultimus finis (nam hic est sola felicitas; quod ex eo manifestum est, quod frui tantum spectat ad finem ultimum; solo Deo autem fruimur, qui est nostra beatitudo, non virtutibus); — *tum quia* si de ratione finis est, ut sit ultimum appetibile simpliciter, ita ut cetera omnia propter illud appetantur, maxime est, quia si ipse appetitur propter aliud, jam non habet rationem finis, sed medii. Sed hoc nihil est, quia etiam medium ut medium, cum sit terminus appetitus, licet ordinetur ad aliud, habet rationem finis, inquit Philosophus (1. *Ethic.* c. 7; c. 5); et multo magis, si tale medium habet bonitatem in se, propter quam appeti possit, ut est bonum honestum et delectabile; nam tunc et propter se appetitur, et consequenter propter illud aliqua, et ipsum appetitur propter aliud tamquam finem, ut dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 7; c. 5). *Demum quia*, si de ratione finis est, ut cetera omnia appetantur propter ipsum, et ipsum non appetatur propter aliud, sed propter se tantum, sequitur, quod nullus dabitur ultimus finis naturalis. Nam felicitas hominis, ut ait Philosophus (l. c.), consistit in eo, quod sibi quis provideat et possit providere aliis usque ad certum terminum, puta consanguineis et amicis propriis; nam si deberet posse providere omnibus etiam amicis amicorum et sic in infinitum, nullus posset talem sufficientiam acquirere, cum sit infinita, et ita nullus posset esse felix; ergo de ratione finis non est, ut omnia appetantur propter ipsum, sed tantum ut aliqua; id vero, propter quod aliqua tantum appetuntur, non implicat posse appeti ut sic propter aliud. Sicut enim quantitas, cum sit accidens, secundum totum suum esse dicit ordinem ad substantiam et ab illa dependet, et tamen secundum idem esse termi-

nat dependentiam suarum passionum, respectu quarum habet rationem finis (subjectum enim est causa passionum in triplici genere causæ, puta efficientis, materialis et finalis); — ita quod est medium ad finem ultimum, ratione suæ bonitatis intrinsecæ potest esse finis aliquorum et consequenter esse id, propter quod aliqua appetantur, et ita erit finis intermedius, ac proinde non erit de ratione finis, quod sit ultimum simpliciter in genere appetibilium, sed tantum quod sit ultimum respectu aliquorum; nam et est terminus motus, inquit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 22; l. 4, c. 17), et est id, cujus gratia, ut docet idem (2. *Phys. text.* 29; c. 3). — 5. *Metaphys.* l. 18 (21); *Tabula Aurea* voce « bonum » n. 54; 1. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 1, ad 3; *Expositio in Epist. ad Galat.* c. 5, l. 6; 1a, q. 77, a. 6, c.; 1. *Ethic.* l. 9; 5. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 5.

Postremo ex proportione ad terminum et finem motus corporis naturalis. Sicut enim terminatur motus corporis naturalis dupliciter : uno modo simpliciter ad ultimum; alio modo secundum quid ad medium, per quod itur ad ultimum, quod terminat motum (dicitur enim aliquid terminus et finis motus, in quantum aliquam partem motus terminat); — ita in motu appetitus duplex erit terminus et finis : unus ultimus simpliciter, qui appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, quod est bonum, honestum et delectabile; alter vero, quod est appetibile, terminans motum secundum quid, ut medium scilicet, per quod tenditur in aliud, quod est bonum utile, et est finis non ultimus, sed intermedius. — Et sic manifestum est, quod de ratione finis non est, quod sit ultimum simpliciter, sed tantum respectu aliquorum. — 1a, q. 5, a. 6, c.

Ad primum ergo *dicendum primo*, quod ex processu Philosophi l. c. manifeste colligitur, quod de ratione finis non est, quod sit ultimum simpliciter, sed respectu aliquorum tantum. *Quod patet primo, quia* ibi quærit, utrum in finibus dari possit processus in infinitum; at hæc quæstio supponit, dari posse plures fines intermedios præter ultimum simpliciter. Nam si non posset hoc dari, frustra quæreretur de processu in infinitum, sicut quia non possunt dari plures dii, quorum quilibet sit verus Deus, nec naturaliter plures soles, nullus quærit, utrum dari possit processus in infinitum in veris diis vel in solibus et lunis. *Secundo, quia* eodem modo quærit de finibus, quo de aliis causis; sed in omnibus aliis causis dantur causæ primæ et mediæ seu secundæ : ergo et in finibus debent dari ultimus et intermedius. *Tertio, quia* sicut definit ibi finem, quod sit ultimum, ita definit efficiens, quod sit primum principium motus; sed non obstante definitione efficientis admittit Philosophus plures causas efficientes, quarum una est prima simpliciter, et alia est prima secundum quid seu media : ergo non obstante definitione finis, in genere finium dabuntur unus finis ultimus et alii intermedii. — *Dicendum secundo*, quod Philosophus loc. cit. tantum vult, quod sublata motione ultimi finis in actu exercito, tollitur et motus finium intermediorum, et consequenter omnino tollitur finis, in actu scilicet exercito, quoad causalitatem scilicet; quod patet. Nam ibidem probat, non dari processum in infinitum in finibus, ex eo, quod non daretur ultimus finis, et consequenter tolleretur terminus actionis et actio ipsa, quia nullus conatur aliquid facere, si non putat, se posse pervenire ad terminum; quæ probatio clare demonstrat, ibi sermonem tantum esse de fine quoad causalitatem seu in actu exercito, et non de fine in actu signato, seu de definitione et ratione finis et ultimi secundum se. — 2. *Metaphys.* l. 4; 3. *c. Gent.* c. 17.

Ad secundum dicendum, quod de ratione termini non est, esse ultimum simpliciter, sed respectu alicujus, ut patet ex motu corporis naturalis et appetitus, ut dictum est (in c. art.)

Ad tertium dicendum, quod de ratione finis ultimi est, quod sit ultimum simpliciter, et de hoc loquitur Philosophus 1. *Ethic.* c. 2 et 7 (c. 1 et 5) et 2. *Ethic. ad Eudem.* c. 1; de ratione vero finis intermedii est, esse ultimum respectu aliquorum, de quo loquitur Philosophus 2. *Phys. text.* 29; c. 3. — 1. *Ethic.* l. 1; 2. *Phys.* l. 5.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus loquitur de fine ultimo; et ad probationem dicendum, quod bonum utile etiam habet rationem finis, ut dicit Philosophus 1. *Ethic.* c. 7 (5); et patet ex termino et fine corporis naturalis, ut dictum est (arg. 4 *Sed contra* et in c. art.) — Et sic patet *ad quintum*.

ARTICULUS IV

UTRUM CAUSALITAS FINIS SIT APPETI ET DESIDERARI AB AGENTE.

Videtur quod causalitas finis non sit appeti et desiderari ab agente.

1. Causalitas enim finis est respectu omnium, quæ agunt propter finem; sed natura agit propter finem, et tamen nec illum appetit nec desiderat, cum illum non cognoscat : ergo causalitas finis non consistit in appeti et desiderari. — 1a 2æ, q. 1, a. 2, arg. 1.

2. Præterea finis, cum sit bonum et perfectio rei, cujus est finis, ut dictum est (a. 2, ad 1), debet causare se diffundendo; sed se diffundere non est appeti et desiderari, sed est quoddam agere : ergo causalitas finis non est appeti et desiderari. — 1a, q. 5, a. 4, arg. 2.

3. Præterea, nullus appetit id, quod habet; sed multa agunt propter finem habitum, ut cum Deus propter suam bonitatem operatur : ergo causalitas finis non consistit in appeti vel desiderari. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 1, c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (12. *Metaphys. text.* 4. et 36; l. 11, c. 1 et 7) dicit, quod Deus, qui movet sicut finis, movet tamquam desideratum et amatum; sed motus amati et desiderati est amari et desiderari; per hoc enim, quod finis desideratur et amatur, agens agit ad consecutionem finis. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1) et 7 (5); 1a, q. 105, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, eatenus finis agit, quatenus movet agens; sed movet agens, quatenus desideratur et amatur; movet enim quatenus bonum; bonum autem, cum sit appetibile, movet quatenus appetitur et desideratur; ergo causalitas finis consistit in appeti et desiderari. — *de Pot.* q. 5, a. 1, c.; 1a, q. 5, a. 4.

RESPONDEO DICENDUM, quod sicut influere causæ efficientis ejusque causare est agere, ita influere et causare causæ finalis est appeti et desiderari. Cujus ratio est, quia causalitas causæ in eo consistit, quod causa sit actu causa, seu quod agat, ut dictum est (supra q. 1, a. 2); posito autem, quod finis desideretur vel ametur ab agente, constituitur finis in esse causæ actualis, atque adeo causat. Agere autem finaliter, quod est causalitas finis, ut dictum est (supra q. 11, a. 1, ad 1, — sicut agere efficienter est causalitas efficientis, et agere formaliter est causalitas formæ,) nihil est aliud, quam trahere et movere agens ad se; movet autem ad se per hoc, quod desideratur et amatur; nam per amorem et desiderium tendit agens ad finem. — Præterea, sicut causalitas agentis primi in eo posita est, ut agat in omni agente, ita causalitas finis ultimi consistit in eo, quod appetatur in omni fine; et sicut agere secundarum causarum efficientium est agere efficienter ad effectum producendum, ita agere finaliter finium intermediorum erit appeti et desiderari, sed per ordinem ad ultimum finem; non enim quis appetit purgationem propter maciem ultimo, sed ut per hanc deinde consequatur sanitatem. — Et sic manifestum est, quod causalitas finis consistit in appeti et desiderari. — *de Verit.* q. 22, a. 2, c. et q. 21, a. 2, c.; 7. *Phys.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod natura agit propter finem et illum appetit, sed appetitu naturali, qui est inclinatio naturalis, et non supponit cognitionem finis, quia per talem inclinationem natura movetur ad finem acta et ducta a Deo; creatura vero rationalis movetur ad finem per appetitum, qui est voluntas, quæ supponit cognitionem, cum per talem appetitum tendat in finem, quasi se agens et ducens ad finem. — 1a 2 æ, q. 1, a. 2, c.

Ad secundum dicendum, quod bonum dicitur movere et efficere metaphorice, quomodo etiam convenit fini movere metaphorice, trahendo scilicet ad se per desiderium et amorem, sine ulla alteratione prævia facta ab ipso in efficiente. — 1a, q. 5, a. 4, ad 2; 1. *de Generat.* l. 20.

Ad tertium dicendum, quod agere propter finem operantis dupliciter contingit : vel propter desiderium finis, vel propter amorem finis; desiderium enim est rei non habitæ; sed amor est rei, quæ habetur. Et ideo omni creaturæ competit agere propter desiderium finis, quia unicuique acquiritur bonum ab alio, quod ex se non habet; sed Deo competit agere propter amorem finis, cujus bonitati nihil potest addi; ipse enim suam bonitatem perfecte amat. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 1, c.

ARTICULUS V

UTRUM FINIS CAUSET SECUNDUM ESSE REALE, AN VERO SECUNDUM ESSE INTENTIONALE.

Videtur quod finis causet secundum esse intentionale.

1. Finis enim est causa et prima causa, secundum quod est in intentione; sed finis secundum illud esse causat, secundum quod est causa et prima causa : ergo finis causat secundum esse intentionale. — 3. *c. Gent.* c. 16 et 17; 2. *Phys.* l. 5; *Tabula Aurea* voce « finis » n. 1.

2. Præterea, finis causat, quatenus movet agens; sed movet agens, quatenus est in intentione; non enim agens agit nisi ex intentione finis ejusque apprehensione et cognitione; nihil enim tendit in finem incognitum : ergo finis causat secundum esse apprehensum et intentionale. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 2, ad 3; *de Pot.* q. 5, a. 1, c.; 3a, q. 62, a. 6, c.; 1a 2æ, q. 1, a. 3, c.; *de Verit.* q. 21, a. 3.

3. Præterea, secundum illud esse causat finis, quod habet, quando causat; sed quando finis causat, non habet aliud esse, quam in intentione agentis; nam secundum esse reale est effectus aliarum causarum, ut dictum est (supra a. 3) : ergo finis causat secundum esse, quod habet in mente. — *Tabula Aurea* voce « finis » n. 1 et 5.

4. Præterea, diversitas apprehensionis causat diversitatem formalem in actibus voluntatis; sed circa eundem finem possunt versari diversi actus voluntatis etiam contrarii; nam bonum virtutis nunc apprehensum potest quis post horam odisse : ergo talem diversitatem causabit bonum virtutis secundum varium esse apprehensum, et sic finis, cujusmodi est bonum virtutis, causabit secundum esse intentionale et non secundum esse reale in natura. — 1a 2æ, q. 30, a. 3, ad 2.

5. Præterea, qui operantur contra rationem, appetunt bonum per se; sed tale bonum non potest esse in re, quia in se malum est : ergo debet esse tale in apprehensione : ergo in his, qui peccant, finis seu bonum movet secundum esse apprehensum et intentionale, et non secundum esse reale. — *de Verit.* q. 22, a. 1, ad 6.

6. Præterea, cum finis moveat in quantum bonum, bonum autem cum ente convertatur, nihil potest appeti, quod non habeat esse; sed aliquando appetitur impossibile et non esse reale, ut patet in damnatis; sed impossibile et non esse tantum habent esse in intentione et apprehensione : ergo finis movet secundum esse in intentione et non secundum esse in re. — l. c. arg. 7.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2 *Phys. text.* 23; c. 2) dicit, quod de ratione finis est, quod sit ultimum et cujus gratia; sed finis est quid ultimum secundum esse reale in natura, ut dictum est (supra a. 3); nam gratia sanitatis secundum esse reale movetur infirmus ad sumendam medicinam; nam movetur ab illa sanitate, quam per medicinam vult acquirere, quæ est sanitas secundum esse reale : ergo finis causat secundum esse reale. — 2. *Phys.* l. 4 et 5; 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea finis, bonum et appetibile idem sunt; at sanitas, quæ est finis, non est appetibilis nec bona ægroto nisi secundum esse reale. Nam bonum est, quod omnia appetunt; eatenus autem aliquid appetibile est, quatenus est perfectum; nam omnia appetunt suam perfectionem; in tantum vero est aliquid perfectum, in quantum est actu in rerum natura : ergo finis movet agens et causat secundum esse reale. — 1a, q. 5, a. 1, 2, 3, 4.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod ratio causandi seu finalizandi in fine non est esse apprehensum seu esse in intentione, sed esse in rerum natura. Cujus rei duplex ratio afferri potest : *una* est ex differentia inter actionem voluntatis, quæ movetur a fine et actionem intellectus desumpta. Nam actio intellectus in hoc consistit, quod ratio rei intellectæ est in intelligente; actio vero voluntatis perficitur ex eo, quod voluntas inclinatur ad ipsam rem, ut est in se, ac proinde ad rem secundum suum esse reale. Et ratio hujus est quia intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem fit in actu non per hoc, quod aliqua similitudo voliti fit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Et ideo Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3) dicit, quod bonum et malum, quæ sunt objecta voluntatis, sunt in rebus; verum autem et falsum, quæ sunt objecta intellectus, sunt in mente. Cum ergo finis sit objectum voluntatis et ipsam moveat, quatenus illam

trahit ad se per inclinationem amoris vel per desiderium sui, ut dictum est (art. præced.), necessario debet illam movere et ad se trahere ratione suæ bonitatis realis, et consequenter debet secundum suum esse reale in natura causare in voluntate amorem et desiderium et quamcunque aliam actionem, per quam tendit in consecutionem finis. — 1a, q. 82, a. 3, c.; 1a 2æ, q. 27, a. 2, ad 2; *de Verit.* q. 22, a. 1, ad 2; 1a, q. 27, a. 4, c.

Quod confirmatur, quia si esse apprehensum et in intentione esset ratio finalizandi in fine, sicut forma in efficiente est illi ratio efficiendi,—quo magis cognosceretur res, eo magis illa moveret per modum finis, sicut major actio agentis oritur ex majori forma; sed non ideo res appetitur et diligitur, quia cognoscitur, sed quia est in se realiter bona. Nam cum actio appetitus trahat illum ad res, sicut cognitio trahit rem ad intellectum, non potest ratio movendi in objecto ipsius sumi ex cognitione, sed ex bonitate; ergo dicendum est, quod ratio finalizandi in fine, quod est objectum voluntatis, est esse reale in se. — *de Carit.* a. 4, ad 4; 1a 2æ, q. 27, a. 2; 2a 2æ, q. 27, a. 4, ad 1.

Altera ratio est sumpta ex ratione finis, in quantum est terminus. Id enim, ad quod terminatur appetitus, est id, quod voluntas intendit tamquam finem; sed voluntas tendit in consecutionem finis secundum esse reale; nam antequam tendat in finem per amorem vel desiderium, jam habet ipsum secundum esse intentionale per actum intellectus; ergo secundum esse reale movet finis voluntatem ad sui consecutionem, non autem secundum esse intentionale. Est tamen hoc esse intentionale necessarium ad causalitatem finis, si non ut ratio causandi, saltem tum ut forma, ad quam consequitur inclinatio voluntatis ad finem (nam cum omnis inclinatio consequatur aliquam formam, sicut appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem, ita appetitus sensitivus et rationalis consequitur formam apprehensam), tum ut conditio, sine qua finis non potest esse objectum voluntatis, nec illam movere. Nam licet objectum voluntatis sit bonum ut in se, non tamen potest bonum in se movere nisi cognitum et apprehensum; nam incognita amare nullus potest. — 1a 2æ, q. 1, a. 3, c. et ad 1 et q. 8, a. 1, c. et q. 3, a. 4, ad 4 et q. 9, a. 1; 1a, q. 5, a. 5, c. et q. 82, a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod quia id, ad quod terminatur appetitus, est id quod voluntas intendit tamquam finem, ut dictum est, et quod prius est in causando, et posterius in essendo, ideo id, quod est causa, est bonitas realis; ratio vero causandi est esse reale bonitatis; conditio vero, sine qua non posset finis causare et finalizare, est esse apprehensum. — Eodemque modo dicendum est *ad secundum*.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum rerum exteriorum, quomodo movet efficiens, sed movet, secundum quod præcedit in actu animæ, modo tamen supra explicato. — 3a, q. 62, a. 6, c.

Ad quartum dicendum, quod diversitas apprehensionis causat duplicem diversitatem in actibus, unam in esse libero et naturali, et alteram in esse specifico, quatenus actus morales speciem sortiuntur a fine, qui prior est in intentione, sed postremus in executione. — 1a 2æ, q. 30, a. 3, c. et ad 2 et q. 1, a. 1 et 3.

Ad quintum dicendum, quod qui operantur contra rationem, appetunt bonum per se, ut qui fornicatur, attendit ad id, quod est bonum et delectabile secundum sensum; sed quod sit malum secundum rationem, est præter intentionem ejus; unde bonum est desideratum per se, malum vero per accidens. — *de Verit.* q. 22, a. 1, ad 6.

Ad sextum dicendum, quod sicut aliquid se habet ad hoc, quod sit bonum, ita ad hoc, quod sit appetibile. Non dicitur autem aliquid bonum simpliciter et absolute secundum esse substantiale, nisi superaddantur perfectiones aliæ debitæ; et ideo esse substantiale non est absolute appetibile nisi debitis perfectionibus adjunctis. Unde Philosophus dicit (1. *Ethic.*): omnibus delectabile est esse. Non oportet autem accipere malam vitam et corruptam in tristitiis; hæc est enim mala simpliciter et simpliciter fugienda, quamvis sit appetibilis secundum quid. Ejusdem autem rationis est in appetendo et fugiendo, aliquid esse bonum et corruptivum mali, vel esse malum et corruptivum boni; nam ipsum carere malo dicimus bonum secundum Philosophum (5. *Ethic.*). Non esse igitur accipit rationem boni, in quantum tollit esse in tristitiis et in malitia, quod est malum simpliciter, licet sit bonum secundum quid. Et per hunc modum non esse potest desiderari sub ratione boni; et idem dicendum proportionaliter de impossibili. — *de Verit.* l. c. ad 7; 1a, q. 5, a. 2, ad 3.

ARTICULUS VI

UTRUM OMNE AGENS AGAT PROPTER FINEM.

Videtur quod non omne agens agat propter finem, sed solæ creaturæ rationales.

1. Homo enim, cujus maxime est agere propter finem, nunquam agit propter finem ignotum; sed multa sunt, quæ non cognoscunt finem, vel quia omnino carent cognitione, sicut creaturæ insensibiles, vel quia non apprehendunt rationem finis, sicut bruta animantia: ergo agere propter finem non convenit creaturis irrationalibus. — 1a 2æ, q. 1, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, agere propter finem est ordinare suam actionem ad finem; sed hoc est rationis opus: ergo non convenit illis, quæ ratione carent. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, bonum et finis est objectum voluntatis; sed voluntas in ratione est, ut dicitur in 3. *de Anima text.* 42; c. 9: ergo agere propter finem non est nisi creaturæ rationalis. — l. c. arg. 3.

4. Præterea, agere propter finem videtur esse alicujus indigentis fine; sed Deus nullo indiget: ergo agere propter finem non convenit omni agenti. — 1a, q. 44, a. 4, arg. 1.

5. Præterea, sunt aliquæ actiones, quæ non videntur esse propter finem, sicut actiones ludicræ et contemplativæ et actiones, quæ absque attentione fiunt, sicut confricatio barbæ et hujusmodi; et tamen hæ actiones producuntur ab aliquo agente: ergo non omne agens agit propter finem. — 3. *c. Gent.* c. 2, n. 7.

6. Præterea, dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 49; c. 5), quod eorum, quæ fiunt, aliqua fiunt, aliqua non fiunt alicujus gratia; ergo non omne agens agit propter finem. — 2. *Phys.* l. 8.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 49; c. 5) probat, quod non solum intellectus, sed etiam natura agit propter finem. — l. c.; 1a 2æ, q. 1, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, in omnibus agentibus propter finem hoc esse ultimum finem dicimus, ultra quod agens non quærit aliquid; sed in actione cujuslibet agentis est venire ad aliquid, ultra quod agens non quærit aliquid; nam alioqui actiones in infinitum tenderent, quod est impossibile, quia cum infinita non sit pertransire, agens non inciperet agere; nihil enim movetur ad id, ad quod est impossibile pervenire: ergo omne agens propter finem. — 3. *c. Gent.* c. 2, n. 2.

3. Præterea, peccatum non invenitur nisi in his, quæ sunt propter finem; non enim imputatur alicui ad peccatum, si deficiat ab eo, ad quod non est; sed peccatum invenimus tam in his, quæ fiunt secundum artem, ut cum grammaticus non recte loquitur, quam in his, quæ fiunt secundum naturam, ut patet in partibus monstruosis: ergo tam agens secundum naturam, quam secundum artem et a proposito agit propter finem. — l. c. n. 6.

4. Præterea, si agens non ageret propter finem, ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi a casu, et omnes effectus essent ei indifferentes; unde sequeretur, quod esset illi impossibile agere; nam quod indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum operatur quam aliud. A contingente autem ad utrumlibet non sequitur aliquis effectus nisi per aliud, per quod determinetur ad unum; unde impossibile esset, quod ageret. Dicendum ergo est, quod omne agens tendit ad aliquem determinatum effectum, qui dicitur finis ejus. — l. c. n. 7; 1a, q. 44, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod omnia agentia necesse est agere propter finem. Causarum enim ad invicem ordinatarum si prima subtrahitur necesse est alias subtrahi; prima autem inter omnes causas est causa finalis. Cujus ratio est quia materia non sequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente; nihil enim reducit se de potentia ad actum; agens autem non movet nisi ex intentione finis. Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis; hæc autem determinatio sicut in rationali natura fit per rationalem appetitum, qui dicitur voluntas, ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis.

Tamen considerandum est, quod aliquid suo actione vel motu tendit in finem dupliciter: *uno modo* sicut seipsum ad finem movens, ut homo; *alio modo* sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo, quæ rationem habent, seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium

quod est facultas voluntatis et rationis. Illa vero, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem quasi ab alio mota, non autem a se ipsis, cum non cognoscant rationem finis; et ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur; nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale. — Et ideo proprium est naturæ rationalis, ut tendat in finem quasi se agens et ducens ad finem; naturæ vero irrationalis quasi ab alio actæ vel ductæ, sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea, quæ cognitione carent. — 1a 2æ, q. 1, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quando homo per se ipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur vel ducitur, puta cum agit ad imperium alterius, vel cum movetur altero impellente, non est necessarium, quod cognoscat finem, et ita est in creaturis irrationalibus. — l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ordinare in finem est ejus, quod seipsum agit in finem; ejus vero, quod ab alio agitur in finem, est ordinari in finem, quod potest esse irrationalis naturæ, sed ab aliquo rationem habente. — l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod objectum voluntatis est finis et bonum in universali. Unde non potest esse voluntas in his, quæ carent ratione et intellectu, cum non possint apprehendere universale; sed est in eis appetitus naturalis vel sensitivus determinatus ad aliquod bonum particulare. Manifestum autem est, quod particulares causæ moventur a causa universali, sicut cum rector civitatis, qui intendit bonum commune, movet suo imperio omnia sua particularia officia civitatis. Et ideo necesse est, quod omnia, quæ carent ratione, moveantur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quæ se extendit in bonum universale, scilicet voluntate divina. — l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod agere propter indigentiam non est nisi agentis imperfecti, quod natum est agere et pati, et quod etiam in agendo intendit aliquid acquirere; quæ Deo non competunt; et ideo ipse solus est maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem. — 1a, q. 4, a. 4, c. et ad 1.

Ad quintum dicendum, quod actiones contemplativæ non sunt propter alium finem, sed ipsæ sunt finis. Actiones autem ludicræ interdum sunt finis, sicut cum quis solum ludit propter delectationem, quæ in ludo est; quandoque autem sunt propter finem, sicut cum ludimus, ut postmodum fortius ad ludo agamus. Actiones autem, quæ fiunt sine attentione, non sunt ab intellectu, sed ab aliqua subita imaginatione vel naturali principio, sicut inordinatio humoris pruritum excitantis est causa confricationis barbæ, quæ fit sine attentione intellectus, et tamen hæ ad aliquos fines tendunt, licet præter ordinem intellectus. — 3. c. *Gent.* c. 2, n. 7.

Ad sextum dicendum, quod Philosophus ea dicit non propter aliquid fieri, quæ propter se fiunt, in quantum in se ipsis habent delectationem vel honestatem, propter quam secundum se ipsa placent. Vel dicit non propter finem fieri, quæ non fiunt propter finem deliberatum, sicut confricatio barbæ vel aliquid hujusmodi, quod interdum fit absque deliberatione ex sola imaginatione movente; unde habent finem imaginatum, sed non deliberatum. — 2. *Phys.* l. 8.

QUÆSTIO XIII

DE COMPARATIONE CAUSARUM AD INVICEM.

Post absolutam considerationem causarum sequitur comparativa consideratio earundem. Circa quam *primo* dicendum est de causis per comparationem ad invicem; *deinde* de iisdem per comparationem ad effectum.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum finis sit causa causarum.
2. Utrum causæ sint sibi invicem causæ in diverso genere causæ.
3. Utrum causæ sint sibi invicem causæ in eodem genere causæ.

ARTICULUS I

UTRUM FINIS SIT CAUSA CAUSARUM ET OMNIUM PRIMA.

Videtur quod finis non sit causa causarum.

1. Finis enim causat, in quantum est bonum bonum enim est, quod omnia appetunt, hoc autem habet rationem finis; sed ratio boni

præsupponit rationem causæ efficientis et formalis; ignis enim prius calefacit, quam formam ignis inducat : ergo finis non est prima omnium causarum. — 1a, q. 5, a. 4, c.

2. Præterea, cum finis sit bonum, sicut ratio boni est ratio perfecti, ita et ratio finis; sed ratio perfecti supponit rationem causæ efficientis ; nam eatenus est perfectum unumquodque, quatenus potest sibi simile facere, ut dicit Philosophus (4. *Meteorol.* sum. 1, c. 4; c. 3) : ergo finis non est prima causa. — *Ibid.*

3. Præterea, Deus est prima causa finalis et primum efficiens omnium; sed in Deo non est prius et posterius; hoc enim est impossibile : ergo causa finalis non est prima omnium. — 1a, q. 44, a. 4, arg. 4.

4. Præterea, ratio entis prior est quam ratio boni; ens enim est primum, quod cadit in conceptionem intellectus; unde ens est proprium objectum intellectus et primum intelligibile; sed bonum pertinet ad causam finalem, ens ad reliquas : ergo finis non est prima causa omnium causarum. — 1a, q. 5, a. 2, c.; 1. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 3, c.

5. Præterea, quod est posterius in esse, non potest esse prius illo, quod est primum in esse; sed finis est ultimum in esse, efficiens vero est primum : ergo finis non est prima causa omnium causarum. — 1a 2æ, q. 1, a. 1, arg. 1 et a. 3, arg. 2.

6. Præterea, materia dicitur prima, sed non nisi vel respectu effectus vel respectu aliarum causarum; ergo finis non est prima causa omnium causarum. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 4, c.; 1a, q. 44, a. 2, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2) dicit, quod id, cujus gratia, est bonum et finis aliorum. — 5. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea, definitio sumpta a fine est causa definitionis reliquarum causarum. Quia enim materia est propter formam, et non contra, definitio sumpta ex causa formali est causa definitionis sumptæ ex causa materiali ejusdem rei. Et quia generatum consequitur formam per actionem generantis, agens est quodammodo causa formæ, et definitio definitionis. Ulterius autem, quia omne agens agit propter finem, definitio, quæ sumitur a fine, est quodammodo causa definitionis, quæ sumitur a causa agente; ulterius autem non est procedere in generibus causarum; ergo finis est causa causarum. — 1. *Poster.* l. 16 (15) et 4 (3); 2. *Poster.* l. 8.

3. Præterea, causæ ad invicem ordinem habent. Nam ex una sumitur ratio alterius; sed ex forma sumitur ratio materiæ; talem enim oportet esse materiam, qualem forma requirit; efficiens autem est ratio formæ. Quia enim agens agit sibi simile, oportet quod secundum modum agentis sit etiam modus formæ, quæ ex actione consequitur; ex fine autem sumitur ratio efficientis; nam omne agens agit propter finem : ergo finis est ratio et causa omnium aliarum causarum et per consequens omnium prima. — 1. *Poster.* l. 16 (15); 1a 2æ, q. 1, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod cum bonum sit, quod omnia appetunt, hoc autem habet rationem finis, manifestum est, quod bonum rationem finis importat; sed tamen ratio boni præsupponit rationem causæ efficientis et rationem causæ formalis. Videmus enim, quod id, quod est primum in causando, ultimum est in causato; ignis enim prius calefacit, quam formam ignis inducat, cum tamen calor in igne formam substantialem consequatur. In causando autem primo invenitur bonum et finis, qui movet efficientem; secundo actio efficientis movens ad formam; tertio advenit forma. Sed e converso esse oportet in causato; nam primum est ipsa forma, per quam est ens; secundo consideratur in eo virtus effectiva, secundum quod est perfectum in esse, quando potest sibi simile facere, ut dictum est; tertio consequitur ratio boni, per quam in ente perfectio fundatur. Et sic manifestum est, quod finis in quantum causa seu ratione causalitatis, est causa causarum et omnium prima. — 1a, q. 5, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod bonum atque adeo finis in essendo supponit ceteras causas, cum sit quid ultimum in esse; in causando autem est prima omnium causarum. Eodemque modo dicendum est *ad secundum*. — 1. c.

Ad tertium dicendum quod, cum Deus sit causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum, et materia prima sit ab ipso, sequitur, quod principium omnium rerum sit unum secundum rem; nihil tamen prohibet, in eo considerari multa secundum rationem, quorum quædam prius cadunt in intellectum nostrum quam alia. — 1a, q. 44, a. 4, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod ens et bonum dupliciter considerari possunt : *uno modo*, secundum intentiones eorum; et sic simpliciter et absolute ens est prius bono, sicut et vero et uno, quia ens clauditur in intellectu eorum, et non e converso. *Altero modo*, secundum rationem causalitatis; et sic bonum est prius, quia bonum habet rationem causæ finalis, esse autem rationem causæ exemplaris et effectivæ. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 3, c.

Ad quintum dicendum, quod finis est postremus in executione, sed primus in intentione, et hoc modo habet rationem causæ. — 1a 2æ, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad sextum dicendum, quod materia dicitur prima, quia est primum principium passivum. Quia vero passio est effectus actionis, rationabile est, quod tale primum principium sit effectus primi principii activi, puta Dei, atque adeo ultimi finis omnium; nam Deus est prima causa efficiens, exemplaris et finalis omnium. Nam omne imperfectum causatur a perfecto; oportet enim primum principium esse perfectissimum, ut dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 51; l. 11, c. 9). — 1a, q. 44, a. 2, ad 2.

Vel dic, quod materia dicitur prima *vel* ordine naturæ, quatenus est id, in quo ultimo stat resolutio corporum naturalium, *vel* ordine temporis, quatenus duratione præcessit, simul tamen cum aliqua forma, ordinatam dispositionem mundi, qualis nunc cernitur, secundum eos, qui ponunt, mundum non semper fuisse, nec a principio creationis omnia distincta fuisse. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 4, c.

ARTICULUS II

UTRUM CAUSÆ SINT SIBI INVICEM CAUSÆ IN DIVERSO GENERE CAUSÆ.

Videtur quod causæ non sint sibi invicem causæ in diverso genere causæ.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 3), quod demonstratio circularis est impossibilis; sed si duæ causæ in diverso genere causæ sibi invicem essent causæ, dari posset demonstratio circularis ab una causa ad aliam, et ab illa ad hanc : ergo non possunt duæ causæ esse sibi invicem causæ in diverso genere. — V. in Logica q. 22, a. 2.

2. Præterea, quod jam est, non potest fieri, ut dictum est (supra q. 11, a. 5, c.); sed quando una causa dat esse alteri, jam est; nam causa est prior natura effectu : ergo una causa non potest esse effectus alterius et per consequens non possunt esse sibi invicem causæ. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 100.

3. Præterea, impossibile est, quod idem se habeat in ratione principii et ejus, quod est a principio, ut dictum est (supra q. 12, a. 1, arg. 4); sed si duæ causæ diversi generis sibi invicem essent causæ, id sequeretur; nam una produceret aliam, et rursum produceretur ab illa : ergo.

4. Præterea, efficiens est, quod dat esse formæ et fini, ut dictum est (a. præced.); sed neque forma neque finis neque materia dant esse efficienti, ut patet, quia sic efficiens esset ultimum in essendo, et sic haberet rationem finis : ergo duæ causæ saltem, efficiens scilicet et finis, non possunt esse sibi invicem causæ.

5. Præterea, si duæ causæ diversi generis essent sibi invicem causæ, cum demonstratio *propter quid* procedat ex causa, possent causa et causatum invicem demonstrari demonstratione *propter quid*; at hoc esse falsum probat Philosophus (2. *Poster. text.* 25; c. 16), quia sequeretur, idem esse prius et posterius, notius et ignotius alio; nam in quantum causa esset prius et notius, in quantum effectus esset posterius et ignotius. — V. in Logica q. 22, a. 2; 2. *Poster.* l. 18.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 30; c. 3, et 5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2) dicit, quod causæ possunt esse sibi invicem causæ in diverso genere, ut efficiens et finis, materia et forma. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, (2. *Poster. text.* 11; c. 11) Philosophus ex fine, puta sanitate, probat deambulationem post cœnam, et rursum ex hac probat illam; sed deambulatio est causa efficiens sanitatis : ergo duæ causæ diversi generis possunt esse sibi invicem causæ. — V. in Logica q. 22, a. 2.

Respondeo dicendum, quod quædam possunt esse sibi invicem causæ secundum diversam speciem causæ, ut patet *primo* quidem inductione, *tum* in causa efficiente et finali; — dolor enim ex incisione vulneris est causa sanitatis, ut efficiens, sanitas autem est causa illius doloris, ut finis; similiter laborare est causa efficiens bonæ habitudinis, bona autem habitudo est causa finalis laboris; — *tum* in causa materiali et formali; nam forma dat esse in

actu materiæ, et materia recipit tale esse et præterea sustentat formam, aliquando quidem secundum esse simpliciter, aliquando vero, secundum quod est forma hujus habens esse in hoc, ut se habet corpus humanum ad animam rationalem. Secus autem se habent finis et materia; nam licet finis sit causa materiæ, non tamen contra; non enim finis est talis, quia materia est talis, sed potius materia est talis, quia finis est talis. — 2. *Phys.* l. 5 et 15; 5. *Metaphys.* l. 2; *de Verit.* q. 28, a. 7, c. et q. 9, a. 3, ad 6.

Secundo ratione, quia nihil prohibet, aliquid esse prius et posterius alio secundum diversas rationes. Finis enim est prius secundum rationem, sed est posterius in esse, agens vero contra; efficiens enim est causa finis quantum ad esse, quia movendo perducit efficiens ad hoc, quod sit finis; finis autem est causa efficientis, non quidem quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis. Nam efficiens est causa, in quantum agit; non autem agit nisi causa finis; unde ex fine habet efficiens suam causalitatem. Similiter materia est prior forma generatione et tempore in omni eo, quod movetur de potentia in actum, quia prius est id, cui aliquid advenit, quam id, quod advenit; sed forma est prior materia substantia et complemento, quia materia non habet esse completum nisi per formam. Et consimili modo efficiens est prius fine generatione et tempore, quia ab efficiente fit motus ad finem; sed finis est prior efficiente, in quantum est efficiens, substantia et complemento, quia actio efficientis non completur nisi per finem. — Et sic manifestum est, quod causæ possunt esse sibi invicem causæ in diverso genere. — ll. cit.; *Opusc.* 31.

Ad primum ergo dicendum, quod circulus damnatus a Philosopho est in eodem genere demonstrationis et causæ, ut dictum est (in Logica q. 22, a. 2), non in diverso.

Ad secundum dicendum, quod duæ causæ non possunt esse sibi invicem causæ quantum ad esse, sed secundum diversas rationes, ut dictum est (in c. et supra q. 12, a. 1, ad 3). — Et sic patet *ad tertium* et *quartum*.

Ad quintum dicendum, quod causa et causatum secundum esse non possunt esse sibi invicem causæ; possunt autem, si considerentur secundum alias et diversas rationes, ut dictum est (supra in c.) — 2. *Poster.* l. 18.

Vel dic, quod nihil prohibet, aliquid altero esse prius et posterius secundum diversum genus causæ, et per consequens idem respectu ejusdem secundum diversa genera causarum esse causam et causatum. Sic purgatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, et sanitas purgationis in genere causæ finalis; similiter materia est causa formæ, in quantum illam sustinet, forma vero est causa materiæ, in quantum dat illi esse in actu. Sed tamen illud est prius simpliciter ordine naturæ, quod est prius secundum genus illius causæ, quæ est prior in ratione causalitatis, sicut finis, qui dicitur causa causarum, quia a causa finali omnes aliæ causæ recipiunt, quod sint causæ, quia efficiens non agit nisi propter finem, et ex actione efficientis forma perficit materiam, et materia sustinet formam. — *de Verit.* q. 28, a. 7, c.

ARTICULUS III

UTRUM CAUSAE POSSINT ESSE SIBI INVICEM CAUSÆ IN EODEM GENERE.

Videtur quod causæ possint esse sibi invicem causæ in eodem genere causæ.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Poster. text.* 12; c. 12), quod duo possunt invicem demonstrari in eodem genere causæ materialis, ut vapor et aqua : ergo. — 2. *Poster.* l. 12.

2. Præterea, duæ causæ possunt esse sibi invicem causæ secundum varias rationes consideratæ, ut dictum est (art. 2); sed si duæ ejusdem generis, puta efficientes, sint sibi invicem causæ, considerabuntur secundum varias rationes; nam una causa est effectus alterius sub ratione passivi, et est efficiens illius sub ratione activi : ergo duæ causæ ejusdem generis possunt esse sibi invicem causae.

3. Præterea, cognitio effective causat amorem; sed rursum amor effective causat cognitionem; nam voluntas imperat omnibus potentiis : ergo duæ causæ efficientes possunt esse sibi invicem causæ. — 1a, q. 27, a. 3; 1a 2æ, q. 17, a. 1.

4. Præterea, dulcedo medicinæ potest esse finis, ut dicit Philosophus (1. *Ethic.* c. 7; c. 5), unde propter ipsam potest quis velle sanari; sed rursum potest idem velle dulcedinem medicinæ propter sanitatem, ut patet ex Philosopho (2. *Phys. text.* 29; c. 3) : ergo duo fines possunt esse sibi invicem causæ, et consequenter duæ causæ ejusdem generis. — 1. *Ethic.* l. 9; 2. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, ultima dispositio ad formam substantialem est causa efficiens illius; nam agens producit illam mediante forma accidentali, quia substantialis forma non potest esse immediatum principium activum; sed rursum forma substantialis est causa efficiens illius dispositionis, quia in materia prius est forma substantialis quam ulla forma accidentalis, ut dictum est (supra q. 3, a. 11 et 15) : ergo duæ causæ efficientes possunt esse sibi invicem causæ. — *de Verit.* q. 2, a. 14, c.; v. supra q. 9, a. 4.

6. Præterea, imago est finis imaginati, ut dictum est (supra q. 10, a. 4); nam est id, ad cujus imitationem fit; ly vero *ad* importat ordinem ad finem; sed rursum imago habet pro fine imaginatum : ergo.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 3); c. 3, et 5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2) dicit, quod duæ causæ possunt esse sibi invicem causæ, si sint diversi generis. — 2. *Phys.* l. 5; 5. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, Philosophus (1. *Poster. text.* 6; c. 3) damnat circulum in eodem genere demonstrationis et causæ; hoc autem est dicere, non posse duas causas ejusdem generis esse sibi invicem causas. — V. in Logica q. 22, a. 2, ad 1.

Respondeo dicendum, quod impossibile est, duas causas ejusdem generis esse sibi invicem causas, ut duas efficientes et duos fines. Et quidem *universaliter* de utrisque probatur, quia sequerentur illa inconvenientia, quæ Philosophus infert (1. *Poster. text.* 6; c. 3) contra circularem demonstrationem, quæ tantum impossibilis est in eodem genere demonstrationis et causæ; puta, quod idem esset prius et posterius, notius et ignotius respectu unius et ejusdem, et quod idem probetur per idem. Nam si una causa esset causa alterius, esset prior et notior illa; et rursum si produceretur ab illa, esset posterior et ignotior illa secundum eandem entitatem et respectu ejusdem. — 5. *Metaphys.* l. 2; 1. *Poster.* l. 8 (7); v. in Logica q. 22, a. 2, ad 1.

In particulari vero *de causa efficiente* probatur *primo ex absurdis*, quæ inde sequerentur, si duo se mutuo producere possent in eodem genere causæ efficientis. *Primum* est, quod in divinis posse produci a Spiritu sancto; hoc enim ideo impossibile est, quia Spiritus sanctus est a Filio; impossibile autem est, quod duo sint sibi invicem principium. (1. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 1, ad 8; Hannibaldus *ibid.* ad 3; *de Pot.* q. 10, a. 4, ad 21; Durandus in 1. *Sent.* dist. 10, q. 2). — *Secundum* est, idem posse se generare; nam si hoc inconveniens est, multo inconvenientius est, quod aliquid generetur ab eo, cujus est principium quod sequitur, si duo efficientes sunt sibi invicem causa quoad esse. (1. *Sent.* dist. 11, l. c.) — *Tertium* est, idem ratione suæ operationis posse assumi a Deo ut instrumentum ad productionem sui esse. Quia si hoc implicat ex eo, quod esse rei præcedit operationem, et ideo non potest quis per illud in esse constitui; eodem modo, cum causa efficiens producit aliquid, esse causæ producentis præcedit rem productam, et ideo non potest constitui in esse per illam. (3. *Sent.* dist. 20, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 1.) — *Quartum* est, idem esse causam sui ipsius, quatenus quod est causa causæ, est causa causati: si ergo una causa causat aliquid, a quo ipsa causatur, hoc ipsum est causatum ab illa causa, et sic illa erit causa sui, quod est impossibile; quia sic idem esset prius se ipso, et realiter distingueretur a se ipso; nam producens et productum realiter distinguuntur; quæ sunt impossibilia. (1a, q. 2, a. 3, c.; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 95.) — *Quintum* est, idem esse simul in potentia et in actu secundum idem; et similiter idem esse simul movens et motum; nam idem in quantum efficiens alterius esset actu et esset movens, in quantum vero effectus ejusdem, esset in potentia et motum, quæ tamen sunt impossibilia. — 1a, l. c.

Secundo ratione, quia cum omne agens agat, in quantum est actu, prius consideratur in tali agente esse, quam consideretur virtus activa. Nam hæc fundatur in illo, et multo magis quam effectus; nam hic est ultimus in esse, cum habeat rationem finis, ut dictum est (supra q. 12, a. 3); ergo impossibile est, quod efficiens producatur a suo effectu. Nam sic haberet ultimum esse et effectus primum; quod implicat; nam sic eadem res secundum unum et idem esse esset prima et ultima, seu prima et non prima. (1a, q. 4, a. 1 et q. 5, a. 4, c.; *Tabula Aurea* voce « agens » n. 108.) — Præterea, unumquodque ut se habet ad esse, ita se habet ad hoc, quod sit causa; sed effectus efficientis in esse dependet ab illo : ergo dato, quod suum efficiemem causaret, ab eodem etiam dependeret in eo, quod esset causa ipsius; sed omnis causa in quantum causa est independens ab effectu : ergo effectus secundum eandem entitatem et rationem dependeret et non dependeret a suo e-

ficiente, quod implicat. — 3. *c. Gent.* c. 71, n. 4.

Quod vero *duæ causæ finales* non possunt esse sibi invicem causæ, probatur, quia quod ordinatur ad finem tamquam medium, licet sit propter illum tamquam finem, est tamen causa ejus, sicut efficiens et unde principium motus; unde debet prius habere esse, quam finis, qui propterea dicitur ultimus et terminus, ut dictum est, quia in esse est postremus. Quod autem est postremum in esse respectu alicujus, implicat ordinari ad illud tamquam ad finem; nam sic deberet illud præcedere in esse, quod implicat, cum sit illo posterius in esse; idem autem non potest respectu ejusdem esse prius et posterius in essendo. — Unde manifestum est, nec duas causas efficientes nec duas finales posse sibi invicem esse causas, et multo minus duas formales et duas materiales. — 5. *Metaphys.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus concedit circulum in causis per accidens, et ad idem specie, sed non ad idem numero. Non enim est necesse, ut ex aqua fiat vapor, nisi accedat extrinsecus vis caloris solis; neque ex vapore facto ex aqua generatur aqua eadem numero, ex qua fuit ipse generatus, sed specie. Verum difficultas proposita est de duobus individuis, ita ut unum sit causa alterius, et rursum idem ab illo producatur. — V. in Logica q. 22, a. 2, c.

Ad secundum dicendum, quod cum causalitas efficientis terminetur ad esse, et super esse fundetur ratio virtutis activæ et passivæ, si duo sibi invicem essent causæ efficientes secundum eandem omnino rationem seu secundum idem omnino esse essent ad invicem causæ, et per consequens eadem causa secundum eandem rationem considerata seu secundum idem esse et esset causa et effectus, quod implicat. — 1a, q. 5, a. 4, c.

Ad tertium dicendum, quod cognitio effective quidem causat amorem, sed amor non causat effective cognitionem, a qua productus fuit, sed aliam, ob rationes allatas (in c.).

Ad quartum dicendum, quod quia medium ordinatum ad finem est causa efficiens illius, ut dictum est (in c.) et proinde prius habet esse quam finis, ideo dulcedo medicinæ gustata potest esse finis volitionis sanitatis, quia ut gustet quis talem potionem dulcem, potest elicere actum volitionis sanitatis et ordinare illum ad dulcedinem potionis gustandam tamquam medium ad finem. Nam cum vere eliciatur, antequam gustetur medicina, potest esse causa efficiens medicinæ dulcis gustatæ, seu gustationis et potionis medicinæ dulcis, et consequenter potest esse medium ordinatum ad illam tamquam ad finem. Rursum vero, quia sanitas habet esse post medicinam dulcem gustatam, potest hæc ordinari tamquam medium ad sanitatem tamquam ad finem, et consequenter esse causa efficiens illius. Unde cum quis vult sanitatem, ut gustet medicinam dulcem, non ipsa sanitas assumitur ut medium, sed volitio sanitatis.

Ad quintum dicendum, quod quia in corruptione compositi fit resolutio usque ad materiam primam, et hæc non nisi ut substat formæ substantiali, est subjectum accidentium, ut dictum est (supra q. 3, a. 11 et 15), — aliæ sunt dispositiones in materia inductæ ab agente ad corruptionem formæ substantialis præcedentis et productionem formæ sequentis; et aliæ, quæ immediate consequuntur formam substantialem productam.

Ad sextum dicendum, quod imago impropria habet rationem finis, ut dictum est (supra q. 10 a. 4, c.).

QUÆSTIO XIV

DE COMPARATIONE CAUSARUM AD EFFECTUM.

Deinde considerandum est de causis comparative ad effectum.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR SEPTEM :

1. Utrum causa sit prior effectu natura, tempore cognitione.
2. Utrum causae particulāris in actu simul sit et non sit cum suo effectu.
3. Utrum causæ universali respondeat effectus universalis, et particulari particularis.
4. Utrum idem numero effectus corruptus possit reproduci.
5. Utrum idem effectus numero possit produci a duobus agentibus totalibus ejusdem generis et ordinis et non subordinatis.
6. Utrum idem effectus numero produci possit a diversis causis efficientibus diverso tempore.
7. Utrum idem numero effectus produci possit ab eadem causa efficiente diverso tempore.

ARTICULUS I

UTRUM CAUSA SIT PRIOR EFFECTU NATURA, TEMPORE, COGNITIONE.

I. Videtur quod causa non sit prior effectu *natura*.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 11), quod illud dicitur prius natura alio, quod est illo perfectius; sed non omnis causa est perfectior suo effectu, ut patet in causa materiali : ergo causa simpliciter non est prior natura suo effectu. — 5. *Metaphys.* l. 13 (16); *de Verit.* q. 7, a. 7, ad 1.

2. Præterea, finis est causa, ut dictum est supra q. 12, a. 1); sed finis non est prior natura effectu, sed posterior. Nam illud est prius natura alio, quod est prius illo secundum subsistendi consequentiam; finis autem est ultimum in esse, ut dictum est : ergo causa absolute sumpta non est prior suo effectu. — 5. *Metaphys.* l. 13 (16).

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2) dicit, quod causa est naturaliter prior suo effectu. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

II. Videtur quod causa non sit prior *tempore* suo effectu.

1. Sol enim et ignis sunt causa splendoris; sed non est necesse, quod ignis vel sol tempore præcedat splendorem : ergo causa non est prior tempore suo effectu. — *de Pot.* q. 3, a. 13, ad 5.

2. Præterea, finis est causa, ut dictum est; sed finis est posterior duratione suo effectu; nam sanitas est causa finalis purgationis, quæ habet esse, antequam sanitas in esse acquiratur : ergo causa non est prior tempore suo effectu. — 3a, q. 62, a. 6, c.

Sed contra est, quod motus præcedit tempore terminum et effectum. Sed causæ naturales fiunt per motum; sic enim a Philosopho natura, quæ comprehendit materiam et formam, definitur; quod est causa et principium motus et quietis; et efficiens definitur : unde primum principium motus et quietis. — *de Pot.* l. c.; 2. *Phys.* l. 1 et 5.

III. Videtur quod causa non sit prior *cognitione* suo effectu.

1. Id enim, quod sub sensum cadit, prius cognoscitur eo, quod sub sensum non cadit; cum omnis nostra cognitio oritur a sensu, ut dictum est (in Logica q. 28, a. 2, arg. 2 *Sed contra*); sed effectus cadunt sub sensum, unde sæpius conclusio, in qua effectus prædicatur de subjecto, est notior præmissis atque ab eo sua causa, ut dictum est (in Logica q. 25, a. 3, ad 2) : ergo causa non est prior cognitione suo effectu.

2. Præterea, relativa sunt simul cognitione, ut dictum est (in Logica q. 13, a. 10, *ad quintum quæst.*); sed causa et causatum sunt relativa; nam omnis causa dicit ordinem principii ad esse sui causati, ut dictum est (supra q. 7, a. 2, c.) : ergo causa non est prior cognitione suo effectu. — 1a, q. 105, a. 6, c.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2) dicit, quod præmissæ demonstrationis propter quid, quæ continet causam, debent esse priores et notiores conclusione, in qua continetur effectus : ergo causa naturaliter est prior cognitione suo effectu. — 1. *Poster.* l. 4 (3).

RESPONDEO DICENDUM *ad primam quæstionem*, quod omnis causa est prior *natura* suo effectu. Et ratio est, quia illud dicitur esse prius altero secundum naturam, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 11), ex quo alterum pendet, et non contra, quod scilicet potest esse sine illo, non tamen e converso, quod est prius, a quo non convertitur essendi consequentia, ut dicitur in *Prædicamentis;* at omnis effectus dependet a sua causa, non contra. Causa enim proprie dicta dicit ordinem principii ad esse sui causati, quod per ipsum constituitur, et per consequens habet influxum in effectum, ad differentiam principii, ut dictum est (supra q. 7, a. 2, c.); nullus autem effectus habet influxum in suam causam vel dicit ordinem principii ad ipsam, ut dictum est (supra q. 13, a. 3, c.) — 5. *Metaphys.* l. 13 (16); *Tabula Aurea* voce « causa » n. 99.

Ad primum ergo dicendum, quod causa ut causa semper excedit suum causatum, quia in eo, quod est causa, est ens independens a causato et per consequens ab effectu; effectus autem est dependens a causa, ut dictum est (in c.) — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 94.

Ad secundum dicendum, quod finis non est causa, secundum quod est in rerum natura, sed secundum quod est in intentione, et ut sic natura præcedit effectum. — V. supra q. 12, a. 1, 3, 5.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sola causa *finalis* potest esse posterior *tempore* et duratione suo effectu. Nam quoad esse finis

est quid ultimum, et propterea finis non causat secundum tale esse, sed secundum esse intentionale, ut dictum est (supra q. 12, a. 1, c. et a. 4). Ex reliquis causis *efficiens*, si agit per motum, duratione præcedit effectum; cum enim principium motus de necessitate præcedat terminum motus duratione, quod necesse est propter successionem motus, nec possit esse principium motus vel initium sine causa ad producendum movente, necesse est, ut causa movens ad aliquid producendum præcedat duratione id, quod ab ea producitur. Si vero agit sine motu, effectus illius potest esse simul duratione cum illo, ut patet in splendore respectu ignis vel solis. Et idem dicendum de *materia*, quando recipit effectum per motum productum; nam cum prius recipiat motum quam effectum, debet prius duratione illi præexistere; secus vero, quando recipit illum sine motu. *Forma* vero est idem cum effectu; agens enim per actionem tendit ad inductionem formæ in materia. — Et ex his patet *ad argumenta*. — 3a, q. 62, a. 6, c.; *de Pot.* q. 3, a. 13, c. et ad 5.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod causa est prior *cognitione* intellectiva quam effectus. Illud enim est prius cognitione intellectiva, quod etiam est prius simpliciter, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 16; l. 4, c. 11); et ratio est, quia sicut res est per sua principia, ita et per illa ab intellectu cognoscitur; principia autem constituentia rem et influentia habent rationem causæ proprie sumptæ, ut dictum est (supra q. 7, a. 2, c.) — Et sic patet *ad primum*. — 5. *Metaphys.* l. 13 (16).

Ad secundum dicendum quod, cum causa dicat relationem principii et ordinem prioritatis ad effectum, duo possunt in causa considerari : ordo ad effectum et subjectum hujus ordinis, quod est entitas; et esse causæ, in quo fundatur virtus causativa causæ, et ordo ejus ad effectum. Si primum consideretur, causa et causatum sunt simul cognitione, sicut et natura; nam relativa sunt simul natura et cognitione, ut dictum est (in Logica q. 13, a. 10, *ad quint. quæst.*) Si vero consideretur secundum, causa est prior cognitione intellectiva, secus vero sensitiva; nam aliquando effectus secundum sensum est notior, aliquando causa, ut dictum est (supra in arg. 1 huj. tertiæ quæstiunc.). — V. supra q. 7, a. 2, c.; 1a, q. 5, a. 4, c.; l. *Poster.* l. 23 (22); *Tabula Aurea* voce « causa » n. 100 et 197.

ARTICULUS II

UTRUM CAUSA PARTICULARIS IN ACTU SIMUL SIT ET NON SIT CUM SUO EFFECTU.

Videtur quod causa particularis in actu non simul sit et non sit cum suo effectu.

1. Eadem enim est ratio causæ in actu ad effectum in actu, et causæ in potentia ad effectum in potentia; sed causa in potentia et effectus in potentia non simul sunt et non sunt ut patet in scientia et scibili : ergo nec causa in actu simul est et non est cum effectu in actu. — 1a, q. 13, a. 7, ad 6.

2. Præterea, non semper remota causa removetur effectus; nam remoto ædificante remanet ædificium, et remota actione ignis remanet calor ab igne productus in ligno : ergo causa particularis in actu non simul est et non est cum suo effectu. — 5. *Metaphys.* l. 3 (2

3. Præterea, potest poni causa in actu, et tamen impediri effectus, ne sequatur, ut si quis efficaciter velit aliquid, et ab aliquo impediatur vel si ignis calefaciat ad introducendum calorem, et superveniat causa impediens. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 2, 3, 4.

4. Præterea, Deus est causa semper in actu nam ejus actio est ejus esse, quod semper manet, et tamen non omnis ejus effectus semper manet, ut patet; ergo causa in actu non semper simul est et non est cum suo effectu. — *de Po* q. 5, a. 3, arg. 6.

5. Præterea, gravia moventur a generante projecta a projiciente, ut dicit Philosophus (*Phys. text.* 32; c. 4), et tamen dum movetur grave vel projectum, potest non existere generans et projiciens; ergo non necessario simul actu esse debent movens et motum. — 8. *Phy* l. 8.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2, et 2. *Phys. text.* 3 c. 3) dicit, quod causa actu simul est et non est cum effectu actu. — 5. *Metaphys.* l. 3 (2 2. *Phys.* l. 6.

Respondeo dicendum quod, quia potentia actus diversificant habitudinem causæ particularis ad effectum, ideo alia est causa particularis in potentia, alia in actu; et illa quidem non semper removetur cum effectu (domus enim ædificator, qui est causa illius in habitu et potentia, non simul corrumpuntur); hæc vero simul est et tollitur cum suo effectu. Nam si

non potest aliquid actu ædificari, nisi sit actu ædificans, ita non potest aliquis actu esse ædificans, nisi sit actu id, quod ædificatur; causa enim est actu per causalitatem, ut dictum est (supra q. 11, a. 1, c. et in Logica q. 13, a. 4 et 10), qua posita tamquam fundamento, ponitur relatio inter agens et effectum, ratione cujus utrumque simul est. — Il. cit.

Ad primum ergo dicendum, quod aliud est scientia in potentia, aliud scientia secundum habitum; nam scientia secundum habitum potest actu existere et sic esse effectus actu; at scientia secundum potentiam nondum existit, sed potest existere. Hic autem nomine effectus in potentia intelligitur id, quod potest esse et causari, sed nondum causatur et nondum est, sicut nomine causæ in potentia intelligimus id, quod nondum est sub actu causandi, est tamen in rerum natura, ut patet in exemplo ædificatoris et ædificantis, ut dictum est (in c. art.), quomodo sumpta causa in potentia simul est cum effectu in potentia.

Ad secundum dicendum, quod aliud est loqui de effectu in actu, et de effectu simpliciter seu secundum substantiam sumpto. Nam si loquamur de *effectu in actu*, verum est, causam in actu simul poni et tolli cum suo effectu in actu, eo scilicet modo, quo est causa; nam si est causa effectus tantum in fieri, causa rei in fieri est simul cum re in fieri; causa vero rei in fieri et in esse simul est cum re in fieri et in esse; si enim ignis calefacit actu lignum, lignum actualiter calefit, et si ignis non calefacit, nec lignum calefit et e contra. Si vero loquamur de *effectu simpliciter*, in quibusdam contingit, quod remota actione efficientis tollatur substantia effectus, sicut in his, quorum esse est in fieri, vel quorum causa non solum est effective causa fiendi, sed etiam essendi, ut patet in lumine a sole producto in aere, quod statim cessat remota illuminatione. In his vero, quorum causa est tantum fiendi, remota actione causæ non tollitur effectus, sed remanet. — 5. *Metaphys.* l. 2; 1a, q. 104, a. 1.

Ad tertium dicendum, quod tunc posita causa in actu ponitur effectus in actu, quando causa est naturalis et non voluntaria, et quando est causa naturalis per se, propria et sufficiens, seu completa, et non impedita. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 2, 3, 4.

Ad quartum dicendum, quod in actione Dei, qua res producit, duo est considerare : ipsam substantiam operationis, et ordinem ad effectum. Substantia operationis, cum sit divina essentia, æterna est, nec potest non esse; ordo autem ad effectum dependet ex voluntate divina, ex qualibet enim actione facientis non sequitur effectus nisi secundum exigentiam principii actionis; secundum enim modum caloris ignis calefacit. Unde, cum principium factorum a Deo sit voluntas, secundum hoc in actione divina est ordo ad effectum, prout voluntas determinat; et ideo quamvis actio Dei cessare non possit secundum suam substantiam, ordo tamen ad effectum cessare potest, si Deus vult. — *de Pot.* q. 5, a. 3, ad 6.

Ad quintum dicendum, quod movens et motum debent esse simul, vel dum durat virtus impressa a movente, ut patet in motu gravis et levis; vel quantum ad principium motus, non autem quantum ad totum motum, ut patet in projectis. — *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5.

ARTICULUS III

UTRUM CAUSÆ UNIVERSALI RESPONDEAT EFFECTUS UNIVERSALIS, ET CAUSÆ PARTICULARI PARTICULARIS.

Videtur quod causæ universali non respondeat effectus universalis et singulari singularis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1), quod actiones sunt circa singularia, et quod singularium sunt omnes generationes; ergo non datur effectus universalis, qui respondeat causæ universali. — 1. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, impossibile est, quod idem generet seipsum; sed id sequitur, si datur effectus universalis respondens causæ universali. Nam si Petrus ut homo generat Paulum ut hominem, ergo generat omnem hominem et proinde etiam seipsum; nam sub universali specifico continentur omnia singularia, cum de illis prædicetur, ut dictum est (in Logica q. 5, a. 3); ergo falsum est, quod causæ universali respondeat effectus universalis et particulari particularis. — 4. *c. Gent.* c. 80; *de Pot.* q. 2, a. 4, arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 38; c. 3) dicit, quod causæ generales sunt causæ generalium effectuum et particulares particularium. — 2. *Phys.* l. 6.

RESPONDEO DICENDUM, quod causis debent proportionaliter respondere effectus; unde sicut causis in potentia respondent effectus in potentia, et causis in actu effectus in actu, ita causis ge-

neralibus debent respondere effectus generales, et singularibus singulares, ut nimirum statuæ causa sit faciens statuam, et hujus statuæ hic statuam faciens. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod licet singularia per se generentur, et universalia non nisi per accidens, in quantum hoc singularibus competit (homo enim generatur hoc homine generato, et similiter hic homo generat per se, per accidens autem homo, quatenus id convenit huic homini); — tamen, ut effectus respondeat causæ, sicut generatur hic homo et homo, ita generans debet esse hic homo et homo. — 1. *Metaphys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur homo generare hominem, et hic homo hunc hominem, in prima propositione terminus *homo* non sumitur pro universali, secundum quod est in intellectu atque adeo secundum quod est genus, sed sumitur pro universali, secundum quod est in singularibus. Illi enim sic sumpto, sicut tribui potest aliquid ratione ipsius naturæ universalis (ut cum tribuitur ei aliquid, quod ad essentiam ejus pertinet, vel quod consequitur principia essentialia ipsius, ut cum dicitur : homo est animal, homo est risibilis), ita potest tribui aliquid ratione singularis, in quo invenitur, ut cum tribuitur ei aliquid, quod pertinet ad actionem individui, ut cum dicitur : homo generat, homo generatur, homo ambulat, homo movetur. Nam actiones sunt suppositorum et singularium et circa singularia versantur; et tunc non sequitur, quod si Petrus ut homo generat Paulum ut hominem, generat omnem hominem, sed tantum individuum, cui conveniat esse hominem, et per se producit illud, per accidens vero hominem, ut dictum est. — 1. *Periherm.* l. 10; *Tabula Aurea* voce « actio » n. 95; 1. *Metaphys.* l. 1.

ARTICULUS IV

UTRUM IDEM NUMERO EFFECTUS CORRUPTUS POSSIT REDIRE.

Videtur quod idem numero corruptum redire non possit.

1. Dicit enim Philosophus (*de Prædicam.* c. 10; c. 12, et 2. *de Generat. text.* 70; c. 11), quod a privatione ad habitum non datur regressus; sed daretur talis regressus, si idem numero corruptum rediret : ergo idem corruptum numero non redit. — 4. *c. Gent.* c. 80, n. 1; 2. *de Generat.* l. 12.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat.* l. c.), quod quæcunque habent speciem corruptibilem motam, non reiterantur eadem numero; sed talis est substantia rei, quæ corrumpitur : ergo corruptum idem numero redire non potest. — *Quodl.* 4, a. 5, arg. 1; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, quæstiunc. 2, arg. 1.

3. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 35, sq.; c. 4), quod nec eadem sanitas numero nec idem numero motus, nec idem numero tempus redire possunt, et si redibit motus, futurus quidem est idem specie, sed non numero unus; et 1. *de Anima text.* 41; c. 3 contra asserentes, animam posse moveri motu locali, infert tamquam absurdum, quod inde sequeretur, idem numero animal mortuum resurgere. — 5. *Phys.* l. 6; 1. *de Anima* l. 6.

4. Præterea, impossibile est idem esse numero cujus aliquod essentialium principiorum idem numero esse non potest; sed per corruptionem rei substantialis, puta equi vel hominis, plura principia essentialia illius in nihilum tendunt ut corporeitas et forma mixtionis. Quod autem redit in nihilum, idem numero resumi non potest; potius enim erit novæ rei creatio quam ejusdem reparatio; ergo idem numero corruptum redire non potest. — 4. *c. Gent.* c. 80, n. 2; 2. *de Generat.* l. 12; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, arg. 4 et quæstiunc. 2, arg. 2.

5. Præterea, quod non est continuum, idem numero esse non videtur; quod quidem non solum in magnitudinibus et motibus manifestum est, sed etiam in qualitatibus et formis. Si enim post sanitatem aliquis infirmatus iterato sanetur non redibit eadem sanitas numero; manifestum est autem, quod per corruptionem esse rei auferatur, cum corruptio sit mutatio de esse in non esse; impossibile est igitur, quod esse rei corruptæ idem numero reiteretur. Quare neque eri eadem res numero; quæ enim sunt eadem, secundum esse sunt idem. — 4. *c. Gent.* c. 80 n. 3; 4. *Sent.* l. c. quæstiunc. 2, arg. 2.

6. Præterea, dicit Philosophus in lib. *de Anima*, quod non est eadem statua numero, quæ destruitur, et de eodem ære conficitur; ergo pari ratione res, quæ corrumpitur, non erit eadem numero, cum reparatur. — *Quodl.* 11, a. 6 arg. 3; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, quæstiunc 2, arg. 4.

7. Præterea, ubi est alia et alia humanitas non est idem numero homo; sed si idem homo corruptus numero rediret, non esset una humanitas, sed duæ. Nam humanitas resultat ex cor

junctione partium; sed non potest eadem numero conjunctio semel corrupta redire, quia iteratio identitati opponitur. Iteratio enim numerum importat, identitas autem unitatem, quæ se non compatiuntur; in reparatione autem rei corruptæ, si erat composita, ut est homo, conjunctio iteratur : ergo non est eadem conjunctio, et sic nec eadem humanitas nec idem homo. — 4. *Sent.* l. c. arg. 2.

Sed contra est : 1. quod fides docet resurrectionem hominum futuram, ut patet ex *Job.* 19, 25, 26; sed resurgere est secundum Augustinum (*de Trinitate* l. 8, c. 5; Migne PP. L. t. 42, col. 953), eundem numero hominem, qui erat vivus, reviviscere, vel secundum Damascenum (*de Fide orthod.* l. 4, c. 27; Migne PP. Gr. t. 94, col. 1219), secundo surgere idem numero, quod antea surrexit : ergo idem numero corruptum potest redire. 4. — *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1. arg. 1 et 2 *Sed contra* et quæstiunc. 2, arg. 1 et 2 *Sed contra*.

2. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 37; c. 4), quod si quis perseverat in sanitate per totum diem, eadem numero est sanitas, quæ fuit mane, et quæ est in meridie vel sero; ergo similiter si quis deficiat a sanitate et iterum illam recipiat, secunda sanitas recuperata potest esse eadem numero cum sanitate prius habita. — 5. *Phys.* l. 6.

3. Præterea, corrupta forma remanet in materia privatio ipsius; sed privatio est principium mutationis, ut dictum est (supra q. 5, a. 3) : ergo corrupta forma potest per naturalem mutationem eadem numero redire. — Hannibaldus in 4. *Sent.* dist. 43, a. 2, ad 1; *Quodl.* 11, a. 3, ad 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *Meteorolog.* c. 3), non semel neque bis neque raro easdem opiniones iterato factas esse in hominibus, sed infinities; ergo idem numero effectus potest redire. — 1. *Meteorolog.* l. 3.

5. Præterea, ubi est idem agens et eadem materia, ibi est idem effectus, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 12; l. 7, c. 4, et 10. *Metaphys. text.* 11; l. 9, c. 3); sed naturaliter possunt concurrere idem agens numero et eadem numero materia; ergo naturaliter potest reproduci idem numero effectus. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 10. *Metaphys.* l. 4 (2).

Respondeo dicendum, quod *naturaliter* non potest idem numero corruptum redire. Cuius ratio est, quia neque id potest fieri per illum agens naturale, quia hoc non potest hujusmodi corruptibilia sine motu reparare; motus autem et actio interrupta non est una, sed plures, — neque per naturam ipsius corrupti, quia natura semper operatur per aliquam formam; quod autem habet formam, jam est (unde nihil seipsum generare potest, sed generat aliquid aliud sibi simile secundum speciem); cum vero corruptum est, formam amisit, quæ poterat esse actionis principium; unde *operatione naturæ*, quod corruptum est, idem numero reparari non potest.

Potest autem reparari *divina virtute*, si quod corruptum est, erat res *permanens*, *tum quia* hæc virtus, quæ res produxit in esse, ita per naturam operatur, quod absque ea effectum producere potest; unde cum maneat eadem etiam respectu rerum corruptarum, poterit illas in integrum reparare; — *tum quia* divina virtus potest hujusmodi corruptibilia sine motu reparare, quia in ejus potestate est producere effectus sine motu, sicut et sine mediis causis secundis. — Si autem quod corruptum est, erat ens *successivum*, cujusmodi est motus, tempus et similia, neque per divinam potentiam potest corruptum idem numero reparari. Cum enim horum unitas in sui ratione habeat durationis continuitatem, talium interruptio directe contradictorie opponitur unitati eorum secundum numerum; ea vero, quæ contradictionem implicant, non continentur sub numero possibilium Deo, quia deficiunt a ratione entis. — Et *confirmatur*, quia ad identitatem numericam entis successivi seu motus requiritur, quod non interrumpatur (5. *Phys. text.* 41; c. 4, et prius, in *text.* 39; c. 4 dixerat, quod idem est motum esse continuum et esse unum et requiritur unitas temporis ad unitatem motus); ergo si interrumpatur vel corrumpatur, implicat quod idem numero reparetur. — *Quodl.* 4, a. 5, c.; 4. *c. Gent.* c. 81; 5. *Phys.* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod a privatione ad habitum non datur regressus per naturæ vires; secus vero per divinam virtutem, ut dictum est (in c.) — 4. *c. Gent.* c. 81, n. 1.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus loquitur de iteratione, quæ fit per motum vel mutationem naturalem. Ostendit enim differentiam mutationis, quæ est in generatione et corruptione, ad circulationem, quæ est in motu cœli, quia cœlum per motum localem redit idem numero ad principium motus, quia habet substantiam incorruptibilem motam; sed generabilia et corruptibilia per generationem redeunt

ad idem specie, non ad idem numero, quia ex homine generatur semen, ex quo sanguis et sic deinceps, quousque perveniatur ad hominem, non ad eundem numero, sed specie; et ex igne generatur aer, ex quo aqua, ex aqua terra, ex terra ignis non idem numero, sed specie. Unde patet, quod ratio inducta secundum Philosophi intentionem non est ad propositum. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus 5. *Phys.* loquitur de iteratione, quæ fit per virtutem naturæ, in 1. vero *de Anima* loquitur Philosophus de reparatione per animæ vires, et contra eos, qui dicunt, animam esse in corpore tamquam in loco seu in vase, et intrare et egredi aliquando, argumentatur, quod inde sequeretur, mortua de numero animalium secundum naturam resurgere, quod est impossibile. — 5. *Phys.* l. 6; 1. *de Anima* l. 6.

Ad quartum dicendum, quod nullum principiorum essentialium hominis vel equi per mortem omnino cedit in nihilum. Nam si loquamur de equo, forma substantialis illius non est annihilata, sed corrupta; corruptum vero licet per naturæ vires idem numero reparari non possit, potest tamen per divinam virtutem, ut dictum est (in c. art.) — Si vero loquamur de homine, anima rationalis, quæ est forma hominis, manet post mortem; materia etiam manet, quæ tali formæ fuit subjecta sub dimensionibus iisdem, ex quibus habebat, ut esset divisibilis; quare ex conjunctione ejusdem animæ numero ad eandem materiam numero homo idem et unus numero reparabitur. — 4. *c. Gent.* c. 81, n. 2; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 4 et sol. 2, ad 2.

Corporeitas autem dupliciter accipi potest : *primo*, secundum quod est forma substantialis corporis, prout in genere substantiæ collocatur; et sic corporeitas cujuscumque corporis nihil est aliud quam forma substantialis ejus, secundum quam in genere et specie collocatur, ex qua debetur rei corporali, quod habeat tres dimensiones. *Secundo* accipitur corporeitas, prout est forma accidentalis, secundum quam dicitur corpus, quod est de genere quantitatis, et sic corporeitas nihil est aliud quam tres dimensiones, quæ corporis rationem constituunt. Etsi igitur hæc corporeitas in nihilum cedat corpore humano corrupto, tamen impedire non potest, quin idem numero reparari possit, eo quod corporeitas primo modo sumpta in nihilum non cedit, sed manet; in equo autem licet non maneat, sed corrumpatur, per divinam tamen virtutem reparari potest, cum materia illius eadem numero permaneat. — Et similiter *forma mixti* duobus modis accipi potest : *uno modo*, pro forma substantiali corporis mixti; et sic cum in homine non sit alia forma substantialis, quam anima rationalis, non potest dici, quod forma mixti, prout est forma substantialis homine moriente cedat in nihilum; et in equo forma mixti licet corrumpatur, tamen reparari potest per divinam virtutem, ut dictum est. *Alio modo* dicitur forma mixti qualitas quædam composita et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum, quæ ita se habeat ad formam substantialem corporis mixti, sicut se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis; unde si forma mixtionis sic dicta in nihilum cedat per corruptionem rei, non præjudicat unitati ipsius reparatæ. — 4. *c. Gent.* c. 81, n. 2.

Ad quintum dicendum, quod materiæ et formæ unum est esse; non enim materia habet esse in actu nisi per formam. Cum ergo in homine anima rationalis remaneat (et in aliis animalibus eadem numero per divinam virtutem), redit idem omnino esse numericum rei corruptæ. — *Ibid.* n. 3.

Ad sextum dicendum, quod Augustinus dicit contrarium; vult enim, si statua reficiatur ex eodem ære, quod sit eadem numero. Nihilominus tamen dicendum, quod statua dupliciter considerari potest : vel secundum quod est substantia quædam, vel secundum quod est artificiale quoddam. Et quia in genere substantiæ ponitur ratione materiæ, ideo si consideretur secundum quod est substantia quædam, est eadem numero statua, quæ ex eadem materia reparatur; sed in genere artificialium ponitur secundum quod est forma, quæ est accidens quoddam et transit statua destructa, et sic non redit idem numero, nec consequenter eadem statua numero. At in dissolutione compositi substantialis aliquando forma manet, ut in homine; et ideo cum remaneat eadem cum materia, potest idem numero homo corruptus per divinam virtutem reparari. Quod si forma non manet, ut in aliis animalibus, forma destructa potest per virtutem divinam reparari, quæ reparata reparabitur etiam per eandem virtutem idem animal numero. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 4; *Quodl.* 11, a. 6, ad 3.

Ad septimum dicendum, quod de humani-

tate et de qualibet forma totius est duplex opinio. *Quidam* enim *dicunt*, quod idem secundum rem est forma totius et forma partis; sed dicitur forma partis, secundum quod perficit materiam; forma autem totius, secundum quod ex ea tota ratio speciei consequitur. et secundum hanc opinionem humanitas vel equinitas in equo secundum rem non est aliud quam ipsa forma substantialis. Et sic cum eadem anima rationalis in reparatione hominis resumatur, eadem numero erit humanitas, et etiam post mortem manet, quamvis non sub ratione humanitatis, quia ex ea compositum rationem speciei non consequitur; et similiter in reparatione equi a Deo facta, eadem numero forma substantiali per ipsum reparata, idem numero equus reparabitur. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 2.

Alia est opinio Avicennæ, quæ verior videtur, quod forma totius non est forma partis tantum, nec forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ et materiæ, comprehendens in se utramque; et hæc forma totius essentia vel quidditas dicitur. Quia ergo in reparatione hominis idem numero corpus est et eadem numero anima rationalis, de necessitate etiam est eadem numero humanitas. — *Prima* autem *ratio* probans diversitatem humanitatis futuram in reparatione hominis procedebat, ac si humanitas esset quædam alia forma superveniens formæ et materiæ, quod est falsum. *Secunda* etiam *ratio* non potest identitatem humanitatis impedire, quia conjunctio significat actionem vel passionem, quæ quamvis sit diversa, non potest impedire identitatem humanitatis, quia actio et passio, ex quibus erat humanitas, non sunt de essentia humanitatis; unde eorum diversitas non inducit diversitatem humanitatis. Constat enim, quod generatio et reparatio non sunt idem motus numero, nec tamen propter hoc impeditur identitas reparati vel resurgentis. Similiter etiam nec impeditur identitas humanitatis, si accipiatur conjunctio pro ipsa relatione, quia relatio illa non est de essentia humanitatis, sed concomitatur eam, eo quod humanitas non est de illis formis, quæ sunt compositio et ordo, ut dicitur 2. *Phys. text.* 31; c. 3. sicut sunt formæ artificiatorum; unde existente alia compositione numero, non est eadem numero forma domus. — *Ibid.*

Ad primum secundæ partis (*Sed contra*) dicendum, quod hoc objectum tantum probat, per divinam virtutem posse corruptum idem numero reparari. — V. dicta in c.

Ad secundum dicendum, quod non est simplex ratio, quia quandiu sanitas manet, licet varietur homo secundum illam, ut puta si fiat magis vel minus sanus, non interrumpitur esse sanitatis, sicut interrumpitur, quando totaliter corrumpitur sanitas et iterum postea reparatur. — 5. *Phys.* l. 6.

Ad tertium dicendum, quod in composito substantiali corrupto non remanet eadem potentia et inclinatio naturalis ad eandem numero formam substantialem, sed ad eandem speciei; sed remanet tantum potentia obedientialis seu inclinatio ad eandem numero formam secundum ordinem divinæ providentiæ, et per consequens non remanet eadem numero privatio formæ, quæ præcessit; non illa non fuit ad illam formam numero ut sic, sed ad formam in specie, ut dictum est (supra q. 5, a. 3). — 4. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 4, sol. 3.

Ad quartum dicendum, quod illud dixit Philosophus secundum opinionem suam, secundum quam putavit, mundum et generationem hominum fuisse ab æterno; hoc enim posito manifestum est, quasdam opiniones et artes a quibusdam certis temporibus incepisse, et oportet dicere, quod multoties vel magis infinities sunt destitutæ propter bella vel alias corruptiones, et iterum reinventa. — 1. *Meteorolog.* l. 3.

Ad quintum dicendum, quod per naturæ vires potest idem effectus restitui, non tamen idem numero, sed specie, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 70; c. 11). — 2. *de Generat.* l. 12.

ARTICULUS V

UTRUM IDEM EFFECTUS NUMERO PRODUCI POSSIT SIMUL A DUABUS CAUSIS EFFICIENTIBUS EJUSDEM ORDINIS, TOTALIBUS ET ADÆQUATE CONCURRENTIBUS.

Videtur quod idem effectus numero produci possit simul a duabus causis efficientibus ejusdem ordinis, totalibus et adæquate concurrentibus.

1. Hoc enim nullam involvit implicationem contradictionis; sed illud tantum est impossibile Deo quod contradictionem involvit: ergo potest idem effectus numero produci a duabus causis efficientibus totalibus, ejusdem ordinis. — 1a, q. 25, a. 1, 2, 3.

2. Præterea, eadem numero gratia baptisma-

lis potest in anima pueri effective produci a duobus baptizantibus puerum eundem, et eadem numero consecratio ejusdem hostiæ fieri potest a duobus sacerdotibus, super eandem numero hostiam verba consecrationis proferentibus; sed duo baptizantes et duo sacerdotes consecrantes habent rationem duorum efficientium totalium; nam quilibet sufficienter baptizaret et consecraret altero remoto : ergo idem numero effectus potest produci a duobus totalibus agentibus. — 3a, q. 67, a. 6 et q. 82, a. 2.

3. Præterea, possunt plures angeli movere unum lapidem, et ita in uno eodemque loco esse; hoc enim est angelo esse in loco, operari circa corpus motum localem vel quid simile; sed plures angeli respectu ejusdem motus se habent per modum agentium totalium, quia quilibet posset talem motum efficere sine concursu alterius : ergo idem numero effectus potest produci a pluribus agentibus totalibus ejusdem ordinis. — 1a, q. 52, a. 3; 1. *Sent.* dist. 37, q. 3, a. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Metaphys. text.* 2; l. 4, c. 2 et 2. *Phys. text.* 30; c. 3) dicit, quod impossibile est ejusdem effectus esse plures causas per se, ejusdem generis et ordinis, ut duas causas efficientes. — 5. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod *naturaliter* impossibile est, quod ejusdem rei sint plures causæ ejusdem ordinis, totales et adæquate concurrentes; secus vero, si sint vel causæ per accidens vel causæ per se, sed diversi ordinis vel subordinatæ, ut nimirum una sit causa prima, altera secunda; vel una remota, altera proxima; vel si ita se habeant, quod neutra sit causa sufficiens, sed utraque conjuncta, sicut patet in multis trahentibus navem. Ratio autem hujus est, quia ab agente perfecto patiens ducitur in esse perfectum, quo habito non remanet in potentia ad suscipiendum aliquid plus; agens autem totale est sufficientis virtutis ad producendum totum effectum; quare alterum agens totale omnino superflueret. Nihil autem datur in natura otiosum et superfluum; unus enim actus, qui uno agente expletur, non progreditur a pluribus agentibus simul, sed actus multiplicatur ad multiplicationem agentium; unde et philosophi uni orbi non attribuunt nisi unum motorem. *Præterea*, quia si plura agentia totalia producerent eundem numero effectum, sequeretur confusio operationum, quæ quodammodo etiam redundaret in confusionem virtutis et essentiæ. *Demum*, quia inductione hoc patet in omni genere causarum, quia una est forma proxima unius rei, et unum est proximum movens, licet possint esse plures motores remoti. — *Quodl.* 5, a. 8; 5. *Metaphys.* l. 2; 1. *Sent.* dist. 37, q. 3, a. 3; 1a, q. 52, a. 3 et q. 105, a. 5, ad 2; 4. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 2; *de Pot.* q. 3, a. 19, ad 1; 1a, q. 53, a. 3, c.

Ceterum *supernaturaliter* potest idem numero effectus procedere a duabus causis totalibus; et ratio est, quia hoc non implicat. Neque enim confusio operationum et superfluitas agentium, quæ inde sequeretur, arguere potest talem contradictionem et impossibilitatem respectu potentiæ absolutæ Dei. *Præterea*, quia cum quodlibet agens creatum sit instrumentum Dei in agendo, ut dictum est (supra q. 11, a. 1), sicut Deus per duo instrumenta sufficientia et totalia potest effectum eundem numero supernaturalem in anima producere, puta gratiam, ut dictum est, ita potest per duos ignes producere eundem numero calorem. *Demum*, quia sicut in consecrantibus eandem numero hostiam est una numero consecratio, quia omnes habent intentionem unam consecrationem faciendi, nec aliquis ibi facit, quod factum est, quia omnes consecrantes referunt suam intentionem ad idem numero instans temporis, ita plures causæ efficientes possunt intendere ad unum et eundem effectum numero producendum, neque actum agent, si intentionem dirigant ad idem numero instans. — V. Cajetan. in Iam, q. 53, a. 3; 3a, q. 67, a. 6; 4. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 1 et 2.

Ad primum ergo dicendum, quod nulla implicatio contradictionis intervenit in productione ejusdem numero effectus a pluribus causis totalibus, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod si quilibet baptizans vel consecrans operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes et baptizantes, uno sufficienter baptizante vel celebrante; sed homines non baptizant propria virtute, nec consecrant in persona propria, sed in virtute et persona Christi, qui unus est. — 3a, q. 67, a. 6, ad 1 et q. 82, a. 2, ad 2.

Vel dic, quod naturaliter non potest unus numero effectus produci a pluribus agentibus totalibus, secus vero supernaturaliter, quomodo producitur eadem numero gratia baptismalis in

baptizato, et fit eadem numero consecratio a pluribus celebrantibus, ut dictum est (supra in c.)

Ad tertium dicendum, quod naturaliter impossibile est plures angelos in uno loco esse seu movere idem corpus numero, quia cum uniuscujusque virtus sit sufficiens ad movendum, superflue ponitur alterum movens, vel ponitur operationum confusio. — 1a, q. 52, a. 3; *de Pot.* q. 3, a. 19, ad 1; 4. *Sent.* dist. 3, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 2.

ARTICULUS VI

UTRUM IDEM EFFECTUS NUMERO PRODUCI POSSIT A DIVERSIS CAUSIS EFFICIENTIBUS DIVERSO TEMPORE.

Videtur quod idem effectus numero produci possit a diversis causis efficientibus diverso tempore.

1. Fieri enim potest, ut una numero actio sit a duobus agentibus totalibus in eodem instanti, ut dictum est (a. præced.); ergo poterit eadem numero esse a duobus agentibus diverso tempore, posito quod ab uno nondum fuerit egressa, et consequenter poterit idem numero effectus procedere a duobus efficientibus diverso tempore.

2. Præterea, unus et idem numero filius, qui est ab uno patre, potuit generari ab alio patre diverso tempore. Dicit enim S. Gregorius (*Moral.* l. 4, c. 31; Migne PP. L. t. 75, col. 671), quod si Adam non peccasset, illi, qui nunc per Christum salvandi sunt, ab illo electi nascerentur; constat autem, ex his, qui nunc salvantur, multos esse, qui ex fornicatione et adulterio nascuntur, qui cum nati non fuissent Adamo non peccante, dicendum est, quod nascituri essent ex aliis parentibus bonis; ergo idem effectus numero potest produci a diversis causis efficientibus diverso tempore. — *Quodl.* 3, a. 25; *Quodl.* 5, a 8; 1a, q. 100, a. 2, ad 1.

Sed contra est: 1. quod *Eccli.* 7, 30 dicitur : memento, quod nisi per illos, patrem scil. et matrem, de quibus immediate ante locutus fuerat, natus non fuisses.

2. Præterea, actio naturaliter multiplicatur ad multiplicationem agentium, et quæ ab uno proficiscitur, non potest ab alio progredi, ut dictum est (a. 5); sed unus effectus per unam actionem producitur; nam omnis actio naturæ terminatur ad unum : ergo idem effectus non potest esse a diversis agentibus diverso tempore. — *Tabula Aurea* voce « actio » n. 41.

RESPONDEO DICENDUM, quod naturaliter non potest unus effectus numero produci a duobus agentibus diverso tempore; et ratio patet ex dictis (a. præced.) Si enim unus effectus naturaliter non potest produci a pluribus causis totalibus simul, nec poterit a pluribus diverso tempore. Ideo enim naturaliter illud est impossibile, quia cum unum agens sit sufficiens ad effectum, alterum esset superfluum; at similiter superfluum esset unum agens, si alterum agens posset alio tempore producere effectum illius. Supernaturaliter autem potest id fieri, sicut fieri potest, ut eadem numero actio simul procedat et consequenter idem numero effectus a pluribus agentibus, ut dictum est. — V. supra a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio procedit de effectu eodem numero producto per virtutem supernaturalem, quod concedimus, ut dictum est (a. præced.)

Ad secundum dicendum, quod naturaliter non potest unus filius generari a duobus patribus diverso tempore. Et ad auctoritatem S. Gregorii dicendum, quod sensus ejus est, quod si Adam non peccasset, soli electi ex illo nascerentur, quantum est ex ratione originis, quia ipse in filio non transtulisset originale peccatum, non autem quantum ad demonstrationem personalem, quia aliæ personæ essent hominum, qui salvarentur. Quod si dicas, S. Gregorium uti pronomine demonstrativo (ait enim quod hi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli electi ab Adamo nascituri essent). — respondeo, pronomen illud non facere demonstrationem personalem, sed simplicem, sicut dicitur : hæc herba crescit in horto meo; ut intelligatur nihil aliud significari, quam quod salvandi ab eo nascerentur, quia nullus nascendo ab eo traheret damnationis causam. Non enim potest dici, quod iidem homines numero nascerentur, qui nunc nascuntur; manifestum enim est, quod non potest esse idem homo numero, si ab alio patre vel matre nasceretur. — *Quodl.* 5, a. 8; *Quodl.* 3, a. 25.

ARTICULUS VII

UTRUM IDEM NUMERO EFFECTUS PRODUCI POSSIT AB EADEM CAUSA EFFICIENTE DIVERSO TEMPORE.

Videtur quod idem effectus numero pro-

duci possit ab eadem causa efficiente diverso tempore.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 37; c. 4), quod si quis perseveret per totum diem in sanitate, eadem est numero sanitas, quæ fuit mane et quæ est sero; ergo eadem sanitas numero produci potest a causa efficiente diverso tempore. Nam causa conservans ad causam efficientem spectat, et conservatio quædam actio est aliquid efficiens, cum sit efficax. — 5. *Phys.* l. 6; 1a. q. 104, a. 1, arg. 4.

2. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 12; l. 7, c. 4), quod eadem materia existente et eodem agente fiet idem numero effectus; sed potest diverso tempore esse eadem numero materia et idem numero agens : ergo idem numero effectus potest fieri ab eadem causa efficiente diverso tempore. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 35 ; l. 7, c. 4) dicit, quod ad unitatem motus requiritur unitas temporis; ergo ille motus, qui fit uno tempore, non potest esse idem numero, qui fieret alio tempore; quare neque idem motus numero fieri potest diversis temporibus. — 5. *Phys.* l. 6.

Respondeo dicendum, quod idem numero effectus non potest naturaliter produci ab eadem causa efficiente diverso tempore. Ratio est, quia causa efficiens naturalis vel agit per motum vel sine motu ; si agit per motum, sicut idem numero motus non potest fieri diversis temporibus, quia sic non esset unus, sed plures, ut dictum est (supra a. 4) ; — ita nec ille motus, qui uno tempore fuit, potest idem numero esse cum eo, qui fieret alio tempore. Si vero agit sine motu, sicut idem numero effectus potest conservari per aliquod tempus, non tamen posset esse idem numero, si fieret diversis instantibus, ut dictum est (a. 4), quia sic essent plures numero effectus; — ita nec idem numero effectus esse potest, qui fieret uno tempore, si tunc non fiat, sed alio tempore. Et ita manifestum est, quod idem numero effectus produci non potest ab eadem causa efficiente diversis temporibus.

Ad primum ergo dicendum, quod non est similis ratio, quia quandiu sanitas manet, non intercipitur esse sanitatis, et ideo est eadem numero sanitas; sed si fieret sanitas ab eodem in diversis temporibus, interciperetur esse sanitatis, et sic non esset una numero sanitas. — 5. *Phys.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus tantum dicit, quod eadem materia existente contingit, diversa fieri propter moventem causam, vel quia est alia et alia causa movens, vel quia est eadem habens se ad operandum diversa diversimode. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

QUÆSTIO XV

DE CAUSIS PER ACCIDENS.

Post considerationem de causis per se, sequitur considerandum de causis per accidens.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR NOVEM :

1. An dentur fortuna et casus.
2. Quid sit fortuna.
3. Quid sit casus.
4. Ad quod genus causæ reducantur fortuna et casus.
5. Utrum respectu Dei, angelorum et cœlorum detur aliquid a casu vel fortuna.
6. Utrum monstra sint a casu.
7. Utrum de fortuna et casu possit dari scientia.
8. Quænam sit prima radix contingentiæ et necessitatis in rebus naturalibus.
9. Unde oriatur necessitas in rebus naturalibus tamquam ex causa proxima, ex fine, an vero ex aliis causis.

ARTICULUS I

AN DENTUR FORTUNA ET CASUS.

Videtur quod non dentur fortuna et casus.

1. Fortuna enim et casus ponuntur, ut sint causæ per accidens; sed causa per accidens non est causa ullius effectus, quia omne, quod fit, habet causam per se : ergo nullus effectus est a fortuna et casu, et per consequens nec datur fortuna nec casus. — 2. *Phys.* l. 7 et 8; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 11, 12, 14, 19.

2. Præterea omnia, quæ dicuntur fieri a casu vel fortuna, inveniuntur habere aliquam causam determinatam, aliam a fortuna. Si enim aliquis veniens ad forum inveniat aliquem hominem, quem volebat invenire, de quo tamen non opinabatur ante, quod esset eum inventurus, dicimus, quod inventio illius hominis est a fortuna; sed hujus inventionis causa est

voluntas emendi, propter quam ivit ad forum, ubi erat ille, quem invenit. Et similiter est in omnibus aliis, quæ dicuntur esse a fortuna, quia habent aliquam aliam causam præter fortunam; ergo fortuna non videtur esse causa alicujus, et consequenter nec aliquid erit, quia non ponitur fortuna, nisi quatenus ponuntur aliqua esse ab illa. — 2. *Phys.* l. 7.

3. Præterea, si fortuna aliquid esset, inconveniens videtur, quod nullus antiquorum sapientum, qui determinavit de causis generationis et corruptionis, aliquid determinavit de fortuna; sed vere nullus quidquam determinavit de illa : ergo signum est, fortunam non esse. — l. c.

4. Præterea, effectus habet similitudinem cum sua causa, quia omne agens agit sibi simile; sed quæ dicuntur fieri a casu vel fortuna, non habent similitudinem cum illis : ergo fortuna et casus nullo modo sunt causa et consequenter non sunt, quia non ponuntur nisi ut sint causa aliquorum. — *de Malo* q. 1, a. 3, arg. 2; 7. *Metaphys.* l. 8.

5. Præterea, posita sufficienti causa necessario sequitur effectus; alioqui illa causa non erat sufficiens; sed quidquid fit, fit a causa sufficienti; alioqui non fieret; ergo quidquid fit, ex necessitate fit, et sic nullus effectus erit per accidens, et per consequens nec erit fortuna nec casus, quæ ponuntur, ut sint causa entis per accidens. — 6. *Metaphys.* l. 3; 1a, q. 115, a. 6.

6. Præterea, quod est ordinatum ab aliqua causa, non est casuale et fortuitum; sed omnis effectus est ordinatus a Deo per suam providentiam : ergo nullus effectus est fortuitus vel casualis.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 40 sqq.; c. 4, 6. *Metaphys.* a *text.* 4; l. 5, c. 2, et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 2; l. 10, c. 8) inter causas per accidens ponit fortunam et casum. — 6. *Metaphys.* l. 2 et 3; 11. *Metaphys.* l. 8; 2. *Phys.* l. 7.

2. Præterea, sicut quædam fiunt semper, ut ortus solis, quædam frequenter, ut quod homo nascatur oculatus; ita quædam fiunt ut in paucioribus, ut quod homo nascatur cum sex digitis vel sine oculis; sed omnes dicunt, tertium hoc genus effectuum fieri a fortuna, secus reliqua duo : ergo manifestum est, quod fortuna et casus aliquid sunt, cum esse a fortuna vel casu, et esse in paucioribus convertantur. — 2. *Phys.* l. 8.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere fortunam et casum. Et ratio hujus est quia hæc ponuntur, ut sint causa per accidens alicujus effectus modo quodam particulari, qui modus causæ vere datur in rerum natura. Cum enim causa rei sit duplex : *per se*, quæ directe et per propriam formam effectum causat; et *per accidens*, hæc quadruplex reperitur respectu effectus. *Prima* est, quæ nihil operatur ad effectum, sicut musica ædificatoris ad domum. *Secunda* est, quæ aliquid operatur, non nisi removendo impedimentum, quomodo removens prohibens dicitur causa per accidens motus deorsum gravis, et exstinguens candelam dicitur causa per accidens tenebrarum. *Tertia* est, quæ operatur aliquid, sed præter intentionem, ita tamen, ut non attingat effectum, sed aliquid ei conjunctum, quæ causa dicitur occasio, quomodo persecutio tyranni dicitur causa per accidens et occasio patientiæ martyris; persecutio enim non attingit patientiam martyris, sed cruciatum corporis, qui est materia patientiæ. *Quarta* demum est, quæ ita operatur, ut agat effectum, ipsum tamen præter intentionem inducit, quomodo fodiens sepulchrum ad sepeliendum dicitur causa per accidens inventionis thesauri, quia licet vere sua actione attingat talem inventionem, illam tamen tali actione non intendebat; et hujusmodi causa communiter dicitur fortuna vel casus. Manifestum ergo est, dari fortunam et casum, sicut manifestum est, dari consimilium effectuum consimiles causas. — 2. *Phys.* l. 7; *Tabula Aurea* voce « causa » n. 10, 11, 12, 13, 14.

Ad primum ergo dicendum, quod non omne, quod fit, habet causam per se, sed tantum id, quod est ens per se, non autem ens per accidens, sicut est effectus fortuitus et casualis, quia non est proprie ens, sed magis ordinatur cum non ente; cum enim non sit proprie quid unum, nec proprie est ens, quod cum uno convertitur. — *Tabula Aurea* l. c. n. 19.

Ad secundum dicendum, quod licet causa per se determinata emptionis in foro sit ire ad illum locum, non tamen datur causa per se inventionis hominis, quia hujus effectus causæ infinitæ esse possunt, quia infinitis aliis de causis potest homo ire ad locum illum, puta si vadat causa visitandi aliquem, vel causa persequendi hostem, vel causa persequentem fugiendi, vel causa videndi aliqua spectabilia;

omnia enim ista et quæcumque similia sunt causa inventionis hominis, quem invenire vadens ad forum ad emendum non putabat, quæ contingit a fortuna. — 2. *Phys.* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod vere inconveniens fuit, quod antiqui philosophi nihil determinarint de fortuna et casu; quare in hoc relinquendi sunt, et cum aliis, qui exactius de causis determinarunt, dicendum est, dari fortunam et casum. — 2. *Phys.* l. 8 et 9.

Ad quartum dicendum, quod in causa per se præexistit similitudo effectus; secus vero in causa per accidens, cujusmodi est fortuna et casus. Et ratio hujus est, quia quod generatur ab aliquo per accidens, non generatur ab eo secundum quod hujusmodi; unde non oportet, quod in generante sit similitudo generati; ut in proposito inventio thesauri, quæ est effectus fortuitus, non habet similitudinem aliquam in eo, qui fodiens ad plantandum invenit thesaurum per accidens. Generans autem per se generat tale secundum quod hujusmodi; unde oportet, quod in generante per se sit aliqua similitudo generati *vel* secundum eundem modum essendi et secundum eandem materiam, quomodo generantur ea, quæ dicuntur totaliter generari ab univoco, ut cum ignis generat ignem et homo hominem; *vel* secundum substantiam ejusdem rationis, sed non secundum eundem modum essendi, quomodo generantur ea, quæ dicuntur generari partim ab univoco secundum formam, partim ab æquivoco quantum ad esse formæ in subjecto, quomodo producuntur artificialia; *vel* secundum partem formæ præexistentem in generante, quomodo sanitas producitur a medicina, et hoc modo dicuntur generari a non univoco. — *de Malo* q. 1, a. 3, ad 2; 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad quintum dicendum, quod posita causa necessario sequitur effectus, quando talis causa est causa per se naturalis, completa et non impedita; casus autem et fortuna sunt causæ per accidens. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 2, 3, 4.

Ad sextum dicendum, quod divina providentia omnia ordinans non dicitur fortuna, quia secundum quod aliquid participat rationem vel ordinem, recedit a ratione fortunæ; sed debet dici fortuna causa inferior, quæ de se non habet ordinem ad effectum fortuitum. — 2. *Phys.* l. 7; 1. *Periherm.* l. 14; *Tabul. Aur.* l. c. n. 3.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIATUR FORTUNA, QUOD SIT CAUSA PER ACCIDENS IN HIS, QUÆ FIUNT SECUNDUM PROPOSITUM, PROPTER FINEM, IN MINORI PARTE.

Videtur quod non sit recte definita fortuna, quod sit causa per accidens in his, quæ fiunt secundum propositum, propter finem, in minori parte.

1. Quod enim est accidens, non est simpliciter; sed si fortuna est causa per accidens, sequitur, quod a fortuna sit aliquid per accidens: ergo fortuna simpliciter nullius est causa, et sic male definitur fortuna, quod sit causa. — 2. *Phys.* l. 9.

2. Præterea, abrasio capitis est causa per accidens sanitatis; nam illa posita contingit fieri sanitatem; sed nec prædicta abrasio dicitur esse fortuna, nec sanitas ab illa causata dicitur esse a fortuna: ergo fortuna non est causa per accidens. — l. c.

3. Præterea, agens sine prævia intentione, non agit propter finem; sed fortuna operatur effectum sine prævia intentione; effectus enim fortuitus dicitur contingere præter intentionem: ergo fortuna non est in his, quæ agunt propter finem. — *Ibid.*

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 55; c. 5), quod fortuna est sine ratione; sed propositum non est sine ratione et intellectu: ergo fortuna non est in his, quæ fiunt secundum propositum. — 2. *Phys.* l. 8 et 9.

5. Præterea, multa fiunt præter intentionem, quæ tamen fiunt semper vel frequenter, ut si bibens vinum propter ejus dulcedinem non intendat ebrietatem, et tamen sequatur semper vel frequenter; sed quæ fiunt a fortuna, fiunt præter intentionem: ergo quæ fiunt a fortuna, possunt fieri semper vel frequenter, et sic male definitur fortuna, quod sit causa per accidens in his, quæ fiunt in minori parte. — 2. *Phys.* l. 8.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 52; c. 5) definit fortunam modo prædicto. — l. c.

RESPONDEO DICENDUM, quod prædicta definitio fortunæ recte a Philosopho tradita est. Nam recte naturam illius explicat, quod est signum bonæ definitionis, ut dicitur 4. *Phys. text.* 31; c. 4, et manifeste constat ex illius declaratione. Dicitur enim *primo*: *causa*, quia aliquo

modo sua actione attingit effectum, ut dictum est (art. 1). — Dicitur *secundo* : causa *per accidens*, quia sicut entium quoddam est per se, quoddam per accidens (et ad hoc secundum spectat effectus fortuitus, quia sicut effectus causæ per se naturalis est, qui sequitur secundum exigentiam suæ formæ, effectus vero per se causæ agentis ex proposito est, qui accidit ex intentione agentis, ita effectus per accidens est, qui fit præter intentionem naturæ vel intellectus, cujusmodi etiam est effectus fortuitus et casualis ;) — ita causarum alia est per se, quæ scilicet finita est et determinata, alia per accidens, quæ est infinita et indeterminata, eo quod infinita possunt illi accidere. Fortuna autem et casus sunt causa per accidens ; nam possunt esse infinitæ causæ, a quibus fieri potest aliquid a fortuna. Nam potest aliquis invenire thesaurum fodiens in terra vel ad plantandum, vel ad faciendum sepulchrum, et propter infinita alia. Cum enim causa per accidens dupliciter dicatur : *uno modo* ex parte causæ, quando illud, quod dicitur esse per accidens, conjungitur causæ per se, sicut si album et musicum dicitur causa domus, quia accidentaliter conjungitur ædificatori ; *alio modo* ex parte effectus, quando accipitur aliquid, quod accidentaliter conjungitur effectui, ut si dicamus, quod ædificator est causa discordiæ, quia ex domo facta accidit discordia ; — hoc modo dicitur fortuna causa per accidens, ex eo quod effectui aliquid conjungitur per accidens, utpote si fossioni sepulchri adjungatur per accidens inventio thesauri. — Dicitur *tertio : in his, quæ fiunt propter finem*, quia effectus fortuitus est, qui præter intentionem accidit alicui effectui inventio ; inventio enim thesauri ex eo dicitur a fortuna, quod præter intentionem conjungitur sepulturæ, quam quis intendit fodiendo terram vel sepulchrum. — Dicitur *quarto : secundum propositum*, quia inventio thesauri et alius consimilis effectus fortuitus est finis aliquarum causarum non secundum se ipsum, sicut in his, quæ fiunt a natura, sed est finis eorum, quæ fiunt secundum propositum et ab intellectu ; unde et fortuna dicitur intellectus aliquid præter intentionem operans conjunctum ei, quod ex intentione operatur. — Dicitur *quinto : in minori parte*, quia non omne, quod est præter intentionem, est a casu vel fortuna, sed tantum quod est contingens raro. Si enim aliquis hoc proposito iret ad fodiendam terram, ut inveniret thesaurum, et vel semper vel frequenter illum inveniret fodiens terram, non diceretur talis inventio thesauri esse a fortuna ; sicut si aliquis frequenter vel semper maledicit sibi pedes, quando vadit ad locum lutosum, licet hoc non intendat, non tamen dicitur hoc esse a fortuna. — Unde manifestum est, quod recte fuit a Philosopho tradita definitio fortunæ. — 2. *Phys.* l. 8, 9 et 10; 11. *Metaphys.* l. 8; 12. *Metaphys.* l. 3 (2); 3. *c. Gent.* c. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod quodammodo verum est, quod a fortuna nihil sit, et quod ipsa non sit causa ullius effectus, quia ipsa non est causa per se, sed per accidens ; omnis enim causa per se producit effectum vel semper vel frequenter ; at causa per accidens, ut est fortuna, ut infinita et indeterminata producit effectum ut in pluribus. — 2. *Phys.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod non omnis causa per accidens est fortuna vel casus, sed illa, quæ operatur effectum, licet illum non intendat ; unde licet causæ per accidens possint dici omnia illa, quibus contingentibus contingit fieri sanitatem, sicut est ventus et æstus et abrasio capitis, non tamen hæc omnia habent rationem causæ fortuitæ sanitatis. Cum enim fortuna dicatur causa per accidens ex parte effectus, prout scilicet aliquid dicitur esse causa ejus, quod accidit effectui, debet causa fortuita aliquid operari ad effectum fortuitum, licet illum non intendat, sed aliquid effectui conjunctum. Quia ergo ventus et æstus efficiunt aliquid ad sanitatem, quatenus efficiunt aliquam alterationem, ad quam sequitur sanitas, depilatio autem aut aliquid aliud hujusmodi non facit manifeste aliquid ad sanitatem, ideo illa dicuntur causæ fortuitæ seu fortuna, non hæc. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod fortuna dicitur agens intellectuale operans propter finem, quatenus sua operatione intendens unum effectum operatur ad alium, quem non intendebat. — 2. *Phys.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod fortuna dicitur sine ratione per ordinem ad effectum, respectu cujus dicitur fortuna vel causa fortuita, puta respectu effectus contingentis raro et præter rationem ; nam de hujusmodi effectibus ratiocinari non possumus, sicut possumus de his, quæ sunt semper vel frequenter. Dicitur autem cum ratione respectu effectus intenti, cui effectus fortuitus adjungitur. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod ille effectus dicitur fortuitus, qui evenit præter intentionem et raro ; nam de hujusmodi effectibus ratiocinari

non possumus : et ideo si ex potatione vini sequitur ebrietas vel semper vel frequenter, non erit talis ebrietas a fortuna ; erit autem, si sequatur ut in paucioribus. Et ratio est, quia quod semper vel frequenter conjungitur effectui per se intento, cadit sub eandem intentionem ; stultum enim est dicere, quod aliquis intendit aliquid, et non velit illud, quod ut frequenter vel semper illi conjungitur. — 2. *Phys.* l. 8; 3. *c. Gent.* c. 6 ; 2a 2ae, q. 64, a. 8, c. ; *Tabula Aurea* voce « causa » n 14.

ARTICULUS III

UTRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO CASUS, QUOD SIT CAUSA PER ACCIDENS IN HIS, QUÆ AGUNT PROPTER FINEM, EORUM, QUÆ RARO CONTINGUNT.

Videtur quod non recte definiatur a Philosopho casus, quod sit causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, eorum, quæ raro contingunt.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 62 ; c. 6), quod casus tunc dicitur, cum aliquid fit frustra ; sed frustra fit, cum actio causæ ad nullum effectum terminatur : ergo casus male definitur, quod sit respectu eorum, quæ accidunt raro ; nam quod raro accidit, vere accidit. — 2. *Phys.* l. 10.

2. Præterea, sicut fortuna est in habentibus propositum, ita casus est in his, quæ agunt naturaliter atque adeo sine proposito ; sed agens naturale non intendit ullum finem, cum illum non cognoscat : ergo male definitur casus, quod sit causa per accidens in his, quæ agunt propter finem. — l. c. et 11. *Metaphys.* l. 8 ; 12. *Metaphys.* l. 3. (2).

Sed contra est, quod Philosophus (2. *Phys. text.* 61 ; c. 6) definit casum modo prædicto. — 2. *Phys.* l. 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod casus et fortuna multipliciter conveniunt et distinguuntur. *Conveniunt* enim *primo*, ut ait Philosophus (l. c. *text.* 57 ; c. 6), quod utrumque est causa per accidens respectu effectus, et consequenter tam effectus fortuitus quam casualis præter intentionem causæ contingit, et propterea dicitur effectus per accidens, quia accidit effectui per se a causa intento et contingit ex occursu non intento plurium causarum per se. Sicut quod aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aeris generetur et deorsum cadat, habet causam aliquam cœlestem virtutem ; et similiter etiam quod in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cœleste principium ; sed quod ignis cadens huic materiæ occurrat et comburat eam, non habet causam cœleste corpus, sed est per accidens. — *Secundo*, utrumque est in his, quæ contingunt ex tali causa neque semper neque frequenter, sed raro. — *Tertio*, quod causa eorum, quæ fiunt a casu vel fortuna, potest esse externa. — *Quarto*, quod tam fortuna quam casus sunt causæ occultæ et incertæ ; nam utraque est causa infinita ; nam infinitis de causis potest quis ire ad aliquem locum, quæ omnia erunt causa reportationis argenti, quæ dicitur esse a fortuna ; et idem dico de casu. — 2. *Phys.* l. 8, 9, 10 ; 1a, q. 115, a. 6, c. ; 11. *Metaphys.* l. 8.

Differunt autem *primo*, quod casus est in plus quam fortuna, quia omne, quod est a fortuna, est a casu, sed non contra. *Fortuna* enim est tantum in his, quæ agunt libere seu cum dominio sui actus et ex electione ; unde neque inanimatum neque puer neque bestia, quia non agunt voluntarie seu libere, agunt a fortuna licet a fortuna possint pati, cum aliquod agens voluntarium circa illa operatur. *Casus* autem est non solum in omnibus, quæ voluntarie agunt sed etiam in aliis animalibus, et etiam in rebus inanimatis ; equus enim dicitur casu venisse, quando salutem adeptus est veniens, licet non venerit causa salutis ; et tripoda dicitur casu cecidisse, quia sic stat per casum, ut sit apta ad sedendum, licet non ista de causa ceciderit ut staret apta ad sedendum. — *Secundo*, casus est in illis, quæ fiunt a natura, non autem fortuna. Cum enim fit aliquid extra naturam in operationibus naturæ, puta cum nascitur sextus digitus, tunc non dicimus, quod fiat a fortuna sed magis ab eo, quod est per se frustra vel a casu. — *Tertio*, eorum, quæ sunt a casu, causa est *aliquando* extrinseca, ut inquit Philosophus (2. *Phys. text.* 62 ; c. 6) ; in quo convenit cum fortuna. In his enim, quæ simpliciter fiunt propter aliquid, quando non fiunt causa ejus quod accidit, sed causa alicujus extrinseci, tunc dicimus, quod fiunt a casu. Quod si eadem accidant in habentibus propositum, dicimus fieri a fortuna ; *aliquando* vero est intrinseca, in quo maxime distinguitur a fortuna, ut inquit Philosophus (l. c. *text.* 64 ; c. 6). Casus enim aliquando procedit a principio intrinseco naturali, ut fit in monstris, quæ a casu sunt, ut cum nascitur puer cum sex digitis ; talis enim effec-

tus casualis est in ipso puero a causa interna, puta a materia; et quæ a fortuna eveniunt, causam habent extra se; nam fortuna est causa libera et ex electione, cui accidunt multa externa præter intentionem. Et ex his patet definitio casus, quæ maxime declarat naturam casus, secundum quod est quid communius quam fortuna. — 2. *Phys.* l. 8, 9, 10; 1a, q. 115, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod casus dicitur frustra, quia aliquando simul contingunt, et quia utrumque est in his, quæ sunt propter aliquid; differunt enim alioqui inter se, quod frustra seu vanum dicitur ex hoc, quod non consequitur aliquid, quod intendebatur. Unde quandoque est vanum et casus simul, puta cum non accidit illud, quod intendebatur, sed accidit aliud; quandoque autem est casus, sed non vanum, cum accidit et illud, quod intendebatur, et aliud; quandoque autem est vanum et non casus, quando non accidit illud, quod intendebatur, neque aliquid aliud. — 2. *Phys.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod cum agens naturale agat propter finem, necessario debet illum intendere, diverso tamen modo, atque illum intendit agens intellectuale; nam hoc tendit in finem per voluntatem præsupposita apprehensione intellectus; at illud tendit in finem per inclinationem naturalem, ex directione primi agentis simpliciter, ut dictum est supra q. 12, a. 6.)

ARTICULUS IV

UTRUM FORTUNA ET CASUS REDUCANTUR AD GENUS CAUSÆ EFFICIENTIS.

Videtur quod fortuna et casus reducantur ad genus causæ finalis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 41; c. 5), quod fortuna est causa infinita, quia si pluribus finibus eat quis ad forum, possunt omnes illæ causæ finales esse causa per accidens reportationis argenti. — 2. *Phys.* l. 9.

2. Videtur quod reducantur ad genus causæ materialis. — Nam, quod quis nascatur cum sex digitis, est a casu, et tamen talis effectus provenit a causa materiali; unde et Philosophus dicit (l. c. *text.* 64; c. 6), quod eorum, quæ sunt a casu, causa est interna; ergo. — 2. *Phys.* l. 10.

3. Videtur quod reducatur ad causam formalem, quia hæc est causa intrinseca; causa autem effectus casualis, ut dictum est, potest esse intrinseca; hæc autem maxime est causa formalis; ergo ad causam formalem potest reduci casus. — l. c.

Sed contra est, quod Philosophus (l. c. *text.* 65, c. 6) dicit, quod casus et fortuna reducuntur ad causam, unde principium motus, quæ est efficiens. — l. c.

RESPONDEO DICENDUM, quod casus et fortuna reducuntur ad causam efficientem. Et ratio est ex Philosopho l. c. quia casus et fortuna vel est causa eorum, quæ sunt a natura, vel eorum, quæ sunt ab intelligentia, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 65; c. 6); sed natura et intelligentia sunt causæ, unde primum principium motus, seu efficientes; ergo et fortuna et casus ad idem genus causæ reducentur, nisi quod, quia casus et fortuna sunt causæ per accidens, eorum multitudo est indeterminata, ut dictum est. — 2. *Phys.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum quod, quia finis determinat agens ad agendum (alioqui non ageret), multiplicitas finium diversificat agens, illudque quodammodo multiplicat; est enim finis forma agentis, qua multiplicata multiplicatur et agens. Et ideo nihil refert, sive fines plures dicantur causæ per accidens effectus fortuiti vel casualis, sive agens determinatum per plures fines. — 1a 2æ, q. 1, a. 2 et 3.

Ad secundum dicendum quod, quia casus nihil est aliud quam natura agens præter intentionem, et per consequens effectus casualis est effectus contingens præter intentionem naturæ agentis et intendentis aliquem alium effectum per se, ideo non omnis causa concurrens ad talem casum vel effectum fortuitum vel casualem dicitur casus vel fortuna, sed tantum illa, cujus effectui per se intento aliquis alius conjungitur non intentus. Unde sicut in productione monstri casus est virtus formativa existens in semine præter intentionem agens ad monstrum, principium vero proximum monstri est indispositio materiæ, principium vero remotum est impressio alicujus signi cœlestis, ita dicendum est proportionaliter in productione pueri cum sex digitis. — 2. *Phys.* l. 8, 9, 10; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3, ad 6.

Ad tertium dicendum, quod causa effectus fortuiti vel casualis dicitur esse intrinseca, non quidem productiva seu factiva, sed constitutiva, quia materia, ex cujus indispositione oritur effectus casualis, ingreditur compositionem talis

effectus, quod secus est in effectu fortuito, ut dictum est (in c.). Casus autem, qui est causa per accidens effectus casualis, non est materia, sed aliquid aliud, ut dictum est (*ad secundum*).

ARTICULUS V

UTRUM RESPECTU DEI DETUR ALIQUID A CASU VEL FORTUNA, ET SIMILITER RESPECTU ANGELI ET CŒLI.

I. Videtur quod respectu Dei detur aliquid a fortuna.

1. Dicitur enim (*Ecclesiastes* 9, 11) : Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus; ergo etiam respectu Dei aliquid datur fortuitum; alioqui si omnia subderentur ejus providentiæ, non in omnibus, quæ sub sole sunt, esset casus. — 1a, q. 103, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, Apostolus (1. *Cor.* 9, 9) dicit, quod non est Deo cura de bobus; sed quod non subest curæ alicujus, potest accidere alicui effectui ipsius præter ejus intentionem, et consequenter esse illi fortuitum; ergo etiam respectu Dei potest dari effectus fortuitus vel casualis. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, effectus fortuitus est is, qui præter intentionem causæ contingit, ut dictum est; sed multa possunt contingere præter intentionem Dei. Nam cum ejus voluntas sit causa prima, non excludit causas medias; effectus autem causæ primæ potest impediri per defectum causæ secundæ, sicut effectus virtutis motivæ impeditur propter debilitatem tibiæ; quare et effectus divinæ voluntatis potest impediri per defectum causarum secundarum; ergo respectu Dei potest dari fortuna. — 1a, q. 19, a. 6, arg. 3.

4. Præterea, si respectu Dei non datur effectus fortuitus, maxime quia omnia sunt subjecta divinæ providentiæ; sed hoc posito sequitur, nihil esse fortuitum et casuale in rerum natura, et sic non dari casum vel fortunam, quia nullum provisum est fortuitum : ergo etiam respectu Dei datur fortuna. — 1a, q. 22, a. 2, arg. 1.

5. Præterea, nihil est a casu vel fortuna, quod accidit secundum præordinationem alicujus gubernantis; sed datur in rebus aliquid a casu vel fortuna : ergo debet accidere aliquid præter ordinem Dei gubernantis, quod proinde etiam respectu Dei sit fortuitum et casuale. — 1a, q. 103, a. 7, arg. 2.

6. Præterea, inconveniens est, quod omnia ex necessitate eveniant; sed si respectu Dei nihil detur contingens et fortuitum, id manifeste sequitur; nam ordo divinæ gubernationis est certus et immobilis, quia est secundum rationem æternam : ergo etiam respectu Dei datur aliquid a fortuna. — l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod in quantum aliquis effectus ordinem alicujus causæ effugit, dicitur esse casualis vel fortuitus respectu illius causæ; sed nullus effectus potest effugere ordinem Dei providentis; ergo respectu Dei nullus datur effectus fortuitus. — 1a, q. 22, a. 2, c. et ad 1.

II. Videtur quod respectu Angeli non datur effectus fortuitus.

1. Nullum enim provisum est casuale, ut dictum est (arg. 4); sed omnis creatura corporalis administratur et regitur per Angelos, ut asserunt omnes sancti Doctores et omnes philosophi, qui substantias incorporeas posuerunt : ergo respectu Angelorum non datur effectus fortuitus. — 1a, q. 103, a. 6 et q. 108, a. 6 et q. 110, a. 1 et 2.

2. Præterea, materia corporalis ad nutum obedit substantiæ angelicæ, cum sit virtus superior virtute tum animæ, cujus conceptioni obedit illa, tum corporis, quia sua virtute potest transmutare materiam corporalem ad aliquam formam; ergo respectu Angeli nullus dari potest effectus fortuitus. — 1a, q. 110, a. 2, arg. 1 et 2.

Sed contra est, quod præter ordinem alicujus causæ particularis potest aliquis effectus evenire et per consequens esse casualis vel fortuitus, non autem præter ordinem causæ universalis; sed Angelus non est prima causa universalis : ergo respectu Angeli potest esse effectus fortuitus. — 1a, q. 103, a. 7, c.

III. Videtur quod respectu cœli non datur effectus casualis.

1. Nullus enim effectus, qui semper vel frequenter contingit, est effectus casualis; nam hic contingit raro, ut dictum est; sed omnes effectus cœlestium corporum contingunt semper vel frequenter; nam cœli sunt sufficiens causa suorum effectuum; posita autem sufficienti causa necesse est semper poni effectum; ergo. — 1a, q. 115, a. 6, arg. 1 et 2.

2. Præterea, effectus fortuitus est effectus contingens, ut dictum est; sed effectus cœles-

tium corporum sunt necessarii, cum illorum virtuti tamquam excellentiori subjiciatur tota materia inferiorum corporum, et sint causa omnium, quæ hic fiunt; ergo respectu cœli non datur effectus casualis. — *Ibid.* arg. 2 et 3.

3. Præterea, effectus casualis contingit præter ordinem causæ particularis ex aliqua alia causa impediente; sed tam illa causa particularis quam causa impediens reducitur in causam cœlestem per se operantem cum utraque : ergo talis effectus non erit fortuitus, sed per se effectus cœli, et sic respectu illius nihil dabitur casuale. — II. citand. in sol. 1ae quæst. et 1. *Per herm.* l. 14.

Sed contra est : 1. quod Philosophus dicit (*de Divinatione per Somnium* c. 2), quod multa, quorum signa præexistunt in corporibus cœlestibus, puta in imbribus et tempestatibus, non eveniunt, quia scilicet impediuntur per accidens. — 1. *Periherm.* l. 14.

2. Præterea, effectus casualis est, qui accidit effectui per se intento, ut dictum est (a. 1, 2 et 3); sed hujusmodi effectus possunt contingere respectu cœli; nam cœlum potest inclinare hominem ad aliquam passionem, quam is potest impedire illi resistendo : ergo etiam respectu cœli dari potest effectus casualis. — 1a, q. 115, a. 4, c. et ad 3.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod respectu Dei nihil potest dari fortuitum. Et ratio est, quia licet præter ordinem et intentionem alicujus causæ particularis aliquis effectus evenire possit, non tamen is evenire potest præter intentionem et ordinem causæ primæ universalis; quia præter intentionem et ordinem causæ particularis nihil provenit nisi ex aliqua alia causa impediente, quam quidem causam necesse est reducere in primam causam universalem, sicut indigestio contingit præter ordinem et intentionem virtutis nutritivæ ex aliquo impedimento, puta ex grossitie cibi, quam necesse est reducere in aliam causam, et sic usque ad causam primam universalem. Deus autem est prima causa universalis, non unius generis tantum, sed totius entis; unde impossibile est, quod aliquid contingat præter ordinem et intentionem illius; sed ex hoc ipso, quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinæ providentiæ, qui consideratur secundum aliquam particularem causam, necesse est, quod in eundem ordinem relabatur secundum aliam causam. Eatenus autem aliquid est fortuitum respectu alicujus causæ, quatenus præter intentionem illius contingit et effugit ejus ordinem, ut dictum est (in arg. *Sed contra*) : ergo respectu Dei nihil datur fortuitum. — 1a, q. 103, a. 7; 3. c. *Gent.* c. 74 et 92; 6. *Metaphys.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod sub sole dicuntur esse ea, quæ secundum motum solis generantur et corrumpuntur, in quibus omnibus casus invenitur, non ita quod omnia, quæ in eis fiunt, sint casualia, sed quia in quolibet eorum aliquid casuale inveniri potest; et hoc ipsum, quod aliquid casuale invenitur in hujusmodi rebus, demonstrat, ea alicujus gubernationi esse subjecta; nisi enim hujusmodi corruptibilia ab aliquo superiori gubernarentur, nihil intenderent, ea præsertim, quæ non cognoscunt, et sic non eveniret in eis aliquid præter intentionem, quod facit rationem casus. Unde ad ostendendum, quod casualia secundum ordinem alicujus superioris causæ proveniunt, non dicit Scriptura simpliciter, quod vidit *casum* esse in omnibus, sed dicit *tempus et casum*, quia scilicet secundum ordinem aliquem temporis casuales defectus inveniuntur in his rebus. — 1a, q. 103, a. 5, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus, cum dicit, quod Deo non est cura de bobus, non totaliter subtrahit boves a cura gubernationis divinæ, sed solum quantum ad illum modum gubernationis, quo utitur erga creaturam rationalem. — 1. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod causa prima tunc potest impediri a suo effectu per defectum causæ secundæ, quando non est universaliter prima sub se omnes causas comprehendens; secus autem quando est universaliter prima, cujusmodi est sola voluntas Dei, cujus proinde ordinem nullus effectus evadere potest. — 1a, q. 19, a. 6, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod aliter est de causa universali et de causa particulari, ut dictum est; ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem, sicut lignum impeditur a combustione per actionem aquæ; unde cum omnes causæ particulares concludantur sub universali causa, impossibile est, aliquem effectum causæ universalis ordinem effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit,

dicitur esse casualis vel fortuitus respectu causæ particularis; sed respectu causæ universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisus, sicut et occursus duorum servorum, licet sit casualis in quantum ad eos, est tamen provisus a domino, qui eos sic ad unum locum scienter mittit, ut unus de alio nesciat. — 1a, q. 22, a. 2, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod aliqua dicuntur esse casualia in rebus per ordinem ad causas particulares, extra quarum ordinem fiunt; sed quantum ad divinam providentiam pertinet, nihil fit casu in mundo, ut dictum est. — 1a, q. 103, a. 7, ad 2.

Ad sextum dicendum, quod dicuntur aliqui effectus contingentes per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt, non propter hoc, quod aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis divinæ, quia hoc ipsum, quod aliquid contingit præter ordinem causæ proximæ, est ex aliqua causa subjecta gubernationi divinæ. — l. c. ad 3.

Ad secundam quæstionem respondeo dicendum, quod respectu Angeli potest dari effectus fortuitus. Et ratio patet ex dictis, *tum* quia homo non semper facit id quod Angelus custos intendit; unde est, quod interdum custodia Angelorum cassatur secundum illud *Jeremiæ* (51,9): Curavimus Babylonem et non est sanata; *tum* quia virtus angelica est particularis in comparatione ad divinam, quæ est universalis respectu omnium entium. Potest autem aliquid contingere præter intentionem causæ particularis, ac proinde respectu illius esse fortuitum vel casuale; secus vero præter intentionem et ordinem causæ primæ universalis, ut dictum est. — 3. *c. Gent.* c. 74 et 92.

Ad primum ergo dicendum quod, quia virtus angelica est particularis, ideo potest aliquid contingere præter intentionem illius, quod proinde sit fortuitum respectu Angeli ; secus vero virtus divina, quæ est causa prima universalis, a qua omnia gubernantur, ut dictum est (in c.) — l. c.

Ad secundum dicendum, quod materia corporalis non obedit ad nutum Angelis, sed tantum quoad motum localem; unde tam in homine, ut dictum est, quam in re corporali potest aliquid contingere præter intentionem Angeli. — 1a, q. 115, a. 1 et 2; 3. *c. Gent.* c. 74 et 92.

Ad tertiam quæstionem respondeo dicendum, quod etiam respectu cœli potest dari aliquid casuale, ut patet ex dictis, quia virtus cœli est magis particularis quam virtus Angeli, et quia homo potest aliquid non facere, ad quod illum inclinat cœleste corpus. — 6. *Metaphys.* l. 3; 3. *c. Gent.* l. c.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnes effectus cœlestium corporum sunt ex necessitate; et ratio est, quia cœlestia corpora sunt causa inferiorum effectuum mediantibus causis inferioribus, quæ deficere possunt in minori parte. — 1a, q. 115, a. 6, c. et ad 1.

Ad secundum dicendum, quod effectus cœlestium corporum impediri potest per causas inferiores. Et licet causa impediens effectum alterius causæ reducatur in aliquod cœleste corpus sicut in causam; concursus tamen duarum causarum cum sit per accidens, non reducitur in causam cœlestem; ut quod aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aeris generetur et deorsum cadat, habet causam aliquam virtutem cœlestem; et similiter quod in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cœleste principium; sed quod ignis cadens huic materiæ occurrat et comburat eam, non habet causam cœleste corpus, sed est per accidens. Et sic patet, quod non omnes effectus cœlestium corporum sunt necessarii, sed aliqui possunt esse contingentes et per consequens casuales. — l. c., c. et ad 2 et 3.

Ad tertium dicendum, quod quamvis etiam illud impedimentum secundum se consideratum reducatur in aliquam causam cœlestem, tamen concursus horum, cum sit per accidens, non potest reduci in aliquam causam naturaliter agentem, quia virtus naturæ se habet ad unum; quod autem est per accidens, non est unum. — 1. *Periherm.* l. 14.

ARTICULUS VI

UTRUM MONSTRA SINT A CASU.

Videtur quod monstra non sint a casu.

1. Monstra enim sunt effectus causæ naturalis; sed natura cum agit, agit propter finem intentum : ergo et monstra erunt a natura intenta, et sic non erunt effectus casuales, qui contingunt præter intentionem naturæ. — *Tabula Aurea* voce « monstrum » n. 1.

2. Præterea, monstrum oritur ex causa naturali impediente actionem alterius, ne ad finem intentum perveniat; sed talis causa impediens, cum sit naturalis, necessario et naturaliter im-

peliens alteram causam, talem effectum intendit. Nam cum omnis actio naturæ terminetur ad aliquid unum, impossibile est, quod id, quod est per accidens, cujusmodi est effectus casualis, sit effectus alicujus principii naturalis; ergo monstrum erit a causa naturali intentum et necessario productum, ac proinde semper posita tali causa et ipsum ponetur; quæ sunt contra rationem fortunæ vel casus, ut dictum est. — 1a, q. 115, a. 6, c. et q. 116, a. 1.

3. Præterea, casus non contingit nisi in possibilibus aliter se habere; quæ enim sunt ex necessitate, non dicimus esse a casu; sed monstra contingunt ex causa impediente, quæ naturaliter et necessario agit : ergo monstra non sunt a casu. — 2. *c. Gent.* c. 39, n. 1; 1a, q. 103, a. 7, c.; 3. *c. Gent.* c. 74 et 92.

Sed contra est : 1. quod ex materia tamquam ex causa prima nihil potest provenire nisi casualiter; sed monstra proveniunt plerumque ex materia tamquam ex causa prima : ergo monstra sunt a casu. — 2. *c. Gent.* c. 40, n. 1.

2. Præterea, ex hoc, quod aliquod agens propter finem deficit ab eo, quod intendit, sequitur aliqua casu contingere; sed monstra contingunt ex eo, quod agens naturale deficit a fine, quem intendit : ergo monstra sunt a casu. — 3. *c. Gent.* c. 74; 1a 2æ, q. 21, a. 1, arg. 1 et 2 et in c.

Respondeo dicendum, quod monstra sunt a casu. Et ratio patet ex dictis (supra a. 5, quæstiunc. 1, c.); quia illud est a casu, quod effugit ordinem alicujus causæ particularis; monstra autem contingunt præter ordinem et intentionem agentis particularis. Nam reducuntur in materiam tamquam in primam causam; quæ autem sic reducuntur, necessario sunt præter intentionem agentis, atque adeo respectu illius sunt casualia. Cum enim forma sit ex intentione agentis (nam agens agit sibi simile secundum formam), si aliquando deficit, hoc est casu propter materiam; quare monstra erunt a casu. — 2. *c. Gent.* c. 40, n. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod monstrum, sicut et quilibet effectus casualis, est a natura deficiente seu agente præter intentionem; sicut quilibet effectus fortuitus est ab intellectu præter intentionem agente. Unde sicut fortuna dicitur intellectus agens præter intentionem, licet agat propter finem, ita casus dicitur natura agens præter intentionem, licet et ipsa agat propter finem, ut dictum est (supra a. 1, 2, 3, 4). — 11. *Metaphys.* l. 8; 2. *Phys.* l. 10; 12. *Metaphys* l. 3 (2).

Ad secundum dicendum, quod monstrum dicitur a casu respectu causæ, quæ impeditur, non autem respectu causæ impedientis. Ut enim dictum est (a. 5, quæstiunc. 1, c.), præter ordinem et intentionem causæ particularis nihil provenit nisi ex aliqua alia causa impediente, quæ efficit, ut contingat effectus non intentus a causa, quam impedit, ne ad suum effectum perveniat.

Ad tertium dicendum, quod duplex est finis : ultimus et propinquus. In monstro deficit actus naturæ et causæ particularis a fine ultimo, qui est perfectio generati; non autem deficit a quocumque fine proximo; operatur enim natura aliquid formando; et ideo monstrum erit a casu, quatenus est præter intentionem finis ultimi. — 1a 2æ, q. 21, a. 1, ad 2.

ARTICULUS VII

UTRUM DE FORTUNA ET CASU POSSIT DARI SCIENTIA.

Videtur quod de fortuna et casu possit dari scientia.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Metaphys. text.* 4; l. 5, c. 2 et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 2; l. 10, c. 8), quod sola Sophistica versatur circa ens per accidens atque adeo circa effectus fortuitos et casuales; sed Sophistica est scientia, ut dicit Philosophus (*ibid.* et 11. *Metaphys.* sum. 2, c. 1; l. 10, c. 3 et 1. *Poster. text.* 27; c. 11) : ergo de fortuna et casu potest esse scientia. — 6. *Metaphys.* l. 2; 11 *Metaphys.* l. 3; 1. *Poster.* l. 20 (19).

2. Præterea, dicit Philssophus (6. *Metaphys. text.* 5; l. 5, c. 2), quod de ente per accidens, quod scilicet raro contingit, potest sciri natura ipsius et ejus causa; sed de eo, quod est hujusmodi, potest haberi scientia; nam omnis scientia est de re per suam causam, ut definit Philosophus (1. *Poster. text.* 5; c. 2) : ergo de fortuna et casu, qui sunt effectus raro contingentes et entia per accidens, potest esse scientia. — 6. *Metaphys.* l. 2; 1. *Poster.* l. 4 (3).

3. Præterea, monstra sunt corpora naturalia; nam in illis operatur natura aliquid formando, ut dictum est (art. 6, ad 3); sed de corpore naturali est scientia, ut dictum est (supra q. 1, a. 5, c.) : ergo et erit de monstris et per consequens de effectibus casualibus et de ipso casu.

4. Præterea, cum omne per accidens reducatur ad id, quod est per se, effectus casualis

vel fortuitus, qui est per accidens, reducetur ad causam per se; sed de eo potest esse scientia, de quo per causam per se potest aliqua passio ostendi : ergo de casuali et fortuito effectu potest esse scientia, et per consequens de fortuna et casu. — 1. *Periherm.* l. 14; 1. *Poster.* l. 4 (3).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 6; l. 5, c. 2 et 11. *Metaphys.* sum. 3, c. 2; l. 10, c. 8) dicit, quod scientia neque est neque esse potest de ente per accidens; sed effectus fortuitus et casualis numeratur inter entia per accidens : ergo de illis non potest esse scientia, et consequenter nec de fortuna et casu. — 6. *Metaphys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, omnis scientia tantum est de eo, quod semper vel frequenter contingit; non enim potest aliquis doceri ab alio, vel docere alium de eo, quod neque est semper neque ut frequenter. Hoc enim, de quo est scientia, oportet esse definitum aut per hoc, quod est semper, aut per hoc, quod est in pluribus; at fortuna et casus sunt eorum, quæ nec semper sunt nec ut frequenter, sed eorum, quæ raro contingunt : ergo de illis non potest esse scientia. — Il. citandis in c.

Respondeo dicendum, quod de effectu casuali et fortuito nulla potest dari scientia. Et ratio hujus est, quia omnis scientia est de ente per se, per causam per se, et necessariam atque adeo determinatam, ut dicitur 1. *Poster. text.* 5; c. 2; effectus autem casualis vel fortuitus, cum sit ens per accidens, non est per se, neque habet causam per se, sed per accidens, et non determinatam. Licet enim quod iste v. g. occidatur a latronibus, habeat causam per se, quia vulneratur, et hoc etiam habeat causam per se, quia a latronibus invenitur; quod tamen iste ad negotium vadens incidat in latrones, non habet causam per se, sed est per accidens; unde ejus non oportet ponere aliquam causam. Cum enim sit ens per accidens, non habet generationem, et ita ejus generationis causam per se quærere non oportet; ergo non potest de illo et consequenter nec de fortuna vel casu, quæ sunt causæ per accidens, esse scientia. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 42 (40); 6. *Metaphys.* l. 2 et 5; 11. *Metaphys.* l. 8; v. in Logica q. 29, a. 2 et 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Sophistica duplex est : docens et utens. Et *docens* quidém eatenus versatur circa ens per accidens, quatenus docet demonstrative modum arguendi apparenter, et sic est scientia; *utens* vero, quia ente per accidens utitur tamquam ente per se ad decipiendum (unde fit fallacia accidentis, quæ est efficacissima etiam ad decipiendum sapientem, ut dicitur 1. *Elench.* c. 5; c. 6), non est scientia, ut patet in istis paralogismis, in quibus dubitatur, utrum diversum an idem sit musicum et grammaticum; ut si fiat talis paralogismus : musicum est aliud a grammatico; sed musicum est grammaticum : ergo musicum est alterum a se. Musicum enim est aliud a grammatico per se loquendo, sed musicus est grammaticus per accidens. Unde non est mirum, si sequatur inconveniens, non distincto eo, quod est per accidens, ab eo, quod est per se. Et similiter si sic dicatur : Coriscus est quid alterum a Corisco musico; sed Coriscus est Coriscus musicus : ergo Coriscus est quid alterum a se. Hic etiam non distinguitur qnod est per accidens, ab eo, quod est per se; et similiter est in omnibus talibus rationibus, quæ sunt secundum fallaciam accidentis. — 4. *Metaphys.* l. 4; 11. *Metaphys.* l. 8; 6. *Metaphys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod de effectu fortuito et casuali atque adeo de ente per accidens formaliter sumpto seu de ratione formali entis per accidens et fortunæ et casus potest aliqua scientia considerare et determinare; non tamen de eo, cui convenit esse per accidens, et de eo, cui convenit esse a casu vel fortuna, seu de ente per accidens materialiter sumpto, de quo tamen hic est quæstio. Sicut similiter de infinito, secundum quod est infinitum, est aliqua scientia, non tamen de eo, quod est infinitum, cum sit ignotum; de ente autem per se et materialiter et formaliter accepto pertractant scientiæ. — 1. *Poster.* l. 4 (3); 6. *Metaphys.* l. 2.

Vel dic, quod quia effectus fortuitus est effectus contingens, ut dictum est (a. 6), quod dicitur de effectu contingente, idem dici potest de effectu fortuito. Cum ergo nihil sit contingens, quod non habeat aliquod necessarium, dupliciter potest sumi contingens : *vel* ut contingens seu in particulari, *vel* in universali, id est secundum quod in eo invenitur ratio necessarii. De contingenti primo modo non potest esse scientia; secundo vero modo potest; et idem dico de effectu fortuito et casuali atque adeo de fortuna et casu. — *Tabula Aurea* voce « contingens » n. 4 et 5.

Ad tertium dicendum, quod licet monstrum sit corpus naturale, non tamen de illo est scientia, quia tale corpus non est perfectum juxta intentionem naturæ, sed quid imperfectum præter naturæ intentionem contingens, ut dictum est (supra a. 1, 2, 3, 4, 5, 6). — 1a 2æ, q. 21, a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod id, quod est per accidens, dicitur reduci ad per se, in quantum accidit ei, quod est per se, sicut musicum accidit Socrati, et omne accidens alicui subjecto per se existenti. Et similiter omne, quod in aliquo effectu est per accidens, consideratur circa aliquem effectum per se, qui quantum ad id, quod per se est, habet causam per se; quantum autem ad id, quod inest ei per accidens, non habet causam per se, sed causam per accidens; oportet enim effectum proportionaliter referri ad causam suam, ut dicitur in 2. *Phys. text.* 38; c. 3 et 5. (4.) *Metaphys.* — 1. *Periherm.* l. 14; 1. *Poster.* l. 4 (3).

ARTICULUS VIII

UTRUM DIVINA VOLUNTAS SIT PRIMA RADIX CONTINGENTIÆ ET NECESSITATIS IN REBUS NATURALIBUS.

Videtur quod prima radix contingentiæ et necessitatis in rebus naturalibus non sit divina voluntas.

1. Quia hæc non potest esse inefficax; quare illa posita res omnes necessario evenirent, et sic non daretur contingentia in rebus naturalibus; ergo prima radix contingentiæ rerum naturalium non est divina voluntas. — 1. *Periherm.* l. 14.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Periherm.* c. 6; c. 9), quod radix contingentiæ in his, quæ sunt a nobis, est ex eo, quod sumus consiliativi, in rebus vero naturalibus ex eo, quod materia est in potentia ad utrumque oppositorum; ergo prima radix contingentiæ in rebus naturalibus non est divina voluntas. — l. c.

3. Præterea, posita divina scientia, quia falli non potest, necesse est sequi effectum; sed divina voluntas est causa rerum simul cum scientia: nam voluntas divina est causa rerum sicut imperans, scientia vero ut dirigens : ergo si prima causa et radix contingentiæ in rebus naturalibus ponitur divina voluntas, tollitur ab eisdem rebus contingentia. — l. c.; 6. *Metaphys.* 3; 1a, q. 19, a. 4, ad 4.

4. Præterea, omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit, quia et natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat, ut dicitur 2 *Phys. text.* 84; c. 8; sed voluntas Dei non potest impediri : ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem, non autem contingentiam, et per consequens non erit prima causa contingentiæ in rebus naturalibus, vel nulla res naturalis erit contingens, quod est falsum. — 1a, q. 19, a. 8, arg. 2.

5. Præterea illud, quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute, sicut animal mori est necessarium, quia est compositum ex contrariis; sed res creatæ a Deo comparantur ad divinam voluntatem sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem, cum hæc conditionalis sit vera : si aliquid vult Deus, illud est. Omnis autem conditionalis vera est necessaria: sequitur ergo, quod omne, quod Deus vult, sit necessarium absolute; sed necessarium opponitur contingenti : ergo divina voluntas non potest esse causa contingentiæ. — l. c. arg. 3.

6. Præterea, monstra et peccata naturæ ideo sunt præter intentionem agentis atque adeo casualia, quia reducuntur in materiam tamquam in causam primam; sed monstra et peccata naturæ sunt entia casualia et contingentia : ergo contingentia habent pro prima causa sui materiam primam, non autem divinam voluntatem. — 2. *c. Gent.* c. 40, n. 2.

7. Præterea, contingens est, quod potest esse et non esse; sed potentia pertinet ad materiam primam, necessitas autem consequitur rationem formæ, quia ea, quæ consequuntur ad formam, ex necessitate insunt : ergo causa prima contingentiæ et necessitatis non est divina voluntas, sed causa secunda, puta materia et forma. — 1a, q. 86, a. 3, c.

Sed contra est : 1. quod ab eadem causa dependet effectus et omnia accidentia per se illius; sed ens in quantum ens habet causam ipsam Dei voluntatem : ergo eidem subditur tamquam causæ primæ et ens et omnia accidentia entis, in quantum ens est, quæ sunt necessarium et contingens. — 1a, q. 19, a. 8, c.

2. Præterea, si divina voluntas non esset prima radix contingentiæ et necessitatis in rebus naturalibus, sed causa proxima creata contingens vel necessaria, sequeretur, quod effectus contingentes essent præter intentionem Dei, et quod dicerentur contingentes, quia causa secunda potest impedire primam simpliciter, quæ duo sunt omnino falsa. — l. c.

3 Praeterea, ad divinam providentiam pertinet ordinare res in finem; sed post divinam bonitatem, quæ est finis a rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi, quæ non esset, si gradus omnes essendi non invenirentur in rebus, puta contingenter et necessario esse : ergo ad divinam providentiam atque adeo ad ejus voluntatem pertinet omnes gradus producere, et consequenter quibusdam effectibus præparare causas necessarias, ut necessario eveniant, quibusdam vero causas contingentes, ut eveniant contingenter juxta conditionem proximarum causarum. Unde prima radix contingentiæ et necessitatis in rebus erit sola divina voluntas efficax. — 1a, q. 22, a. 4, c.

Respondeo dicendum quod, cum hoc differant necessarium et contingens, quod *necessarium* est illud, quod in sui natura solum est determinatum ad esse, seu quod in sui natura habet, quod non possit non esse, sicut impossibile est, quod est determinatum solum ad non esse; *contingens* vero est, quod ad neutrum est determinatum, *sive* se habeat magis ad unum quam ad alterum, ut est contingens in pluribus, cujus causa est per se, et contingens in paucioribus, cujus causa est per accidens, *sive* se habeat æqualiter ad utrumque, quod dicitur contingens ad utramlibet; — necesse est dicere, quod prima radix et causa prima necessitatis et contingentiæ in rebus naturalibus est divina voluntas efficax, non autem conditio causæ secundæ, puta quod res sit necessaria, quia causa illius est necessaria, et contingens, quia causa contingens. — 1. *Periherm.* l. 14; 6. *Metaphys.* l. 2; 2. *Phys.* l. 8, 9, 10.

Quod probatur, quia cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non solum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi; ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit, quod filius nascatur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cum igitur divina voluntas sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri; vult autem Deus, quædam fieri necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Unde manifestum est, quod prima radix et causa effectuum contingentium non est, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed quia Deus vult, eos contingenter evenire, propterea contingentes causas ad illos præparavit. — 1a, q. 19, a. 8, c. et q. 22, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc objectio procedit ex eo, quod operatio divinæ voluntatis pensatur ad modum nostræ voluntatis, cum tamen multo dissimiliter se habeant. Nam voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens velut causa quædam profundens totum ens et omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis possibile et necessarium, et ideo ex ipsa divina voluntate originantur necessitas et contingentia in rebus et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum. Ad effectus enim, quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias; ad effectus autem, quos voluit esse contingentes, ordinavit causas contingenter agentes, id est potentes deficere. Et secundum harum causarum conditionem effectus dicuntur vel necessarii vel contingentes, quamvis omnes dependeant a voluntate divina sicut a prima causa, quæ transcendit ordinem necessitatis et contingentiæ. Hoc autem non potest dici de voluntate humana nec de aliqua alia causa, quia omnis alia causa cadit jam sub ordinem necessitatis vel contingentiæ, et ideo oportet, quod vel ipsa causa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius. Voluntas autem divina indeficiens est; non tamen omnes illius effectus sunt necessarii, sed quidam sunt contingentes. — 1. *Periherm.* l. 14.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus loquitur de contingentibus et necessariis in ordine ad causas particulares, quamquam, quod dicit de contingentia rerum naturalium, non est sufficienter dictum; sicut enim in corporibus corruptibilibus materia invenitur in potentia se habens ad esse et non esse, ita etiam in corporibus cœlestibus invenitur potentia ad diversa *ubi*, et tamen nihil in eis evenit contingenter, sed solum ex necessitate. Unde dicendum est, quod possibilitas materiæ ad utrumque, si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ, nisi etiam addatur ex parte potentiæ activæ, quod non sit omnino determinata ad unum; alioqui s

ita sit determinata ad unum, ut impediri non possit, consequens est, quod ex necessitate reducat in actum potentiam passivam eodem modo. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod similiter hæc objectio procedit ex eo, quod cognitio divini intellectus pensatur ad modum cognitionis intellectus nostri, cum tamen valde inter se differant. Nam ad cognoscendum ea, quæ secundum ordinem temporis eveniunt, aliter se habet vis cognoscitiva, quæ sub ordine temporis aliqualiter continetur; aliter illa, quæ totaliter est extra ordinem temporis; cujus conveniens exemplum accipi potest ex ordine loci. Nam secundum Philosophum (4. *Phys. text.* 99; c. 11) secundum prius et posterius in magnitudine est prius et posterius in motu et per consequens in tempore. Si ergo sint multi homines per viam aliquam transeuntes, quilibet eorum, qui sub ordine transeuntium continetur, habet cognitionem de præcedentibus et subsequentibus, in quantum sunt præcedentes et subsequentes; quod pertinet ad ordinem loci; et ideo quilibet eorum videt eos, qui juxta se sunt, et aliquos eorum, qui eos præcedunt; eos autem, qui post se sunt, videre non potest. Si autem aliquis esset extra totum ordinem transeuntium, utpote in aliqua excelsa turri constitutus, unde posset totam viam videre, videret quidem simul omnes in via existentes, non sub ratione præcedentis et subsequentis, in comparatione scilicet ad ejus intuitum, sed simul omnes videret, et quomodo unus alium præcedit.

Quia igitur nostra cognitio cadit sub ordinem temporis vel per se vel per accidens (unde et anima in componendo et dividendo necesse habet adjungere tempus, ut dicitur 3. *de Anima text.* 23; c. 6), consequens est, quod sub ejus cognitionem cadant res sub ratione præsentis, præteriti et futuri. Et ideo præsentia cognoscit tamquam actu existentia et sensu aliqualiter perceptibilia; præterita autem cognoscit ut memorata; futura autem non cognoscit in se ipsis, quia nondum sunt, sed ea cognoscere potest in causis suis, per certitudinem quidem, si totaliter in causis suis sunt determinata, ut ex quibus de necessitate evenient; per conjecturas autem, si non sint sic determinata, quin impediri possint, sicut quæ sunt ut in pluribus; nullo autem modo, si in suis causis sunt omnino in potentia non magis determinata ad unum quam ad aliud, sicut quæ sunt ad utrumlibet. Non enim est aliquid cognoscibile, secundum quod est in potentia, sed solum secundum quod est in actu, ut patet per Philosophum (9. *Metaphys. text.* 20; l. 8, c. 9). Sed Deus est omnino extra ordinem temporis quasi in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subjacet totus temporis decursus secundum unum et simplicem ejus intuitum. Et ideo uno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum temporis decursum, et unumquodque secundum quod est in seipso existens, non quasi sibi futurum quantum ad ejus intuitum, prout est in solo ordine causarum suarum, quamvis et ipsum ordinem causarum videat, sed omnino æternaliter. Sic videt unumquodque eorum, quæ sunt in quocunque tempore, sicut oculus humanus videt Socratem sedere in seipso, non in causa sua; ex hoc autem, quod homo videt Socratem sedere, non tollitur ejus contingentia, quæ respicit ordinem causæ ad effectum; tamen verissime et infallibiliter videt oculus hominis Socratem sedere, dum sedet, quia unumquodque, prout est in seipso, jam determinatum est. Sic igitur relinquitur, quod Deus certissime et infallibiliter cognoscit omnia, quæ fiunt in tempore, et tamen ea, quæ in tempore eveniunt, non sunt vel fiunt ex necessitate, sed contingenter. — 1. *Periherm.* l. 14.

Ad quartum dicendum, quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed etiam quod fiant contingenter vel necessario, quæ sic fieri vult. — 1a, q. 19, a. 8, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum; unde et ea, quæ fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere, scilicet vel absolutam vel conditionalem tantum; et sic non omnia sunt necessaria absolute. — l. c. ad 3.

Ad sextum dicendum, quod monstra et peccata naturæ reducuntur in materiam tamquam in causam primam secundum quid, sed reducuntur in divinam voluntatem tamquam in primam causam simpliciter, ut dictum est (in c. et ad arg.) — Eodemque modo dicendum est *ad septimum*.

ARTICULUS IX

UTRUM IN REBUS NATURALIBUS NECESSITAS ORIATUR TAMQUAM EX CAUSA PROXIMA EX MATERIA, AN VERO EX FINE VEL EX ALIIS CAUSIS.

I. Videtur quod necessitas in rebus naturalibus oriatur ex forma.

1. Necessitas enim absoluta rei competit secundum id, quod est illi intimum et proximum; sed hoc est maxime forma; sic enim dicitur animal necesse esse sensibile, quia hoc consequitur ejus formam : ergo necessitas in rebus oritur ex forma. — 5. *Metaphys.* l. 6 (5); 1a, q. 82, a. 1, c.

2. Præterea, forma secundum id, quod est, actus est, et per eam res actu existit; materia vero secundum id, quod est, est ens in potentia; quod autem potest esse, potest etiam non esse : ergo necessitas essendi provenit ex forma, non autem ex materia. — 2. *c. Gent.* c. 30.

II. Videtur quod necessitas sit ex fine.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 88; c. 9), quod ratio necessitatis in rebus naturalibus est ex fine; sicut enim serra ideo necessario debet esse ferrea et dentata, quia facta est ad hunc finem, ut secet, qui finis requirit talem dispositionem in serra, ita similiter in rebus naturalibus. — 2. *Phys.* l. 15.

2. Præterea in his, quæ sunt propter finem, finis respectu illorum se habet sicut principium in demonstrativis respectu conclusionum; sed necessitas conclusionis oritur ex principio : ergo et necessitas rerum naturalium, quæ factæ sunt propter finem, erit ex fine. — l. c.

III. Videtur quod sit ex agente.

1. Ideo enim effectus necessario recipitur in materia, quia agens vincit passum; sed hoc est necessitatem effectus dependere ex conditione agentis : ergo ratio necessitatis in rebus naturalibus erit ex agente. — 2. *c. Gent.* c. 30.

2. Præterea, ita se habet actio ad agens, sicut propria passio ad principium formale; sed propria passio, quia ex necessitate principiorum essentialium procedit, ratio necessitatis in illa est ex principio formali : ergo et actio ex necessitate formæ, per quam agens est actu, procedet; et sic ratio necessitatis in actione et consequenter in ejus termino erit ex agente. — l. c.

Sed contra est : 1. quod composita naturalia sunt corruptibilia ex necessitate; sed talis necessitas non oritur nisi ex materia, quia scilicet ex contrariis sunt composita : ergo ratio necessitatis in rebus naturalibus est ex materia. — *Ibid.* et 2. *Phys.* l. 10 et 15.

2. Præterea, eodem modo, inquit Philosophus (2. *Phys. text.* 88; c. 9) est necessitas in rebus naturalibus atque in artificialibus; sed in dispositione horum necessitas oritur ex materia; ideo enim in construenda domo in inferiori parte ponuntur lapides duri et graves, et in superiori ligna, quia lapides sunt ex terra, quæ gravis est et ideo locum infimum petit, et ligna, quia sunt maxime levia, exigunt superiorem; ergo etiam in naturalibus ratio necessitatis orietur ex materia. — 2. *Phys.* l. 15.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (a. 8), ratio necessitatis sicut et contingentiæ oritur ex divina voluntate tamquam ex causa prima simpliciter, sed ex causa creata tamquam ex causa proxima et secunda. Verum quia duplex est necessitas : una absoluta et simpliciter, quæ scilicet est ex prioribus in esse, *altera* ex conditione vel suppositione, quæ dependet ab eo, quod est posterius in esse, — *necessitatis absolutæ* ratio sumitur ex causa materiali, formali, efficiente et finali, quatenus est prima in intentione agentis. *Ex materia* quidem et *forma*, quatenus sunt principia essendi tripliciter. Nam cum tripliciter sumatur necessitas absoluta in rebus : *uno modo*, per ordinem ad esse illius, cuius sunt principia essendi; cum enim materia sit ens in potentia, et quod potest esse, possit etiam non esse, ratione materiæ necessario res aliquæ sunt corruptibiles; sicut animal, quod ex contrariis compositum est, quia eius materia est susceptiva contrariorum; — forma vero, quia est actus, et per illam res existunt actu, necessitas ad esse ex illa provenit in quibusdam, ut in illis, quæ sunt formæ sine materia, ut sunt substantiæ separatæ, vel in illis, quorum formæ adæquant totam potentiam materiæ, ut sunt corpora cœlestia; secus vero in illis, in quibus forma totam potentiam materiæ non complet, ut sunt omnia sublunaria, in quibus proinde non est necessitas essendi, et per consequens sunt corruptibilia. — *Alio modo*, per ordinem ad partes materiæ vel formæ, si contingit, hujusmodi principia in aliquibus non simplicia esse. Quia enim materia propria hominis est corpus commixtum, complexiona-

um et organizatum, necessarium est absolute, ominem quodlibet elementorum et humo- um et organorum principalium in se habere. similiter si homo est animal rationale, morta- e, et hæc est natura vel forma hominis, ne- ssarium est ipsum esse animal rationale. *Tertio*, per ordinem principiorum essentialium d proprietates consequentes materiam et for- um, sicut necesse est serram, quia ferrea st, esse duram, et hominem, quia rationalis st, esse disciplinæ capacem, et quia est animal, sse sensibilem. — 2. *Phys.* l. 15; 5. *Meta- hys.* l. 6 (5); 2. *c. Gent.* c. 30; 1a, q. 2. a. 1.

Ex causa vero *efficienti* dupliciter sumi- r necessitas absoluta rei : *uno modo* quan- um ad agere. Cum enim actio ita pendeat ab gente sicut propriæ passiones ex principiis ssentialibus ; sicut hæ procedunt ex necessi- te principiorum, ita et agere ex necessitate rmæ, per quam agens est actu, procedit ; si men loquamur de actione immanenti; nam ec immediate procedit posita specie sensibili el intelligibili; secus vero de actione trans- nti, eo quod ab extrinseco impediri potest; nde hujus necessitas tantum sequitur ex ne- ssitate formæ agentis quantum ad virtutem endi. — *Alio modo* quantum ad effectum; m in quibusdam effectibus necessitas effectus pendet ex dispositione agentis tantum; in ibusdam vero ex dispositione agentis et pa- ntis ; unde si talis dispositio, secundum am de necessitate sequitur effectus, fuerit cessaria et absoluta in agente et patiente, it necessitas absoluta in causa agente; sicut tet in his, quæ agunt ex necessitate et mper, ut necessarium est alternationem esse ctis et diei propter motum solis. Si autem n fuerit absolute necessaria, sed possibilis moveri, non erit necessitas ex causa agente si ex suppositione dispositionis utriusque de- æ ad agendum, sicut in his, quæ impe- ntur interdum in sua operatione vel prop- defectum virtutis vel propter violentiam cujus contrarii ; unde non agunt semper necessitate, sed ut in pluribus. — *Ibid.*

Ex causa vero *finali*, prout est prima in entione agentis, eodem modo procedit ne- sitas, quo ex agente. Agens enim interdum t, in quantum finem intendit tam in natu- ibus quam in voluntariis, nisi quod in re- s naturalibus intentio finis competit agenti undum suam formam, per quam finis est sibi conveniens; unde oportet, quod secundum virtutem formæ tendat res naturalis in finem, sicut grave secundum mensuram gravitatis tendit ad medium. In rebus autem voluntariis tantum voluntas inclinat ad agendum propter finem, quem intendit, licet non semper tantum inclinetur ad agendum hæc vel illa, quæ sunt propter finem, quem appetit, quando finis non solum per hæc vel illa haberi potest, sed pluribus modis. — *Ibid.*

Necessitatis vero *conditionatæ* seu ex suppositione ratio sumitur ex fine, secundum quod est posterius in esse; sicut dicimus necesse, quod serra sit ferrea et dentata, si debet habere serræ opus. — Ceterum in naturalibus et artificialibus atque adeo in omnibus, quæ sunt facta propter finem, licet necessitas dispositionum in illis inventarum ponatur ex parte materiæ (nam per materiam apta sunt sic disponi; ut serra dura est, quia ferrea seu quia materia serræ est apta habere talem dispositionem), ratio tamen necessitatis talis dispositionis non sumitur ex materia, sed ex fine. Non enim serra facta est gravis et dura propter materiam, quam habet, nisi quatenus particula *propter* dicit causam materialem; sed serra sic disponitur, ut sit gravis et dura, propter finem, puta propter sectionem; et principia materialia quæruntur, ut sint apta huic dispositioni, quam requirit finis. Oportet enim, quod serra sit talis dispositionis et formæ, propter sectionem ; sed tamen talis finis non posset provenire, nisi serra esset ferrea, et sic necessarium est, serram esse ferream, si debet esse serra et si debet esse ejus finis, quod est opus ipsius. Et idem dicendum est de rebus naturalibus, ut necessitas ponatur in illis ex parte materiæ, sed ratio necessitatis sit ex fine. — Et hoc probant *argumentum secundum* et *tertium ; reliqua* vero tantum probant, necessitatem aliquando poni ex parte materiæ, aliquando ex parte formæ, aliquando ex parte agentis, quod verum est; non autem quod ratio necessitatis sumenda sit ex illis, ut patet ex dictis. — 2. *Phys.* l. 15; 5. *Metaphys.* l. 6 (5); 2. *c. Gent.* c. 30; 1a, q. 82, a. 1.

QUÆSTIO XVI

DE FATO.

Deinde considerandum est de serie seu ordine secundarum causarum, quæ dicitur fatum.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum fatum sit aliquid.
2. In quo sit fatum.
3. Utrum recte definiatur, quod sit immobilis dispositio.
4. Utrum omnia subsint fato.

ARTICULUS I

UTRUM FATUM SIT ALIQUID.

Videtur quod fatum nihil sit.

1. Dicit enim S. Gregorius (*Homil. in Evang.* l. 1, homil. 10; Migne PP. L. t. 76, col. 1112, n. 4) : absit a fidelium cordibus, ut fatum aliquid esse credatur; et reddit rationem : quoniam stellæ factæ sunt propter hominem, non homo propter stellas; si ergo stellarum motus non esset in hominis ministerium, stella, quæ Magis apparuit, non moveretur ad nutum Domini, quod est inconveniens. — 1a, q. 116, a. 1, arg. 1; *Opusc.* 28, a. 1.

2. Præterea, si fatum est, aut est causa aut causatum; non causatum, quia hoc regulatur fato, ut dicunt mathematici; si causa, aut inferior aut superior; non inferior, quia illa sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, quorum nullum est fatum; non superior, quia causa superior est cœlestis circulus cum suo motu, quod mathematici non dicunt esse fatum, sed esse fati factivum : ergo fatum nihil est. — *Opusc.* 28, a. 1.

3. Præterea ea, quæ fato aguntur, non sunt improvisa, quia ut dicit S. Augustinus (*de Civit. Dei* l. 5, c. 9; Migne PP. L. t. 41, col. 150), fatum a fando dictum intelligimus, id est a loquendo, ut ea fato fieri dicantur, quæ ab aliquo determinante sunt ante prælocuta; quæ autem sunt provisa, non sunt fortuita neque casualia: si ergo res fato aguntur, excludetur casus et fortuna a rebus. — 1a, q. 116, a. 1, arg. 2.

Sed contra : Quod non est, non definitur : sed Boethius (*de Consol. Philos.* l. 4, prosa 6; Migne PP. L. t. 63, col. 815) definit fatum dicens : fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suique nectit ordinibus; ergo fatum aliquid est. — l. c. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod in rebus inferioribus videntur quædam a fortuna vel casu provenire. Contingit autem quandoque, quod aliquid ad inferiores causas relatum est fortuitum vel casuale, quod tamen relatum ad causam aliquam superiorem invenitur esse per se intentum. Sicut si duo servi alicujus domini mittantur ab eo ad eundem locum, uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit præter utriusque intentionem; si autem referatur ad dominum, qui hoc præordinavit, non est casuale, sed per se intentum. Fuerunt igitur *aliqui*, qui hujusmodi casualia et fortuita, quæ in his inferioribus accidunt in nullam superiorem causam reducere voluerunt. Et hi fatum et providentiam negaverunt ut de Tullio S. Augustinus (*de Civit. Dei* l. 5, c. 9; Migne PP. L. t. 41, col. 149) recitat; quod est contra ea, quæ superius de providentia dicta sunt. *Quidam* vero omnia fortuita et casualia, quæ in istis inferioribus accidunt sive in rebus naturalibus sive in rebus humanis, reducere voluerunt in superiorem causam, id est in cœlestia corpora. Et secundum hos fatum nihil aliud est quam dispositio siderum, in qua quisque conceptus est vel natus. Sed hoc stare non potest propter duo : *primo* quidem, quantum ad res humanas, quia humani actus non subduntur actioni cœlestium corporum nisi per accidens et indirecte. Causa autem fatalis cum habeat ordinationem super ea, quæ fato aguntur, necesse est, quod sit directe et per se causa ejus, quod agitur. *Secundo*, quantum ad omnia, quæ per accidens aguntur; quod enim est per accidens, non est proprie ens neque unum; omnis autem naturæ actio determinatur ad aliquid unum. Unde impossibile est, quod id, quod est per accidens, sit effectus per se alicujus naturalis principii agentis; nulla ergo natura per se hoc facere potest, quod intendens fodere sepulchrum inveniat thesaurum. Manifestum est autem, quod corpus cœleste agit per modum naturalis principii; unde et effectus ejus in hoc mundo sunt naturales. Impossibile est ergo, quod aliqua virtus activa cœlestis corpotis sit causa eorum, quæ hic aguntur per accidens sive a casu sive a fortuna. — 1a, q. 116, a. 1, c.

Et ideo dicendum est, quod ea, quæ hic per accidens aguntur sive in rebus naturalibus sive humanis, reducuntur in aliquam causam præordinantem, quæ est providentia divina, quia nihil prohibet id, quod est per accidens, accipi ut unum ab aliquo intellectu; alioquin intellectus formare non posset hanc propositionem : fodiens sepulchrum invenit thesaurum. Et sicut hoc potest intellectus apprehendere, ita potest efficere; sicut si aliquis sciens, in quo loco sit thesaurus absconditus, instiget aliquem rusticum hoc ignorantem, ut ibi fodiat sepulchrum. Et sic nihil prohibet ea, quæ hic per accidens aguntur, ut fortuita vel casualia, reduci in aliquam causam ordinantem, quæ per intellectum agat, et præcipue intellectum divinum; nam solus Deus potest voluntatem immutare, et per consequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium est voluntas, soli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia, quæ hic aguntur, divinæ providentiæ subduntur tanquam per eam ordinata et quasi prælocuta, fatum ponere possumus, licet hoc nomine sancti Doctores uti recusaverint propter eos, qui ad vim positionis siderum hoc nomen retorquebant. Unde S. Augustinus dicit (l. c. c. 1) : si propterea quisquam res humanas fato Dei tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat et linguam corrigat. Et sic S. Gregorius fatum negat. — Unde patet solutio *ad primum* et *secundum*. — 1a, q. 116, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet, aliqua esse fortuita vel casualia per comparationem ad causas proximas, non autem per comparationem ad divinam providentiam; sic enim nihil temere fit in mundo, ut S. Augustinus dicit (*Libro LXXXIII Quæstionum*, q. 24; Migne PP. L. t. 40, col. 17). — l. c. ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM FATUM SIT IN REBUS CREATIS.

Videtur quod fatum non sit in rebus creatis. 1. Dicit enim S. Augustinus (*de Civ. Dei* l. 5, c. 1; Migne PP. L. t. 41, col. 141), quod ipsa Dei voluntas vel potestas fati nomine appellatur; sed voluntas et potestas Dei non est in creaturis, sed in Deo; ergo fatum non est in rebus creatis, sed in Deo. — 1a, q. 116, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, fatum comparatur ad ea, quæ fato aguntur, ut causa, ut ipse modus loquendi ostendit; sed causa universalis per se eorum, quæ hic per accidens aguntur, est solus Deus, ut supra dictum est : ergo fatum est in Deo et non in rebus creatis. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, si fatum est in creaturis, aut est substantia aut accidens, et quodcumque horum detur, oportet, quod multiplicetur secundum creaturarum multitudinem; cum ergo fatum videatur esse unum tantum, videtur, quod fatum non sit in creaturis, sed in Deo. — l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod Boethius dicit (*de Consol. Philos.* l. 4, prosa 6; Migne PP. L. t. 63, col. 815), quod fatum est dispositio rebus mobilibus inhærens. — l. c. arg. *Sed contra*.

Respondeo dicendum, quod cum divina providentia per causas medias suos effectus exequatur, potest ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari : *uno modo*, secundum quod est in ipso Deo, et sic ipsa ordinatio effectuum vocatur providentia. *Alio modo*, secundum quod prædicta ordinatio consideratur in mediis causis a Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, et sic habet rationem fati; et hoc est, quod Boethius dicit (l. c.) : sive famulantibus quibusdam providentiæ divinæ spiritibus fatum exercetur, seu anima seu tota inveniente natura, sive cœlestibus siderum motibus, seu angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus eorum, seu omnibus fatalis series texitur. Sic ergo manifestum est, quod fatum est in ipsis causis creatis, in quantum sunt ordinatæ a Deo ad effectus producendos. — 1a, q. 116, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ipsa ordinatio causarum secundarum, quam S. Augustinus seriem causarum nominat, non habet rationem fati, nisi secundum quod dependet a Deo. Et ideo causaliter Dei potestas vel voluntas dici potest fatum, essentialiter vero fatum est ipsa dispositio seu series, id est ordo causarum secundarum. — l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod in tantum fatum habet rationem causæ, in quantum et ipsæ causæ secundæ, quarum ordinatio fatum vocatur. — l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod fatum dicitur dispositio, non quæ est in genere qualitatis,

sed secundum quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia, sed relatio; qui quidem ordo si consideretur per comparationem ad suum principium, est unus, et sic dicitur unum fatum; si autem consideretur per relationem ad effectus vel ad ipsas causas medias, sic multiplicatur; per quem modum poeta dixit : Te tua fata trahunt. — l. c. ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM FATUM RECTE DEFINIATUR A BOETHIO, QUOD SIT IMMOBILIS DISPOSITIO.

Videtur quod male definiatur a Boethio fatum, quod sit immobilis dispositio.

1. Dicit enim Boethius (*de Consol. Philosophiæ* l. 4, prosa 6; Migne P P. L. t. 63, col. 817), quod, uti est ad intellectum ratiocinatio; ad id, quod est, id, quod gignitur; ad æternitatem tempus, ad punctum medium circulus, ita est fati series mobilis ad providentiæ stabilem simplicitatem, — 1a, q. 116, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, sicut Philosophus dicit (2. *Topic.* c. 3; c. 7), motis nobis moventur omnia, quæ in nobis sunt; sed fatum est dispositio inhærens rebus mobilibus, ut Boethius dicit : ergo fatum non estimmobilis dispositio. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, si fatum est immobilis dispositio, ea, quæ subduntur fato, immobiliter et ex necessitate eveniunt; sed talia maxime videntur esse contingentia, quæ fato attribuuntur : ergo nihil erit contingens in rebus, sed omnia ex necessitate evenient. — l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod Boethius dicit l. c. (Migne PP. L. t. 63, col. 815), quod fatum est immobilis dispositio. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod recte a Boethio describitur fatum, quod sit inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus; explicat enim essentiam et naturam fati, ut patet. Dicitur enim *primo* : dispositio, ut significetur quasi genus fati, quod est dispositio. Verum quia dispositio dupliciter sumi potest : *vel* pro specie quadam qualitatis, quæ dicitur dispositio, *vel* pro ordine, qui est relatio; hoc loco sumitur dispositio posteriori modo. Sic enim Augustinus fatum vocat seriem seu ordinem causarum secundarum. — Dicitur *secundo* : rebus inhærens, ut distinguatur fatum a providentia. Nam ipsa ordinatio, secundum quod in mente divina est, nondum rebus impressa, providentia est; secundum vero quod jam est explicata in rebus et in illis impressa, fatum nominatur, modo intelligatur talis ordinatio impressa non in ipsis inferioribus effectibus, sed in causis secundis, quibus ordine quodam divinæ providentiæ dispositio ad inferiora descendit. Nam fatum habet aliquo modo rationem causæ respectu inferiorum effectuum, ratione scilicet ipsarum causarum superiorum ordinatarum, licet ad divinam providentiam comparetur ut ejus effectus, propter quod fatum dicitur quasi quoddam effatum divinæ ordinationis, sicut verbum vocale est quoddam effatum interioris conceptus. — Dicitur *tertio* : mobilibus, ut ostendatur, quod ordo providentiæ a rebus contingentiam et mobilitatem non aufert, ut quidam posuerunt. — Dicitur *quarto* : immobilis, quia dispositio secundarum causarum, quam fatum dicimus, dupliciter potest considerari : *uno modo*, secundum ipsas causas secundas, quæ sic disponuntur seu ordinantur; *alio modo*, pro relatione ad primum principium, a quo ordinatur, scilicet Deum, seu ut subest divinæ providentiæ. Si consideretur primo modo fatum, mobile est; si secundo modo, sortitur immobilitatem, non quidem absolutæ necessitatis, sed conditionatæ, secundum quod dicimus, hanc conditionalem esse veram vel necessariam : si Deus præscivit hoc futurum, erit. Unde cum Boethius dixisset, fati seriem esse mobilem, post pauca subdit : quæ tamen ab immobilis providentiæ proficiscitur exordiis; ipsamque immutabilem esse necesse est. — Et per hæc et ex dictis supra patet responsio *ad objecta.* — 1a, q. 116, a. 3, c.; 3. *c. Gent.* c. 93; l. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1, ad 5.

ARTICULUS IV

UTRUM OMNIA FATO SUBDANTUR.

Videtur quod omnia fato subdantur.

1. Dicit enim Boethius (*de Consol. Phil.* l. 4, prosa 6; Migne PP. L. t. 63, col. 817), quod series fati cœlum et sidera movet, elementa in se invicem temperat et alterna format transmutatione, eadem nascentia occidentiaque omnia per similes foetuum seminumque renovat progressus; hæc actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit; nihil ergo excipi videtur, quod

sub ati serie non comprehendatur. — 1a, q. 116, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, dicit S. Augustinus (*de Civ. Dei* l. 5, c. 1; Migne PP. L. t. 41, col. 141), quod fatum aliquid est, secundum quod ad voluntatem et potestatem Dei refertur; sed voluntas Dei est causa omnium, quæ fiunt, ut S. Augustinus dicit (*de Trinit.* l. 3, c. 4; Migne PP. L. t. 42, col. 873) : ergo omnia subduntur fato. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, fatum secundum Boethium loco supra citato est dispositio rebus mobilibus inhærens; sed omnes creaturæ sunt mutabiles, et solus Deus est vere immutabilis : ergo in omnibus creaturis est fatum. — l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod Boethius dicit l. c. (col. 816), quod quædam, quæ sub providentia locata sunt, fati seriem superant. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est supra, fatum est ordinatio secundarum causarum ad effectus divinitus provisos. Quæcumque igitur causis secundis subduntur, ea subduntur et fato; si qua vero sunt, quæ immediate a Deo fiunt, cum non subdantur causis secundis, non subduntur fato, sicut creatio rerum, glorificatio spiritualium substantiarum, et alia hujusmodi. Et hoc est, quod Boethius (l. c.) dicit, quod ea, quæ sunt primæ divinitati propinqua, stabiliter fixa fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Ex quo etiam patet, quod quanto aliquid longius a prima mente discedit, nexibus fati majoribus implicatur, quia magis subjicitur necessitati secundarum causarum. — 1a, q. 116, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia illa, quæ ibi tanguntur, fiunt a Deo mediantibus causis secundis, et ideo sub fati serie continentur; sed non est eadem ratio de omnibus aliis, ut supra dictum est (in c.) — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod fatum refertur ad voluntatem et potestatem Dei sicut ad primum principium. Unde non oportet, quod quidquid subjicitur voluntati vel potestati divinæ, subjiciatur fato, ut dictum est (in c.) — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod quamvis omnes creaturæ sint aliquo modo mutabiles, tamen aliquæ earum non procedunt a causis creatis mutabilibus, et ideo non subjiciuntur fato, ut dictum est (in c.) — *Ibid.* ad 3.

QUÆSTIO XVII

DE MOTU SECUNDUM SE.

Post considerationem de principiis tum rerum naturalium tum scientiæ naturalis, sequitur determinandum de subjecto hujus scientiæ, quod est ens mobile in communi.

Quinque vero partibus continetur hæc tractatio. Nam *primo*, considerandum est de motu secundum se; cum enim ens mobile involvat in se naturam, quæ est principium motus, et hoc ignorato ignoretur et illa, cum in ejus definitione ponatur, necesse est, si intendimus tradere scientiam de natura atque adeo de ente mobili, quod prius agamus de motu secundum se. *Secundo*, de consequentibus motum tam intrinsece, cujusmodi est infinitum, quam extrinsece, cujusmodi sunt locus, vacuum, tempus. *Tertio*, de partibus ejus sive potentialibus seu de speciebus motus, quam de partibus ejusdem quantitativis. *Quarto*, de motu per comparationem ad mobilia. *Quinto*, de comparatione ejusdem ad motores.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum prima definitio motus sit a Philosopho recte tradita.
2. Utrum de ratione motus sit successio seu continuitas successiva.
3. Utrum secunda definitio motus sit a Philosopho recte tradita.
4. Utrum actio et passio sint unus motus.
5. Utrum actio transiens sit realiter in agente, an vero in passo.

ARTICULUS I

UTRUM PRIMA DEFINITIO MOTUS, QUOD SIT ACTUS ENTIS IN POTENTIA PROUT IN POTENTIA, SIT RECTE TRADITA.

Videtur quod non sit a Philosopho recte tradita prima definitio motus, quod sit actus entis in potentia prout in potentia.

1. Dicit enim Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9), quod motus ideo ponitur inter indeterminata, quia *neque* potest poni in genere potentiæ, quia sequeretur, quod quidquid est in potentia ad aliquid, puta ad

esse quantum, movetur ad illam quantitatem, quod tamen est falsum, quia antequam incipiat moveri ad quantitatem, est in potentia ad illam quantitatem; *neque* potest poni in genere actus, quia nihil movetur, quando jam actu est quantum, secundum illam quantitatem, ad quam erat in potentia, sed tunc jam terminus est motus; ergo motus male definitur, quod sit actus. — 11. *Metaphys.* l. 9.

2. Præterea, omnis forma est actus subjecti existentis in potentia; sic enim forma substantialis est actus materiæ, quæ est ejus potentia; unde 2. *de Anima text.* 7 (c. 1) definitur anima, quod sit actus corporis organici potentia vitam habentis; et similiter forma statuæ est actus æris existentis in potentia ad illam; ergo definitio motus non ei soli competit; unde male tradita est. (*Ibid.*; *Quaest. disp. de Anima* a. 1, arg. 15.) — Sed dices, quod motus non est actus perfectus, sicut forma substantialis vel artificialis, sed imperfectus.

3. Contra, quia quando aliquid semiplene tantum calefit, ut patet in aqua tepida, calor illius est actus imperfectus existentis in potentia ad illum, et tamen talis calor non est motus; nam tantum est terminus motus; ergo male adhuc definitur motus, quod sit actus. (3. *Phys.* l. 2.) — Sed dices, quod motus non est quicumque actus imperfectus, sed est actus imperfectus cum ordine ad ulteriorem actum.

4. Contra, actus imperfectus consideratus in ordine ad actum ulteriorem non habet rationem motus, sed principii motus; potest enim incipere calefactio sicut a frigido, ita et a tepido; ergo male definitur motus, quod sit actus. — l. c.

5. Præterea, Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1) inter motus, quibus applicat definitionem traditam motus, ponit generationem et corruptionem et lationem; sed generatio non est actus imperfectus dicens ordinem ad ulteriorem actum, quia cum, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 10; c. 2), non sit inter contraria, fit in instanti. Neque similiter latio est actus imperfectus dicens ordinem ad ulteriorem actum, quia per motum localem nihil omnino acquiritur ipsi mobili, sed tantum acquiritur aliquid extra, puta locus; ergo definitio motus non est recte tradita. — 3. *Phys.* l. 2; 5. *Phys.* l. 3.

6. Præterea, si motus est actus entis in potentia, ergo per motum reducitur mobile ad actum; sed hoc est falsum. *Vel* enim mobile reducitur ad actum per motum secundum quod actu est et secundum seipsum; et hoc non, quia hoc etiam est in actu, antequam incipiat moveri; *vel* secundum quod est in potentia ad terminum motus; et hoc etiam non, quia dum mobile movetur, adhuc remanet in potentia ad terminum motus: ergo motus non est actus entis in potentia prout in potentia. — 11. *Metaphys.* l. 9.

7. Præterea, quod est in potentia ad statuam, est æs, et quod est in potentia ad ædificationem, est domus; sed motus neque est actus domus ut domus, neque æris ut æs: ergo neque erit actus entis in potentia ad ædificationem vel statuam, et consequenter male definitus erit motus, quod sit actus entis in potentia prout in potentia. — l. c.

8. Præterea, in definitione formæ debet poni subjectum formatum per ipsam; sic in definitione animæ dicitur, quod est actus corporis organici potentia vitam habentis; sed motus est forma quædam, et in ejus definitione ponitur subjectum sine forma; ergo male definitur motus, quod sit actus entis in potentia. — *Quaest. disp. de Anima* a. 1, ad 15; 11. *Metaphys.* l. 9.

9. Præterea, Angelus movetur localiter; sed motus Angeli non est actus imperfecti seu entis in potentia: ergo male definitur motus, quod sit actus entis in potentia. — 1a, q. 53, a. 1, arg. 2 et 3.

10. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 28; c. 7), quod aliqua species motus est actus perfecti seu existentis in actu; sed definitio generis debet convenire omnibus speciebus: ergo male definitur a Philosopho motus, quod sit actus entis in potentia. — 3. *de Anima* l. 12.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9) definit motum, quod sit actus entis in potentia prout in potentia. — 3. *Phys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod definitio motus fuit a Philosopho recte tradita; quod patet *primo*, quia recte explicat naturam motus. Dicitur enim primo *actus*, loco generis, quia id, quo aliquid fit actu, prius in potentia existens, est actus; sed aliquid fit actu, dum movetur, prius in potentia existens: ergo motus est actus. Sic ædificabile, quia dicit potentiam

ad aliquid, cum secundum hanc potentiam, quam importat, reducatur in actum, tunc dicitur, quod ædificatur, et iste actus est ædificatio passiva et motus; et similiter est in aliis motibus, sicut est doctrinatio, volutatio, medicatio, saltatio, augmentum et decrementum. Considerandum enim est, quod antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum perfectum, qui est terminus motus, et ad actum imperfectum, qui est motus; sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri et ad calidum esse; cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, nondum autem in actum perfectum, qui est terminus motus, sed adhuc respectu ipsius remanet in potentia. — Dicitur secundo : *entis in potentia*, quia omnis actus ejus est proprie actus, in quo invenitur; sicut lumen nunquam invenitur nisi in diaphano, et propter hoc est actus diaphani; sed motus semper invenitur in existente in potentia; est igitur motus actus existentis in potentia. Ad cujus majorem explicationem sciendum quod, quia quædam eadem sunt et in potentia et in actu, licet non simul aut secundum idem, sicut aliquid est calidum in potentia et frigidum actu, ex hoc sequitur, quod multa agunt et patiuntur ad invicem, in quantum scilicet utrumque est in potentia et actu respectu alterius secundum diversa. Et quia omnia corpora naturalia sublunaria communicant in materia, ideo in unoquoque est potentia ad id, quod est actu in altero, et ideo in omnibus talibus aliquid simul agit et patitur, et movet et movetur; non tamen omne movens movetur, sed datur aliquod movens immobile, quod non est in potentia, sed in actu tantum. Sed quando id, quod est in potentia, actu quodammodo existens agit aut ipsum aut aliud, in quantum est mobile, id est reducitur in actum motus, sive sit motum a se sive ab alio, tunc motus est actus ejus. Et inde est, quod illa, quæ sunt in potentia, sive agant sive patiantur, moventur, quia et agendo patiuntur et movendo moventur; sicut ignis cum agit in ligna, patitur, in quantum ingrossatur per fumum, quia flamma non est nisi fumus ardens. — Additur tertio : *prout in potentia*, quia id, quod est in potentia, est etiam aliquid actu, et licet idem sit subjectum existens in potentia et in actu, non tamen est idem secundum rationem esse in potentia et esse in actu; sicut æs est in potentia ad statuam et est actu æs non tamen est eadem ratio æris, in quantum æs et in quantum est potentia ad statuam. Motus autem non est actus æris, in quantum æs est, sed in quantum est in potentia ad statuam; alias oporteret, quod quandiu æs esset, tandiu æs moveretur, quod est falsum. Et sic convenienter additum fuit in definitione motus : in quantum in potentia. — Quod confirmatur a simili, in potentia contrariorum. Sicut enim idem est subjectum se habens in potentia ad contraria, puta ad sanitatem et ægritudinem, non tamen idem sunt secundum rationem potentia ad sanitatem et potentia ad ægritudinem (alioqui idem etiam essent laborare et sanari), et per consequens nec sunt idem secundum rationem subjectum et potentia (quia alioqui et potentiæ ad opposita essent secundum rationem idem, cum eadem sint inter se, quæ sunt eadem uni tertio); — ita in proposito, quia non sunt idem secundum rationem subjectum existens in potentia ad motum et terminum, et talis potentia subjecti ad utrumque, ideo necessarium fuit dicere in definitione motus, quod sit actus entis in potentia, in quantum est in potentia, ne intelligatur esse actus ejus, quod est in potia, in quantum est quoddam subjectum. — 11. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 2.

Secundo probatur ex definitionibus motus, quas alii philosophi attulerunt, quarum nulla conveniens est. Quidam enim definierunt motum, quod sit alteritas quædam; alii vero, quod sit quædam inæqualitas; alii, quod sit quoddam non ens. Sed hi male definierunt motum; quod patet *primo* quia, si motus esset non ens vel inæqualitas vel alteritas, sequeretur, quod omne non ens vel inæquale moveretur; sed nullum horum necesse est moveri; non est igitur motus, quod dictum est. *Deinde* non magis est motus ad non ens vel inæqualitatem vel alteritatem, quam ad opposita horum; neque magis est motus ex his quam ex oppositis; contingit enim moveri ex non ente ad ens et e converso, et de alteritate ad similitudinem et ab æqualitate ad inæqualitatem et e converso. *Demum* quia causa, quare posuerunt prædicti philosophi motum sub prædictis quasi sub generibus, ea est, quia motus videtur esse aliquid indeterminatum, cum *neque* poni posse videatur in genere potentiæ; nam inde sequeretur, quod quidquid est in potentia ad aliquid, puta ad quantum, moveatur ad illam quantitatem;

quod est falsum, quia antequam quid incipiat moveri ad quantitatem, est in potentia ad illam; *neque* in genere actus; nam quando quod actu est secundum illam quantitatem, ad quam erat in potentia, jam terminatur motus, seu non est amplius motus; illa vero sunt indeterminata, quæ sunt privativa. Sed hæc causa nulla est; nam motus est in genere actus, non tamen perfecti, sed imperfecti; nam est actus imperfectus et imperfecti. — Quidam vero alii definierunt motum, quod sit exitus de potentia in actum non subito; sed erraverunt in definitione. Nam definitio debet dari per priora; at vero isti posuerunt in definitione motus quædam, quæ sunt posteriora motu. Exitus enim est species quædam motus; subitum etiam recipit in sui definitione tempus; est enim subitum, quod fit in indivisibili temporis; tempus autem definitur per motum.

Tertio probatur, quia impossibile est aliter definire motum, quam Philosophus definierit. Cum enim unumquodque genus dividatur per potentiam et actum, potentia autem et actus, cum sint de primis differentiis entis, naturaliter priora sint motu, convenientissime dicendum est Philosophum prædictis utendo ad motus naturam explicandam, illum modo prædicto definivisse. — 11. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 2 et 3.

Ad primum ergo dicendum, quod motus est in genere actus, non tamen perfecti, sed imperfecti, ut dictum est (in c.). Considerandum enim est, quod aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habet inter potentiam puram et actum perfectum. Quod est in potentia tantum, nondum movetur; quod jam est in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est; illud autem movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum, quod quidem partim est in potentia, partim in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur; cum vero jam est calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur ad calorem; nam quod calefit, paulatim participat calorem magis ac magis, et ipse actus imperfectus caloris in calefactibili existens est motus. — 3. *Phys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod forma substantialis vel artificialis respectu propriarum materierum sunt actus perfecti, cum sint termini motus acquisitivi illarum, ut dictum est (ad 1); motus autem est actus imperfectus.

Ad tertium dicendum, quod motus v. g. calefactionis non est actus imperfectus caloris in calefactibili existens, secundum id, quod actu est tantum, ut procedit objectio, sed secundum quod jam in actu existens habet ordinem ad ulteriorem actum; quia si tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipse actus quantumcunque imperfectus esset terminus et non motus, sicut accidit, cum aliquid tantum semiplene calefit; ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. — 3. *Phys.* l. 2.

Ad quartum dicendum, quod motus non est actus quicunque imperfectus dicens ordinem ad ulteriorem actum; nam si actus imperfectus consideretur tantum, secundum quod habet rationem potentiæ, non habet rationem motus, sed principii motus; potest enim incipere calefactio sicut a frigido, ita et a tepido. Si vero consideretur et secundum quod comparatur ad ulteriorem actum ut potentia, et secundum quod comparatur ad aliquid imperfectius ut actus, tunc talis actus imperfectus est motus. Motus enim neque est potentia existentis in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est actus existentis in potentia ut per id, quod dicitur *actus*, designetur ordo ejus ad anteriorem potentiam, et per id, quod dicitur *in potentia existentis*, designetur ordo ejus ad ulteriorem actum. — l. c.

Ad quintum dicendum, quod generatio etiam sumpta pro mutatione dici potest actus imperfectus ratione termini a quo, qui est privatio, et ratione termini ad quem, qui est perfectio illius; nam in definitione motus, qua convenit etiam mutationi, sumitur motus communiter pro mutatione, non autem stricte prout dividitur contra generationem et corruptionem. — 1. *Sent.* dist. 5, q. 3, ad 1; 3 *Phys.* l. 2 et 4; 5. *Phys* l. 2.

Vel dic. quod generatio sumitur a Philosopho *vel* pro alteratione præcedente terminat ad formam substantialem; quia enim alteratio habet duos terminos, scilicet formam substantialem et accidentalem, dupliciter nominatur et alteratio et generatio, quomodo sumitur Philosopho 6. *Phys. text.* 40; c. 5, cum dicit : quod generatum est, prius generabatur *vel* pro generatione successiva totius animal per partes. Lationi etiam convenit definiti motus; latio enim est actus mobilis secun

dum locum, quatenus mobile est; mobile enim dicit potentiam et ad ipsam lationem et ad terminum extrinsecum, quem acquirit mobile, qui dicitur locus. — 3. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 9.

Ad sextum dicendum, quod mobile per motum reducitur ad actum de illa potentia, quæ est ad ipsum moveri; nam reducit ad actum ipsum mobile, in quantum est mobile; mobile autem dicitur aliquid per hoc, quod est in potentia ad moveri; et sic reducitur hujusmodi potentia in actum, quando actu movetur. — 11. *Metaphys.* l. 9.

Ad septimum dicendum, quod motus non est actus æris in quantum est æs, sed in quantum est in potentia ad statuam, ut dictum est. — l. c.; 3. *Phys.* l. 2.

Ad octavum dicendum, quod in definitione formarum aliquando ponitur subjectum ut informe, ut cum definitur motus, quod sit actus entis in potentia prout in potentia; aliquando vero ponitur subjectum formatum, ut cum dicitur : motus est actus mobilis, vel lumen est actus lucidi. Et hoc modo anima dicitur actus corporis organici physici, quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, ad 15; 2. *de Anima* l. 1.

Ad nonum dicendum, quod motus dupliciter sumitur : *uno modo* proprie, et est actus imperfecti, et non convenit Angelo, cum talis motus sit propter indigentiam mobilis. *Alio modo* communiter, prout motus dicitur actus perfecti, quomodo intelligere et sentire dicuntur motus et moveri (3. *de Anima text.* 28; c. 7), cujusmodi motus non est propter indigentiam mobilis, sed alterius, et tali motu movetur Angelus. — *de Verit.* q. 24, a. 1, ad 14; 1a, q. 18, a. 1, c. et q. 53, a. 1, ad 3.

Ad decimum dicendum, ut dictum est (*ad nonum*).

ARTICULUS II

UTRUM DE RATIONE MOTUS SIT SUCCESSIO SEU CONTINUITAS SUCCESSIVA.

Videtur quod de ratione motus sit successio seu continuitas successiva.

1. Dicit enim Philosophus (12. *Metaphys. text.* 29; l. 11, c. 6), quod tempus est passio motus, et 4. *Phys. text.* 99 et 109; c. 11 et 12 dicit, quod oritur ex successione continua motus; nam quia motus est continuus, tempus est continuum; sed passio consequitur principia essentialia subjecti, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2 et q. 25, a. 5) : ergo de essentia motus est continuitas successiva. — 12 *Metaphys.* l. 5 (4); 4. *Phys.* l. 17.

2. Præterea, de ratione motus est, ut dictum est (a. 1, c. et ad arg.), quod sit actus imperfecti tendentis ad ulteriorem gradum; sed in hac tendentia necessario includitur successiva continuitas; quod enim calefit, paulatim participat calorem magis ac magis : ergo de ratione motus est continuitas successiva. — V. supra a. 1, ad 1.

3. Præterea, unaquæque forma, secundum quod est in fieri, cum sit actus imperfectus, est motus; sed omne fieri necessario involvit in se tempus, quia omne quod fit, fiebat, ut probat Philosophus (6. *Phys. text.* 40; c. 5) : ergo de ratione motus est continuitas successiva. — 11. *Metaphys.* l. 9; 1a, q. 46, a. 3, arg. 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (6. *Phys text.* 15 et 37; c. 2 et 4), quod omne, quod movetur, in tempore movetur; sed de ratione temporis est continuitas successiva, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 15; c. 1) : ergo etiam de ratione motus erit continuitas successiva. — 6. *Phys.* l. 3 et 8.

5. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 10; c. 2), quod generatio non est motus, quia omnis motus est inter contraria, quæ scilicet maxime inter se distant, et de quorum uno contingit in aliud continue pervenire; nam hæ duæ conditiones requiruntur in contrariis; nulla vero continuitas potest attendi in formis substantialibus, cum esse substantiale cujuslibet rei sit in aliquo indivisibili : ergo de ratione motus est continuitas successiva. — 5. *Phys.* l. 3.

6. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 1; c. 1), quod motus videtur esse de genere continuorum, quod idem docet 6. *Phys.* : ergo de ratione motus est continuitas successiva. — 3. *Phys.* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (*Prædicam.* c. 7; c. 6 et 5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13) dicit, quod motus est quantus et continuus tantum per accidens; ergo de ratione motus non est continuitas successiva. — 5. *Metaphys.* l. 15 (18).

Respondeo dicendum, quod tripliciter sumi potest motus : *primo* communiter, prout motus dicitur actus perfecti, quomodo intelligere et sentire dicuntur moveri 3. *de Anima text.* 28; c. 7, et quomodo sumptus non est propter indigentiam mobilis, sed alterius, et hoc modo convenit motus substantiis separatis. — 1a, q. 18, a. 1, c. et q. 53, a. 1, ad 3.

Secundo proprie, prout est actus imperfecti et propter indigentiam mobilis, quomodo definitur a Philosopho 3. *Phys. text.* 6 et 15; c. 1 et 2, et sic sumptus convenit etiam mutationibus instantaneis. Quod manifestum est *primo* ex ipso Philosopho; nam l. c. *text.* 1 dicit, se velle agere de motu eumque definire, ut melius intelligatur natura (quia cum haec sit principium motus, hoc ignorato ignorabitur et illa); natura autem non solum est principium motus, sed etiam mutationis; et *text.* 6 (c. 1) exemplis explicans definitionem motus traditam, inter motus definitos ponit mutationes instantaneas; et *text.* 4 et 5 probat, motum non esse praeter res, per omnes species mutationis, puta per generationem et corruptionem; et *text.* 13 (c. 2) in ratione, qua refellit definientes, motum esse alteritatem, inæqualitatem et non ens, supponit generationem et corruptionem esse motus. Praeterea quia indifferenter nomine motus et mutationis utitur usque ad *text.* 8 (c. 1) l. 5. *Phys.*, ut constat *tum* ex *text.* 1, 4 et 6 (c. 1) l. 5. *Phys.*, ubi generationem et corruptionem vocat motus et mutationes, *tum* ex ratione, qua 3. *Phys. text.* 11 (c. 1) probat, definitionem motus, quam ex propria sententia attulit, esse recte traditam, quæ probat, etiam generationem, quæ est mutatio, esse motum, ut dictum est (a. 1). — *Secundo* probatur, quia ad motum sufficit, ut sit actus imperfectus existentis in potentia tum ad ipsum actum imperfectum, tum ad ulteriorem actum perfectum, ut dictum est; hoc autem totum convenit generationi. Nam est actus generabilis ut generabile, id est materiæ, quæ est potentia ad ipsam generationem, cujus proinde susceptiva est, et ad ulteriorem actum perfectum, puta ad formam substantialem. — 3. *Phys.* l. 1, 2, 3, 4; 5. *Phys.* l. 1 et 2.

Tertio sumitur motus magis proprie et presse, ut contradistinguitur a mutatione, et tunc necessario quidem motus involvit continuitatem et successionem (sic enim ratione continuitatis mensuratur per locum, ratione vero successionis mensuratur per tempus), et sic distinguitur a mutatione instantanea, cujusmodi est generatio et corruptio; non tamen est de ratione motus sive in primo modo essendi sive in secundo, ut contradistinguitur a mutatione, *primo*, quia motus et mutatio differunt inter se per hoc, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 49; c. 5), quod motus est mutatio ex subjecto in subjectum, mutatio vero ex non subjecto in subjectum vel ex subjecto in non subjectum. *Deinde*, quia motus non est continuus nisi per accidens ratione alterius, ut dictum est ex Philosopho (supra arg. *Sed contra*). *Praeterea*, quia ideo mutatio aliqua est instantanea et subita, quia est inter ea, inter quæ non datur medium, ut patet in illuminatione, generatione et corruptione; aliqua vero est successiva, quia est inter ea, inter quæ est dare medium, et proinde agens finitæ virtutis non potest ab extremo ad extremum tendere sine medio. Quod si daretur agens potens in subjecto producere unam formam et contrariam expellere, illa esset motus, quia esset a subjecto in subjectum, et esset instantanea, quia subito. — Et sic manifestum est quod, quia tunc salvaretur natura motus, quæ consistit in transitu ex termino affirmato in affirmatum, de ratione motus in communi sumpti non est continuitas successiva. In particulari tamen motus localis non potest esse in instanti, atque adeo necessario requirit successionem, quia omne, quod movetur localiter, necesse est, quod prius perveniat ad medium magnitudinis quam ad extremum; ubi autem est prius et posterius, ibi necessario est successio. — 5. *Phys.* l. 2 et 8; *de Generat.* l. 10; 11. *Metaphys.* l. 9; 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 3, c.; *de Sensu* l. 16; 1a, q. 67, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod tempus est quid extrinsecum motui, sicut et locus; consequuntur enim motum tamquam exteriores quædam mensuræ. Nam tempus est mensura motus, et locus est mensura mobilis, et ideo non est passio proprie dicta, quæ scilicet intrinsece naturam subjecti ejusque principia essentialia consequatur, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2 et q. 25, a. 5). — 3. *Phys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod motus ideo dicitur actus imperfectus exigens tendentiam ad ulteriorem actum, quia subjectum motus debet habere potentiam ad duo, et ad actum imperfectum et ad perfectum, ut dictum est (a. praeced.); quod autem talis acquisitio ulterioris termini non nisi in tempore fiat, non oritur ex

ratione motus, sed ex ratione terminorum, inter quos datur medium, quod necesse est ab agente finitæ virtutis prius transiri, quam deveniatur ad extremum. — *de Sensu* l. 16.

Ad tertium dicendum, quod omne fieri involvit tempus, quando fit mutatio inter extrema, inter quæ est aliquod medium, quod ab agente finitæ virtutis prius tempore transeundum est, quam perveniat ad aliud extremum; verum hoc non arguit, de ratione motus esse continuitatem successivam, ut dictum est (in c. et ad 2), sed tantum, quod semper est conjunctus motus cum successione continua.

Ad quartum dicendum, quod tempus non est continuum et quantum per se, sed per accidens, sicut et motus, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13); et propterea licet omne, quod movetur motu propriissime dicto, moveatur in tempore, non tamen est de ratione motus continuitas successiva. — 5. *Metaphys.* l. 15 (18).

Ad quintum dicendum, quod objectio tantum probat, motui propriissime et presse sumpto, ut distinguitur contra mutationem instantaneam, esse conjunctam continuitatem successivam, quod verum est; sed inde non sequitur intentum. — V. dicta in c. et ad 2.

Ad sextum dicendum, quod motus dicitur videri de genere continuorum, quia est quantus per accidens, ut dictum est (arg. *Sed contra* et in c.)

ARTICULUS III

UTRUM SECUNDA DEFINITIO MOTUS SIT A PHILOSOPHO RECTE ASSIGNATA.

Videtur quod secunda definitio motus, quod sit actus mobilis, quatenus mobile est, non sit a Philosopho recte assignata.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 18; c. 3), quod motus est actus moventis; sed movens in quantum movens non est mobile, ut patet : ergo motus non recte definitur, quod sit actus mobilis. — 3. *Phys.* l. 4.

2. Præterea, unius rei una est definitio; sed motus supra definitus est, quod sit actus entis in potentia : prout in potentia: ergo non recte definitur alia definitione, quod sit actus mobilis. — 3. *Metaphys.* l. 8; 1. *Sent.* dist. 1, in exposit. textus.

3. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1), quod ens in potentia, cujus actus est aedificatio vel alteratio vel motus, est alterabile ut alterabile, et aedificabile ut aedificabile, et mobile ut mobile; ergo eadem est definitio motus prior cum hac posteriore, et sic alterutra est superflua. — 3. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 9.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *Phys. text.* 17; c. 2) tradit alteram definitionem motus, quod sit actus mobilis, quatenus mobile existit. — 3. *Phys.* l. 4.

2. Præterea, ejusdem rei potest dari multiplex definitio juxta multitudinem causarum. Sic enim et in scientiis demonstrativis datur duplex definitio: una, quæ est demonstrationis principium, ut hæc : tonitruum est exstinctio ignis in nube; quædam vero est demonstrationis conclusio, ut hæc : tonitruum est continuus sonus in nubibus; — ita in proposito prior definitio motus est a causa formali, et hæc posterior a materiali, et illa est principium, hæc conclusio; nam hæc ex illa infertur. Quia enim motus est actus entis in potentia in quantum in potentia; existens autem in potentia in quantum hujusmodi est mobile, non autem movens (quia movens in quantum hujusmodi est ens in actu, sequitur, quod motus sit actus mobilis in quantum hujusmodi; ergo dicendum est, quod hæc definitio fuit a Philosopho recte tradita. — 2. *Phys.* l. 15; 3. *Phys.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod recte secundo Philosophus definivit motum, quod sit actus mobilis, in quantum mobile est. — Ad cujus manifestationem considerandum est, quod omne movens movetur; quod patet, *tum* quia omne, quod prius est in potentia et postea in actu, quodammodo movetur; movens autem invenitur esse prius movens in potentia et postea in actu; *tum* quia cujuscunque sua immobilitas est ejus quies, huic inest motus; quies enim et motus, cum sint opposita, habent fieri circa idem; sed moventis immobilitas seu cessatio a movendo dicitur quies; omne igitur tale movens movetur. — Ceterum licet movens moveatur, motus tamen non est actus moventis, sed mobilis, secundum quod mobile est. Quod manifestum est ex hoc, quod moveri non competit moventi per se (nam movens in quantum movens est in actu; est enim movens per formam, per quam est in actu), sed ei competit per accidens; nam motus competit moventi ex contactu, ex quo sequitur, quod simul dum agit, patiatur et per consequens moveatur. Cum ergo motus ex dictis sit actus existentis in potentia, ut dictum est, sequitur,

quod motus non sit alicujus, in quantum est movens, sed in quantum est mobile. Et ideo recte secundo definitus fuit a Philosopho motus, quod sit actus mobilis, in quantum est mobile. — 3. *Phys.* l. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod motus est actus moventis et mobilis, quia est actus causatus a movente in mobili, ut docet Philosophus (3. *Phys. text.* 18; c. 3). — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod unius rei est una perfecta definitio complectens omnes causas; sed possunt esse plures definitiones sumptæ ex variis causis, ut dictum est (in Logica q. 24, a. 1, ad 1 et q. 26, a. 2, c. et ad 2). — 2. *Poster.* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod prior definitio motus est formalis; nam per particulam *potentia* significatur, quod motus ratione ulterioris actus facit mobile esse in potentia ad illum, cum tamen ratione anterioris potentiæ ad ipsum, quæ explicatur nomine *mobilis* in secunda definitione, sit actus illius, ut dictum est (supra a. 1).

ARTICULUS IV

UTRUM ACTIO ET PASSIO SINT UNUS ET IDEM MOTUS.

Videtur quod actio et passio non sint unus et idem motus, sed diversi.

1. Cum enim actio sit actus agentis, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 19; c. 3), si actio et passio sunt unus motus, sequitur quod actus agentis sit quodammodo in patiente, et sic actus unius erit in altero, quod est inconveniens. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

2. Præterea, idem non potest esse actus diversorum secundum speciem; sed actio est actus agentis et passio patientis, quæ sunt specie diversa : ergo actio et passio non possunt esse unus motus. — l. c.

3. Præterea, actio non est idem cum passione; sed id sequitur, si actio et passio sunt unus motus, quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : ergo actio et passio non sunt unus et idem motus. — l. c.

4. Præterea, agere non est idem, quod pati, nec docere, quod addiscere; sed id sequitur, si dicamus, actionem et passionem esse unum motum : ergo actio et passio non sunt unus motus. — l. c.

5. Præterea, inconveniens est, quod omne docens addiscat et omne agens patiatur; sed hoc inconveniens sequitur, si ponatur, quod actio et passio sunt unus motus : ergo actio et passio non sunt unus motus, sed diversi. — l. c.

6. Præterea, si actio et passio sunt unus motus, sequitur, quod non debeant esse duo prædicamenta, cum prædicamenta sint genera rerum; sed vere actio et passio sunt diversa prædicamenta; ergo etiam erunt diversi motus. — l. c.

7. Præterea, si motus vel est actio vel passio, non invenietur motus in substantia, quantitate, qualitate et ubi, sed solum continebitur in actione et passione; sed vere motus continetur in prædictis : ergo motus non est idem in actione et passione. — l. c.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *Phys. text.* 18, 19, 20; c. 3 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9) dicit, quod actio et passio sunt unus et idem motus realiter, sed duo secundum rationem. — 3. *Phys.* l. 4 et 5 (4); 11. *Metaphys.* l. 9.

2. Præterea, si actio et passio sunt diversi motus, necesse est, quod uterque sit in aliquo subjecto. Aut igitur *primo*, uterque est in agente; et hoc non, quia motus est in mobili, ut dictum est. Aut *secundo*, uterque est in patiente; et hoc non, quia inde sequuntur duo inconvenientia : unum est, quod proprius actus uniuscujusque non sit in eo, cujus est actus; actio autem est actus agentis; alterum est, quod aliquid unum et idem moveatur secundum duos motus. Actio enim et passio supponuntur nunc esse duo motus; in quocunque autem est motus, illud movetur secundum illum motum; si igitur actio et passio sunt in mobili, sequitur, quod mobile moveatur secundum duos motus tendentes ad eandem speciem, quod est impossibile. Aut *tertio*, alterum eorum est in agente, puta passio, et alterum in patiente; et tunc is, qui sic loquitur, æquivoce loquitur; id enim quod est passio, vocat actionem, et contra. Aut *quarto*, actio erit in agente et passio in patiente; et hoc non, quia cum actio sit motus quidam, ut dictum est, sequitur, vel motum esse in movente vel eandem esse rationem moventis et moti, quorum utrumque videtur inconveniens; ergo dicendum est, quod actio et passio sunt unus motus. — 3. *Phys.* l. 5 (4); 11. *Metaphys. l.* 9.

Respondeo dicendum, quod actio et passio sunt unus motus secundum rem, sed duo secundum rationem. Et ratio est, quia motus est actus moventis, sicut et mobilis. Quidquid enim dicitur secundum potentiam et actum, habet aliquem actum sibi correspondentem et competentem; sic-

ut autem in eo, quod movetur, dicitur mobile secundum potentiam, in quantum potest moveri, motum vero secundum actum, in quantum actu movetur; ita ex parte moventis motivum dicitur secundum potentiam, in quantum scilicet potest movere, movens autem, in quantum actu movet et agit; præterquam quod illud est actus alicujus, quo fit actu; sed per motum tam movens quam mobile fiunt actu : ergo motus est actus moventis et moti. Sed idem omnino est secundum rem, quod movens agendo causat, et quod motum patiendo recipit; non enim movens facit alium motum quam illum, qui est in mobili; ergo idem est secundum rem motus, qui est actus agentis vel moventis, et qui est passi vel mobilis, differens tamen secundum rationem. Nam motus est actus agentis vel moventis, ut a quo, et mobilis seu patientis, ut in quo; sicut una est distantia secundum rem duorum ad unum et unius ad duo, sed differt ratione, propter quod diversimode significatur, scilicet per duplum et dimidium; et similiter una est via secundum rem ad ascendendum et descendendum, sed differt ratione; propterea enim dicuntur hi ascendentes et illi descendentes. — 3. *Phys.* l. 5 (4); 11. *Metaphys.* l. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod non est inconveniens, actum unius esse in altero, quia doctio est actus docentis, ab eo tamen in alterum tendens continue et sine aliqua interruptione; unde idem est actus agentis, ut a quo, et tamen est in patiente, ut receptus in eo; esset autem inconveniens, si actus unius eo modo, quo est actus ejus, esset in alio. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet unum actum esse duorum, ita quod non sit unus et idem motus secundum rationem, sed unus secundum rem, ut supra dictum est. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod ex eo, quod actio et passio sunt unus motus, non sequitur, quod actio et passio sint idem, vel doctio et doctrina, sed quod motus, cui inest utrumque eorum, sit idem; qui quidem motus secundum unam rationem est actio, secundum aliam est passio. Alterum enim est secundum rationem esse actum hujus ut ab hoc, et esse actum hujus ut in hoc; motus autem dicitur actio, secundum quod est actus agentis ut ab hoc, dicitur autem passio, secundum quod est actus patientis ut in hoc. Et sic patet, quod licet motus sit idem moventis et moti, propter hoc, quod abstrahit ab utraque ratione, tamen actio et passio differunt propter hoc, quod has rationes diversas in sua significatione includunt. — l. c.

Ad quartum dicendum, quod non sequitur, etiam si doctio et doctrina addiscentis essent idem, quod docere et discere sint idem; quia doctio et doctrina dicuntur in abstracto, docere autem et discere in concreto. Unde applicantur ad fines vel terminos, secundum quos sumitur diversa ratio actionis et passionis; sicut licet dicamus, quod sit idem spatium distantium aliquorum abstracte accipiendo, si tamen applicamus ad terminos spatii, sicut dicimus distare hinc illuc et inde huc, non est unum et idem. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod non est necessarium, quod docens addiscat, vel quod agens patiatur; et si agere et pati sint idem, tamen dicimus, quod non sunt idem sicut ea, quorum ratio est una, ut tunica et indumentum, sed sicut ea, quæ sunt idem subjecto, et diversa secundum rationem, ut via a Thebis ad Athenas et ab Athenis ad Thebas, ut dictum est. Non enim oportet, quod omnia eadem conveniant iis, quæ sunt quocunque modo idem, sed solum illis, quæ sunt idem subjecto vel re et ratione; et ideo etiam dato, quod agere et pati sint idem, cum non sint idem ratione, ut dictum est, non sequitur, quod cuicunque convenit agere, quod ei conveniat pati. — *Ibidem.*

Ad sextum dicendum, quod quia prædicamenta diversificantur secundum diversos modos prædicandi, idem, secundum quod diversimode de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet. Locus enim, secundum quod prædicatur de locante, pertinet ad genus quantitatis; secundum quod autem denominative prædicatur de locato, constituit prædicamentum ubi. Similiter motus, secundum quod prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis; secundum quod autem prædicatur de eo, a quo est, constituit prædicamentum actionis. — 11. *Metaphys.* l. 9.

Vel dic, quod licet motus sit unus, tamen prædicamenta, quæ sumuntur secundum motum, sunt duo, secundum quod a diversis rebus exterioribus fiunt prædicabiles denominationes; nam alia res est agens, a qua sicut ab exteriore sumitur per modum denominationis prædicamentum passionis, et alia res est patiens, a qua denominatur agens. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

Ad septimum dicendum, quod ratio motus

completur non solum per id, quod est de motu in rerum natura, sed etiam per id, quod ratio apprehendit de motu. Nam in rerum natura nihil aliud est quam actus imperfectus, qui est inchoatio quædam actus perfecti in eo, quod movetur; sicut in eo, quod dealbatur, jam incipit esse aliquid albedinis; sed ad hoc, quod illud imperfectum habeat rationem motus, requiritur ulterius, quod intelligamus ipsum quasi medium inter duo, quorum præcedens comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum, unde motus dicitur actus; consequens vero comparatur ad ipsum sicut perfectum ad imperfectum vel actus ad potentiam, propter quod dicitu actus existentis in potentia. Unde quodcunque imperfectum accipiatur ut non in aliud perfectum tendens, dicitur terminus motus, et non erit motus, secundum quem aliquid movetur, utpote si aliquid incipiat dealbari, et tatim dealbatio interrumpatur. Quantum igitur ad id, quod in rerum natura est de motu, motus ponitur per reductionem in illo genere, quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum; sed quantum ad id, quod ratio apprehendit circa motum, scilicet esse medium quoddam inter duos terminos, sic jam implicatur ratio causæ et effectus; nam reduci aliquid de potentia in actum, non est nisi ab aliquo agente, et secundum hoc motus pertinet ad prædicamentum actionis et passionis. Hæc enim duo prædicamenta accipiuntur secundum rationem causæ agentis et patientis. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

ARTICULUS V

UTRUM ACTIO TRANSIENS SIT IN AGENTE TAMQUAM IN SUBJECTO, AN VERO SIT IN PASSO.

Videtur quod actio transiens sit in passo tamquam in subjecto, non autem in agente.

1. Dicit enim Philosophus (9. *Metaphys. text.* 16; l. 8, c. 8), quod actio est in facto, ut ædificatio in ædificato. Et id probat, quia quando præter actionem est aliquid operatum, actio est in patiente (et ratio est, quia talis actio perficit operatum, non autem operantem); sed quando præter actionem non est aliquid operatum, actio est in agente tamquam perfectio ipsius, sicut visio est in vidente. Et 3. *Phys. text.* 20; c. 3, 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9 et 2. *de Anima text.* 139 (al. l. 3, c. 2) dicit, quod actio et passio sunt unus et idem motus; sed motus est in mobili tamquam in subjecto, ut dictum est : ergo actio est in passo. — 9; *Metaphys.* l. 8 (4); 11. *Metaphys.* l. 9; 3. *Phys.* l. 5 (4); 3. de *Anima* l. 2.

2. Præterea, si actio est in agente, sequuntur duo inconvenientia, ut inquit Philosophus (3. *Phys. text.* 19; c. 3), quod nimirum omne movens moveatur (nam actio est quidam motus), et quod aliquid habeat motum et non moveatur; ergo dicendum est, quod actio non est in agente, sed in patiente. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text. 140;* l. 3, c. 2), quod sicut actio et passio in patiente est, sed non in agente, sic et ipsius sensibilis actus in ipso sensitivo existit; ergo actio est in passo et non in agente. — 3. *de Anima* l. 2.

4. Præterea, omnis perfectio est in eo, cujus est perfectio; sed actio transiens est perfectio patientis : ergo actio est in patiente et non in agente. — 9. *Metaphys.* l. 8 (4); 2. *c. Gent.* c. 23, n. 4; *de Pot.* q. 10, a. 1, c.; 1a, q. 18, a. 3, ad 1.

5. Præterea, actio transiens in hoc distinguitur ab immanente, quod hæc remanet in agente, a quo emanat, illa vero recipitur in passo causata ab agente; nam ideo dicitur transiens, quia transit in exteriorem materiam, ut docet Philosophus (9. *Metaphys. text.* 16; l. 8, c. 8). — *Tabula Aurea* voce « actio » n. 23.

6. Præterea actio, sicut et reliqua quinque ultima prædicamenta, sunt formæ extrinsecus denominantes, ut dictum est (in Logica q. 15, a. 1); sed si actio esset in agente, esset forma intrinsecus denominans : ergo actio non est in agente, sed in patiente.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *Phys. text.* 20; c. 3) dicit, quod licet actio et passio sint idem motus, differunt tamen inter se, nec una est alia, quia differunt secundum habitudines ad agens et patiens tamquam secundum proprias rationes; sed habitudo agentis ad patiens est in agente, et habitudo patientis ad agens est in patiente : ergo actio secundum propriam rationem est in agente. — 3. *Phys.* l. 5 (4); *Tabula Aurea* voce « actio » n. 49.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys text.* 19; c. 3), quod inconveniens est, quod actio sit in patiente eo modo, quo est actus

agentis; sed est actus agentis formaliter ut actio : ergo ut actio est in agente. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

3. Præterea, illud est formaliter actio, ratione cujus constituit prædicamentum distinctum a prædicamento passionis; sed actio non constituit speciale prædicamentum ratione motus, *tum* quia motus non facit prædicamentum proprium, sed reducitur ad prædicamentum termini, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 4; c. 1); *tum* quia actio et passio conveniunt in substantia motus, ut docet Philosophus (l. c. *text.* 19, 20, 21; c. 3); illud autem, in quo duo essentialiter distincta conveniunt, non potest esse propria ratio utriusque : ergo constituit ratione originis motus. Nam subtracto motu ab actione, nihil aliud dicit actio quam ordinem originis, secundum quod a causa vel principio procedit in id, quod est a principio; sed talis ordo, cum sit agentis causantis aliquid per motum in passo, est in agente tamquam in subjecto, ut patet : ergo actio est in agente. — 3. *Phys.* l. 1, 4, 5 (4); 1a, q. 41, a. 1, ad 2 et 3 et q. 45, a. 2, ad 2 et a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod quia actio, ut est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente cum motu (1. *Sent. dist.* 8, q. 4, a. 3, ad 3), duo ad actionem concurrunt : unum tamquam formale, alterum tamquam materiale; illud est habitudo agentis ad passum, hoc vero est motus. Quod manifeste patet ex tribus. — Et *primo* quidem, quia in qualibet actione illud, quod est ex parte agentis, est formale; illud autem, quod est ex parte patientis vel recipientis, est materiale; habitudo autem agentis ad passum se tenet ex parte agentis; nam per hanc differt actio a passione tamquam per propriam rationem, licet cum illa conveniat in substantia motus, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 22; c. 3). Motus autem se tenet ex parte patientis; licet enim reducatur ad genus termini quantum ad suam substantiam, tamen secundum quod importat ordinem moventis ad motum, reducitur potius ad prædicamentum passionis quam actionis, ut dicit Commentator (3. *Phys.* com. 4). — *Secundo* constat ex eo quod, cum actio secundum primam nominis significationem significet originem motus, et subtracto motu adhuc remaneat actio, ut patet in divinis, actio formaliter et essentialiter nihil aliud importare potest quam ordinem originis, secundum quod ab aliqua causa vel principio procedit in illud, quod est a principio, qui ordo non nisi in agente est subjective. — V. in Logica q. 14, a. 1, ad 2.

Tertio probatur, quia illud est actio vel passio formaliter, quod salvatur in omni actione et passione; creatio autem passiva, quia non est motus, nihil aliud est quam relatio creaturæ ad Creatorem per modum mutationis, ratione novitatis vel inceptionis importatæ significata, seu ut ex actione agentis innascitur; ergo similiter passio conjuncta cum motu formaliter erit relatio ad principium motus, significata per modum mutationis, et ut ex actione agentis innascitur; et similiter actio sive sit conjuncta cum motu sive non, erit formaliter habitudo agentis ad passum considerata per modum originis. Unde manifestum est, quod actio formaliter sumpta, quatenus constituit prædicamentum peculiare accidentis et quatenus distinguitur contra passionem, cum sit, ut dictum est, habitudo agentis ad passum, quæ est subjective in agente, etiam ipsa est subjective in agente et non in patiente. — 1a, q. 45, a. 3, c.; 1. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 1; *de Pot.* q. 3, a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod cum actio sit in agente et passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio et passio, cum unum accidens non possit esse in diversis subjectis; unde etiam Avicenna dicit, quod non est eadem numero æqualitas in duobus æqualibus, sed specie tantum. Sed quia eorum differentia non est nisi penes terminos, scilicet agens et patiens, et motus abstrahit ab utroque termino, ideo motus significatur ut sine ista differentia; et propter hoc dicitur, quod motus est unus. — Ad textum (9. *Metaphys.*) dicendum, quod Philosophus loquitur de actione secundum illud, quod ad illam concurrit tamquam materiale, ut dictum est (in c.). — 2. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 4, ad 1; 3. *Phys.* l. 5 (4); 2. *c. Gent.* c. 57, ad 2.

Ad secundum dicendum quod, sicut ex eo, quod actio et passio sunt unus motus, non sequitur, ut dictum est (a. præced.) ex Philosopho, quod actio et passio sint idem, quia differunt secundum proprias rationes; ita licet actio formaliter sumpta sit in agente, non sequitur, quod agens moveatur, quia actio formaliter sumpta et secundum propriam rationem non est motus, sed origo motus, quæ

est relatio agentis ad passum in agente subjectata, et tantum ratione motus, quem connotat, dicitur esse subjective in patiente, ut dictum est (in c. et in Logica q. 14, a. 1, ad 2).

Ad tertium dicendum, quod actio agentis est in passo ratione motus et passionis, quam infert actio conjuncta cum motu, ut dictum est (ad 2). — V. in Logica q. 14, a. 1, ad 2; 1. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod actio est perfectio etiam ipsius agentis; est enim actio media inter agens et patiens, et ratione illius dicitur perfectius esse, quam quando est sine actione.

Ad quintum dicendum, quod actio dicitur transiens ratione passionis et motus, quæ infert; nam hujusmodi actiones recipiuntur in his, quæ fiunt, per modum passionum, secundum quod motus est in moto ut in subjecto; nam sumptæ formaliter ut actiones sunt in suis agentibus, sicut passiones sunt in rebus patientibus. — V. in Logica q. 14, l. c.

Ad sextum dicendum, quod licet actio formaliter sumpta sit in agente, non tamen desinit esse, secundum quod est prædicamentum, forma quædam extrinsecus denominans, quia, ut dictum est, licet actio in quantum est accidens, sit in agente tamquam in subjecto, in quantum tamen est actio, consideratur ut est ab agente, quia illius ratio non perficitur, prout est in subjecto, sed ut quid ab alio in aliud procedens, et per consequens ut forma vi propriæ rationis extrinsecus denominans. — l. c.

QUÆSTIO XVIII

DE INFINITO.

Deinde considerandum est de his, quæ consequuntur motum intrinsece, puta de infinito.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum detur infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine.
2. Utrum dari possit infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine.
3. Utrum recte definiatur infinitum : cujus semper aliquid est extra.

ARTICULUS I

UTRUM DETUR INFINITUM ACTU SIVE IN MAGNITUDINE SIVE IN MULTITUDINE.

Videtur quod actu detur infinitum in magnitudine vel multitudine.

1. Tempus enim semper fuit et futurum est, quia si incipit esse, aut incipit in instanti aut in tempore; non primum, quia in instanti tempus non est; neque secundum, quia sic nihil temporis ante temporis terminum esset; nihil enim rei est, antequam res esse incipiat; ergo tempus non incepit esse, sed semper fuit et futurum est; at quod est hujusmodi, est infinitum : ergo datur infinitum actu. — 3. *Phys.* l. 7 (6); *de Pot.* q. 3, a. 17, arg. 25.

2. Præterea, infinito in magnitudinibus utuntur mathematici in suis demonstrationibus; sed hoc non esset, si infinitum totaliter tolleretur a rebus : ergo oportet ponere infinitum. — 3. *Phys.* l. 7 (6); 1a, q. 7, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, de ratione finiti est, quod semper includatur ab aliquo alio, quia videmus apud nos, omne finitum extendi usque ad aliquid; detur ergo aliquod corpus; vel illud est infinitum, et habetur intentum; vel est finitum, et tunc oportebit, quod terminetur ad aliquid aliud; et iterum illud si sit finitum, ad aliquod aliud; aut ergo erit procedere in infinitum, aut devenietur ad aliquod corpus infinitum, et utroque modo ponetur infinitum actu. — 3. *Phys.* l. 7 (6).

4. Præterea, intellectus nunquam deficit, quin super quodlibet finitum datum possit aliquid addere; sic intellectus cuilibet numero dato unitatem addendo facit aliam speciem, et qualibet magnitudine data potest aliam majorem imaginari; sed apprehensioni intellectus et sensus respondet res a parte rei, quia res ad extra est causa veritatis rei in intellectu; ergo datur in rebus infinitum. — l. c.

5. Præterea, extra cœlum est spatium infitum, ut patet; ergo et erit corpus infinitum. Nam si est spatium infinitum, aut est vacuum aut plenum; si est plenum, habetur intentum, quod detur corpus infinitum; si autem est vacuum, cum vacuum nihil sit aliud, quam locus non repletus corpore, possibile tamen repleri, necesse est, quod si est spatium infinitum, sit

etiam locus infinitus, qui possit repleri corpore, et ita oportebit corpus esse infinitum, quia in perpetuis non differt contingere et esse. Nam si contingit, locum infinitum repleri corpore, oportet dicere, quod sit repletus corpore infinito; necesse est ergo dicere, quod sit corpus infinitum. — l. c.

6. Præterea, si non datur infinitum, sequitur, quod magnitudo non sit semper divisibilis, sed quandoque deveniatur per divisionem ad quædam, quæ non sunt magnitudines; præterea, quod numerus non augeatur in infinitum; sed utrumque est inconveniens, quia omnis magnitudo est divisibilis, et cuilibet numero potest addi unitas, et fiet major numerus : ergo dicendum est, dari infinitum actu. — 3. *Phys.* l. 10 (9).

7. Præterea; dicit Philosophus (11. *Metaphys.* sum. 4, c. 2; l. 10, c. 10), quod infinitum est passio quantitatis; sed passio simul existit cum suo subjecto, cum sequatur ejus principia, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2) : ergo cum detur quantitas et numerus in natura, dabitur etiam infinitum. — 11. *Metaphys.* l. 10; 1a, q. 7, a. 3, arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *Phys.* a *text.* 40; c. 5, 11. *Metaphys.* l. c. et 1. *de Cœlo a text.* 33; c. 5) probat, non dari infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine.

Respondeo dicendum, quod nullum infinitum actu datur. Quod patet manifeste, et primo quidem *in magnitudine*. Nam omne corpus sensibile aut est simplex aut compositum; sed neutrum potest esse corpus infinitum; non quidem compositum, quia elementa, ex quibus componitur corpus, sunt finita secundum multitudinem. Neque dici potest, quod unum elementum sit infinitum et alia finita, quia sic illud reliqua absumeret, et sic tolleretur mixtio; nam licet ponatur debilis virtutis, semper erit majoris virtutis quam corpus finitum. Neque dici potest, quod omnia elementa sunt infinita, quia de ratione corporis infiniti est, quod habeat dimensiones infinitas in omnem partem, et sic non potest esse, quod ex pluribus corporibus infinitis aliquod unum componatur, quia quodlibet occupat totum mundum, nisi ponantur duo corpora esse simul, quod est impossibile. Neque potest hoc corpus infinitum esse simplex, puta unum ex elementis (nam in hæc tantum resolvitur mixtum); quia hoc corpus in se converteret alia corpora et consequenter nihil esset in mundo aliud quam hoc corpus. — 3. *Phys.* l. 8 (7).

Præterea, hoc corpus infinitum vel est homogeneum vel heterogeneum. *Si primum*, vel erit totaliter immobile, vel semper movebitur : quorum utrumque est impossibile, quia per alterum horum excluderetur quies et per alterum motus a rebus naturalibus, et utroque modo tollitur ratio naturæ, cum natura sit principium motus et quietis. Quod autem id sequatur, patet, quia si ponamus, quod tale corpus sit terra, non erit assignare, quo pars aliqua terræ moveatur, vel ubi quiescat, quia quamlibet partem loci infiniti occupabunt aliæ partes ejusdem corporis. — *Si secundum*, sequitur, quod dissimilia sunt loca diversarum partium; unde sequitur secundo, quod corpus totius infiniti non sit unum simpliciter, sed secundum quid, id est secundum contactum, et sic non erit corpus unum infinitum. Præterea necesse est, quod hujusmodi partes heterogeneæ aut sint specierum finitarum aut infinitarum secundum numerum; non potest autem dici, quod sint finitarum, quia oportebit, si corpus est infinitum, quod quædam sint finitæ quantitatis et quædam infinitæ; aliter enim ex finitis numero non posset componi infinitum. Hoc autem posito sequitur, quod quæ sunt infinita, corrumpunt alia propter contrarietatem. Si vero partes sint infinitæ secundum speciem, sequitur, quod et elementa sint infinita, et infinita sint loca secundum speciem, quorum utrumque falsum est, quia et elementa sunt finita, et species loci itidem finitæ. — 3. *Phys.* l. 9 (8).

Tertio, omne corpus sensibile est in loco; quodlibet enim habet gravitatem vel levitatem; per gravitatem autem corpus fertur deorsum et leve sursum; sed non datur locus infinitus, quia hæc duo convertuntur : esse in loco, et esse in aliquo loco, sicut et esse hominem et esse aliquem hominem, et esse quantitatem et aliquam quantitatem. Sicut ergo non datur aliqua quantitas infinita, quia sequeretur, quod aliqua quantitas, puta bicubita vel tricubita, sit infinita, quod est impossibile, ita nec dabitur locus infinitus, quia sequeretur, aliquem locum sursum vel deorsum esse infinitum, quod est impossibile, cum quodlibet eorum significet quendam terminum; ergo dicendum est, quod nullum datur corpus infinitum. — *Ibid.*

Quod vero nec detur ullum infinitum *in multitudine*, probatur, quia quantitas totius mundi

est finita et determinata; sed infinitum per appositionem seu in multitudine non excedit in majus omnem quantitatem mundi determinatam et finitam; per hoc enim distinguitur ab infinito secundum divisionem; et secundum magnitudinem excedit omnem determinatam parvitatem in minus; ergo dicendum est, quod non datur numerus infinitus. — Confirmatur, quia si darentur infinita entia sensibilia, cum cuilibet conveniat locus, sequitur, dari locum infinitum, quod supra reprobatum est. — Dicendum ergo est, non dari actu infinitum sive in magnitudine sive in multitudine. — 3. *Phys.* l. 10 (9).

Ad primum ergo dicendum quod, quia mundus non est æternus, tempus non semper fuit, sed incepit esse; incepit autem in instanti, quia ejus substantia, cum non sit permanens, non est tota simul, ac proinde est totum, quando incepit esse; est tamen tempus, sicut et motus, infinitum in potentia. — *de Pot.* q. 3, a. 17, c. et ad 25; 3. *Phys.* l. 13 (12).

Ad secundum dicendum, quod magnitudo non est infinita in actu neque per divisionem neque per augmentationem intelligibilem. Porro mathematici neque indigent ad suas demonstrationes infinito in actu neque illo utuntur, sed solum indigent, quod sit aliqua linea finita tanta, quanta est eis necessaria, ut ex ea possint subtrahere, quod volunt. Et ad hoc sufficit, quod aliqua maxima magnitudo sit, quia alicui maximæ magnitudini competit, quod possit dividi secundum quantancunque proportionem respectu alterius datæ magnitudinis; unde ad demonstrandum non differt, utrum sit hoc vel illo modo, puta vel infinita vel finita maxima quantitas, sed quantum ad esse rei multum differt, utrum sit vel non sit. — 3. *Phys.* l. 12 (11) et 13 (12); 1a, q. 7, a. 3, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod aliud est tangi seu includi et finiri, quia tangi et includi dicitur respectu alterius; omne enim tangens tangit aliquid. Sed finitum dicitur absolute et non ad aliud, in quantum per proprios terminos aliquid finitum est in seipso; accidit enim alicui finito, quod tangat; non tamen oportet, quod omne tactum ab uno tangat aliud, ut sic in infinitum procedatur. Unde patet, quod hæc objectio nihil ex necessitate concludit. — 3. *Phys.* l. 13 (12).

Ad quartum dicendum, quod inconveniens est credere intelligentiæ, ita ut quidquid apprehenditur intellectu vel imaginatione, sit verum, ut quidam antiquorum putaverunt, quorum opinio reprobatur, a Philosopho in 4. (3.) *Metaphys.* Non enim sequitur, si apprehendo rem aliquam minorem vel majorem, quam sit, quod sit aliqua abundantia vel defectus in re illa, sed solum in apprehensione intellectus vel imaginationis; potest enim aliquis intelligere, quemcunque hominem esse multiplicem ejus, quod est, vel duplum vel triplum vel qualitercunque augmentans in infinitum; non tamen propter hoc erit aliqua hujusmodi quantitas multiplicata extra intellectum aut extra determinatam quantitatem totius mundi, sed contingit, quod re existente sic, aliquis ita intelligat. — l. c.

Ad quintum dicendum quod, sicut non est necessarium, quod tempus sit prius, quam incipiat esse vel postquam desinat, licet prius et posterius, quod nostra tantum imaginatione fingitur, antequam tempus realiter incipiat esse, videantur tempus significare, — ita extra cœlum non oportet ponere locum vel spatium reale, quamvis *extra* videatur locum et spatium significare, quia nihil est extra cœlum nisi quid imaginatum. — l. c. et 12. *Metaphys.* l. 5 (4).

Ad sextum dicendum, quod objectio tantum probat, dari infinitum in potentia; probat enim, dari infinitum secundum appositionem et secundum divisionem in magnitudinibus, quæ non sunt infinita in actu, sed tantum in potentia; nam appositio in infinitum sic invenitur in magnitudinibus, quod tamen non excedituı per hoc quæcunque determinata quantitas, puta quantitas coeli. Cum enim quantum unumquodque est in potentia, tantum possit esse in actu, si esset in potentia naturæ, quod cresceret aliqua magnitudo in infinitum, sequeretur quod esset aliqua magnitudo sensibilis infinita, quod est falsum, ut supra dictum est. Unde patet etiam falsum esse, quod quidam dicunt, quod in materia prima est potentia ad omnem quantitatem; non enim est in materia prima potentia nisi ad determinatam quantitatem. Contra vero divisio in infinitum sic invenitur in magnitudinibus, quod dividendo transitur quæcunque quantitas in minus. Et ratio disparitatis est quia cum infinitum habeat rationem materiæ continetur, sicut et materia; illud autem, quod continet, est species et forma; manifestum autem est, quod totum habet rationem formæ partes autem rationem materiæ. Cum ergo in magnitudinibus a toto procedatur ad partes per divisionem, rationabile est, quod ibi nullus terminus inveniatur, qui non transcendatur per

infinitam divisionem; sed in additione itur a partibus ad totum, quod habet rationem formæ continentis et terminantis; unde rationabile est, quod sit aliqua determinata quantitas, quam infinita appositio non transcendat. Neque vero sequitur ex divisione continui in infinitum numerus actu infinitus, quia licet in magnitudine verum sit, quod tantum sit in actu, quantum est in potentia, id tamen falsum est in numero; non enim oportet numerum tantum esse in actu, quantum est in potentia. Et ratio est, quia additio numeri sequitur divisionem continui, per quam a toto itur ad id, quod est in potentia ad numerum; unde non oportet devenire ad aliquem actum finientem potentiam; sed additio magnitudinis ducit in actum, ut dictum est. — 3. *Phys.* l. 12 (11).

Ad septimum dicendum, quod cum in materia non detur potentia ad magnitudinem vel multitudinem infinitam, ut dictum est (ad 6), passio quantitatis non erit infinitum actu, sed in potentia. — *Vel dic*, quod infinitum est passio quantitatis in communi, non autem in particulari et speciei; non enim infinitum est contra rationem quantitatis in communi, sed contra rationem cujuslibet speciei quantitatis finitæ. — 1a, q. 7, a. 3, ad 4 et 2; 11. *Metaphys.* l. 10; 3. *Phys.* l. 12 (11) et 13 (12).

ARTICULUS II

UTRUM SIT OMNINO IMPOSSIBILE DARI INFINITUM ACTU SIVE IN MAGNITUDINE SIVE IN MULTITUDINE.

Videtur quod sit omnino impossibile dari infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 40; c. 5 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 2; l. 10, c. 10), quod de ratione et definitione corporis est, quod sit superficie determinatum, sicut definitio lineæ est, quod ejus termini sint puncta; sed nullum corpus determinatum superficie est infinitum: ergo nullum corpus est infinitum, neque sensibile, quod est corpus naturale, neque intelligibile, quod est corpus mathematicum. — 3. *Phys.* l. 8 (7); 11. *Metaphys.* l. 10; 1a, q. 7, a. 3, arg. *Sed contra* et in c.

2. Præterea, omnis numerus et omne numerum habens est numerabile, inquit Philosophus ibidem; sed nullum numerabile est infinitum, quia numerabile est transibile numerando; ergo nullus numerus potest esse infinitus. — *Ibid.* et 1a, q. 7, a. 4, c.

3. Præterea, infinitum non potest esse ex principio aliquo, ut dicitur 3. *Phys. text.* 30, c. 4; sed omne, quod est præter Deum, est ex Deo sicut ex primo principio; ergo nihil, quod est præter Deum, potest esse infinitum. — 1a, q. 7, a. 2, arg. *Sed contra.*

4. Præterea, omne corpus vel est naturale vel mathematicum; sed neutrum potest esse infinitum; non *primum*, quia tale corpus habet formam substantialem determinatam; sed determinatam formam sequuntur determinata accidentia, inter quæ est quantitas. Præterea habet motum naturalem aliquem; corpus autem infinitum nullum motum naturalem habere potest: non rectum, quia nihil movetur naturaliter motu recto, nisi cum est extra suum locum, quod corpori infinito accidere non posset; occuparet enim omnia loca, et sic indifferenter quilibet locus esset locus ejus; neque circularem, quia in motu circulari oportet, quod una pars corporis transferatur ad locum, in quo fuit alia pars, quod in corpore infinito esse non potest, quia duæ lineæ protractæ a centro, quanto longius protrahuntur a centro, tanto longius distant ab invicem; si ergo corpus esset infinitum, in infinitum lineæ distarent ab invicem, et sic una nunquam posset pervenire ad locum alterius. — Neque *secundum*, quia tale corpus si imaginemur esse actu, oportet, quod illud imaginemur sub aliqua figura, quia nihil est actu nisi per suam formam; forma autem quanti est figura, et sic erit finitum. — 1a, q. 7, a. 3, c.

5. Præterea, oportet omnem multitudinem esse in aliqua specie multitudinis; sed species multitudinis sunt secundum species numerorum; nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum: ergo impossibile est esse multitudinem actu infinitam. — l. c. a. 4, c.

6. Præterea, multitudo in rerum natura existens est creata; sed omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur; non enim in vanum agens aliquid operatur: ergo necesse est, quod sub certo et determinato et finito numero omnia comprehendantur; impossibile ergo est, esse infinitam multitudinem in actu. — l. c.

7. Præterea, non potest esse actu in rerum natura aliquid non specificatum, ad diversas species indifferenter se habens. Non enim potest

esse animal in actu, quod non sit rationale vel irrationale; sed unaquæque quantitas specificatur per certam terminationem quantitatis, sicut multitudinis species sunt duo et tria, et sic de aliis, et magnitudinis species sunt bicubitum, tricubitum, et hujusmodi, vel secundum aliquam determinatam mensuram : ergo impossibile est, actu existere infinitum sive in magnitudine sive in multitudine. — *Quodl.* 9, a. 1, c.

8. Præterea, posito infinito actu dantur multa inconvenientia : et *primo*, quod creatura adæquet Deum; infinitum enim infinito majus non est. *Secundo* ob eandem rationem, quod pars sit æqualis toti (l. c.). *Tertio*, quod potentia Dei sit finita; si enim demus, Deum facere infinita, vel aliquid amplius potest facere, et sic infinito est aliquid majus; vel nihil amplius facere potest, et sic impotens ex his, quæ facit, redditur, et sua potentia ad ejus opera finitur; unde non erit infinita; quæ omnia sunt impossibilia (1. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 1, arg. 5). *Quarto*, quod potentia corporis infinita moveat in non tempore (1a, q. 25, a. 2, arg. 3). *Quinto*, quod infinito possit esse aliquid majus; nam cuicunque potest fieri additio, isto potest esse aliquid majus vel plus; sed infinito hominum potest fieri aliorum hominum additio, et infinito corpori potest addi aliqua alia quantitas : ergo dicendum est, infinitum actu esse impossibile. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 4 *Sed contra.*

9. Præterea, Philosophus (3. *Phys.*, 1. *de Cœlo* et 11., al. 10. *Metaphys.*) probat multis rationibus, impossibile esse infinitum in omnibus rebus.

Sed contra est : 1. quod non implicat, mundum esse æternum et homines semper fuisse, et per consequens infinitos homines esse mortuos ante nos; sed homine moriente non moritur anima ejus, sed manet : ergo non implicat, dari infinitum actu. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6 *Sed contra;* 1a, q. 46, a. 2, arg. 8; 2. *c. Gent.* c. 38, n. 6 et c. 81, n. 3; *Quodl.* 9, a. 1.

2. Præterea, magnitudo divisibilis est in infinitum; sic enim definitur continuum, quod est in infinitum divisibile, ut patet 3. *Phys. text.* 1; c. 1; sed contraria nata sunt fieri circa idem; cum ergo divisioni opponatur additio, et diminutioni augmentum, videtur, quod magnitudo possit crescere in infinitum, et sic erit possibile, dari magnitudinem infinitam. — 1a, q. 7, a. 3, arg. 3.

3. Præterea, motus et tempus habent quantitatem et continuitatem a magnitudine, super quam transit motus, ut dicitur 4. *Phys. text.* 99; c. 11; sed non est contra rationem temporis et motus, quod sint infinita, cum unumquodque indivisibile signatum in tempore et motu circulari sit principium et finis : ergo non est contra rationem magnitudinis, quod sit infinita. — l. c. arg. 4.

4. Præterea, non est impossibile, id quod est in potentia, reduci ad actum; sed numerus est in infinitum multiplicabilis : ergo non est impossibile, esse multitudinem actu infinitam. — 1a, q. 7, a. 4, arg. 1.

5. Præterea, cujuslibet speciei possibile est esse aliquod individuum in actu; sed species figuræ sunt infinitæ; ergo possibile est, esse infinitas figuras in actu. — l. c. arg. 2.

6. Præterea ea, quæ non opponuntur ad invicem, non impediunt se invicem; sed posita aliqua multitudine rerum adhuc possunt fieri alia multa, quæ eis non opponuntur : ergo non est impossibile, aliqua iterum simul esse cum eis, et sic in infinitum : ergo possibile est esse infinita actu. — *Ibid.* arg. 3.

7. Præterea, Deus quæcunque futura cognoscit, illa cognoscit tamquam præsentia, quia Deo nihil potest esse futurum; sed Deus simul et actu cognoscit infinitas cogitationes futuras Angelorum : ergo hæ omnes sunt præsentes Deo, et per consequens actu datur infinitum, saltem respectu cognitionis divinæ. — 1a, q. 14, a. 12 et 13.

Respondeo dicendum, quod si quæratur, utrum infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine dari naturaliter possit, dicendum, quod non *in rebus corporalibus;* hoc enim satis probant argumenta Philosophi (3. *Phys.*, 1. *de Cœlo* et 11. *Metaphys.*) — V. supra ll. cit. a. 1.

In spiritualibus vero secundum mentem Philosophi videtur non solum posse dari, sed etiam actu dari infinitum in multitudine; nam secundum ipsum mundus est æternus et animæ sunt immortales, quare remanent post hominis mortem; unde cum præcesserint secundum Philosophum infinitæ generationes hominum, necessario debet dari actu infinita multitudo animarum. — 2. *c. Gent.* c. 81, n. 3; *de Verit.* q. 2, a. 10; *Opusc.* 27; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 6 secundæ partis.

Si vero quæratur, utrum possibile sit Deo infinitum actu, distinguendum est. Cum enim dupliciter aliquid repugnare possit potentiæ

agentis per intellectum : *uno modo*, quia repugnat potentiæ ejus; *alio modo*, quia repugnat modo, quo agit, — dicendum est, quod infinitum actu non repugnat absolutæ potentiæ Dei primo modo, quia non implicat contradictionem; repugnat autem secundo modo. Cum enim Deus agat per suum intellectum et per Verbum, quod est formativum omnium, oportet quod omnia, quæ agit, sint formata; infinitum autem accipitur sicut materia sine forma; nam infinitum se tenet ex parte materiæ. Unde si Deus hoc ageret, sequeretur, quod opus Dei esset aliquod informe, et hoc repugnat ei, per quod agit, et modo agendi, quia per Verbum suum agit, quo omnia formantur. — *Quodl.* 12, a. 2.

Ceterum quia objectum divinæ potentiæ absolute loquendo est, quidquid non implicat contradictionem (quidquid enim est hujusmodi, continetur sub illis possibilibus, respectu quorum dicitur Deus omnipotens), propterea absolute et simpliciter dicendum est, quod Deus potest facere infinitum actu, quia id non implicat contradictionem (1a, q. 25, a. 3; *Tabula Aurea* voce « Deus » n. 370). Neque enim implicat *ex parte Dei*, quia potentia Dei est infinita et multo plura potest facere, quam quæ ab ipso determinata sunt, et quam quæ potest natura (*de Verit.* q. 2, a. 10, ad 1 secundæ partis); neque *ex parte quantitatis*, quia infinitum non repugnat quantitati, ut quantitas est; propterea enim Philosophus infinitum ponit passionem quantitatis, ut dictum est; neque etiam speciei quantitatis absolute sumptæ, quia de ratione corporis simpliciter non est terminari superficie, sed tantum est de ratione corporis finiti; sicut et de ratione multitudinis non est, quod sit mensurata per unum, sed hoc tantum est de ratione numeri. Et sic non implicat *ex parte speciei quantitatis*, ut abstrahit a finita et infinita, dari infinitum actu; unde et Philosophus (3. *Phys.* et 11. al. 10. *Metaphys.*) probans, non posse dari infinitum actu in magnitudine et multitudine, quia de ratione corporis est terminari superficie, et de ratione numeri est mensurari per unum, vocat has rationes probabiles et non necessarias, atque adeo non concludentes; unde ad idem probandum statim subdit alias rationes, quas vocat physicas et magis concludentes et necessarias (1a, q. 7, a. 3, arg. 2 et ad 2; 11. *Metaphys.* l. 10; 3. *Phys.* l. 8, al. 7). — Præterea cum Deus, ut dictum est (supra q. 3, a. 2), possit per absolutam suam potentiam facere, ut materia existat sine forma, ita potest efficere, ut quantitas existat sine termino; infinitum enim habet rationem materiæ, ut dictum est. — Neque implicat *ex parte ipsius infiniti*, quatenus est creatura, eo quod inde sequitur, creaturam aliquam esse æqualem Deo; quia hoc non sequitur. Nam ei, quod est infinitum omnibus modis, non adæquatur illud, quod est infinitum uno modo; dato enim quod sit ignis infinitus secundum magnitudinem, non adæquabitur Deo, quia, etsi sit infinitus ignis in quantitate, est tamen quid finitum in specie; Deus autem omnibus modis est infinitus (*Quodl.* 12, a. 2; *Quodl.* 9, a. 1). Neque implicat *ex parte loci*, quia sicut per transsubstantiationem sub parvis speciebus potest contineri Corpus Christi, quod ratione suæ quantitatis, ubi est quantitative, longe majorem locum occupat quam locum specierum, ita poterit Deus sub exiguis speciebus ponere corpus infinitum vel multitudinem infinitam (*Quodl.* 7, a. 8; 3a, q. 76, a. 1). — Præterea potest Deus efficere per penetrationem, ut duo corpora sint simul in eodem loco; quare et poterit efficere, ut infinitæ partes unius corporis sint simul penetrative et occupent locum finitum; et similiter ut in eodem finito loco sint infinita entia. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 3, ad 1 et 2.

Repugnat tamen et implicat, dari infinitum actu in intensione, ut quod alicujus corporis virtus motiva sit actu infinita. Nam si daretur talis virtus et potentia infinita, ut bene arguit Philosophus (8. *Phys. text.* 79; c. 10), moveret in non tempore; nam corpus movens aliud corpus est agens univocum; unde oportet, quod tota potentia agentis manifestetur in motu. Quia igitur quanto moventis corporis potentia est major, tanto velocius movet, necesse est, quod si fuerit infinita, moveat improportionaliter citius, quod est movere in non tempore; impossibile autem omnino est, motum fieri in non tempore. — 1a, q. 25, a. 2, ad 3.

Unde dicendum est, quod absolute et simpliciter per absolutam potentiam Dei, qua Deus præter ordinem et cursum totius naturæ operatur, infinitum actu fieri potest. — *Quodl.* 12, a. 2; *Tabula Aurea* voce « Deus » n. 411.

Unde respondendum est objectis utriusque partis, quia priora probant, etiam per potentiam absolutam Dei infinitum fieri non posse; posteriora vero, posse fieri per potentiam ordinariam et naturaliter.

Ad primum ergo *primæ partis* dicendum,

quod de ratione corporis finiti est terminari superficie, non autem de ratione corporis simpliciter. — 3. *Phys.* l. 8 (7); 11. *Metaphys.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod de ratione numeri est mensurari per unum, non autem de ratione multitudinis. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus loc. cit. tantum docet, quod philosophi antiqui probabili quadam ratione probabant, infinitum non posse esse ex principio, sed esse principium; quæ non concludit necessario. Cum enim probant, infinitum non posse esse ex principio, quia quod habet principium, habet finem, infinitum autem caret fine, committunt æquivocationem in verbo *principium* et *finis;* nam quod est ex principio, habet principium originis; infinito autem non repugnat hujusmodi principium, sed principium et finis quantitatis vel magnitudinis. — 3. *Phys.* l. 6 (5).

Ad quartum dicendum, quod sicut Deus potest separare omnia accidentia a suo subjecto, et per consequens quantitatem a materia et forma, ut patet in sanctissimo Sacramento, ita etiam potest facere quantitatem infinitam sine materia et forma, cui proinde non competeret mobilitas naturalis, quia careret materia et forma, quæ sunt principia motus et quietis in eo, quod movetur, ut dictum est (supra q. 6, a. 1 et 2). — *Tabula Aurea* voce « accidens » n. 36.

Ad quintum dicendum, quod quia de ratione numeri finiti tantum est mensurari per unum, ut dictum est, propterea non implicat dari multitudinem infinitam, quæ non possit mensurari per unum; nam talis multitudo esset numerus infinitus seu species numeri, ut abstrahit a numero finito et infinito. — Il. cit. ad 1 et 2.

Ad sextum dicendum, quod si Deus infinitum actu in magnitudine vel multitudine crearet, tale infinitum comprehenderetur sub certa intentione creantis; nam id Deus intendit, ad quod se determinat divina ejus voluntas. Inclinatio enim Dei ad agendum, quod intellectu ipsius conceptum est, pertinet ad voluntatem divinam; potest autem divina voluntas se determinare ad plura alia, quam quæ ab ipso determinata sunt, atque adeo facere infinitum actu, licet hoc non contineatur in potentia creaturæ. — *de Verit.* q. 2 a. 10, ad 1 et 2 secundæ partis; 1a, q. 19, a. 4, c.

Vel dic, quod si daretur v. g. aer infinitus, adhuc haberet esse determinatum et finitum; nam esset limitatum ad determinatam naturam; unde etiam mensuraretur per scientiam Dei et consequenter esset sub certa intentione Dei. — 1a, q. 14, a. 12. ad 3.

Ad septimum dicendum, quod terminatio magnitudinis vel multitudinis pertinet ad magnitudinem vel multitudinem finitam, ut dictum est (supra ad 1 et 2).

Ad octavum dicendum, quod ex positione infiniti actu non sequuntur inconvenientia ulla: non enim *primum*, quia, ut dictum est (in c.), adhuc talis v. g. ignis infinitus in infinitum distaret a Deo. Neque *secundum*, quia licet unum finitum additum infinito non faciat majus, sed plus, unum tamen infinitum potest esse majus (1. *Sent.* dist. 49, q. 1, a. 4, sol. 1, ad 4). Si enim Deus faceret infinitos leones, et illis superadderet infinitos homines, hic numerus infinitus major esset quam numerus infinitorum leonum tantum; et numeri pares et impares infiniti simul accepti sunt plures quam numeri pares tantum (*Quodl.* 9, a. 1, ad 1). Neque *tertium*, quia objectum infinitæ potentiæ non est unum infinitum actu, sed infinitum in potentia; unde si faceret unum infinitum, posset plura alia facere, ut postquam fecisset infinitos leones, posset facere infinitos homines; licet enim infinito simpliciter quoad omnia nihil possit esse majus, infinito tamen secundum quid est aliquid majus extra illum ordinem (*Tabula Aurea* voce « infinitum » n. 31; 1. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 1, ad 5). Neque *quartum*, quia non concedimus virtutem infinitam movendi, ut dictum est (in c.). Neque *quintum*, quia licet infinito, qua parte infinitum est, nihil possit addi, potest tamen addi aliquid, qua parte est finitum. — 1a, q. 25, a. 2, ad 3; *Tabula Aurea* voce « infinitum » n. 32.

Ad nonum dicendum, quod Philosophus in 1. *de Cœlo*, 3. *Phys.* et 11. (10.) *Metaphys.* tantum probat, impossibile esse infinitum actu in rebus naturalibus et sensibilibus, non autem in rebus immaterialibus, cujusmodi sunt substantiæ separatæ. — 2. *c. Gent.* c. 38, n. 6 et c. 81, n. 3; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 6 secundæ partis.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod mundus potest fieri ab æterno quoad entia permanentia, non autem quoad generationem humanam, saltem quoad potentiam ordinariam Dei. *Opusc.* 27; 1a, q. 46, a. 2, ad 8.

Ad secundum dicendum, quod infinitum quod convenit quantitati, ut dictum est, se tene

ex parte materiæ; per divisionem autem totus accedituri ad materiam; nam partes se habent in ratione materiæ; per additionem autem accedit ur ad totum, secundum quod se habet in ratione formæ, et ideo non invenitur infinitum in additione magnitudinis, sed in divisione tantum. — Ia, q. 7, a. 3, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod motus et tempus non sunt secundum totum in actu, sed successive; unde habent potentiam admixtam actui; sed magnitudo est tota in actu, et ideo infinitum, quod convenit quantitati et se tenet ex parte materiæ, repugnat totalitati magnitudinis, non autem totalitati temporis vel motus; esse enim in potentia convenit materiæ. — l. c. ad 4.

Ad quartum dicendum, quod unumquod que, quod est in potentia, reducitur in actum secundum modum sui esse; dies enim non reducitur in actum, ut sit tota simul, sed successive, et similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, ut sit totum simul, sed successive, quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum. — Ia, q. 7, a. 4, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri; sunt enim species figurarum trilaterum, quadrilaterum; unde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum, ut sit tota simul, ita nec multitudo figurarum. — l. c. ad 2.

Ad sextum dicendum, quod licet quibusdam positis alia poni non sit eis oppositum, tamen infinita poni opponitur cuilibet speciei multitudinis finitæ. Unde non est possibile, dari naturaliter aliquam multitudinem actu infinitam. — *Ibid.* ad 3.

Ad septimum dicendum, quod objectio tantum probat, dari infinitum actu ratione durationis indivisibilis cognitionis divinæ, eo quod Deus simul cognoscit omnia et per unam speciem; non autem probat, quod sint actu infinita in se et respectu sui. — l. *c. Gent.* c. 69.

ARTICULUS III

UTRUM INFINITUM RECTE DEFINITUM SIT A PHILOSOPHO.

Videtur quod infinitum non sit a Philosopho recte definitum : cujus semper aliquid est extra.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 66, c. 6), quod infinitum est ignotum; sed quod potest definiri, potest cognosci, quia definitio ducit in cognitionem essentiæ rei et propriætatum ejus, cum includat principia speciei : ergo infinitum non potest definiri, et per consequens male fuit a Philosopho definitum. — 3. *Phys.* l. 11 (10); *Tabula Aurea* voce « definitio » n. 1, 4, 5.

2. Præterea, infinitum est quoddam totum, ut dicitur l. c. *text.* 64; c. 6; sed totum est id, cujus nihil est extra, ut dicit Philosophus (*ibid. text.* 63; c. 6) : ergo male definitur infinitum, cujus semper aliquid est extra. — 3. *Phys.* l. 11 (10).

3. Præterea, infinitum dicitur continere omnia, et omnia in se ipso habere; hunc enim conditionem tamquam per se notam philosophi antiqui acceperunt, ut ait Philosophus (l. c. *text.* 65; c. 6); sed quod continet omnia, non est illius semper aliquid extra : ergo male definitur infinitum : cujus semper aliquid est extra. — *Ibid.*

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 130; c. 12), quod infinitum est id, quo non est majus; sed hoc est infinitum esse id, cujus nihil est extra quodque omnia continet : ergo male definitur : id, cujus semper aliquid est extra. — 1. *de Cœlo* l. 29.

Sed contra est, quod Philosophus (3 *Phys. text.* 62; c. 6) definit infinitum : cujus semper est extra aliquid. — 3. *Phys.* l. 11 (10).

Respondeo dicendum, quod infinitum in potentia, quia habet potentiam admixtam actui, ut dictum est (a. 2, ad 3 secundæ partis), dupliciter potest considerari : *uno modo* secundum id, quod est actu, et sic cum illi semper fieri possit additio, optime definitur a Philosopho (3. *Phys.*), quod sit id, cujus aliquid semper est extra. *Alio modo* potest considerari secundum totum, quod de eo est in potentia, et sic, cum in eo ordine non possit illi fieri additio, recte definitur a Philosopho 1. *de Cœlo* l. c., quod sit id, cujus non est plus, seu quo non potest majus accipi, in illo scilicet ordine; nam extra illum ordinem potest accipi aliquid majus. Nam in ordine numerorum binariorum licet non possit accipi aliquid majus, extra tamen hunc ordinem potest accipi aliquid majus, quia si simul accipiantur numeri binarii et ternarii, conficient numerum majorem numero infinito binariorum. — 1. *de Cœlo* l. 29; *Tabula Aurea* voce « infinitum » n. 31.

Ad primum ergo dicendum, quod infinitum dicitur ignotum secundum se, sicut et materia ; hæc enim non cognoscitur nisi per formam ; et similiter infinitum in potentia non nisi per ordinem ad actum cognoscitur, et hoc modo definitur. — 3. *Phys.* l. 11 (10).

Ad secundum dicendum, quod infinitum, quia est sicut ens in potentia, magis habet rationem partis quam totius; nam materia, cujus rationem habet infinitum, comparatur ad totum ut pars ; infinitum autem se habet ut pars, in quantum non est de ipso accipere nisi aliquam partem in actu. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod philosophi antiqui aliter definierunt infinitum quam Philosophus; definierunt enim illud : cujus nihil est extra ; verum male sic definierunt infinitum. Nam prædicta definitio convenit toti; definitur enim unumquodque totum esse, cui nihil deest, sicut dicimus hominem totum aut aream totam, quibus nihil deest eorum, quæ debent habere. Cum autem aliquid deest per absentiam alicujus intrinseci, tunc non est totum, et ita prædicta definitio vere competit ei, quod est vere totum, puta universo ; hoc enim est, extra quod nihil est. Et sic manifestum est, quod hæc est definitio totius. Totum autem et perfectum vel sunt penitus idem vel sunt propinqua secundum naturam ; nam totum non invenitur in simplicibus, quæ non habent partes, in quibus tamen utimur nomine perfecti ; unde prædicta definitio convenit etiam perfecto. Sed nullum carens fine, cujusmodi est infinitum, est perfectum, quia finis est perfectio uniuscujusque; finis autem est terminus ejus, cujus est finis : ergo nullum infinitum et interminatum est perfectum, et per consequens illi non convenit definitio perfecti, quæ est : cujus nihil est extra ; sed definitio illi competens erit : cujus semper aliquid est extra, quia ad hoc, quod aliquid sit infinitum, requiritur, quod extra quamlibet partem acceptam sit quædam alia, ita tamen quod nunquam resumatur illa, quæ fuit prius accepta. — 3. *Phys.* l. 11 (10).

Vel dic, quod infinitum est, cujus nihil est extra, in illo scilicet ordine, si consideretur in infinito illud, quod est de eo in potentia, non autem id, quod de eo est actu, ut dictum est (supra in c.)

Ad quartum dicendum, quod si consideretur in infinito id, quod de illo est in potentia, non est aliquid majus in illo ordine ; nam extra illum ordinem potest dari aliquid majus ut dictum est (in c. art.)

QUÆSTIO XIX

DE LOCO.

Deinde considerandum est de iis, quæ extrinsece competunt et adveniunt motui, et *primo* de iis, quæ adveniunt motui extrinsece quasi mensuræ mobilis, puta de loco et vacuo; *secundo* de tempore, quod est mensura motus.

CIRCA LOCUM QUÆRUNTUR SEX :

1. Utrum locus sit.
2. Utrum recte definiatur locus a Philosopho.
3. Utrum convenienter assignentur a Philosopho conditiones loci.
4. Utrum ultima sphæra sit in loco.
5. Utrum duo corpora possint esse in uno loco.
6. Utrum unum corpus possit esse in pluribus locis.

ARTICULUS I

UTRUM LOCUS SIT.

Videtur quod locus non sit.

1. Si enim locus est aliquid, oportet quod sit corpus, ut argumentatur Philosophus (4. *Phys. text.* 8 ; c. 1), quia locus habet tres dimensiones. His autem determinatur corpus, quia omne quod habet tres dimensiones, est corpus ; sed impossibile est locum esse corpus quia cum locus et locatum sint simul, sequitur duo corpora esse simul, quod est inconveniens : ergo impossibile est locum aliquid esse. — 4. *Phys.* l. 2.

2. Præterea, si locus corporis est aliquid distinctum a corpore, etiam locus superficiei erit quid distinctum a superficie, et locus lineæ et puncti erit aliud quid a linea et puncto. Nam si locus corporis ideo est quid distinctum a corpore, quia ubi nunc est corpus aeris v. g., ibi prius erat corpus aquæ, similiter et locus superficiei erit quid distinctum a superficie, quia ubi prius erat superficies aeris, nunc est superficies aquæ, et similiter de linea et puncto ; sed locus puncti non potest esse quid distinctum a puncto, quia cum locus non excedat locatum, locus puncti non potest esse nisi quid indivisibile ; duo autem indivisibilia quantitatis seu duo puncta simul

conjuncta non sunt nisi unum : ergo eadem ratione neque locus superficiei erit aliud a superficie, neque locus corporis erit aliud a corpore. — *Ibid.*

3. Præterea omne, quod est, vel est elementum vel ex elementis ; sed locus neutrum est ; nam omne, quod est elementum vel ex elementis, est de numero corporeorum vel incorporeorum ; locus autem neque est de numero incorporeorum, quia habet magnitudinem ; neque de numero corporeorum, quia non est corpus, ut dictum est : ergo locus non est. — 4. *Phys.* l. 2.

4. Præterea omne, quod est, aliquo modo est causa respectu alicujus ; sed locus non potest esse causa in ullo genere quatuor causarum. Neque enim est *materialis*, quia ea, quæ sunt, non constituuntur ex loco, quod est de ratione materiæ. Neque *formalis*, quia tunc omnia, quæ haberent unum locum, essent unius speciei, cum principium speciei sit forma. Neque *finalis*, quia magis videntur esse loca propter locata quam locata propter loca. Neque *efficiens* vel motiva, quia est terminus motus ; ergo locus nihil est. — l. c.

5. Præterea omne, quod est, est in loco ; si ergo locus est aliquid, sequitur, quod sit in loco, et ille locus in alio loco, et sic in infinitum, quod est impossibile ; ergo locus non est aliquid. — l. c.

6. Præterea, cum omne corpus sit in loco, et in omni loco sit corpus, sequitur quod locus non est minor neque major quam locatum ; cum ergo locatum crescit, oportet quod crescat et locus ; sed hoc videtur impossibile, cum locus sit quoddam immobile ; non ergo locus aliquid est. — l. c.

7. Præterea, omne accidens denominat subjectum, in quo est ; sed locus non denominat locatum, in quo est : ergo locus non est accidens, et cum non sit substantia rei, ut patet, quia ut dictum est, nullo modo est causa rei, locus non erit. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad 2.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 3 et 23 ; c. 1 et 3) fuse probat dari locum. — 4. *Phys.* l. 1 et 4.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere dari locum, et esse aliquid distinctum a locato. Quod manifestum esse potest ex tribus : *primo*, ex transmutatione locali. Sicut enim ex transmutatione secundum formas colligitur recte, dari materiam distinctam a forma, quia oportet esse aliquod subjectum, in quo sibi formæ succedant ; ita ex transmutatione loci recte colligitur, dari locum distinctum a locato, quia oportet esse aliquid, ubi sibi corpora succedant. — *Secundo*, ex conditione quadam loci, ad se trahendi locatum illudque conservandi. Quod enim habet potentiam et virtutem conservandi aliquid et illud ad se per modum finis attrahendi, est aliquid in se et est quid distinctum ab illo, quod ad se trahit et conservat ; sed locus conservat et ad se trahit locatum. Unumquodque enim gravium et levium, quæ localiter moventur, feruntur in suum proprium locum, quando non impediuntur, gravia quidem deorsum, levia vero sursum ; propter hoc enim tendunt hujusmodi ad sua loca desiderio suæ conservationis (4. *Phys.* l. 1). — *Tertio*, ex modis essendi in alio. Cum enim nihil sit primo et per se in se ipso, sed in alio, ille modus essendi in alio denotat, id in quo proprie est aliud, esse vere aliquid in se distinctum ab eo, quod est in illo ; sed omnes modi essendi in alio reducuntur ad modum essendi in alio tamquam in loco, ut fuse probat Philosophus (4. *Phys. text.* 23 ; c. 3) : ergo dicendum est, modum essendi in loco esse maxime proprium, et per consequens locum esse aliquid. Et sic manifestum est locum dari. — 4. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod locus est terminus corporis continentis ; nec inde sequitur, quod duo corpora sint simul in eodem loco, sed quod unum corpus secundum superficiem concavam sit locus alterius. — 4. *Phys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod hæc objectio procedit secundum opinionem eorum, qui dicunt, locum esse spatium cœquatum dimensionibus corporis ; unde oportet, quod cuilibet dimensioni corporis respondeat dimensio spatii, et similiter cuilibet puncto corporis ; sed hoc non oportet dicere, si ponamus, locum esse terminum corporis, ut vere est. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod locus neque est elementum neque ex elementis, sed est terminus corporis continentis. — l. c.

Ad quartum dicendum, quod locus, cum sit terminus corporis continentis, non est proprie causa rerum. — l. c.

Ad quintum dicendum, quod cum octo modis possit esse aliquid in aliquo, ut docet Philosophus (4. *Phys. text.* 23 ; c. 3), nihil prohibet dicere, quod locus est in aliquo, non ta-

men sicut in loco, sed alio modo, sicut forma est in materia et accidens in subjecto, in quantum scilicet locus est terminus continentis; unde non est necesse, quod procedatur in infinitum. — 4. *Phys.* l. 4.

Ad sextum dicendum, quod si supponatur, quod locus sit spatium coextensum dimensionibus corporis, vere sequitur, quod cum locus non desit corpori nec corpus loco, augmentato corpore augmentetur locus; sed hoc non est necesse, si dicatur, quod locus sit terminus corporis continentis, quomodo vere definitur locus. — 4. *Phys.* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod accidentia quædam denominant illud, in quo sunt, sicut albedo et similia, quæ esse primum consequuntur, ut figura, quantitas et hujusmodi; quædam etiam denominant illud, in quo non sunt ut in subjecto, sicut locus et tempus. Non enim est locus corporis continentis, in quo est ut in subjecto, sed corporis contenti; et tempus est numerus omnium motuum, etsi primo ejus, in quo est ut in subjecto, scilicet motus primi mobilis, per quem omnes alii numerantur, ut in 10. (9.) *Metaphys.* dicitur. Sed tamen alia est ratio de loco et tempore; nam locus est idem per essentiam cum superficie corporis locantis; tempus autem non est idem numero cum aliquo accidente in substantia fundato. Præterea, locus totum complementum suum habet in re; sed temporis ratio aliquo modo completur ex actione animæ numerantis; unde magis habet rationem extrinseci quam locus. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE SIT DEFINITUS LOCUS A PHILOSOPHO.

Videtur quod non sit recte definitus a Philosopho locus, quod sit terminus continentis immobilis, primus.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 18; c. 2), quod locus non est forma; sed esse terminum convenit formæ; est enim hæc terminus uniuscujusque: ergo locus non est terminus. — 4. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, locus pertinet ad prædicamentum ubi, superficies vero seu terminus corporis pertinet ad prædicamentum quantitatis tamquam ejus species; sed prædicamenta sunt inter se primo diversa: ergo locus non est superficies seu terminus corporis. — 11. *Metaphys.* l. 9.

3. Præterea, Philosophus in prædicamento quantitatis ponit superficiem et locum tamquam species diversas; ergo locus non est superficies corporis. — *Opusc.* 42, c. 20 (10); *Opusc.* 52.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 91; c. 8 et 4. *Phys. text.* 42; c. 4) quod medium est locus gravis; sed medium non habet rationem continentis, sed contenti: ergo locus non est superficies vel terminus. — 1. *de Cœlo* l. 18; 4. *Phys.* l. 8.

5. Præterea, cum unumquodque corpus feratur ad suum locum, illud erit locus corporis ad quod illud corpus movetur, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 48; c. 5); sed terra non movetur ad superficiem aquæ, sed ad centrum: ergo locus terræ non est ulla superficies, et per consequens locus non erit superficies corporis continentis. — 4. *Phys.* l. 8; *Opusc.* 52.

6. Præterea, si terra amoveretur a loco suo aqua descenderet, ut dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 39; c. 5), et similiter aer in locum aquæ, si amoveretur aqua; ergo locus aquæ non est superficies concava aeris, nec locus aeris est superficies concava ignis, sed aliquid aliud, quod non est superficies. — *Opusc.* 52.

7. Præterea, Angeli sunt in loco, et similiter corpora beatorum; sed locus illorum non est ulla superficies corporis continentis, cum sint extra cœlum empyreum: ergo. — *Quod.* 6, a. 3.

8. Præterea, toto moto moventur ea, quæ sunt in toto; sed corpus continens movetur: ergo et terminus movetur; ergo locus non est terminus corporis continentis immobilis. — *Phys.* l. 6; *Opusc.* 52.

9. Præterea, illud dicitur mutari seu esse mobile, secundum quod fit mutatio aliqua vel motus; sed secundum locum fit mutatio: ergo locus mutatur et consequenter non est immobilis. — *de Verit.* q. 1, a. 6, c.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 41; c. 4) definit locum, quod sit terminus primus corporis continentis immobilis. 4. *Phys.* l. 6.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, quod locus est terminus corporis continentis immobilis, primus; hac enim definitione explicatur essentia loci, cum manifestet propriam

genus et propriam differentiam illius, quibus essentia cujuslibet rei continetur. — Quod enim attinet ad *genus* loci, si spectentur ea, quæ de illo dici a philosophis consuevit, videtur quod locus debeat esse unum ex his *quatuor*, puta vel materia, vel forma, vel aliquod spatium inter extrema corporis continentis, vel terminus seu superficies corporis continentis ; nullum autem ex tribus primis potest esse locus. Non quidem forma vel materia, tum quia materia et forma non separantur a re; locus autem separabilis est a locato ; tum quia forma est terminus ejus, cujus est forma ; at locus non est terminus illius, cujus dicitur locus. Neque est spatium ullum inter corporis continentis latera medium; — *vel* enim hoc spatium est dimensionatum, et tunc sequitur, plura loca esse simul, ac proinde duas dimensiones se penetrare ; et præterea, cum tales dimensiones sint accidentia, dari accidens sine subjecto, quæ sunt impossibilia; *vel* est spatium imaginarium, et hoc non potest habere rationem loci, quia sic locus non esset aliquid præter locatum, cum tamen, ut dictum est (a. 1), locus sit aliquid reale et realiter distinctum a locato. Unde relinquitur, quod locus sit terminus corporis continentis. — 4. *Phys.* l. 5, 6, 7, 8 ; *Opusc.* 42, c. 20 (10) ; *Opusc.* 52 ; *Quodl.* 6, a. 3.

Quod *confirmatur*, quia ex hoc, quod locus est terminus talis, potest assignari ratio duarum proprietatum loci, nimirum, cur quodlibet corpus naturale feratur ad proprium locum et in eo naturaliter quiescat ; quod est signum bonæ definitionis, ut inquit Philosophus (4. *Phys. text.* 31 ; c. 4). Ideo enim unumquodque corpus fertur ad proprium locum, quia illud corpus continens, ad quod consequenter se habet corpus contentum et locatum et quod ab eo tangitur, terminis simul existentibus, est proximum ei secundum naturam ; ordo enim situs in partibus universi attenditur secundum ordinem naturæ. Nam corpus cœleste, quod est suprremum, est nobilissimum, post quod inter alia corpora secundum nobilitatem naturæ est ignis, et sic deinceps usque ad terram. Ideo vero corpora naturaliter quiescunt in suis locis, quia corpus locatum se habet ad corpus continens, sicut quædam pars ad totum, divise tamen ; unde sicut pars naturaliter quiescit in toto, ita et naturaliter corpus quiescit in suo loco naturali.

Quod vero attinet ad *differentiam* loci, recte ita a Philosopho constituitur in immobilitate, ita ut locus sit terminus continentis immobilis ; quod patet *primo*, quia cum per hoc, quod sit terminus corporis continentis, conveniat cum vase, quod aliquo modo est locus apte in quo contentae, debet per aliquid ab ipso distingui, quod constituat propriam rationem loci ; hoc autem est immobilitas. Nam vas est locus mobilis ; unde simul cum locato defertur ; at locus proprie dictus est omnino immobilis ; unde dicitur a Philosopho vas immobile. *Secundo*, quia cum locus ex transmutatione loci colligatur, sicut materia ex transmutatione formarum, — sicut materiæ nomine intelligitur id, quod est receptaculum formarum, eademque manens numero modo unam formam, modo aliam recipit, ita nomine loci intelligitur receptaculum corporum, ita ut idem immobile manens modo recipiat unum corpus, modo aliud successive. — Addit vero Philosophus, quod locus est terminus immobilis *primus*, ut designet locum proprium et excludat communem ; uterque enim immobilis est, et tota ratio loci in omnibus continentibus est ex primo locante et continente, scilicet cœlo ; proprius tamen locus uniuscujusque corporis est pars loci communis. Et ideo convenienter additur in definitione loci, quod sit terminus corporis continentis immobilis, primus. Unde manifestum est, quod definitio loci fuit a Philosopho recte assignata. — 4. *Phys.* l. 5, 6, 7, 8 ; *Opusc.* 42, c. 20 (10) ; *Opusc.* 52 ; *Quodl.* 6, a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod forma est terminus ejus, cujus est forma ; at locus non est terminus illius, cujus est locus, sed corporis continentis. — *Vel dic*, quod forma non separatur a re, cujus est forma, et est aliquid rei, cujus est forma; at locus est divisus a locato et non est aliquid illius. — 4. *Phys.* l. 3, 4, 5, 6.

Ad secundum dicendum, quod quia sex ultima prædicamenta accidentium significant formas extrinsecus denominantes, ut dictum est (in Logica q. 14), ideo superficies corporis locantis, ut prædicatur de ipso, pertinet ad prædicamentum quantitatis tamquam ejus species; ut vero denominative prædicatur de corpore locato, constituit prædicamentum ubi. — *Tabula Aurea* voce « locus » n. 2 et 5.

Ad tertium dicendum, quod propria ratio quantitatis logice consideratæ, ut dictum est, est ratio mensuræ ; propter quod dicit Averroes, quod quantitates sunt differentiæ mensurarum. Alia enim est ratio mensurandi aliquid extrinsece et intrinsece. Et ideo ultimum con-

tinentis ut mensura continentis intrinseca dicitur superficies, ut autem mensura contenti et locati extrinseca est locus; et ideo superficies et locus, licet sit unum et idem materialiter quantum ad hoc, quod quodlibet est ultimum continentis, tamen diversæ sunt species constitutæ per diversas rationes formales. — V. in Logica q. 14.

Ad quartum dicendum, quod superficies corporis continentis non habet rationem loci, secundum quod est superficies talis corporis, sed secundum ordinem situs, quem habet ad primum continens, prout scilicet magis et minus ei appropinquat ; corpus autem grave in sua natura est maxime elongatum a corpore cœlesti propter ejus materialitatem, et ideo debetur ei locus remotissimus a primo continente, qui est propinquissimus medio. Et ita superficies continens corpus grave dicitur locus ejus secundum propinquitatem ad medium ; unde signanter Philosophus (1. *de Cœlo text.* 91 ; c. 8) dicit, quod locus,qui est circa medium, est corporis subsistentis, id est corporis gravissimi, quod substat omnibus, scilicet terræ. — 1. *de Cœlo* l. 18 ; *Opusc.* 52 ; *Opusc.* 42, c. 20 (10).

Ad quintum dicendum, quod motus locati non est ad ipsam superficiem locantis propter superficiem, sed propter virtutem conservativam et formativam ipsius ; et ideo cum virtus formativa terræ sit frigiditas, quæ causatur ex materia distante ad primum calefaciens, quod est cœlum, et inchoatio hujus virtutis est in concavo aquæ, perfectio autem ejus in centro, ideo terra movetur ad centrum et non ad superficiem aquæ ; et inde est quod terra est simpliciter gravis. Virtus autem formativa ignis est caliditas perfecta, quæ est perfecta et completa in concavo orbis lunæ, et deficiens in convexo aeris. Et hinc est, quod ignis non solum movetur ad convexum ignis, sed et ad concavum orbis lunæ, propter quod ignis est simpliciter levis ; virtus autem formativa aeris incipit in concavo ignis, et est deficiens in convexo aquæ, perficitur autem in medio ; et sic est etiam de aqua suo modo. Et ideo motus aquæ est a terra et ab aere ad medium ejus ; at motus aeris secundum naturam est ab aqua et igne ad medium locum, propter quod aer et aqua non sunt simpliciter leves neque graves, sed in respectu. Et sic patet causa, quare terra moveatur deorsum simpliciter et non ad concavum aquæ, licet sit locus ejus ; quia hoc facit virtus formativa, quæ est in loco, propter quod movetur unumquodque ad suum locum. — *Vel dic* sicut ad præcedens argumentum. — *Opusc.* 52.

Ad sextum dicendum, quod motus aeris ad locum terræ non est naturalis motus illius vel aquæ, de quo tantum loquimur in præsenti et Philosophus (4. *Phys.*), sed est violentus, quia corruptivus est utriusque. Nam cum aqua moveatur ad locum terræ, inspissatur a frigiditate ipsius loci inspissatione majori, quam requiratur ad formam aquæ, unde convertitur in terram ; similiter cum aer descendat ad locum aquæ, infrigidatur a frigiditate illius loci et convertitur in aquam. — l. c. ; 4. *Phys.* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod Angeli et corpora beatorum sunt æquivoce in loco; nam corpus est in loco circumscriptive per contactum dimensivæ quantitatis ; Angelus vero per contactum virtutis. Corpus autem glorificatum non est necesse quod sit in loco ; hoc enim convenit tantum corpori dependenti a primo continente. — 1a, q. 52, a 1 et 2 ; *Quodl.* 6, a. 3.

Ad octavum dicendum, quod immobilitas loci dupliciter potest accipi : *uno modo* respectu locati, ita ut dicatur locus immobilis, quia non movetur motu locati, licet moveatur motu continentis, quia est ultimum ejus. Verum hoc et est contra mentem Philosophi, qui cum dicat, quod sicut vas est locus mobilis, ita locus est vas immobile, majorem immobilitatem vult inesse loco naturali quam vasi ; et ideo cum vas sit immobile motu ejus, quod est in vase, et locus sit magis immobilis quam vas, sequitur, quod locus non solum sit immobilis motu contenti, sed etiam continentis ; — et est insufficienter dictum, quia cum circa aliquod contentum manens immobile, puta circa domum vel arborem contingit mutationem fieri continentis, puta aeris, si locus moveatur motu continentis, sequitur, quod idem manens immobile fieret in diversis locis, quod est impossibile. — *Opusc* 52 ; 4. *Phys.* l. 6 ; *Quodl.* 6, a. 3.

Alio ergo *modo* dicitur locus immobilis non solum motu locati et contenti, sed etiam motu corporis continentis et locantis ; et hoc modo locus debet esse immobilis. Propterea enim Philosophus dicit, quod si navis sit in aqua fluvii quae movetur, magis utitur ea tamquam vase quam tanquam loco continente, non nisi quia de ratione loci est, quod sit immobilis motu continentis ; unde totus fluvius, qui secundum se totum est immobilis, magis debet dici locus na-

vis quam hæc aqu , quæ fluit et movetur. Verum quia totus fluvius non est locus proprius navis, sed communis, ideo locum proprium navis in fluvio oportet accipere per comparationem ad totum fluvium, qui est immobilis, qui erit non secundum hanc aquam, quæ fluit et movetur, sed secundum ordinem et situm, quem habet ad totum fluvium; qui quidem ordo et situs manet in aqua succedente, qui erat in aqua recedente respectu totius fluvii. Quamvis enim aqua materialiter fluat, tamen quia manet idem ordo et situs respectu totius fluvii, manet etiam idem locus; et similiter dicendum de superficie corporis cujuslibet continentis. Non enim superficies est locus, in quantum est hujus corporis continentis; alioqui, ut dictum est, corpus quiescens non semper esset in eodem loco, si circa illud renovarentur diversæ superficies aeris vel aquæ; sed habet, quod sit locus, ex ordine ad primum continens, quia nimirum sub illa succedit aliud corpus, quod habet eundem ordinem et situm ad primum continens sive locans, quod est cœlum. Et ratio horum est, quia locus non solum est continens, sed etiam conservans; nihil autem habet rationem conservantis aliquid nisi per virtutem et influentiam corporis cœlestis, quam recipit secundum quod est in determinato situ et determinata distantia. Et quia locus est immobilis, propterea medium cœli, quod est centrum, et ultimum versus nos corporis circularis, quod est cœlum, sic se habent, quod hoc dicitur esse sursum et illud deorsum, quæ sunt differentiæ loci; hæc enim maxime manent immobilia. Centrum enim semper est immobile; cœlum autem licet semper moveatur, tamen semper est in eadem distantia quoad nos. — *Opusc.* 52; 4. *Phys.* l. 6; *Quodl.* 6, a. 3.

Ad nonum dicendum, quod illud secundum quod est mutatio, quandoque dicitur mutari, quandoque non. Quando enim est forma inhærens ei, quod mutatur secundum ipsum, tunc et ipsum mutari dicitur; sicut albedo vel quantitas dicuntur mutari, quando aliquid secundum ipsa mutatur, eo quod ipsa secundum hanc mutationem succedunt sibi invicem. Quando autem illud, secundum quod est mutatio, est ei extrinsecum, tunc in illa mutatione non movetur, sed immobile perseverat. Sic locus dicitur non moveri, quando aliquid secundum locum movetur, sed esse immobilis, ut dictum est, eo quod per motum locale non dicitur esse successio locorum in uno locato, sed magis successio locatorum in uno loco. — *de Verit.* q. 1, a. 6, c.

ARTICULUS III

UTRUM PROPRIETATES LOCI SINT CONVENIENTER ASSIGNATÆ.

1. Videtur quod non sit recte assignata prima proprietas loci, quod conservet locatum.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 48; c. 5), quod corpora, quæ se tangunt, cujusmodi sunt locus et locatum (hæc enim se tangunt terminis simul existentibus), propter contrarietatem qualitatum activarum et passivarum sunt activa et passiva ad invicem; sed quæ agunt ad invicem et patiuntur, cum mutuo se corrumpant, unum non conservat aliud: ergo locus non conservat locatum. — 4. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, quantitas non est activa nisi mediante qualitate, et consequenter nec superficies, quæ est species quantitatis; sed conservare est agere, ut dictum est (supra q. 11, a. 6): ergo locus, qui est superficies corporis continentis, non conservat locatum. — *Tabula Aurea* voce « quantitas » n. 28.

3. Præterea, si locus conservat locatum, maxime quia locus est species et perfectio locati, ut dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 23 et 24; c. 3); sed hoc est falsum, quia perfectio et actus rei est aliquid intrinsecum informans, locus autem est aliquid extrinsecum locato: ergo locus non est species et perfectio rei et per consequens non conservat locatum. — 4. *de Cœlo* l. 2.

4. Præterea illud, ad quod aliquid per se movetur, posterius est eo, quod movetur per se secundum naturam; illud autem, quod movetur in motu locali, est ens perfectum; dicit enim Philosophus, quod latio absolutorum est, id est perfectorum. Sed ens perfectum perfectione propria perfectum est; ergo perfectio eorum, quæ feruntur, prior est secundum naturam eo, in quod feruntur per se; sed nihil potest esse prius et posterius seipso: ergo id, in quod corpora naturalia feruntur, puta locus naturalis eorum, nec est actus et perfectio, nec per consequens illa conservat, cum hoc ei conveniat, quatenus est actus et perfectio. — l. c.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 3 et 48; c. 1 et 5) dicit, quod locus conservat locatum. — 4. *Phys.* l. 1 et 8.

II. Videtur quod secunda proprietas loci non sit recte assignata, quod scilicet sit æqualis locato.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 41; c. 4), quod locus navis existentis in fluvio est magis ipse fluvius quam aqua proxima navi; sed totus fluvius est major navi : ergo locus non est æqualis locato. — 4. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, locus est terminus corporis continentis, ut dictum est (a. 2); sed corpus continens est majus contento, ut videre est in loco naturali elementorum, de quo maxime loquitur Philosophus agens de loco, ut patet ex 4. *Phys. text.* 38 et 48; c. 4 et 5 : ergo locus non est æqualis locato. — 4. *Phys.* l. 6 et 8.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 33; c. 4) dicit, quod locus est æqualis locato. — 4. *Phys.* l. 5.

III. Videtur quod non sit recte assignata tertia proprietas loci, quod trahat ad se locatum.

1. Trahens enim simul movetur cum eo, quod trahitur, ut dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 10; c. 2); sed locus est immobilis, ut dictum est : ergo locus non trahit ad se locatum. — 7. *Phys.* l. 3.

2. Præterea, quod localiter trahitur ab aliquo longe distante, prius alteratur ab illo, tum ex alteratione contingit, quod alteratum movetur secundum locum, ut patet in magnete, qui sic trahit ad se ferrum; sed locus non alterat locatum, cum sit superficies, ut dictum est, alterationis vero principium tantum est qualitas, ut dictum est (in arg. 2, quæstiunc. 1 huj. art.) : ergo locus non trahit ad se locatum.

3. Præterea grave, quo magis appropinquat ad locum suum, eo velocius movetur, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 88; c. 8); sed non moveretur velocius, si locus ipsum ad se traheret, quia idem in quantum idem semper facit idem : ergo locus non trahit locatum. — 1. *de Cœlo* l. 17; *Tabula Aurea* voce « idem » n. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (4 *Phys. text.* 4; c. 1) dicit, quod locus habet potentiam quandam respectu locati; hæc autem nulla alia est quam trahendi ad se locatum; nam propterea omnia corpora naturaliter feruntur ad suum locum. — 4. *Phys.* l. 1.

Ad primam quæstionem dicendum, quod locus conservat locatum. Quod ***a posteriori*** probatur, quia propterea unumquodque corporum fertur in suum proprium locum, quando non impeditur, grave quidem deorsum, leve vero sursum desiderio suæ conservationis, quia locus cujusque locati est conservativus esse illius. (l. c.) *A priori* vero probatur, quia unumquodque conservatur a suo simili seu a proximo sibi secundum naturam, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 48; c. 5), et a sua perfectione et actu, ut dicit idem (4. *de Cœlo text.* 25; c. 3); at locans, cum sit congeneum locato, est ei simile; sic enim aer naturaliter movetur ad concavum ignis, cum quo convenit in una qualitate. Præterea locans est perfectio et actus locati; comparatur enim ad ipsum sicut forma ad materiam; unde semper in ultimo corporis continentis est virtus generativa et conservativa contenti; unde fit, ut assimilentur sibi invicem in natura. Et sic manifestum est, quod recte sit assignata prima proprietas loci. — 4. *Phys.* l. 8; 4. *de Cœlo* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod corpora naturalia dupliciter considerari possunt : ***uno modo*** secundum formas substantiales, quas habent ex influentia corporis cœlestis, quod est primus locus et dans virtutem locativam omnibus aliis corporibus; et hoc modo unum corpus locans aliud dicitur ipsum conservare, quod tamen facit modis supra (in c.) dictis. *Alio modo*, quatenus habent qualitates contrarias activas et passivas, et hoc modo unum corpus superius locans aliud est corruptivum illius, non autem conservativum. — 4. *Phys.* l. 8; 2. *de Anima* l. 23.

Ad secundum dicendum, quod locus naturalis, qui primo convenit elementis, tum elementatis per elementa, et est conservativus corporum naturalium, dicitur id facere per virtutem et influentiam corporis cœlestis, quam recipit, secundum quod est in determinato situ et determinata distantia; non enim superficies corporis locantis, ut superficies est, conservat locatum, sed virtus formativa et conservativa, quæ est in corpore locante ex influentia cœli. Unde conservatio non provenit immediate a quantitate vel superficie, sed a qualitate, quæ tamen consequitur corpus locans aliud ex ordine naturali et situali ad cœlum, quod est primum locans. — *Opusc.* 52.

Ad tertium et quartum dicendum, quod perfectio dicitur de forma, quæ est actus pri-

mus, et etiam de fine, qui est actus secundus, sicut patet ex 2. *de Anima text.* 2; c. 1, ubi dicit, quod entelechia, id est actus, dicitur hic quidem sicut scientia, ille vero sicut considerare. — Finis autem dupliciter dicitur : *uno modo* perfectio rei informans ipsam rem, quæ posterior est ipsa secundum generationem; sicut finem hominis dicimus aliquam operationem ejus perfectissimam intellectualem. *Alio modo* dicitur finis aliquid præexistens, in habitudine ad quod existit finis primo modo dictus; sicut perfectissimum objectum hominis secundum intellectum dicitur finis ipsius. Et ideo perfectio dupliciter dicitur : et de operatione intrinseca, et de objecto primo et per se illius operationis aliquo modo. Secundum hunc igitur tertium modum possumus considerare perfectionem corporum simplicium mobilium motu recto secundum quod hujusmodi. Perfectio enim prima ipsorum est forma, puta gravitas vel levitas; perfectio autem secundo modo, quæ est finis primo modo dictus, est operatio ipsorum prima, id est sursum aut deorsum; gravi enim aut levi esse est sursum aut deorsum esse secundum Philosophum (8. *Phys. text.* 31; c. 4). Perfectio autem tertio modo, quæ est finis ultimo modo dictus, est locus eorum naturalis. — 4. *de Cœlo* l. 2.

Si igitur loquamur de perfectione primo modo dicta, moveri ad locum non est formaliter moveri ad perfectionem, sicut probant duæ objectiones factæ, quæ de hac perfectione bene concludunt. Si vero loquamur de perfectione secundo modo dicta, quæ est operatio, sic ferri ad locum non est ferri ad perfectionem formaliter et simpliciter, sed ad aliquid, a quo sumitur ratio perfectionis secundum hunc modum dictæ; perfectio enim hujusmodi corporum secundum hunc modum est deorsum vel sursum esse, quorum ratio sumitur ex ipsis sursum vel deorsum. Et de hac perfectione procedit ratio prima, qua Philosophus (4. *de Cœlo text.* 22; c. 3) probat, id quod movetur naturaliter ad suum locum, moveri ad perfectionem, quia quandocunque aliquid est in potentia ad aliquid tanquam ad finem, perfectio ejus est sibi in eo esse, sicut potentia grammatici vel musici perfectio est, grammaticum vel musicum esse; sed grave et leve moventur ad loca sua sicut ad finem. Si autem loquamur de perfectione tertio modo dicta, ferri ad locum naturalem est ferri ad perfectionem formaliter; locus enim, qui continet et habet vim generativam et conservativam, quodammodo rationem perfectionis habet, et sic moveri ad locum est moveri ad simile secundum naturam. Et secundum hunc modum procedit ratio secunda, qua Philosophus probat loc. cit., quod, quæ moventur ad suum locum, moventur ad suam perfectionem, quia locus, inquit, est terminus ultimus corporis continentis; sed terminus habet quodammodo rationem perfectionis et actus : ergo locus habet rationem perfectionis et actus, et consequenter ferri sursum vel deorsum, est moveri ad speciem et perfectionem, et consequenter est ferri ad simile sibi in natura. Corpora enim, quæ consequuntur se secundum ordinem naturalem, similia sunt invicem, sicut aqua aeri, aer igni; aqua enim in hoc, quod locatur in ultimo aeris, similitudinem habet cum illo. Similiter, quia aer locatur in concavo ignis, habet similitudinem cum illo, et e converso in mediis. Ignis enim secundum ultimum similitudinem habet cum aere, et aer cum aqua, et aqua cum terra; semper enim in ultimo corporis continentis est virtus generativa et conservativa contenti naturaliter, et ita assimilantur sibi invicem secundum naturam. — 4. *de Cœlo* l. 2.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod locus necessario debet esse æqualis locato. Et ratio est, quia locus proprie dictus est is, qui est primus, puta superficies concava corporis continentis, secundum quam corpus superius dicitur continere inferius. Sic enim dicimus, omnia esse in cœlo, quia non ipsum corpus cœli, inquit Philosophus (4. *Phys. text.* 46; c. 5), sed superficies ultima illius versus nos est locus corporum mobilium; propter quod etiam dicimus, quod terra est in aqua, et aqua in aere, et aer in igne. Sic autem sumptus locus est æqualis locato. Cum enim sit terminus, per quem corpus locans tangit locum, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 48; c. 5), necesse est, quod simul sit cum termino corporis locati, et consequenter, quod tales termini seu superficies sint æquales seu æqualis continentiæ; quod secus est in superficie convexa locantis seu in loco remoto et ultimo, cum ambiat corpus majus, quam sit corpus locatum. Et sic patet *ad secundum* objectum. — 4. *Phys.* l. 5 et 8.

Ad primum ergo dicendum, quod ratione immobilitatis dicitur totus fluvius magis pro-

prie locus navis existentis in illo, quam aqua proxime tangens ipsam navem, quia aqua fluvii non dicitur locus proprius navis, nisi quatenus habet ordinem ad totum fluvium, ut est immobilis; ratione vero continentiæ aqua fluminis dicitur locus proprius navis, et totus fluvius dicitur locus communis ejusdem. — 4. *Phys.* l. 6.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod locus trahit ad se locatum. Cujus ratio est, quia quidquid fertur naturaliter in finem, trahitur a fine; finis enim movet ad se ea, quæ sunt ad finem; hoc autem est trahere. Sed corpora naturalia naturaliter moventur ad sua loca tamquam ad proprios fines. Duplicem enim appetitus naturalis habet causam : unam per modum finis, aliam, sicut unde est principium motus. Sicut enim descensus gravis causa, unde principium, est inclinatio naturalis orta ex gravitate, ita causa finalis ejusdem nulla alia est quam locus deorsum; ergo locus trahit ad se locatum. — 4. *de Cœlo* l. 2; 4. *Phys.* l. 1; 1a 2ae, q. 36, a. 2, c.; 7. *Phys.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod tripliciter contingit, aliquid localiter trahere aliud seu ad se localiter movere : *uno modo*, sicut finis movet; unde et finis dicitur trahere, secundum illud poetæ : Trahit sua quemque voluptas; et hoc modo locus dicitur trahere locatum. *Alio modo* potest dici trahere aliquid, quia movet ad se ipsum alterando aliqualiter, ex qua alteratione contingit, quod alteratum moveatur secundum locum; et hoc modo magnes dicitur trahere ferrum. Sicut enim generans movet gravia et levia, in quantum dat eis formam, per quam moventur ad locum, ita et magnes dat aliquam qualitatem ferro, per quam movetur ad ipsum, et sic trahit ipsum non solum sicut finis, sed etiam ut alterans et movens. Quod patet, quia non nisi ex propinquo trahit ferrum, et quia si magnes alliis perungatur, nequit trahere ferrum, quasi alliis vim alterativam ipsius impedientibus vel in contrarium alterantibus, et quia nequit trahere ferrum, nisi hoc liniatur cum magnete, si præsertim is parvus sit, quasi ferrum ex magnete vim aliquam accipiat, ut ad eum moveatur. *Tertio* dicitur aliquid attrahere, quia hoc movet ad seipsum motu locali tantum; et hoc modo trahens simul movetur localiter cum eo, quod trahitur, et de hoc tertio modo trahendi procedit objectio, quo tamen modo non trahit locus locatum, sed primo. — 7. *Phys.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod objectio procedit de tractione secundo modo accepta, quo modo locus non trahit ad se locatum, ut dictum est. — l. c.

Ad tertium dicendum, quod ideo motus gravium et levium est velocior in fine quam in principio, quia tanto magis gravitas corporis confortatur propter propinquitatem ejus ad proprium locum. Præterea quia natura magis tendit ad id, quod est sibi conveniens, quam fugiat id, quod est sibi repugnans; unde et inclinatio appetitivæ virtutis, imitatrix motus naturalis, per se loquendo vehementius tendit in delectationem, quam fugiat tristitiam. — 1. *de Cœlo* l. 17; 1a 2ae, q. 35, a. 6, c. et ad 2.

ARTICULUS IV

UTRUM ULTIMA SPHÆRA SIT IN LOCO.

Videtur quod ultima sphæra non sit in loco.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 43; c. 5), quod cui corpori non adjacet aliquod corpus exterius continens ipsum, non est in loco; sed tale est corpus ultimæ sphæræ : ergo ultima sphæra non est in loco. (*Opusc.* 52; 4. *Phys.* l. 7). — Sed dices, quod ultima sphæra est in loco per accidens, ratione centri immobilis, quod est in loco.

2. Contra, si ultima sphæra esset in loco per accidens, sequeretur, quod moveretur in loco per accidens, et sic motus per accidens erit prior motu per se, quod est inconveniens. (*Ibid.*) — Sed dices, quod ad motum circularem non requiritur, quod id, quod movetur per se circulariter, sit per se in loco, requiritur autem ad motum rectum.

3. Sed contra, Philosophus (4. *Phys. text.* 32; c. 4) dicit, quod aliqua esse vel moveri in loco per accidens est ex hoc, quod movetur id, in quo sunt, non autem quod aliquid est in loco per accidens ex hoc, quod aliquid, quod est omnino extrinsecum ab ipso, est in loco; sed centrum est omnino extrinsecum ab ultima sphæra : ergo hæc non est in loco, quia centrum est in loco. (*Ibid.*) — Sed dices, quod cœlo convenit quidem esse in loco per accidens, sed non ratione centri, sed ratione partium suarum.

4. Contra, partes secundum locum corporis continui non sunt in loco neque moventur, sed totum movetur et est in loco; sed ultima sphæra est corpus continuum : ergo partes ejus nec sunt in loco nec moventur secundum locum, et per consequens ultimæ sphæræ non debetur locus ratione partium. (*Opusc.* 52; 4. *Phys.* l. 7). — Sed dices, quod partes corporis continui et consequenter ultimæ sphæræ sunt in loco in potentia, et hoc sufficit.

5. Contra, id quod est in actu, est prius eo, quod est in potentia; ergo inconveniens est, quod primus motus localis sit corporis existentis in loco per partes, quæ sunt in potentia in loco. — *Ibid.*

6. Præterea, dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 45; c. 5), quod ultima sphæra non est alicubi, quia quod alicubi est, et ipsum aliquid est, et adhuc aliquid oportet esse extra hoc, in quo quidem continetur; extra ultimam autem sphæram nihil est. — *Ibid.*

Sed contra est, quod ultima sphæra movetur in loco; sed nihil movetur in loco, quod non sit in loco : ergo ultima sphæra est in loco. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod hac de re variæ fuerunt philosophorum sententiæ. Nam *primo* Alexander dicit, quod ultima sphæra nullo modo est in loco; Philoponus dixit, locum non esse terminum continentis, sed spatium, quod est intra terminos continentis, et per consequens cœlum per se esse in loco et per se moveri, quia per se est in tali spatio. Verum hæc positio est impossibilis, quia vel oportet dicere, quod locus non sit aliquid præter locatum, vel quod aliquæ dimensiones spatii sint per se existentes et tamen subintrantes dimensiones corporum sensibilium; quæ sunt impossibilia. Unde *secundo* alii, ut Alexander, dicunt, cœlum non esse in loco, nec per se nec per accidens, nec moveri in loco, quia non est de ratione corporis, ut sit in loco, cum locus non ponatur in definitione corporis. Quia tamen oportet omnem motum in aliqua specie motus contineri, ideo Avicenna eum secutus dixit, motum ultimæ sphæræ non esse motum in loco, sed motum in situ vel ad situm. Sed hæc positio et est contra intentionem Philosophi (5. *Phys. text.* 9; c. 1), ubi dicit, motum tantum esse in tribus generibus, scilicet quantitate, qualitate et ubi; et est in se falsa, quia ad nullum genus est motus, cujus specierum ratio consistit in indivisibili, propter quod dicimus, quod ad substantiam non est motus, quia ratio substantiæ consistit in indivisibili; non autem ratio albedinis, quia potest participari secundum magis et minus a subjecto; nunc autem ita est, quod ratio situs in indivisibili consistit; unde ad situm non potest esse motus. Præterea, cum situs nominet ordinem partium in loco, locus poneretur in definitione situs; unde motus, qui non potest esse ad locum, nec poterit esse d situm; at motus cœli secundum eos non potest ad locum esse; ergo nec poterit esse ad situm. — *Opusc.* 52; 4. *Phys.* l. 7; *Quodl.* 6, . 3.

Propter hoc quidam *alii*, ut Avempace, dixerunt, quod aliter assignandus est locus corpori, quod movetur circulariter, et aliter corpori, quod movetur motu recto. Quia enim linea recta est imperfecta additionem recipiens, corpus, quod movetur motu recto, requirit locum exterius continentem; quia vero linea circularis in se perficitur, corpus, quod circulariter movetur, non requirit locum exterius continentem, sed locum, circa quem revolvitur; unde et motus circularis dicitur esse motus circa medium. Sic igitur dicunt, quod superficies convexa sphæræ contentæ est locus primæ sphæræ. Sed hoc est contra suppositiones communes positas, quod scilicet locus sit continens et quod locus sit æqualis locato. — Et ideo Averroes dixit, quod ultima sphæra est in loco *per accidens.* Ad cujus evidentiam considerandum est, quod omne illud, quod habet fixionem per alterum, dicitur esse per accidens in loco ex hoc, quod id, per quod figimus, in loco est, ut patet de clavo infixo navi, et de homine quiescente in navi. Manifestum est autem, quod corpora circulariter mota habent fixionem per immobilitatem centri; unde ultima sphæra dicitur esse in loco per accidens, in quantum centrum, circa quod revolvitur, habet esse in loco. Quod autem aliæ sphæræ inferiores habent per se locum, in quo continentur, hoc accidit et non est de necessitate corporis circulariter moti. Sed contra hanc positionem sunt duo argumenta supra allata secundo et tertio loco. — 4. *Phys.* l. 7.

Et ideo magis approbo sententiam Themistii, qui dixit, quod ultima sphæra est in loco *per partes suas.* — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut Aristoteles dixit, non quæreretur locus nisi propter motum, qui

demonstrat locum ex hoc, quod corpora succedunt sibi in uno loco. Unde licet locus non sit de necessitate corporis, est tamen de necessitate corporis, quod movetur secundum locum. Sic igitur alicui corpori moto localiter necesse est assignare locum, secundum quod in illo motu consideratur successio diversorum corporum in eodem loco. In his igitur, quæ moventur motu recto, manifestum est, quod duo corpora succedunt sibi in loco secundum totum, quia totum unum corpus dimittit totum locum, et in ipsum totum subintrat aliud corpus; unde necesse est, quod corpus, quod movetur motu recto, sit in loco secundum se totum. In motu autem circulari, licet totum fiat in diversis locis ratione, non tamen totum mutat locum subjecto; semper enim remanet idem locus subjecto, sed diversificatur ratione tantum; sed partes mutant locum non solum ratione, sed etiam subjecto. Attenditur ergo in motu circulari successio in eodem loco non totorum corporum, sed partium ejusdem corporis; non igitur corpori, quod circulariter movetur, debetur ex necessitate locus secundum totum, sed secundum partes. — Et hoc optime congruit motui primo; necesse enim est, quod gradatim ab uno immobili descendatur ad diversitatem, quæ est in mobilibus; minor autem est variatio, quæ est secundum partes existentes in loco in potentia, quam quæ est secundum tota existentia in loco in actu. Unde primus motus qui est circularis, minus habet de difformitate, propinquior existens substantiis immaterialibus. Multo utem convenientius est dicere, quod ultima sphæra sit in loco propter partes suas intrinsecas quam propter centrum, quod est omnino extra substantiam ejus, et magis consonat opinioni Philosophi, qui (4. *Phys. text.* 44 et 45; c. 5) dicit, cœlum ultimum esse in loco per accidens ratione partium. Sicut enim movetur circulariter partibus sibi invicem succedentibus, sic et locus debetur partibus ejus in potentia, quatenus una pars ejus consequenter se habet ad aliam; unde ratione omnium partium suarum ultima sphæra est in loco, atque adeo per accidens. Et sic manifestum est, quomodo sit ultima sphæra in loco, quomodo non. — 4. *Phys.* l. 7; *Opusc.* 52; *Quodl.* 6, a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod tantum probat, ultimam sphæram non esse in loco per se, sicut nec per se moveri in loco, quod concessum est.

Ad secundum dicendum, quod, quia in motu circulari non attenditur successio totorum corporum in eodem loco, sed partium ejusdem corporis secundum potentiam existentium in loco, ideo ultimæ sphæræ non debetur ex necessitate locus secundum totum, sed secundum partes. Unde non mirum, quod locus et motus per accidens priora sint loco et motu per se; nam optime convenit motui primo locali, ut dictum est (in c.), quod sit corporis existentis in loco per partes, quæ sunt potentia in loco. — 4. *Phys.* l. 7.

Ad tertium dicendum, quod tantum probat, ultimam sphæram non esse in loco per accidens ratione centri, quod supra (in c.) concessum est; nam est tantum per accidens in loco ratione partium existentium in loco in potentia.

Ad quartum dicendum, ut dictum est in argumento, quod cœlum est in loco per partes existentes in loco in potentia.

Ad quintum dicendum, quod optime congruit primo motui, ut dictum est (in c.), quod sit corporis existentis in loco per partes, quæ sunt in potentia in loco.

Ad sextum dicendum, quod argumentum tantum probat, quod ultima sphæra non est in loco secundum totum, cum nullo alio corpore circundetur; est tamen in loco per accidens, ut dictum est (in c. et ad 2).

Ad septimum dicendum, quod quædam sunt per se in loco, sicut omne corpus, quod per se, id est secundum se totum movetur in loco, vel secundum loci mutationem vel secundum augmentum. Sed ultima sphæra non est hoc modo in loco, cum nullum corpus contineat ipsum, sed secundum quod movetur circulariter partibus sibi invicem succedentibus; et locus debetur partibus ejus in potentia, in quantum una pars ejus est consequenter se habens ad aliam. Quædam vero secundum accidens sunt in loco, sicut anima et omnes formæ; et hoc etiam modo ultima sphæra est in loco, quatenus nimirum omnes ejus partes sunt in loco, ex eo quod unaquæque pars continetur sub alia secundum circulationem. — 4. *Phys.* l. 7.

ARTICULUS V

UTRUM DUO CORPORA POSSINT ESSE IN UNO LOCO SALTEM PER ABSOLUTAM DEI POTENTIAM.

Videtur quod duo corpora non possint simul esse in eodem loco.

1. Locus enim proportionaliter respondet locato; sed unum corpus nullo modo potest esse simul in duobus locis nisi per conversionem, ut accidit in Sacramento altaris : ergo nec duo corpora in eodem loco. — *Quodl.* 1, a. 22, arg. 1; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, quæstiunc. 3, arg. 4.

2. Præterea, si duo corpora sint in uno loco, sumantur duo puncta in duabus extremitatibus loci; sequitur quod inter ista duo puncta erunt duæ rectæ lineæ duorum corporum in eodem loco existentium, quod est impossibile : ergo impossibile est, duo corpora esse in eodem loco. — *Quodl.* 1, a. 22, arg. 2.

3. Præterea, non potest fieri etiam per miraculum, quod duo corpora sint simul duo et unum, quia hoc esset facere, duo contradictoria esse simul; sed si ponantur duo corpora esse simul, sequitur illa duo corpora esse unum : ergo non est possibile hoc etiam per absolutam potentiam Dei. Minor probatur; sint duo corpora in eodem loco, quorum unum dicatur A et aliud B; aut ergo dimensiones A erunt eædem cum dimensionibus loci, aut aliæ. Si aliæ, ergo erunt aliquæ dimensiones separatæ; quod non potest poni, quia dimensiones, quæ sunt inter terminos loci, non sunt in aliquo subjecto, nisi sint in corpore locato. Si autem sunt eædem, ergo eadem ratione dimensiones B erunt eædem cum dimensionibus loci; sed quæcunque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem : ergo dimensiones A et B sunt eædem. Sed duorum corporum non possunt esse eædem dimensiones, sicut nec eadem albedo; ergo A et B sunt unum corpus et erunt duo; ergo sunt simul duo et unum. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, quæstiunc. 3, arg. 1.

4. Præterea, contra communes animi conceptiones non potest aliquid per absolutam Dei potentiam fieri; ut scilicet pars non sit minor toto; quia contraria communibus conceptionibus directe contradictionem includunt; sicut nec contra conclusiones geometricas, quæ a conceptionibus communibus infallibiliter deducuntur, sicut quod triangulus non habeat tres angulos æquales duobus rectis. Similiter nec potest aliquid fieri in linea contra definitionem lineæ, quia separare definitionem a definito est ponere, duo contradictoria esse simul; sed duo corpora esse in eodem loco est contra conclusiones Geometriæ et contra definitionem lineæ : ergo non potest per miraculum fieri. Minor patet, quia conclusio Geometriæ est, quod duo circuli non se tangant nisi in puncto; si autem duo corpora circularia essent in eodem loco, duo circuli designati in eis se tangerent secundum totum. Similiter etiam est contra definitionem lineæ, quod intra duo puncta sit plus quam una linea recta; quod contingeret, si duo corpora essent in eodem loco, quia infra duo puncta signata in diversis superficiebus loci essent duæ lineæ rectæ duorum corporum locatorum. — *Ibid.* arg. 2.

5. Præterea, per divinam potentiam non potest fieri, quod corpus inclusum in alio corpore non sit in loco; quia sic haberet locum communem et non proprium, quod non potest esse; sed hoc sequitur, si duo corpora sint in eodem loco: ergo hoc non potest fieri per divinam potentiam. — Minor patet; sint duo corpora in eodem loco, quorum unum secundum quamlibet dimensionem sit majus alio; corpus minus erit inclusum corpore majore, et locus corporis majoris erit locus ejus communis; locum autem proprium non habebit, quia non erit aliqua superficies corporis actu signata, quæ contineat ipsam, quod est de ratione loci ; ergo non habebit locum proprium. — 1. c. arg. 3.

Sed contra est : 1. quod miraculose multis exemplis patet, quod duo corpora simul esse possunt in uno et eodem loco, ut cum corpus Christi Domini infantis exiens ex utero Virginis matris claustra pudoris non fregit, et cum idem Dominus ad discipulos januis clausis intravit. — *Ibid.* arg. 1 et 2 *Sed contra*.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 10; c. 2), quod movens et motum, agens et patiens, operans et operatum oportet simul esse; sed simul sunt, quæ sunt in uno loco : ergo movens et mobile, quæ sunt duo corpora, possunt esse in uno et eodem loco. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, c.

3. Præterea, si non potest esse unum corpus cum alio in eodem loco, vel id est propter gros-

sitiem et corpulentiam, vel propter dimensiones; sed non propter primum, quia corpus gloriosum erit spirituale secundum Apostolum (1. *ad Corinth.* 15, 44); nec propter secundum, quia cum tangentia sint, quorum extrema sunt simul, necesse est, quod punctum unius corporis naturalis sit simul cum alio puncto alterius, et linea cum linea, et superficies cum superficie : ergo et pari ratione corpus cum corpore; ergo poterit esse unum corpus cum alio. — *Quodl.* 1, a. 21, arg. 1.

Respondeo dicendum, quod *naturaliter* non potest unum corpus esse cum alio in uno eodemque loco; cujus rei multiplex ratio a philosophis assignatur. Dicunt enim *quidam*, id prohiberi ratione corpulentiæ, per quam habet corpus, quod repleat locum, quam quia tollit dos gloriæ, puta subtilitas, ideo dicunt, corpus gloriosum naturaliter posse simul stare cum alio in eodem loco. Sed hoc stare non potest, *primo*, quia vel hæc corpulentia est aliqua qualitas vel materia vel forma vel quantitas. Non primum, quia nulla qualitas dari potest, qua remota corpus possit esse simul cum alio in eodem loco. Neque secundum et tertium, quia cum materia et forma sint partes essentiæ, integra essentia corporis humani non remaneret cum gloria in corpore glorioso, quod est hæreticum. *Secundo*, quia corpulentia, quam dos subtilitatis aufert, est ad defectum pertinens, puta aliqua inordinatio materiæ non perfecte substantis suæ formæ; totum enim, quod ad integritatem corporis pertinet, in corpore resurget tam ex parte formæ quam ex parte materiæ. Quod autem corpus sit repletivum loci, hoc habet per id, quod est de integritate naturæ ejus, et non ex aliquo defectu naturæ; cum enim plenum opponatur vacuo, illud solum non replet locum, quo posito in loco, locus nihilominus remanet vacuus. Vacuum autem definitur in 4. *Phys.* (*text.* 57; c. 7), quod est locus non plenus sensibili corpore; dicitur autem aliquod corpus esse sensibile ex materia et forma et naturalibus accidentibus, quæ omnia ad integritatem naturæ pertinent. Constat etiam, quod corpus gloriosum erit etiam sensibile secundum tactum, ut patet in corpore Domini; unde sequitur, quod corpus gloriosum non obstante dote subtilitatis replebit locum; insania enim videtur dicere, quod locus, ubi esset corpus gloriosum, esset vacuus. *Tertio*, ratio eorum prædicta non valet, quia impedire coexistentiam corporis in eodem loco est in plus quam replere locum. Si enim ponamus, dimensiones esse separatas sine materia, illæ dimensiones non replent locum, et tamen istæ dimensiones prohibentur, ne sint simul cum aliquo corpore in eodem loco, ut patet per Philosophum (l. c.), ubi habet pro inconvenienti, quod corpus mathematicum, quod nihil aliud est quam dimensiones separatæ, sit simul cum corpore naturali sensibili. Unde dato quod subtilitas corporis gloriosi auferret ab eo hoc, quod est replere locum, non tamen propter hoc sequeretur, quod posset esse cum alio corpore in eodem loco, quia remoto eo, quod in minus est, non propter hoc removetur, quod in plus est. Unde sequitur, quod dote subtilitatis non removetur id, quod impedit naturaliter, quominus duo corpora sint simul in eodem loco. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 2; *Quodl.* 1, a. 21.

Alii ergo dicunt et vere, quod ideo duo corpora non possunt naturaliter esse in eodem loco, quia contiguum requirit distinctionem in situ. Illud enim tantum prohibet, ne duo corpora naturaliter sint in eodem loco situata, quod in corpore quolibet requirit diversum situm; nihil enim est impedimentum identitati, nisi quod est causa diversitatis. Hanc autem diversitatem situs non requirit aliqua qualitas corporis, quia corpori non debetur aliquis situs ratione suæ qualitatis; nam remoto a corpore sensibili, quod sit calidum aut frigidum, grave aut leve, nihilominus in eo remanet necessitas prædictæ distinctionis, ut patet per Philosophum (4. *Phys. text.* 76; c. 8), et etiam per se planum est. Similiter etiam materia non potest inducere necessitatem prædictæ distinctionis, quia materiæ non advenit situs nisi mediante quantitate dimensiva. Similiter etiam neque forma situm habet nisi ex materia situm habente. Restat ergo, quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis dimensivæ, cui per se convenit situs; cadit enim in definitione ejus, quia quantitas dimensiva est quantitas habens situm. Et inde est, quod remotis omnibus aliis, quæ sunt in re, talis distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensiva; et contra partes in subjecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subjectæ dimensioni. Et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones, ita propter dimensiones corpora distinguuntur secundum diversa loca; duo enim corpora facit actualis divisio materiæ corporalis, duas autem partes u-

nius corporis divisibilitas potentialis. Unde et Philosophus (4. *Phys. text.* 76; c. 8) dicit, quod sicut subintrante cubo ligneo aquam vel aerem oportet, quod tantum cedat de aqua vel aere, ita oportet, quod cederent dimensiones separatæ, si vacuum poneretur. Cum ergo gloria non tollat dimensiones corporis, nullum omnino corpus etiam gloriosum poterit naturaliter simul esse cum alio corpore in eodem loco, sive simpliciter sive propter aliquam proprietatem inditam. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 2; *Quodl.* 1, a. 21.

Potest autem sive corpus gloriosum sive quodcunque aliud simul esse cum alio in eodem loco *propter potentiam divinam*, atque adeo per miraculum, ut patet in corpore Christi glorioso, ut dictum est. Et ratio est, quia cum ideo necesse sit naturaliter duo corpora esse in duobus locis, quia diversitas materiæ requirit distinctionem in situ (unde videmus, quod quando conveniunt duo corpora in unum, destruitur esse distinctivum utriusque, et acquiritur utrique simul unum esse distinctum, ut patet in mixtionibus), non potest esse, quod duo corpora remaneant duo et tamen simul sint, nisi utrique conservetur esse distinctum, quod primum habebant, secundum quod utrumque erat ens indivisum in se et divisum ab aliis. Hoc autem esse distinctum dependet a principiis rei essentialibus sicut a causis proximis, sed a Deo sicut a causa prima; sicut et esse accidentis dependet a subjecto sicut a causa proxima, sed a Deo sicut a causa prima. Quia ergo causa prima potest conservare effectus in esse sine causis proximis et secundis, ideo, sicut in Sacramento altaris conservat accidentia sine subjecto, ita potest conservare distinctionem materiæ corporalis et dimensionum in ea absque diversitate situs, et sic miraculose facere, quod duo corpora sint simul in eodem loco, non propter aliquam virtutem creatam inditam, sed sola divina virtute assistente et hoc operante, sicut corpus S. Petri sua umbra sanabat infirmos, sed divina virtute assistente et miracula faciente. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 3; *Quodl.* 1, a. 22.

Ad primum ergo dicendum, quod unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum. Corpus enim Christi non est in altari localiter, quia licet secundum veritatem sit sub speciebus, non tamen competit ei ratione sui; quia neque ratione suæ quantitatis neque ratione suæ virtutis, sed ratione illius, quod in ipsum conversum est ibi præexistens, cujus dimensiones adhuc manent, quibus ad locum illum determinabatur; et ideo non definitur loco illo; unde ubique tamen fieri potest, quod duo corpora sint in eodem loco. Et ratio hujus est, quia esse in pluribus locis simul repugnat individuo ratione ejus, quod est esse indivisum in se; sequeretur enim, quod esset distinctum in situ; sed esse cum alio corpore in eodem loco repugnat ei quantum ad hoc, quod est esse divisum ab alio; ratio autem unius perficitur in indivisione, ut patet in 4. *Metaphys. text.* 1; l. 3, c. 2. Sed divisio ab aliis est de consequentibus ad rationem unius; unde quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis, includit contradictionem; sed duo corpora esse in eodem loco non includit contradictionem, et ideo non est simile. De ratione enim loci est, quod sit terminus locati, terminus autem est extra quem nihil est rei; unde nihil locati potest esse in loco exteriori. Quod si ponatur esse in pluribus locis, sequitur, quod sit extra suum locum, et ita sequitur, quod sit locatum et non locatum, quod implicat contradictionem. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 4 et dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 2, c. et ad 3; *Quodl.* 1, a. 22, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod duas lineas rectas mathematicas esse intra duo puncta est impossibile, quia in eis nulla alia ratio distinctionis potest intelligi nisi ex situ; sed duas lineas naturales esse intra duo puncta est impossibile quidem per naturam, sed possibile per miraculum, quia remanet alia ratio distinctionis in lineis duabus ex diversitate corporum subjectorum, quæ conservatur divina virtute, etiam remota diversitate situs. — *Quodl.* 1, a. 22, ad 2; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa est sophistica, quia procedit ex suppositione falsi vel petit principium. Procedit enim ratio illa, ac si inter duas superficies oppositas loci alicujus esset aliqua dimensio propria loco, cui oporteret, quod uniretur dimensio corporis locati advenientis; sic enim sequeretur, quod dimensiones duorum corporum locatorum fierent una dimensio, si utraque unum fieret cum dimensione loci. Haec autem suppositio falsa est, quia secundum hoc, quandocunque corpus acquireret novum locum, oporteret aliquam immutationem fieri in dimensionibus loci vel locati; non enim potest esse, quod aliqua duo fiant de novo unum, nisi altero eorum immutato. Si autem, ut verum est, loco non debentur aliæ dimensiones quam dimensiones locati, patet, quod ratio nihil pro-

bat, sed petit principium, quia secundum hoc nihil est aliud dictum : quod dimensiones locati fiunt eædem cum dimensionibus loci, nisi quod dimensiones locati continentur infra terminos loci, et secundum eorum mensuram distant termini loci, sicut distarent propriis dimensionibus, si eas haberent. Et sic dimensiones duorum corporum esse dimensiones unius loci, nihil est aliud, quam duo corpora esse in eodem loco, quod est principale propositum. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod posito, quod duo corpora per divinam virtutem sint in uno loco, neque sequitur aliquid contra communes animi conceptiones, neque contra definitionem lineæ, neque contra conclusiones geometricas. Quantitas enim dimensiva in hoc differt ab omnibus aliis accidentibus, quod habet specialem rationem individuationis et distinctionis, scilicet ex situ partium, præter rationem individuationis et distinctionis, quæ est sibi et omnibus aliis accidentibus communis, scilicet ex materia subjecta. Sic ergo una linea potest intelligi diversa ab alia, *vel* quia est in alio subjecto, quæ consideratio non est nisi de linea materiali; *vel* quia distat in situ ab alia, quæ consideratio est de linea mathematica, quæ intelligitur præter materiam. Si ergo removeatur materia, non potest esse distinctio linearum nisi secundum diversum situm; et similiter nec punctorum nec superficierum nec quarumcumque dimensionum; et sic Geometria non potest ponere, quod una linea addatur alii tamquam distincta ab ea, nisi sit diversa situ ab ea; sed supposita subjecti distinctione sine distinctione situs, ex dicto miraculo intelligentur diversæ lineæ, quæ non distant situ propter diversitatem subjecti, et similiter puncta diversa; et sic duæ lineæ designatæ in duobus corporibus, quæ sunt in eodem loco, trahuntur a diversis punctis ad diversa puncta, ut non accipiamus punctum signatum in loco, sed in ipso corpore locato, quia linea non dicitur trahi nisi a puncto, quod est terminus ejus. — *Ibid.* ad 2.

Ad quintum dicendum, quod Deus posset facere aliquod corpus, quod non esset in loco; et tamen illa positione facta non sequitur, quod aliquod corpus non sit in loco, quia corpus majus est locus corporis minoris ratione illius superficiei, quæ designatur ex contactu terminorum minoris corporis. — 1. c. ad 3.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod hoc objectum probat tantum, per divinam virtutem posse duo corpora esse simul in uno et eodem loco, ut dictum est (in c.)

Ad secundum dicendum, quod verum quidem est, quod omne movens et motum debent esse simul, sed tamen id diversimode contingit in corporalibus et spiritualibus. Quia enim corpus per essentiam suam, quæ circumlimitata est terminis quantitatis, determinatum est ad situm aliquem, non potest esse, quod corpus movens et motum sint in eodem situ; unde oportet, quod simul sint per contactum, et sic virtute sua immutat corpus, quod immediate sibi conjungitur, quod etiam immutatum aliud immutare potest usque ad aliquem terminum. Spiritualis vero substantia, cujus essentia omnino absoluta est a quantitate et situ et per hoc loco, non est distincta ab eo, quod movet per locum vel situm, sed ubi est, quod movetur, ibi est ipsum movens; sicut anima est in corpore, et sicut virtus movens cœlum dicitur esse in dextra parte orbis, quem movet, unde incipit motus, ut dicitur in 2. *de Cœlo text.* 13; c. 2. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod, ut dictum est, corpus humanum in statu gloriæ prohibetur esse cum alio corpore in eodem loco non propter corpulentiam vel grossitiem, quæ per gloriam tolluntur (spiritualitatem enim Apostolus opponit animalitati, secundum quam corpus est alimoniæ indigens, ut dicit Augustinus, non autem opponit grossitiei vel corpulentiæ), — sed impeditur propter dimensiones; ratio vero, quæ in contrarium objicitur, ponitur inter sophisticas rationes a Philosopho in 4. *Phys.* Puncto enim, lineæ et superficiei non debetur locus, sed corpori; unde non sequitur, si termini corporum se tangentium sunt simul, quod propter hoc plura corpora possunt esse in eodem loco.— *Quodl.* 1, a. 21, ad 1.

ARTICULUS VI

UTRUM UNUM CORPUS POSSIT ESSE IN PLURIBUS LOCIS.

Videtur quod unum corpus possit esse in pluribus locis.

1. Difficilius enim est, quod hæc substantia mutetur in aliam, quam quod hæc substantia mutetur in accidens; sed in Sacramento altaris ex hoc, quod divina virtute substantia panis, remanentibus ejus dimensionibus, secun-

dum quas commensuratur loco, convertitur in substantiam corporis Christi, sequitur, quod idem corpus Christi sit non localiter secundum commensurationem propriarum dimensionum, sed sacramentaliter in pluribus locis simul : ergo potest facere, quod convertatur dimensio hujus corporis in dimensionem alterius corporis, et sic erit idem corpus localiter in pluribus locis. — *Quodl.* 3, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, loci varietas nihil omnino facit ad diversitatem numericam; causa enim diversitatis numericæ est in ipsis, quæ numero differunt; locus autem est extra locatum : ergo cum diversitate locorum potest stare unitas numerica rei, et per consequens unum corpus numero potest esse in pluribus locis. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 4, arg. 1.

3. Præterea, si unum corpus non potest esse in pluribus locis, maxime, quia, ut dictum est, inde sequeretur, quod esset divisum in se, quod est contra rationem unius numero. Sed hoc est falsum, *tum* quia res non est completa in esse nisi per hoc, quod est ab aliis distincta, locus autem advenit post esse completum; unde et motus ad locum est motus perfecti secundum substantiam, ut dicitur 8. *Phys. text.* 58 (c. 7); *tum* quia distinctio secundum numerum est invariabilis circa ipsa distincta; a causa autem variabili, cujusmodi est locus, quia variatur circa locatum, non procedit effectus invariabilis : ergo potest unum corpus numero manens indivisum in se esse in pluribus locis. — *Ibid.* arg. 2 et 3.

4. Præterea, idem Christi corpus potest esse in uno loco localiter, puta in cœlo, et in alio sacramentaliter, puta in pluribus hostiis : ergo et potest esse in pluribus locis localiter.

Sed contra : 1. omnia duo loca distinguuntur ad invicem secundum aliquam loci contrarietatem, quæ sunt sursum et deorsum, ante et retro, dextrum et sinistrum; sed Deus non potest facere, quod duo contraria sint simul; hoc enim implicat contradictionem : ergo Deus non potest facere, quod idem corpus sit in pluribus locis localiter. — *Quodl.* 3, a. 2, *Sed contra.*

2. Præterea, de ratione loci est, ut dictum est, quod sit terminus locati; sed terminus est, extra quem nihil est rei : ergo nihil locati potest esse in loco exteriori; at si ponatur esse in duobus locis, sequitur, quod sit extra suum locum, et ita quod sit locatum et non locatum, quod implicat contradictionem : ergo idem corpus non potest esse in pluribus locis. — *Quodl.* 1, a. 22, ad 1 et *Quodl.* 3, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod contradictionem implicat, unum corpus esse in pluribus locis. Et ratio est, quia esse in pluribus locis simul repugnat individuo ratione ejus, quod est esse indivisum in se; sequitur enim, quod sit distinctum in situ, et per consequens, quod careat ratione formali unius, quæ est esse indivisum in se. Unde, sicut implicat, quod homo careat ratione, quia posito, quod sit homo, habeat rationem necesse est, et ex alia parte ponitur sine ratione, quod est non habere rationem, unde haberet et non haberet rationem; ita implicat unum numero corpus esse in pluribus locis. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod difficilius est hoc accidens mutari in aliud accidens, quam hanc substantiam mutari in aliam substantiam, tum quia duæ substantiæ conveniunt in subjecto materiali, quod est pars essentialis utriusque substantiæ; tum quia substantia habet individuationem per se ipsam. Accidens autem non individuatur per seipsum, sed per subjectum; unde non potest ei convenire, quod hoc accidens convertatur in hoc accidens. Dato tamen, quod hæc dimensio convertatur in illam, non sequitur, quod idem corpus esset in duobus locis simul, sed in uno tantum, quia postquam substantia panis conversa est in substantiam corporis Christi, jam non sunt ibi duæ substantiæ, sed una tantum; ita etiam, si hæc dimensio hujus corporis converteretur in illam dimensionem alterius corporis, jam non erunt duæ dimensiones, sed una tantum, et sic non commensuraretur diversis locis, sed uni tantum. — *Quodl.* 3, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod tantum probat, quod diversitas loci non est causa diversitatis individuorum secundum se; sed per hoc non removetur, quin causa diversitatis locorum sit causa diversitatis secundum numerum. Diversitas enim secundum numerum causatur ex diversitate materiæ sub dimensionibus existentis; ipsa etiam materia secundum quod sub dimensionibus existit, prohibet duo corpora esse in eodem loco, in quantum oportet duorum corporum distinctas esse secundum situm materias. Et sic patet, quod ex eodem causatur diversitas secundum numerum, ex quo causatur necessitas diversitatis locorum in diversis cor-

poribus; et ideo ipsa diversitas locorum in se considerata est signum diversitatis secundum numerum. Diversitas autem loci considerata secundum causam suam est causa diversitatis numericæ; et ideo Boethius dicit, quod varietas accidentium facit diversitatem secundum numerum. — Et idem dicendum est *ad tertium*. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 4, ad 1 et in c.

Ad quartum dicendum, quod corpus Christi est in Sacramento per conversionem, non autem localiter; quæstio autem est de eodem corpore in pluribus locis localiter. — *Quodl.* 1, a. 22, ad 1.

QUÆSTIO XX

DE VACUO.

Deinde considerandum est de vacuo. Sicut enim pertinet ad philosophum naturalem determinare de loco, an sit et quid sit, ita et de vacuo, quia per similes rationes aliqui crediderunt esse locum et vacuum.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum detur vacuum vel dari naturaliter possit.
2. Quid sit vacuum.
3. Utrum posito vacuo possit in illo fieri motus.
4. Utrum motus in vacuo si fieret, fieret in instanti an in tempore.
5. Utrum ascensus aquæ ad replendum vacuum sit aquæ naturalis.

ARTICULUS I

UTRUM DETUR VACUUM VEL DARI POSSIT NATURALITER.

Videtur quod vacuum detur et consequenter dari possit naturaliter.

1. Quia si vacuum dari non posset, nec posset dari motus localis, ut dicitur 4. *Phys. text.* 53; c. 6. Quia quod movetur, aut recipitur in vacuo, et sic habetur intentum, vel recipitur in pleno, et sic dabitur penetratio dimensionum, quæ est impossibilis naturaliter : ergo datur et dari naturaliter potest vacuum. — 4. *Phys.* l. 9.

2. Præterea, quædam videmus constringi, quædam dilatari; sed hæc fieri non possunt sine vacuo; nam eorum, quæ condensantur, partes se invicem calcant et comprimunt, non nisi quia inter illas intercedebat vacuum : ergo datur naturaliter vacuum. — *Ibid.*

3. Præterea, augentur corpora per alimentum, quod est corpus quoddam; sed duo corpora non possunt esse in eodem loco : ergo oportet esse aliquas vacuitates in corpore augmentato, in quibus recipitur alimentum, et sic necesse est esse vacuum ad hoc, ut alimentum recipiatur. — *Ibid.*

4. Præterea, vas plenum cinere tantum recipit de aqua, quantum si esset vacuum; sed hoc non esset, nisi essent aliquæ vacuitates inter partes cineris : ergo naturaliter dari potest vacuum. — *Ibid.*

5. Præterea, si esset aliquis in extrema circumferentia cœli, aut posset extendere manum suam aut non; si non posset, ergo impediretur ab aliquo extrinseco impediente existente, et redibit eadem quæstio de illo extrinseco. Si in extremo ejus aliquis existens posset ultra manum porrigere, hoc dato sequitur, quod extra id possit esse corpus, et cum non sit extra, erit vacuum; nam vacuum nihil aliud est quam locus, in quo non est corpus, potest tamen esse. — 1. *de Cœlo* l. 21.

6. Præterea, si dentur duo lapides politi, ita ut unus perpendiculariter super alium cadat, necesse est, quod antequam se tangant, aer interceptus inter ipsos recedat; sed non potest recedere in instanti, sed in tempore : ergo necesse est, quod in aliqua parte temporis locus centralis, in quo erat aer, per ejus recessum remaneat vacuus, et sic dabitur vacuum in natura, saltem per aliquod tempus. — 2. *de Anima* l. 23.

7. Præterea, Angelis obedit natura quoad motum localem; ergo cum agens naturale movetur localiter ad prohibendum vacuum poterunt Angeli talem motum impedire; unde naturaliter sequetur vacuum in natura. — 1a, q. 110, a. 3.

8. Præterea, vacuum est, ubi non est corpus, sed potest esse; sed ubi nunc est mundus, prius non fuit aliquod corpus, et tamen ibi poterat esse; alioqui ibi nunc non esset ergo ante mundum naturaliter fuit vacuum — 1a, q. 46, a. 1, arg. 4; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 4.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 64 et sqq.; c. 8) fuse probat, vacuum nec dari nec posse dari. — 4. *Phys.* l. 11.

Respondeo dicendum, quod naturaliter nec datur nec dari potest vacuum. Et ratio est, quia *vel* hoc vacuum est vel esse potest extra cœlum, *vel* intra, sed immersum reliquis corporibus contentis sub cœlo, *vel* intra, sed separatum a reliquis corporibus; sed nullum horum dici potest. *Non primum*, quia si vacuum dari potest, illud debet esse locus, in quo non existit corpus, sed possibile est esse. Hoc posito, in omni loco possibile est existere corpus; alioqui locus esset frustra; sed extra cœlum non est possibile naturaliter existere aliquod corpus, ut pluribus probat Philosophus (1. *de Cœlo text.* 97 sqq.; c. 9) : ergo extra cœlum non est vacuum. — Præterea, aut illud vacuum erit finitum aut infinitum; si finitum, oportet quod alicubi terminetur, et tunc redibit eadem quæstio, utrum ultra illum terminum sit vacuum, cum extra illum possit quis manum extendere, et sic ibi possibile erit corpus esse; unde sequitur ibi esse vacuum. Si autem sit infinitum, aut ista potentia vacui erit frustra, aut oportebit ponere corpus infinitum, quod possit recipi in infinito vacuo. — Demum si sit vacuum extra mundum, similiter se habet mundus ad aliam partem vacui, sicut ad istam, in qua est mundus; ergo ista non est proprie locus ejus; nulla ergo est causa, quare in hac parte vacui maneat. Si autem mundus non feratur magis ad unam partem quam ad aliam, quia in vacuo non est differentia, fertur ergo ad omnem partem, et ita mundus destruetur. — 1. *de Cœlo* l. 20 et 21.

Neque secundo est intra cœlum separatum a rebus, *primo*, quia si datur naturale vacuum, datur propter motum localem sicut et locus; [*tum vero vacuum*] aut est causa efficiens aut finalis motus, aut est locus, in quo fit motus; sed nullum horum est. Non primum, quia motus naturales sunt determinati et habent determinatas causas; at vacuum, cum nihil sit, indifferens est ad unum et alterum. Neque secundum, quia in vacuo non est major ratio, cur mobile ad hoc quam ad illud spatium moveatur, cum sit totum ejusdem rationis. Neque tertium, quia quando totum est actu in loco, partes illius sunt tantum in potentia; at posito vacuo essent actu in loco, cum etiam illæ penetrentur a vacuo. — *Secundo*, quia omnis motus aut est naturalis aut violentus; sed hic supponit naturalem; naturalis vero est determinatus secundum sursum et deorsum, quæ differentiæ non sunt in vacuo, quia nihil est. — *Tertio*, motus violentus projectorum post primum impulsum vel fit per circumobsistentium et antiperistasim, vel ab aere primo moto a percutiente, qui secum fert sagittam; sed hæc non sunt in vacuo. — *Quarto*, dato vacuo non est ratio, cur res magis hic quam alibi quiescat; quare necesse erit, quod vel omne corpus quiescat vel moveatur in infinitum, nisi occurrat ei aliquod corpus majus, quod motum ejus impediat, quod est absurdum. — *Confirmatur*, quia ideo ponitur vacuum ab assertoribus illius, ut cedat corpori, quod movetur; at vacuum ex omni parte cedit : ergo corpus in quamcunque partem movebitur. — 4. *Phys.* l. 11.

Neque tertio vacuum est intra cœlum immersum corporibus, quia vel hoc vacuum est aliquod rarum habens multa foramina et vacua separata magna, aut non separata, sed in corporibus existentia. Si primum, jam dabitur vacuum separatum, quod est supra refutatum; si secundum, sequuntur multa absurda : et *primo*, vacuum non esse causam nisi motus sursum; rarum enim leve est et sursum ascendit; ponentes autem vacuum dicunt, illud esse causam raritatis. *Secundo*, vacuum inditum corporibus ferre secum corpus, in quo est; quod tamen est impossibile, quia tunc oporteret, quod si vacuum moveretur, esset aliquis locus vacui, et cum vacuum et locus sint idem secundum ponentes vacuum, sequeretur, quod vacui interioris esset vacuum exterius, in quod fertur, quod est impossibile. *Tertio*, nullam causam esse, cur grave deorsum feratur, cum densum sit et proinde careat vacuo. *Postremo*, si corpus rarum causat motum sursum propter vacuitatem internam, oportere, quod quanto aliquid est rarius et magis vacuum, tanto velocius feratur sursum, et si sit omnino vacuum, velocissime feratur; quod tamen est impossibile, quia quod est omnino vacuum, non potest moveri, quia non esset comparare velocitates vacui et pleni neque ex parte spatii neque ex parte mobilis secundum aliquam determinatam proportionem, eo quod pleni ad vacuum nulla est proportio; quare vacuum non potest esse causa motus sursum. — Unde dicendum est, quod naturaliter nec datur nec dari potest vacuum, quod etiam multa experimenta sensitiva demonstrant in multis inge-

niis, quæ per hoc fiunt, quod natura non patitur vacuum. — 4. *Phys.* l. 11; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod licet vacuum non detur, adhuc tamen potest fieri motus localis; nam potest fieri per hoc, quod se invicem corpora subintrent per modum inspissationis, et sic aliquid in plenum movebitur et non in vacuum, ut manifeste patet in corporibus fluidis, ut in aqua. Si enim projiciatur lapis in aliquam magnam latitudinem aquæ, manifeste apparet, fieri quasdam circulationes circa locum percussionis, quousque pars aquæ depulsæ commoveat aliam et subintret ipsam; unde quia modica pars aquæ subintrat per quandam diffusionem in majorem aquam, circulationes prædictæ a parvo in majus procedunt, quousque totaliter deficiant. — 4. *Phys.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod condensatio potest fieri sine positione vacui, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 63 ; c. 7) ; non scil. per hoc, quod pars subintrans vadit ad locum vacuum, sed quia egreditur corpus subtilius, quo plenum erat corpus densius, ut patet, quando aqua colliditur et condensatur ; id enim fit per exclusionem aeris intus existentis in aqua ; similiter videre est in spongia et in hujusmodi corporibus porosis. — *Vel dic*, quod condensatio non fit per hoc, quod partes aliæ subintrando adveniant, sicut nec rarefactio per hoc, quod partes inhærentes extrahantur, ut existimant ponentes vacuum intra corpora, sed per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc majorem, nunc minorem quantitatem, ut sic rarefieri nihil sit aliud, quam materiam recipere majores dimensiones per reductionem de potentia in actum ; condensari autem contra, ut docet Philosophus (l. c. *text.* 84 ; c. 9). — 4. *Phys.* l. 10 et 14.

Ad tertium dicendum, quod etiam sine positione vacui potest salvari augmentum ; dici enim potest fieri augmentum per alterationem ; sicut cum ex aqua fit aer, major fit quantitas aeris, quam erat aquæ. — *Vel dic*, quod augmentum non fit per hoc, quod alimentum transit in id, quod augetur, quasi sit aliud corpus ab ipso, sed quia convertitur in substantiam ipsius, sicut ligna apposita igni convertuntur in ignem, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 34 ; c. 5). — 4. *Phys.* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod si vas plenum cinere recipit tantum de aqua, quantum vacuum, non est propter vacuitatem, sed propter commixtionem in aqua ; aqua enim commixta cineri condensatur, et aliqua pars ejus exhalat, et iterum partes cineris magis inspissantur humefactione ; cujus signum est, quia non potest extrahi tantum de aqua, quantum prius fuit. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod homo in extrema circumferentia constitutus non posset manum suam extendere, non propter extrinsecum impediens, sed quia de natura omnium corporum naturalium est, quod contineantur infra extremam circumferentiam cœli ; alioqui cœlum non esset universum. Unde si esset aliquod corpus, quod non deberet a corpore cœli sic contineri, id nihil prohiberet esse extra cœlum, sicut corpus glorificatum et sicut substantiæ spirituales. — 1. *de Cœlo* l. 21 ; *Quodl.* 6, a. 3, c.

Ad sextum dicendum, quod si dentur duo lapides politi, numquam unus ita cadere poterit supra alium, ut illum tangat, sed inter utrumque semper intercedet vel aer vel aqua, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 113 ; c. 11). — 2. *de Anima* l. 23.

Ad septimum dicendum, quod licet angelis obediat materia quoad motum, non tamen potest impedire motum localem ad prohibendum vacuum, quia hoc non est proportionatum naturæ angelicæ, ut mutet ordinem elementorum mundi ejusque partium. — *de Malo* q. 16, a. 10, ad 8.

Ad octavum dicendum, quod ante creationem mundi non fuit vacuum, sicut neque post ; vacuum enim non est tantum negatio, sed privatio ; unde ad positionem vacui oportet ponere locum vel dimensiones separatas, sicut ponentes vacuum dicebant, quorum nullum ponimus ante mundum. Et si dicatur, quod possibile erat, ante factionem mundi mundum futurum esse, ubi nunc est, dicendum ad hoc, quod non erat nisi in potestate agentis. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 4.

Vel dic, quod ad rationem vacui non sufficit, *in quo nihil est*, sed requiritur, quod sit locus vel spatium capax corporis, in quo non sit corpus, ut patet per Aristotelem (4. *Phys. text.* 60 ; c. 7) ; nos autem dicimus non fuisse locum aut spatium ante mundum. — 1a, q. 46, a. 1, ad 4.

ARTICULUS II

UTRUM VACUUM RECTE SIT A PHILOSOPHO DEFINITUM.

Videtur quod non recte sit a Philosopho vacuum definitum, quod sit locus, in quo non est corpus, potest tamen esse.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 76; c. 8), quod vacuum sonat aliquid inane, et quod non est; sed locus est aliquid, ut dictum est: ergo vacuum non est locus privatus corpore. — 4. *Phys.* l. 10 et 13.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cælo text.* 99; c. 9), quod extra cœlum non est locus; sed extra cœlum apta sunt ibi aliqua esse, ut dicit Philosophus ibidem; non possunt autem ibi esse nisi in vacuo: ergo vacuum non est locus. — 1. *de Cælo* l. 21.

Sed contra est Philosophus 4. *Phys. text.* 60; c. 7, ubi dicit, quod si vacuum est, necesse est esse locum privatum corpore. — 4. *Phys.* l. 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod recte definitur a Philosopho vacuum, quod sit locus privatus corpore. Potest autem hoc esse manifestum ex duobus: et *primo* quidem ex ratione ponendi vacuum. Ut enim dicit Philosophus, propter idem ponitur a philosophis vacuum, propter quod posuerunt locum esse, puta propter motum; nam in le salvatur motus secundum locum, tam secundum illos, qui dicunt, locum aliquid esse præter corpora, quæ sunt in loco, quam secundum illos, qui ponunt vacuum esse. Negantibus autem locum et vacuum esse, non provenit motum secundum locum esse; at nisi ponatur, vacuum esse locum privatum corpore, non potest poni motum esse. Nam omnia corpora naturaliter moventur ad suum locum; locus autem non est spatium, cum tale spatium nihil omnino sit; locus autem aliquid est: ergo si datur vacuum, hoc erit locus privatus corpore. — *Secundo* ex refutatione aliarum definitionum, quas philosophi de vacuo attulerunt, quæ non sunt convenienter assignatæ. Quidam enim illud definierunt, quod sit, in quo non est corpus tangibile; et tamen punctus non est vacuum; unde addi debet, quod vacuum sit locus, in quo non sit corpus tangibile, sed potest esse. Alii vero definiunt vacuum: in quo non est hoc aliquid neque ulla substantia corporea; fit autem hoc aliquid per formam, quod quia competit materiæ, ideo dicunt materiam, secundum quod est absque forma, esse vacuum; et hi eandem appellant locum, quia vacuum locum esse volunt. Sed hi male dicunt, quia materia non est separabilis a rebus, quarum est materia; sed homines quærunt vacuum et locum tamquam separata a rebus; optime autem explicatur natura vacui, si definiatur per hoc, quod sit locus privatus corpore. Unde manifestum est, quod fuit a Philosopho recte definitum vacuum. — 4. *Phys.* l. 10 et 11.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de vacuo, quod philosophi appellant spatium dimensionatum sine corpore sensibili; hoc enim nihil est, cum inaniter et sine ratione et veritate dicatur, quod tale vacuum sit. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod quemadmodum, quia extra cœlum non est tempus, quæ ibi nata sunt esse, ut Deus et intelligentiæ, non sunt in tempore, ita, quia extra cœlum non est locus, ut probat Philosophus (1. *de Cælo text.* 99; c. 9), prædicta ibi existentia non sunt in loco nec loco continentur, eo quod magnitudine et motu carent; dicuntur autem ibi esse, id est extra cœlum, non sicut in loco, sed sicut non contenta nec inclusa sub continentia corporalium rerum, sed totam corporalem naturam excelentia. — 1. *de Cælo*, l. 21; *Quodl.* 6, a. 3.

ARTICULUS III

UTRUM POSITO VACUO MOTUS LOCALIS IN EO FIERET.

Videtur quod posito vacuo motus localis in eo fieret.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 48; c. 5), quod terra movetur ad centrum tamquam ad suum locum, non autem ad superficiem aquæ; sed dato vacuo adhuc remaneret centrum; hoc enim est punctum imaginarium in medio totius mundi: ergo si daretur vacuum, adhuc terra moveretur localiter. — 4. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, corpus gloriosum movetur extra cœlum, cum sit agile juxta illud *Sapientiæ* (c. 3, 7): *tamquam scintillæ in arundineto discurrent*; et corpus Christi *ascendit super omnes cœlos*, ut dicitur *ad Ephes.* (c. 4, 10); sed extra cœlum cum non sit ullum plenum, quia nullum est corpus, ut probat Philosophus (1. *de Cælo text.* 96 et 97; c. 9), necessario

debet esse vacuum : ergo necessario debet corpus gloriosum localiter moveri in vacuo. — *Quodl.* 6, a. 3 ; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 3 ; 1. *de Cœlo* l. 20.

3. Præterea, medium plenum potius impedit et retardat motum ; nam quo medium est subtilius, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 71 et 72 ; c. 8), eo velocior est motus ; sed in vacuo nullum est medium plenum resistens et retardans motum : ergo potest in eo esse motus localis. — 4. *Phys.* l. 12.

4. Præterea, cœlum movetur localiter, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 5 ; c. 2), cum sit corpus naturale ; sed motus cœli præsertim ultimi non est in pleno, cum nec ipsum sit in loco, ut docet Philosophus (4. *Phys. text.* 45 ; c. 5) : ergo localiter movetur in vacuo. — 1. *de Cœlo* l. 3 ; 4. *Phys.* l. 7.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys.* a *text.* 61 ; c. 8) multis rationibus probat, quod in vacuo non potest esse motus localis, et (3. *de Cœlo text.* 28 ; c. 2) dicit, quod si non esset aer, non posset ullum corpus moveri violenter. — 4. *Phys.* l. 11 ; 3. *de Cœlo* l. 7.

Respondeo dicendum, quod quia necessitas essendi in loco convenit corpori ex hoc, quod dependet a primo continente, propter quod omnia corpora gravia et levia sub cœlo contenta moventur ad determinata loca sursum et deorsum, et ipsum primum continens non est in loco nisi per accidens et secundum partes, ut dicitur 4. *Phys. text.* 45 ; c. 5, propterea illa corpora, quæ non dependent a primo continente, ut sunt corpora gloriosa, sicut non necessario sunt in loco, quatenus locus est superficies corporis continentis, sed possunt esse in convexo cœli empyrei atque adeo in spatio imaginario extra cœlum, non tamen tamquam in continente, ita possunt localiter moveri in illo spatio imaginario. — *Quodl.* 6, a. 3 ; 1. *de Cœlo* l. 20 ; 2. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 1 ; 12. *Metaphys.* l. 5 (4).

Quæ vero corpora dependent a primo continente, ea neque naturaliter neque violenter possunt localiter moveri in vacuo, — si tamen ponatur nihil aliud poni in rerum natura præter id, quod movetur, ita ut non existat cœlum vel universum, ratione cujus debeat etiam poni centrum cœli seu mundi. Non quidem *naturaliter*, *primum*, quia corpus naturale movetur ad suum locum naturalem et quiescit in eo naturaliter propter convenientiam, quam habet cum ipso, et quia non convenit cum loco, a quo recedit ; vacuum autem non habet aliquam naturam, per quam possit convenire aut disconvenire a corpore naturali. *Deinde*, quia locus naturalis est separatus a locato ; hoc enim est de ratione loci, quod aliquid sit in loco sicut in separato et seorsum existente, quia si pars alicujus corporis non ponitur seorsum ab ipso corpore, non erit in eo sicut in loco, sed sicut in toto ; at in spatio vel vacuo totum mergitur corpus. *Præterea*, quia sicut terra ideo quiescit in medio, quia non est major ratio, cur moveatur ad unam partem quam ad aliam ; eadem ratione si ponatur res in vacuo tamquam in loco, necesse est, quod in illo semper quiescat, quia non est assignare, quare magis moveatur ad unam partem quam ad aliam, quia vacuum ut vacuum non habet differentias in suis partibus ; non entis enim non sunt differentiæ. Omnis autem motus naturalis est ad aliquam differentiam loci ; diversa enim corpora ad diversa loca moventur ; unde oportet loca naturalia differre ab invicem. *Item*, quia non poterit assignari causa, quare quod movetur, alicubi stet, quia cum partes vacui careant differentiis, non est ratio, quare magis quiescat in una parte quam in alia. *Demum*, quia cum vacuum cedat et non resistat mobili, ex omni parte feretur id, quod movetur in infinitum, quod est impossibile. — Neque poterit id, quod movetur, moveri *violenter* in vacuo, quia motus naturalis est prior violento, cum motus violentus non sit nisi quædam declinatio a motu naturali ; unde remoto motu naturali removetur omnis motus, cum remoto priori removeatur posterius ; posito autem vacuo removetur motus naturalis, ut dictum est. Præterea quia motus violentus projectorum non fit a virtute impressa, sed ab aere ; at in vacuo nullus est aer. — 4. *Phys.* l. 11.

Dixi : si nihil ponatur in rerum natura præter id, quod movetur ; nam si ponatur cœlum et centrum, et tunc ponatur vacuum inter cœlum et terram, tunc si tota terra ponatur extra locum suum seu extra medium mundi, movebitur ad medium mundi secundum suam naturam, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 98 et 102 ; c. 14), quia idem est motus partis et totius. Si autem pars terræ ponatur separata a toto, statim descendet ad locum totius, ut similiter, si totus ignis esset extra locum, naturaliter moveretur ad concavum lunæ. Unde sequitur, quod posito universo et ejus centro, sicut terra extra medium posita

naturaliter descenderet ad centrum, ita posset violenter moveri a centro versus cœlum ; quodlibet enim elementum sicut potest naturaliter moveri ad suum locum, ita potest ab illo loco naturali violenter moveri, ut dicit Philosophus (1. *de Anima text.* 40; c. 3). — Unde manifestum est, quomodo contingat esse motum localem in vacuo, quomodo non. — 2. *de Cœlo* l. 26 ; 1. *de Anima* l. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod si ponatur solum vacuum et in illo aliquod grave, non existente universo vel cœlo, ratione cujus detur etiam centrum universi, non movebitur tale grave; secus vero, si ponatur universum et ejus centrum, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod extra cœlum non est proprie vacuum, ut probat Philosophus (1. *de Cœlo text.* 99 ; c. 9), sed spatium quoddam imaginarium, et in illo sicut potest esse corpus non dependens a primo continente, cujusmodi est corpus gloriosum, ita potest etiam in illo moveri localiter, ut dictum est (in c.) — 1. *de Cœlo* l. 21; 12. *Metaphys.* l. 5 (4).

Vel dic, quod locus habet rationem continentis ; unde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum cœlum. In tantum igitur corpora indigent esse in loco per se, in quantum indigent contineri a corpore cœlesti ; corpora autem gloriosa et maxime corpus Christi non indiget tali continentia, quia nihil recipit a corporibus cœlestibus, sed a Deo mediante anima. Unde nihil prohibet, corpus Christi esse extra totam continentiam cœlestium corporum, et non esse in loco continente ; nec tamen oportet, quod extra cœlum sit vacuum, quia non est ibi locus, nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicujus corporis, sed potentia illuc perveniendi est in Christo. Unde cum Philosophus probat (1. *de Cœlo* a *textu* 99 ; c. 9), quod extra cœlum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis. — 3a, q. 57, a. 4, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod quia vacuum cedit et non resistit ex omni parte mobili, ideo sequitur, si mobile movetur in vacuo, quod moveatur in infinitum, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 69; c. 8); quod est impossibile; et ideo non potest esse motus localis in vacuo mobilis dependentis a cœlo, ut dictum est. — 4. *Phys.* l. 11.

Ad quartum dicendum, quod cœlum non movetur localiter secundum totum, sed secundum partes; et sufficit ad rationem motus circularis, quod partes mobilis sint in loco in potentia, non autem in actu, ut dictum est (supra q. 19, a. 4, c.) — 4. *Phys.* l. 7.

ARTICULUS IV

UTRUM POSITO MOTU LOCALI IN VACUO TALIS MOTUS FIERET IN INSTANTI AN VERO IN TEMPORE.

Videtur quod si daretur motus in vacuo, talis motus fieret in instanti.

1. Hoc enim probat Philosophus (4. *Phys.* a *textu* 71 ; c. 8), quia proportio motus ad motum in velocitate est sicut proportio medii ad medium in subtilitate; sed spatii vacui ad plenum nulla est proportio : ergo motus per vacuum non habet proportionem ad motum factum in pleno; esset autem, si motus in vacuo fieret in tempore, quia omne tempus omni tempori proportionabile est : ergo motus in vacuo fit in instanti. — 4. *Phys.* l. 12; 1a, q. 53, a. 3, arg. 1 ; 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, arg. 3.

2. Præterea, si motus in vacuo fit in tempore, sequitur, quod in æquali tempore pertransiri poterit spatium plenum et vacuum, quia erit accipere aliquod corpus, quod habebit proportionem ad aliud corpus, sicut habet proportionem tempus ad tempus; sed hoc est impossibile : ergo et impossibile est, motum in vacuo fieri in tempore. — *Ibid.*

3. Præterea, probat Philosophus (8. *Phys. text.* 79; c. 10), quod si potentia alicujus corporis esset infinita, moveret in instanti; sed potentia Dei est infinita : ergo saltem Deus poterit aliquid localiter movere in instanti. — 1a, q. 25, a. 2, arg. 3.

4. Præterea, quanto virtus motoris fuerit fortior et mobile minus resistens motori, tanto motus est velocior ; sed virtus Dei moventis aliquod corpus improportionaliter excedit virtutem corporis moventis aliud corpus. Proportio autem velocitatum est secundum minoritatem temporis; omne autem tempus omni tempori proportionabile est, ut dictum est; si ergo virtus corporis movet in tempore, Angelus movebit in non tempore ac proinde in instanti, et multo magis Deus. — 1a, q. 53, a. 3, arg. 1 ; 1 *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3.

5. Præterea omne, quod movetur, vel movetur in tempore vel in instanti; sed corpus gloriosum post resurrectionem non movebitur in tempore, quia tempus jam non erit, ut di-

citur *Apocal.* c. 10, 6 : ergo motus ille erit in instanti. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 3, quaestiunc. 3, arg. 5.

Sed contra est : 1. quod in motu locali spatium et motus et tempus simul dividuntur, ut demonstrative probatur 6. *Phys. text.* 18; c. 2 ; sed spatium, quod transit quodcunque mobile per suum motum, est divisibile; ergo et motus erit divisibilis et tempus divisibile; sed instans non dividitur : ergo et motus ille non erit in instanti, sed in tempore. — *Ibid.* arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, non potest esse aliquid simul totum in uno loco, et partim in illo et partim in alio, quia sequeretur, quod altera pars esset in duobus locis simul, quod esse non potest; sed omne, quod movetur, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem, ut est demonstratum in 6. *Phys. text.* 32 ; c. 4. Omne autem quod motum est, totum est in termino ad quem; ergo non potest esse, quod simul moveatur et motum sit; sed omne, quod movetur in instanti, simul movetur et motum est : ergo motus localis corporis non potest esse in instanti. — l. c. arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, omnis motus habet prius et posterius, quia habet duos terminos, quorum unus consequitur alium; sed numerus prioris et posterioris in motu est tempus, ut habetur 4. *Phys. text.* 110; c. 12 : ergo omnis motus mensuratur tempore, et per consequens nullus potest esse in instanti. — 1a, q. 53, a. 3, arg. *Sed contra*; 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, arg. 5.

4. Præterea, moveatur localiter corpus sive a se sive ab alio, ab A in B; aut in eodem instanti est in A et in B, aut in diversis. *Si primum*, erit simul in duobus locis, quod est falsum, ut dictum est; et præterea tunc non moveretur ad B, quia nihil movetur ad id, in quo est. *Si secundum*, ergo est designare duo instantia, in quorum uno est in A et in alio in B; sed inter quælibet duo instantia est tempus medium, ut probatur 6. *Phys. text.* 55; c. 6 : ergo motus corporis a quocunque sit, erit in tempore (1. *Sent.* l. c. arg. 6; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 3). — Si dicas, quod corpus motum ab Angelo vel a Deo ab A in B, in toto tempore est in A, et in instanti terminante tempus est in B, et sic motus corporis ab Angelo vel a Deo moti erit in instanti;

5. Contra, in omni motu, qui est inter duas quietes, quarum una est in termino, a quo est motus, et altera in termino, ad quem est motus, sicut instans, ad quod terminatur motus, tenet se cum quiete sequente, ita instans, a quo incipit motus, tenet se cum quiete præcedente; ut patet, quando aliquid movetur de albedine in nigredinem, quia sicut in fine temporis, quod mensurat motum, est nigrum, ita in principio temporis est album; ergo ex hoc patet, quod omnis quies trahit ad se et nunc præcedens et nunc sequens. Inde sic arguo : corpus motum ab Angelo vel Deo ab A in B est in toto tempore in A; ergo quiescit ibi, quia ut probatur 6. *Phys. text.* 67 sqq. (c. 8), quidquid est in tempore in aliquo uno ubi, quiescit ibi ; sed ubi est aliquid quiescens in tempore, est et in termino temporis : ergo corpus motum ab Angelo erit in ultimo termino temporis adhuc in A et non in B, ut ponebatur. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, arg. 8; 1a, q. 53, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod in omni motu necesse est intelligere successionem et tempus, eo quod termini cujuslibet motus sunt invicem sibi oppositi et incontingentes, ut patet in 1. *Phys. text.* 44; c. 5, qui proinde nequeunt esse simul. Unde oportet, quod mobile intelligatur esse prius in uno termino motus et posterius in altero, et sic sequitur successio. Sed transire de uno termino ad alterum contingit dupliciter: *uno modo*, sicut de instanti in instans; hoc autem est, quando terminus motus est mediatus principio motus, id est, quando sunt tales termini motus, inter quos est aliquo modo accipere medium, sicut inter duo instantia est accipere tempus medium, ut contingit in motu locali corporis, a quocumque localiter movetur, et in motu augmenti et decrementi, et in motu alterationis qualitatum sensibilium. Nam in motu locali vel augmenti terminus motus est mediatus principio secundum medium quantitatis dimensivæ; in alteratione vero secundum medium quantitatis virtualis, cujus divisio attenditur secundum intensionem et remissionem alicujus formæ. Et hos motus tempus per se ipsum mensurat, quia ad terminum successive pervenitur, eo quod divisibilis est; sed prius omne mobile localiter pervenit ad medium magnitudinis quam ad extremum (1a, q. 67, a. 2, c.), et per consequens hi motus continui dicuntur propter continuitatem ejus, super quod transit

motus, cujus est plus et minus accipere. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, c.; *Quodl.* 9, a. 9, c.; *Quodl.* 11, a. 4, c.

Alio modo transitur de uno termino motus in alium, sicut de tempore in instans, quando scilicet terminus ad quem non est mediatus termino a quo; et hoc accidit in illis mutationibus vel motibus, quorum termini sunt privatio et forma, inter quæ constat medium non esse; unde non potest sic transiri de uno extremo in alterum, ut quandoque in neutro extremorum sit, sicut transitur de instanti in instans, ita quod in neutro instantium est, sed in medio tempore. Et hujusmodi motus sunt generatio et corruptio, illuminatio et hujusmodi, in quibus oportet dicere, quod unus terminus erat in toto tempore præcedenti, et alius in instanti terminativo illius temporis. Hujusmodi autem mutationes sunt termini cujusdam motus, ut illuminatio diei est terminus motus localis, et generatio et corruptio alterationis præcedentis. Et quia inter tempus et instans non cadit aliquod medium, nec est aliquod instans accipere immediate præcedens, inde est, quod in hujusmodi mutationibus absque omni medio transitur de uno extremo in aliud, neque est accipere ultimum tempus, in quo fuerunt in termino a quo, sed ultimum tempus, quod terminatur ad instans, in quo est in termino ad quem; et ideo hujusmodi mutationes dicuntur instantaneæ. Nam licet etiam in his oporteat esse annexum tempus, cum constet, materiam non esse simul sub forma et privatione, nec aerem esse simul sub luce et tenebris, dicuntur tamen instantaneæ et termini motus præcedentis, quia sunt in ultimo instanti temporis, quod mensurabat motum præcedentem; unde etiam in illo instanti dicitur generatum esse, non autem proprie generari, quia omne, quod generatur, generabatur et generabitur, ut probatur 6. *Phys. text.* 55; c. 6. Quoniam ergo motus localis corporis de loco ad locum, a quocunque fiat, nullum ordinem habet ad aliquem motum præcedentem, cujus terminus dici possit, ideo necessario dicendum est, quod fiat in tempore, non autem in instanti, etiam posito vacuo. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, c.; *Quodl.* 9, a. 9, c.; *Quodl.* 11, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis in vacuo nihil sit impediens motum, non tamen potest esse motus in instanti, quia causa velocitatis vel tarditatis motus non est sola resistentia ex parte medii, sed etiam illa, quæ oritur ex incontingentia terminorum, qui simul esse non possunt, ut dictum est (in c.) et ex hoc, quod corpus, quod movetur, habet determinatum situm, ut contingit in corporibus cœlestibus, quorum motus a nullo impeditur, et tamen eorum est determinata velocitas secundum determinatum tempus. Unde ratio Philosophi est ratio ad contradicendum positioni antiquorum et non ratio demonstrativa simpliciter; ponentes enim vacuum hoc de causa ipsum ponebant, ut non impediretur motus, et sic secundum eos causa motus erat ex parte medii, quod non impedit motum. Et ideo contra eos arguebatur Philosophus, ac si tota causa velocitatis et tarditatis esset ex parte medii, quod patet evidenter; nam supra contra eosdem dixerat, quod si natura est causa motus simplicium corporum, non oportet ponere vacuum ut causam motus eorum; per quod dat intelligere, quod totam causam motus ponebant ex parte medii et non ex natura mobilis. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 3, ad 2; *Quodl.* 9, a. 9, ad 3; 4. *Phys.* l. 12.

Et eodem modo dicendum *ad secundum*. Licet enim non sit proportio motus mobilis in vacuo ad motum in pleno ex parte medii, est tamen proportio inter illos ex parte mobilis et ex parte terminorum. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod potentia corporis, si esset infinita, moveret in instanti, quia corpus movens aliud est agens univocum; unde oportet quod tota potentia agentis manifestetur in motu, ac proinde quia quanto moventis corporis potentia est major, tanto velocius movet, necesse est, quod si fuerit infinita, moveat improportionabiliter citius, quod est movere in non tempore. At vero potentia Dei licet infinita non potest movere in instanti, quia cum sit agens non univocum, non oportet, quod tota virtus ejus manifestetur in motu, ita ut moveat in non tempore, et præsertim quia movet secundum dispositionem suæ voluntatis. Unde et Philosophus (8. *Phys. text.* 79; c. 10) non ostendit, quod potentia motoris sit infinita, ex eo quod possit movere in instanti, sicut id ostenderat de potentia corporis, si esset infinita, sed ex eo, quod potest movere infinito tempore; quamquam nec potentia corporis, si esset infinita, posset movere simpliciter aliquod corpus in instanti; quia licet talis virtus infinita superare possit

virtutem corporis, quam habet vel ex parte inclinationis contrariæ ad motum contrarium, ut est in motibus violentis, vel ex parte medii, puta si moveret in vacuo, non tamen superare posset resistentiam mobilis ex parte terminorum seu ex parte situs ; ex hoc enim ipso, quod movens intendit transferre mobile ad aliquod ubi, ipsum mobile in alio ubi existens repugnat et resistit intentioni motoris ejusque motioni. Unde quod dicit Philosophus, verum est tantum spectata virtute infinita corporis, quod est agens univocum, et spectata resistentia ex parte contrariæ inclinationis existentis in mobili. — 1a, q. 25, a. 2, ad 3 et q. 105, a. 2, ad 3; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 3, ad 3; 4. *Phys.* l. 12.

Ad quartum dicendum, quod quamvis virtus Angeli excedat inæstimabiliter virtutem corporis moventis, non tamen excedit in infinitum, quia utraque virtus est finita; unde non sequitur, quod moveat in instanti. Si tamen esset similiter virtutis infinitæ, non sequeretur, quod moveret in instanti, *tum* quia non esset agens univocum et materiale, sed æquivocum et intellectuale; unde velocitas motus mensuranda esset secundum determinationem suæ voluntatis; *tum* quia non posset superare totaliter resistentiam, quæ est ex parte mobilis; quia licet posset superare resistentiam, quam habet ex inclinatione ad contrarium motum, non tamen posset totaliter superare resistentiam, quæ inest mobili ex contrarietate, quam habet ad locum, quem intendit motor. Non enim potest a corpore removeri, quod sit in aliquo loco vel situ, nisi auferatur ei sua corporeitas, per quam debetur ei locus vel situs; unde quandiu manet in natura corporis, nullo modo potest moveri in instanti, quantæcunque virtutis sit movens. — 4. *Sent.* l. c.; 1a, q. 25, a. 2, ad 3; 8. *Phys.* l. 21

Ad quintum dicendum, quod licet post resurrectionem non sit futurum tempus, quod est numerus motus cœli, tamen erit tempus consurgens ex numero prioris et posterioris in quolibet motu. — 4. *Sent.* dist. 44, q 2, a. 3, sol. 3, ad 5.

ARTICULUS V

UTRUM ASCENSUS AQUÆ VEL AERIS SURSUM AD REPLENDUM VACUUM SIT NATURALIS AQUÆ VEL AERI.

Videtur quod ascensus aquæ vel aeris sursum ad replendum vacuum sit ipsis violentus.

1. Dicit enim Philosophus (4. *de Cœlo text.* 39; c. 5), quod si tolleretur ignis a suo loco, aer ascenderet ad concavum lunæ vi; similiter aqua non moveretur in regionem aeris illo subtracto, nisi vi; et quod ignis non moveretur deorsum amoto aere, nisi vi; sed hujusmodi motus elementorum ad subtractionem aliorum est ad replendum vacuum : ergo motus aeris et aquæ et similium ad replendum vacuum est illis violentus et non naturalis. — 4. *de Cœlo* l. 3.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 8; c. 2), quod unius corporis simplicis est tantum unus motus naturalis simplex; sed motus deorsum terræ est illi naturalis : ergo motus ejusdem vel aeris ad replendum vacuum erit violentus. — 1. *de Cœlo* l. 3.

3. Præterea, motus violentus et contra naturam dicitur, qui est contrarius motui naturali; unde si lapis velocius projiciatur deorsum, quam sit dispositio motus naturalis, talis motus dicitur violentus; sed motus sursum aquæ ad replendum vacuum est contrarius motui naturali deorsum ejusdem aquæ : ergo talis motus est violentus. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3, c. ; *de Pot.* q. 6, a. 2, ad 3; *de Verit.* q. 13, a. 1, ad 5.

4. Præterea, omnis motus corporis habentis gravitatem et levitatem vel est naturalis vel violentus, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 18; c. 3); sed aquæ motus ad replendum vacuum non est ei naturalis, quia naturalis motus ejus est tendere deorsum, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 7; c. 2) : ergo motus aquæ vel terræ sursum ad replendum vacuum erit violentus (1. *de Cœlo* l. 3 et 4). — Sed dices, quod motus elementorum ad replendum vacuum inest illis ex impressione corporum superiorum, et ideo neque illis esse naturalem neque violentum, quomodo est motus circularis aeris et ignis in propria regione, et motus circularis aquæ incompletus secundum fluxum et refluxum maris.

5. Sed contra; nam saltem terra veluti re-

motissima a cœlo nihil tale participat, sed solam alterationem; ergo illius motus ad replendum vacuum non erit a corpore superiori; unde illi erit violentus. — 1. *de Cœlo* l. 4.

Sed contra est, quod motus est inclinatio appetitus; sed appetitus cujuslibet rei ad bonum universi est naturalis. Nam quælibet res se habet ad universum sicut pars ad totum; pars autem magis naturaliter inclinatur ad bonum totius quam ad bonum suum: ergo et motus cujuslibet rei ad bonum universi, ut est motus ad replendum vacuum, erit naturalis. — 1a, q. 60, a. 5.

Respondeo dicendum, quod duplex est finis cujuslibet rei (2. *Sent.* dist. 1, q. 2, a. 3, c.): *unus* est proportionatus illi, et ad hunc naturaliter quælibet res movetur sicut ad suam perfectionem; *alter* est improportionatus et per se subsistens, et hic respectu cujuslibet rei etiam inanimatæ est bonum totius universi, et ad hunc finem ita naturaliter fertur quælibet res, ut magis in ipsum inclinetur quam in proprium bonum. Et ratio hujus est, quia unumquodque in rebus naturalibus secundum naturam hoc ipsum, quod est, alterius est; et ideo principalius et magis inclinatur in id, cujus est, quam in seipsum; bonum autem particulare est propter bonum commune et propter illud appetitur. Unde videmus, quod quælibet pars naturali quadam inclinatione operatur ad bonum totius, etiam cum periculo et detrimento proprio, ut patet, cum quis manum exponit gladio ad defensionem capitis, ex quo pendet vita totius corporis. — 1a, q. 60, a. 5; *Quodl.* 1, a. 8.

Cum autem inclinatio naturalis sit indita a Deo cuilibet rei, sicut illa indita est cuilibet elemento ad proprium locum tamquam ad conservationem sui per virtutem particularem, quæ est immediatum principium talis motus, puta gravitatem et levitatem (forma enim substantialis non est principium motus localis nisi mediante gravitate et levitate, sicut nec alterationis nisi mediantibus qualitatibus); ita debet cuilibet rei propter conservationem et bonum universi esse indita inclinatio per aliquam virtutem, quæ sit immediatum principium talis inclinationis. Nam cum inclinatio naturalis virtutis sit determinata ad unum, juxta multitudinem terminorum et finium debent etiam multiplicari virtutes, quæ sunt principia talium inclinationum. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1a. 5, ad 2; *Tabula aurea* voce « virtus » n. 267.

Ad primum ergo dicendum, quod motus aeris vel aquæ vel terræ ad replendum vacuum est naturalis elementis, si in illis consideretur inclinatio naturæ universalis, quæ est ad bonum totius universi et ad finem subsistentem, ut dictum est (in c.). Quamquam inter elementa hoc inest discriminis, ut dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 39; c. 5), quod quia ignis est simpliciter levis et terra simpliciter gravis, aer autem per accidens ratione dispositionis præternaturalis, quam habet, aliquam habet gravitatem, ideo subtracto aere ignis non movetur deorsum secundum naturam particularem nisi vi, secus vero aer subtracta aqua; quamvis si consideretur aer secundum se et in naturali sua dispositione, cum nullam gravitatem habeat, etiam vi movebitur deorsum, subtracta aqua, secundum naturam particularem consideratus. — V. Capreolum in 3. *Sent.* dist. 27, q. unic. ad art. 3, ad 3; 4. *de Cœlo* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod unius corporis simplicis est tantum unus motus simplex, si consideretur secundum naturam particularem; secus si consideretur vel secundum naturam universalem vel in ordine ad causas superiores, ex quarum influentia potest acquirere aliam inclinationem. — *de Pot.* q. 6, a. 1, ad 17; v. Capreol. l. c.

Ad tertium dicendum, quod argumentum tantum probat, motum elementi ad replendum vacuum non esse naturalem respectu inclinationis naturæ particularis. — V. dicta in c.

Ad quartum dicendum, quod omnis motus vel est naturalis vel violentus, si consideretur motus in ordine ad naturam particularem; nam alioqui cum elemento possit communicari motus a corpore superiori, ut est motus circularis respectu ignis existentis in sua regione, plures motus simplices possunt eidem corpori simplici convenire. — 1. *de Cœlo* l. 4.

Ad quintum dicendum, quod terra, quia est remotissima a cœlo, non participat motum circularem ex impressione cœli, participat tamen motum sursum ad replendum vacuum naturaliter a Deo, ut dictum est (in c.), et violenter movetur sursum, quando ab aliquo projicitur sursum. — *Ibid.*; *de Pot.* q. 6, a. 2, ad 3; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3, c.

QUÆSTIO XXI

DE TEMPORE

Deinde considerandum est de tempore, quod extrinsece advenit motui tamquam mensura ipsius.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum tempus sit.
2. Utrum recte sit a Philosopho assignata definitio temporis.
3. Utrum sit unum tempus omnium temporalium.
4. Utrum sit idem nunc realiter in toto tempore.
5. Utrum tempus realiter distinguatur a motu.

ARTICULUS I

UTRUM TEMPUS SIT IN RERUM NATURA.

Videtur quod tempus non sit in rerum natura.

1. Quia omne compositum ex his, quæ non sunt, impossibile est esse, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 88 ; c. 10) ; sed tempus componitur ex his, quæ non sunt ; nam temporis aliud est præteritum et jam non est, aliud est futurum et nondum est, et ex his duobus componitur totum tempus : ergo impossibile est tempus aliquid esse. — 4. *Phys.* l. 15 ; *Opusc.* 44, c. 1.

2. Præterea, cujuslibet divisibilis existentis necesse est, dum est, aliquam partem esse vel aliquas ; sed tempus non est hujusmodi, quia quædam temporis partes sunt præteritæ, aliæ vero sunt futuræ, et nihil temporis, quod sit divisibile, est in actu ; ipsum vero nunc, quod est in actu, non est pars temporis ; unde tempus non componitur ex ipsis nunc : ergo tempus non est aliquid. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 131 ; c. 14), quod si non est anima potens numerare, neque etiam possibile est id, quod potest numerari seu numerus ; sed tempus est numerus : ergo si non est anima, non est tempus, et consequenter tempus non est aliquid extra animam. — 4. *Phys.* l. 23.

4. Præterea, cum tempus sit numerus motus, aut erit in materia numerabili aut in anima numerante ; non primum, quia materia numerabilis temporis non est nisi prius et posterius in motu, in quibus nihil potest esse, cum ipsa sint non entia ; sequitur ergo, quod tempus solum sit in anima numerante, non autem aliquid extra animam. — *Opusc.* 44, c. 1.

5. Præterea, si tempus esset in re extra animam tamquam numerus alicujus motus exterioris, tunc sequeretur, quod qui non apprehenderet motum exteriorem, non apprehenderet tempus ; cujus oppositum vult Philosophus (4. *Phys. text.* 98 ; c. 11), qui dicit, quod si sumus in tenebris et nihil patiamur per visum ab exterioribus visibilibus, nec sentiamus aliquem motum exteriorum corporum ; dum tamen fiat aliquis motus in anima per successionem cogitationum vel imaginationum, semper sentimus tempus ; ergo tempus semper sequitur motum, qui est in anima, et per consequens tempus non est aliquid extra animam, sed solum in anima. — *Ibid.*

6. Præterea omne, quod fit, vel fit in tempore vel in instanti, quia fieri sine successione non est, nec successio sine tempore ; si ergo tempus aliquid est reale, debet esse factum a Deo vel in tempore vel in instanti ; et rursum de his idem quæri potest, et sic dabitur processus in infinitum ; ergo tempus non est quid reale. — Hannibaldus in 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, arg. 4.

7. Præterea, si tempus est quid reale, ergo fuit a Deo creatum in principio temporis, juxta illud *Genes.* 1, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram* ; vel certe simul, juxta illud *Eccli.* 18, 1 : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul ;* sed tempus non potest esse creatum in principio temporis, quia sic esset indivisibile, vel certe divisibile esset in indivisibili : ergo tempus non est creatum a Deo et consequenter non est quid reale. — 1a, q. 46, a. 3, arg. 3 ; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 6, arg. 4.

8. Præterea, in tempore id, quod est materiale, est prius et posterius motus, formale vero est numeratio, qui est actus animæ ; ergo tempus non est formaliter extra animam. — *Tabula Aurea* voce « tempus » n. 6 et 7.

Sed contra est : 1. quod omnia generabilia et corruptibilia tempore mensurantur ; accipiunt enim finem et principium sui esse in tempore, ut vult Philosophus (4. *Phys. text.* 120 ; c. 12) ; si ergo tempus non esset, nihil esset generabile et corruptibile, quod

est inconveniens; ergo tempus est. — *Opusc.* 44, c. 1.

2. Præterea, cum tempus sit numerus motus, ita necesse est esse tempus, sicut et motum, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 130; c. 14); sed constat, quod motus est in rerum natura : ergo et tempus debet esse in rerum natura. — l. c.; 4. *Phys.* l. 23.

Respondeo dicendum, quod tempus est aliquid in re extra animam. — Ad cujus intellectum considerandum est, quod positis rebus numeratis necesse est poni numerum; unde sicut res numeratæ dependent a numerante, ita et numerus eorum. Esse autem rerum numeratarum non dependet ab intellectu, nisi sit aliquis intellectus, qui sit causa rerum, sicut est intellectus divinus; non autem dependet ab intellectu animæ; unde nec numerus rerum ab intellectu animæ dependet, sed solum ipsa numeratio, qui est actus animæ, ab intellectu animæ dependet. Tempus autem numerus motus est, et ideo sicut motus non dependet ab intellectu nostro, ita nec tempus. Sunt tamen quidam, qui dicunt, etiam motum dependere ab anima, quia cum motus sit aliquid successivum, partes ejus, quæ sunt prius et posterius, non habent esse in re extra, sed solum in anima comparante priorem dispositionem mobilis ad posteriorem, et ideo solum habet esse in anima simpliciter et quantum ad esse perfectum, in re autem extra habet esse solum secundum quid; et idem dicunt isti de tempore. — Verum istud non potest stare, quia illud, in quo motus est secundum suum esse completum et perfectum, necessario movetur; si ergo motus secundum suum esse completum esset in anima, anima necessario moveretur; quod est inconveniens.

Et ideo intelligendum est, quod omne esse est ab actu; actus autem divisibilis est, ut vult Philosophus (9. al. 8. *Metaphys.*) Nam alius est actus totus simul existens, sicut anima aut albedo; alius autem est successivus, ut dies et agon, infinitum et vacuum, de numero quorum sunt et motus et tempus. Cum ergo esse sequatur actum, et modus essendi sequetur modum actus. Esse igitur, quod est ab actu primo, est esse simul, et tale esse est esse completum, quod debetur rei perfectæ per primum actum; esse vero quod est ab actu secundo, scilicet ab actu successivo, est esse successivum, et tale esse est esse perfectum, quod debetur tali actui vel rei perfectæ per talem actum. Et ideo esse permanens ipsius motus et temporis, quod debetur utrique secundum rationem propriæ speciei, non est esse simul existens, sicut ipsi dicunt, sed est esse in successione, quod est secundum aliquid indivisibile ipsorum. — *Opusc.* 44, c. 1; 4. *Phys.* l. 23.

Ad primum ergo dicendum, quod præteritum et futurum non sunt sic, ut simul sint, nec hoc requiritur ad esse temporis, cum sit esse successivum, ut declaratum est; habet tamen esse per aliquid indivisibile sui, quod continuat ea, scilicet per ipsum nunc. Et sic patet *ad secundum*. — *Loc. cit.*

Ad tertium dicendum, quod illa conditionalis est vera : si impossibile est esse aliquem numerantem, impossibile est esse aliquod numerabile; sicut hæc est vera : si impossibile est aliquem esse sentientem, impossibile est esse aliquid sensibile; sensibile enim est, quod potest sentiri, et si potest sentiri, potest esse sentiens aliquid; licet non sequatur, quod si est sensibile, quod sit sentiens actu. Et similiter sequitur, si est aliquid numerabile, quod possit esse aliquod numerans; sed non sequitur, si sit aliquid numerabile, quod sit aliquid numerans, nec si non sit numerans, quod non sit numerabile; et illo modo objectio Philosophi procedebat. — 4. *Phys.* l. 23.

Vel dic, quod licet actualis numeratio prioris et posterioris in tempore sit ab anima, non tamen esse temporis secundum propriæ speciei rationem, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod tempus habet esse in priori et posteriori motus; sed quando dicitur : sed prius et posterius in motu non sunt, — dicendum est, quod verum est sub esse permanenti; habent tamen esse successivum. — *Opusc.* 44, c. 1.

Ad quintum dicendum, quod tempus sequitur motum aliquem exteriorem, scilicet primum motum; nam apprehenso quocumque motu comprehenditur motus primus saltem virtualiter, eo quod est causa omnis transmutabilitatis. — *Ibid.*

Ad sextum et septimum dicendum, quod in tempore et instanti non differunt esse et fieri; non autem necesse est tempus esse in tempore, sicut nec locum in loco. Unde non est necesse, quod primum instans creationis in alio instanti fiat. (Hannibaldus in 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a.

2, ad 4). — *Vel dic*, quod sicut numerus non numeratur alio numero, ita nec tempus alio tempore mensuratur, nec fieri ejus, cum suum esse totum sit in fieri. Unde incipit in principio temporis, non sicut in mensurante esse ejus, sed sicut in eo, a quo incipit ejus productio, ut animalis a corde, domus a fundamento, lineæ a puncto. (2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 6, ad 4.) — *Vel dic*, quod nihil fit, nisi secundum quod est, nihil autem est temporis nisi nunc; unde non potest fieri nisi secundum aliquod nunc, non quia in ipso primo nunc sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus. — 1a, q. 46, a. 3, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod tempus dupliciter potest considerari : *uno modo* quantum ad actualem numerationem prioris et posterioris in tempore et in motu; et sic tempus habet esse completum ab anima. Et ratio est, quia, cum tempus sit numerus motus, sicut numerus rei non dependet ab actu animæ, sed solum ipsa numeratio, quæ est actus animæ, ab ipsa anima dependet, puta ab ejus actu, ita et tempus (4. *Phys*, l. 23). *Alio modo* potest considerari tempus secundum suum esse specificum, quod sibi debetur ex natura suæ speciei, et hoc dupliciter : uno modo, secundum quod esse temporis comparatur ad esse rerum permanentium, et sic tempus non habet esse completum et perfectum extra animam nec etiam in anima, cum suum esse non sit permanens, sed successivum. Alio modo, comparando esse temporis ad esse aliorum successivorum, et sic tempus habet esse completum et perfectum extra animam, illud scilicet esse, quod competit naturæ suæ speciei. — *Opusc.* 44, c. 1.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE SIT A PHILOSOPHO TEMPUS DEFINITUM.

Videtur quod non recte sit a Philosopho tempus definitum, quod sit numerus numeratus motus secundum prius et posterius.

1. Numerus enim est quantitas discreta; sed tempus est quantitas continua, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 108; c. 11) : ergo tempus non est numerus. — 4. *Phys.* l. 17 et 19.

2. Præterea, idem est numerus diversorum numeratorum, ut centum equorum et centum hominum, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 110; c. 12), et in numero est invenire aliquem minimum numerum, puta dualitatem; sed non est idem tempus prioris et posterioris motus; nam respectu illius est tempus præteritum, respectu hujus futurum, et in tempore non est invenire simpliciter minimum : ergo tempus non est numerus motus (4. *Phys.* l. 19). — Sed dices, quod tempus non est numerus motus, sed numerus numeratus motus.

3. Contra, numerus numeratus motus non distinguitur a motu; est enim ipsum prius et posterius motus; sed tempus non est motus, ut probat Philosophus (4. *Phys. text.* 95; c. 10), quia omnis motus *vel* est solum in ipso transmutato, ut patet in generatione, augmentatione, alteratione, *vel* etiam in loco, ubi est transmutatum et transmutans, ut in motu locali; sed tempus est ubique et apud omnia præterea omnis motus vel mutatio vel est velox vel tarda; sed tempus non dicitur tardum aut velox : ergo tempus non est numerus numeratus motus. — 4. *Phys.* l. 16, 17, 19.

4. Præterea, si tempus est aliquid motus, maxime ex eo id manifestum est, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 98; c. 11), quod percipiendo quemcunque motum, etiam eum, qui est in anima per successionem cogitationum et imaginationum, percipimus tempus; et contra, cum percipimus tempus, percipimus motum; sed hoc dictum Philosophi falsum est. *Vel* enim tempus consequitur motum aliquem sensibilem extra animam, et tunc sequitur, quod qui non sentit illum motum, non sentiat tempus, cujus tamen contrarium dicitur ibi a Philosopho; *vel* consequitur motum animæ, et tunc sequitur, quod res non comparentur ad tempus nisi mediante anima, et sic tempus non erit res naturæ, sed intentio animæ ad modum generis vel speciei; *vel* consequitur universaliter omnem motum, et tunc sequitur, quod quot sunt motus, tot sint tempora, quod est impossibile, quia duo tempora non sunt simul; ergo tempus non est aliquid motus et consequenter nec numerus numeratus motus. — 4. *Phys.* l. 17.

5. Præterea, tempus consequitur motum; sed in ratione motus non est prius et posterius; nam de ratione motus tantum est, quod sit actus existentis in potentia : ergo tempus non est numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — *Ibid.*

6. Præterea, prius et posterius determinatur et definitur tempore, cum per illud mensuretur; ergo tempus non potest definiri per prius

et posterius; alioqui definitio temporis erit circularis et consequenter nulla. – 4. *Phys.* l. 17.

7. Præterea, quilibet motus ut motus habet numerum, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 132; c. 14); sed tempus non est nisi unum omnium motuum, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 133 et 134; c. 14) : ergo tempus non est numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — 4. *Phys.* l. 19.

8. Præterea, tempus ponitur, ut sit mensura motus; sed mensura motus est locus : ergo tempus non distinguitur a loco, et sic non erit numerus numeratus motus secundum prius et posterius, sicut nec locus est talis numerus.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 107; c. 11) definit tempus, quod sit numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — 4. *Phys.* l. 19.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod tempus est numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — Ad cujus ostensionem considerandum est, quod tempus non est motus, ut quidam dicunt asserentes, tempus esse motum cœli, qui dicitur circulatio; sed hoc stare non potest, quia quælibet pars temporis est tempus, pars autem circulationis non est circulatio. Præterea, quia omnis motus vel est velox vel tardus; at tempus neque est velox neque tardum. Verum licet tempus non sit motus, est tamen aliquid motus. Quicunque enim percipit motum quemcunque, simul et percipit tempus; nam quicumque percipit motum quemcunque sive in rebus sensibilibus existentem sive in anima, percipit esse transmutabile, et per consequens percipit primum motum, qui est causa omnis alterius motus et cujuscunque rei habentis esse transmutabile, atque adeo tempus, quod consequitur motum primum; unde tempus est aliquid motus. Quoniam vero motus sequitur magnitudinem quantum ad duo, scilicet quantum ad continuitatem, et quantum ad prius et posterius (est enim motus quid continuum et habet partes priores et posteriores, sed hæc ratione magnitudinis, supra quam fit motus; hæc enim est quantitas positionem habens; de ratione autem positionis est prius et posterius), — ideo et tempus habet hæc duo; est enim quid continuum; nam quantus est motus primus, tantum fieri tempus videtur; et similiter prius et posterius sequitur prius et posterius in motu.

Ceterum quia in motu, licet idem sint entitas motus et prius et posterius ejusdem, differunt tamen ratione, quia de ratione motus est, quod sit actus entis in potentia; sed quod in motu sit prius et posterius, hoc habet ex ordine partium magnitudinis; — ideo tempus non consequitur motum ratione utriusque, sed secundum rationem prioris et posterioris in motu. Quod ex eo patet, quod propter hoc ostensum est, quod tempus consequitur motum, quia simul cogitamus tempus et motum; unde tantum illud tempus sequitur motum, quo cognito cognoscitur tempus. Sed tunc cognoscimus tempus, cum distinguimus determinando prius et posterius; nam tunc dicimus fieri tempus, quando accipimus in motu aliud et aliud et aliquid medium inter ea, puta quando accipimus aliquid prius et posterius in motu, non quidem ut sunt sub forma continui absolute (nam sic cognoscendo prius et posterius, cognoscimus motum, sed non tempus), sed sub forma determinata, quatenus scilicet anima ita distinguit in motu prius et posterius, ut hoc dicat esse aliud ab illo, et esse duo et non unum. Unde fit, ut tempus non sit absolute motus nec quodcunque aliquid motus, sed sit prius et posterius motus, et non quomodocunque considerata et sumpta, sed ut immediata sunt; est enim tempus numerus motus, quia sicut numero judicamus aliquid plus vel minus, ita tempore judicamus, motum esse plurem vel minorem. — Cum autem duplex sit numerus : ***unus*** numerans, qui dicitur numerus simpliciter et absolute acceptus, quo scilicet numeramus, ut duo et tria; ***alter*** numeratus, quia est applicatus rebus numeratis, ut cum dicimus tres homines, — tempus non est numerus numerans, quia sic sequeretur, quod numerus cujuslibet rei esset tempus, sed est numerus numeratus, quia est ipse numerus prioris et posterioris in motu, vel ipsa, quæ sunt prius et posterius in motu numerata. Et sic patet, recte fuisse a Philosopho definitum tempus. — *Opusc.* 44, c. 2; 4. *Phys.* l. 16, 17, 18, 19.

Ad primum ergo dicendum, quod licet numerus sit quantitas discreta, tempus tamen est quantitas continua propter rem numeratam; sicut decem mensuræ panni quoddam continuum est, quamvis denarius numerus sit quantitas discreta. — 4. *Phys.* l. 17.

Ad secundum dicendum, quod tempus non est numerus numerans, qui idem est omnium

numerorum (nam sic idem esset tempus mutationis, quæ præterit et quæ futura est), sed est numerus numeratus, ut dictum est. — 4. *Phys.* l. 17 et 19.

Ad tertium dicendum, quod tempus non est motus, sed est aliquid motus, puta numerus numeratus motus numerus autem numeratus motus sequitur prius et posterius motus, non autem motum, ut motus est; et ideo numerus numeratus motus atque adeo tempus ratione differt a motu, ut motus est. — 4. *Phys.* l. 17.

Ad quartum dicendum, quod quia est unus primus motus, qui est causa omnis alterius motus, quæcunque sunt in esse transmutabili, habent hoc ex illo primo motu, qui est motus primi mobilis; quicumque autem percipit quemcunque motum sive in rebus sensibilibus existentem sive in anima, percipit esse transmutabile, et per consequens percipit primum motum, quem sequitur tempus. Unde quicunque percipit quemcunque motum, percipit tempus, licet tempus non consequatur nisi unum primum motum, a quo omnes alii causantur et mensurantur, et sic remanet tantum unum tempus. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod tempus consequitur motum secundum prius et posterius, non autem secundum quod est motus, ut dictum est (in c.).

Ad sextum dicendum, quod prius et posterius ponuntur in definitione temporis, secundum quod causantur in motu ex magnitudine, et non secundum quod mensurantur ex tempore; et ideo Philosophus supra (4. *Phys. text.* 99; c. 11) ostendit, quod prius et posterius sunt prius in magnitudine quam in motu, et in motu quam in tempore, ut hæc objectio excludatur. — 4. *Phys.* l. 17.

Ad septimum dicendum, quod quia prima circulatio, quia simplicior et regularior, est mensura omnium motuum, et motus mensuratur a tempore, in quantum mensuratur quodam motu, necesse est dicere, quod tempus sit numerus primæ circulationis, secundum quam mensuratur tempus et ad quam mensurantur omnes alii motus temporis mensuratione; et quod quicumque sentit quemcunque motum, sentit tempus, eo quod ex primo motu causatur mutabilitas in omnibus mobilibus. — 4. *Phys.* l. 23.

Ad octavum dicendum, quod in motu proprie accepto est duo reperire : continuitatem et successionem. Secundum quod habet continuitatem, sic proprie mensuratur per locum, quia ex continuitate magnitudinis est continuitas motus, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 99; c. 11 et 5. *Phys. text.* 39; c. 4); secundum quod autem habet successionem, sic proprie mensuratur per tempus; unde tempus dicitur numerus numeratus motus secundum prius et posterius. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 3, c.

ARTICULUS III

UTRUM SIT UNUM TEMPUS OMNIUM TEMPORALIUM.

Videtur quod non sit unum tempus omnium temporalium.

1. Variatis enim mensuratis variatur mensura; sed tempus est in rebus temporalibus sicut in mensuratis : ergo sicut illæ sunt plures et distinctæ, ita et tempus non erit unum, sed plura. — 2. *Sent.* dist 2, q. 1, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, cum tempus sit nomen durationis, quorum est unum tempus, est una duratio; sed non omnium temporalium est una duratio, quia quædam post alia esse incipiunt : ergo tempus non est unum omnium temporalium. — 1a, q. 10, a. 6, arg. 3 et ad 3.

3. Præterea, tempus non est numerus numerans, qui est unus omnium numeratorum, sed est numerus numeratus et applicatus rebus, ut dictum est (art. 2); sed numerus numeratus multiplicatur juxta multitudinem rerum seu motuum, quibus applicatur, ut supra dictum est : ergo tempus non est unum. — *Ibid.* a. 6, c.

4. Præterea, si tempus est unum, hoc erit tempus primi motus; sed hoc est falsum; nam qui sentit motum, sentit tempus, et contra; sed non omnes sentiunt aut vident motum cœli, et tamen sentiunt tempus: ergo tempus non est illud, quod sequitur primum motum, et per consequens non erit unum tempus, sed plura. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 2, a. 1, ad 4.

5. Præterea illa, quæ non dependent ab invicem, non videntur habere unam mensuram ; sed omnia temporalia non dependent a se invicem : ergo non datur unum tempus omnium temporalium. — 1a, q. 10, a. 6, arg. 4 ; 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, arg. 3.

6. Præterea, tempus denominat res temporales et non solum motum primi mobilis; ergo tempus etiam subjective erit in rebus temporalibus, cum accidens sit subjective in eo, quod denominat. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

7. Præterea, tempore non mensuratur nisi illud, quod includitur in tempore secundum principium et finem; sed motus cœli secundum Philosophum neque habet principium neque finem: ergo tempus cœli non est mensura omnium temporalium, et sic non erit unum, sed multiplex. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 2, a. 1, c.

8. Præterea, quilibet motus habet suum numerum, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 132; c. 13); sed numerus motus, ut dicitur ibidem, est tempus: ergo quilibet motus habet suum tempus, et sic tempus non erit unum. — *Tabula Aurea* « voce » tempus n. 16.

Sed contra est: 1. quod dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 132 et 133; c. 13), quod est unum tempus omnium temporalium. — 4. *Phys.* l. 23.

2. Præterea, si cujuslibet motus tempus est numerus, ita ut tempus multiplicetur juxta multitudinem motuum, sequitur, quod duorum motuum simul existentium sit alterum et alterum tempus, et consequenter quod duo tempora æqualia sint simul, utpote duo dies et duæ horæ; at hoc est impossibile, sicut est impossibile, quod duo tempora inæqualia simul sint, ut dies et hora: ergo tempus unum est omnium temporalium. — *Ibid.*

3. Præterea, tempus comparatur ad primum motum non solum ut mensura ad mensuratum, sed etiam ut accidens ad subjectum; sed impossibile est, in uno subjecto esse plura accidentia ejusdem speciei, sicut in una parte superficiei non possunt esse duæ numero albedines: ergo tempus unum est omnium temporalium. — *Opusc.* 36, c. 1.

Respondeo dicendum, quod de unitate temporis varie opinati sunt philosophi. *Quidam* enim dicunt, quod est unum tempus omnium temporalium, propter hoc, quod est unus numerus omnium numeratorum, cum tempus sit numerus secundum Philosophum. Sed hoc non sufficit, quia tempus non est numerus ut abstractus extra numeratum, sed ut in numerato existens; alioqui non esset continuus, quia decem ulnæ panni continuitatem habent non ex numero, sed ex numerato; numerus autem in numerato existens non est idem omnium, sed diversus diversorum. Unde *alii* assignant causam unitatis temporis ex unitate æternitatis, quæ est principium omnis durationis, et sic omnes durationes sunt unum, si consideretur eorum principium; sunt vero multæ, si consideretur diversitas eorum, quæ recipiunt durationem ex influxo primi principii. *Alii* vero assignant causam unitatis temporis ex parte materiæ primæ, quæ est primum subjectum motus, cujus mensura est tempus. Sed neutra assignatio sufficiens videtur, quia ea, quæ sunt unum principio vel subjecto et maxime remoto, non sunt unum simpliciter, sed secundum quid.

Et ideo dicendum cum Commentatore (4. *Phys. text.* 130 et 132; c. 13), quod tempus est unum ab unitate motus primi mobilis; tempus enim comparatur ad istum motum non tantum ut mensura ad mensuratum, sicut ad alios motus, sed sicut accidens ad subjectum, quod ponitur in definitione ejus, ex quo habet unitatem et multitudinem. Unde primo mensurat motum diurnum, et per illum mensurat omnes alios motus; sicut enim dicitur 10. *Metaphys. text.* 3 et 4; l. 9, c. 1, unumquodque mensuratur per illud, quod est primum et minimum sui generis; et secundum aliorum motuum multitudinem, ad quos tantum comparatur ut mensura, non multiplicatur, quia una mensura separata multa mensurari possunt, quemadmodum etiam omnium æviternorum unum tantum est ævum, quia cum unumquodque mensuretur simplicissimo sui generis, ut dictum est, oportet, quod esse omnium æviternorum mensuretur esse primi æviterni, quod tanto est simplicius, quanto prius. Unde manifestum est, quod tempus est unum omnium temporalium. — 1a, q. 10, a. 6, c.; 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod mensura est duplex: quædam *intrinseca*, quæ est in mensurato, sicut in subjecto accidens, et hæc multiplicatur ad multiplicationem mensurati; sicut plures lineæ sunt, quæ mensurant longitudinem plurium corporum æqualium. Est etiam quædam mensura *extrinseca*, et hanc non est necesse multiplicari ad multiplicationem mensuratorum, sed est in uno sicut in subjecto, ad quod multa mensurantur, sicut multi panni mensurantur ad longitudinem unius ulnæ; et hoc modo multi motus mensurantur ad numerum unius primi motus, qui numerus est tempus, et multa permanentia ad

unitatem unius permanentis, quod est ævum. — 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod sicut omnia æviterna habent unum ævum propter primum, etsi non omnia simul incipiant; ita licet non omnia temporalia simul incipiant, omnium tamen est unum tempus propter primum, quod mensuratur tempore. — 1a, q. 10, a. 6, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod tempus est numerus numeratus motus primi mobilis, et mediante illo aliorum motuum; unde non est necesse, quod multiplicetur secundum illorum multitudinem, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod tempus per se est mensura motus primi; unde esse rerum temporalium non mensuratur tempore, nisi prout subjacet variationi ex motu cœli. Unde dicit Commentator (4. *Phys. text.* 101; c. 11), quod sentimus tempus, secundum quod percipimus nos esse in esse variabili ex motu cœli. Et inde est, quod omnia, quæ ordinantur ad motum cœli sicut ad causam, cujus primo est mensura tempus, mensurantur tempore, et quicunque sentit quamcunque variabilitatem, quæ consequitur ex motu cœli, sentit tempus, quamvis non videat ipsum motum cœli. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 2, a. 1, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ad hoc, quod aliqua mensurentur per aliquod unum, non requiritur, quod illud unum sit causa omnium eorum, sed quod sit simplicius. — 1a, q. 10, a. 6, ad 4.

Ad sextum dicendum, quod quædam accidentia denominant illud, in quo sunt, ut albedo; quædam denominant illud, in quo non sunt sicut in subjecto, quomodo locus denominat contentum, licet sit in continente ut in subjecto, et tempus est numerus omnium motuum, licet subjective sit tantum in motu primi mobilis, per quem omnes alii numerantur, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 3; l. 9, c. 1. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 5, ad 2.

Ad septimum dicendum, quod tempore non mensuratur nisi illud, quod includitur in tempore secundum principium et finem; motus enim cœli licet ponatur semper fuisse secundum Philosophum, tamen unaquæque revolutio vel pars revolutionis, quæ mensuratur tempore secundum prius et posterius accepta, in ipsa habet principium et finem, quia non est mensura nisi habens principium et finem. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 2, a. 1, c.

Ad octavum dicendum, quod omnes motus, qui ordinantur ad motum cœli sicut ad causam, mensurantur tempore motus cœli, ut dictum est (in c. et ad 3 et 4), licet quilibet motus habeat in se suam particularem durationem; nam unumquodque mensuratur per illud, quod est primum et minimum sui generis, quod in proposito est tempus primi mobilis.

ARTICULUS IV

UTRUM SIT IDEM NUNC REALITER IN TOTO TEMPORE.

Videtur quod non sit idem nunc in toto tempore.

1. Nullius enim divisibilis finiti potest esse unus terminus tantum, neque si sit continuum secundum unam dimensionem, ut linea, neque si secundum plures, ut superficies et corpus; nam unius lineæ finitæ termini sunt duo puncta, et superficiei plures lineæ, et corporis plures superficies; sed ipsum nunc est terminus temporis: ergo cum sit accipere aliquod tempus finitum, necesse est ponere plura nunc. — 4. *Phys.* l. 15.

2. Præterea, illa dicuntur esse simul secundum tempus et nec prius nec posterius, quæ sunt in eodem nunc; si ergo est idem nunc permanens in toto tempore, sequitur quod illa, quæ fuerunt ante mille annos, sint simul cum his, quæ sunt hodie; sed hoc est inconveniens dicere: ergo non est idem nunc in toto tempore. — l. c.

3. Præterea, dicit Philosophus, quod tempus dividitur secundum nunc, sicut linea secundum puncta; sed divisio lineæ fit per plura puncta: ergo et divisio temporis fiet per plura nunc. — 4. *Phys.* l. 21.

4. Præterea, si nunc manet idem in toto tempore, idem esset nunc, quod æternitas; nam hoc videtur constituere rationem æternitatis, quod sit idem indivisibiliter se habens in toto decursu temporis; sed nunc temporis non est idem cum æternitate: ergo nec est idem nunc in toto tempore (1a, q. 10, a. 4, arg. 2). — Sed dices, quod *nunc* fluens dicitur facere tempus secundum apprehensionem nostram, sed *nunc* stans facere æternitatem, quia sicut causatur in nobis apprehensio æternitatis, eo quod apprehendimus *nunc* stans, ita causatur in nobis apprehensio temporis, eo quod apprehendimus fluxum ipsius *nunc*. — *Ibid.* a. 2, ad 1 et a. 4, ad 2; 4. *Phys.* l. 18.

5. Præterea, omne id, quod nunquam potest

demonstrari ut stans, sed semper ut fluens, habet aliquid ante se, a quo fluit; sed nunc non potest demonstrari ut stans, sicut punctus, sed semper ut fluens, quia ratio tota temporis est in fluxu et successione : ergo oportet ante quodlibet nunc ponere aliud nunc, et sic non erit unum nunc in toto tempore. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1. a. 5, arg. 6.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 104; c. 11 et 6. *Phys. text.* 24; c. 3) dicit, quod in toto tempore est quodammodo idem nunc, quodammodo non. — 4. *Phys.* l. 18; 6. *Phys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod esse successivorum consistit in hoc, quod existant secundum aliquid sui; quod manifestari potest, quia quælibet pars cujuslibet successivi divisibilis est in duas partes; si ergo aliquod successivum existeret non solum secundum aliquod indivisibile sui, sed secundum aliquam sui partem, sequeretur quod multæ partes alicujus successivi simul essent, quod est contra rationem successivorum. Specialius autem possumus hoc probare de tempore, quia quælibet pars temporis est tempus; si ergo aliqua pars temporis existeret, sequeretur quod tempus secundum se existeret, quod est falsum; existit ergo tempus secundum aliquid indivisibile sui; illud autem est *nunc*.

Hoc supposito dicendum, quod unum et idem nunc est in toto tempore secundum substantiam et secundum quod est ens; differens vero secundum esse et rationem. Cujus ratio est, quia ipsi nunc, quod est in tempore, aut succedit aliud nunc aut aliqua pars temporis; non aliud nunc, quia unum nunc non potest continuari alii nunc; non aliqua pars temporis, quia nulla pars temporis secundum se existere potest, ut probatum est; ergo impossibile est, quod unum nunc succedat alii nunc in tempore. *Præterea*, sicut se habet illud, quod fertur ad notum, ita nunc ad tempus; quia sicut per illud, quod fertur seu per mobile cognoscimus notum et prius et posterius in motu, quatenus idemus, mobile per motum aliter et aliter se abere, puta modo esse in aliqua parte magnidinis, per quam movetur, modo in alia; — ita er nunc determinatur prius et posterius in mpore. Nam in numeratione motus, quæ fit er tempus, id quod distinguit prius et posteius temporis, est nunc, quod est terminus ræteriti et principium futuri; sed id, quod rtur, unum est et idem secundum substantiam in toto motu, aliud vero et aliud secundum esse, in quantum est alibi et alibi; ergo et ipsum nunc unum et idem est in toto tempore secundum substantiam, sed aliud et aliud secundum esse, in quantum consideratur in alio et alio successu et decursu temporis.

Demum, sicut impossibile est, duas partes temporis, quæ sunt aliæ ab invicem, simul esse, nisi una contineat aliam, sicut majus tempus continet minus, ut annus mensem, mensis diem (simul enim est et dies et mensis et annus); ita impossibile est, duo nunc simul esse in tempore, cum unum nunc, quia indivisibile est, non contineat alterum. Si ergo est accipere in tempore duo nunc, necesse est, quod illud nunc, quod prius fuit et modo non est, aliquando corrumpatur, et quod nunquam duo nunc sint simul; omne autem corruptum necesse est in aliquo nunc corrumpi. Non autem potest dici, quod prius nunc sit prius corruptum in ipso nunc priori, quia tunc erat ipsum nunc, et nihil corrumpitur, dum est; similiter etiam dici non potest, quod prius nunc corrumpatur in posteriori, quia impossibile est, sic se habere duo nunc ad invicem, quod sint habita, id est immediate contigua, sicut etiam impossibile est de duobus punctis; sic ergo inter quælibet duo nunc sunt infinita nunc. Si ergo prius nunc corrumpitur in aliquo posteriori nunc, sequitur, quod illud nunc, quod est ante, simul sit cum omnibus aliis nunc intermediis, quod est impossibile; quare et impossibile est, quod sit aliud et aliud nunc in toto tempore. — *Opusc.* 44, c. 1; 4. *Phys.* l. 15 et 18.

Ad primum ergo dicendum, quod cujuslibet continui finiti permanentis sunt duo termini differentes secundum rem; continui vero finiti successivi non oportet, quod sint duo termini secundum subjectum, sed solum secundum rationem. Præterea falsum supponit hæc ratio in hoc, quod ponit, quod est dare tempus finitum; non enim est accipere aliquod tempus actu finitum et terminatum per nunc, nisi secundum imaginationem nostram vel per relationem ad aliquem motum, qui in tempore terminatur; totum enim tempus secundum se continuum est, neque est actualiter una pars divisa ab alia. — *Opusc.* 44, c. 1.

Ad secundum dicendum, quod non dicuntur esse simul secundum tempus, quæcunque sunt in nunc eodem secundum substantiam, sed quæ sunt in eodem nunc secundum esse et secundum

rationem; illa autem, quæ sunt post millesimum annum, et quæ sunt hodie, licet sint in eodem nunc secundum substantiam, non tamen sunt in eodem secundum esse, et ideo non oportet, quod dicantur esse simul. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod tempus dividitur quidem secundum nunc, sicut linea secundum puncta, sed tamen nunc dividit tempus, ut consideratur ut multa in potentia, prout scilicet accipitur seorsum ut principium hujus temporis, et seorsum, ut finis alterius, et in quantum sic accipitur, accipitur ut alterum et alterum nunc; sed secundum quod accipitur ut copulans tempus et continuans tempus, accipitur ut idem, ut patet similiter in puncto respectu lineæ; unde nunc continuans et dividens tempus est unum et idem subjecto, sed differt ratione. — 4. *Phys.* l. 21.

Ad quartum dicendum, quod est unum et idem in toto tempore nunc fluens; sicut enim imaginamur secundum geometras, quod punctus motus seu fluens facit lineam, ita et nunc fluens et motum facit tempus. — 4. *Phys.* l. 18; 1a, q. 10, a. 2, ad 1 et a. 4, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod nunc numquam intelligitur ut stans, sed semper ut fluens, non autem ut fluens a priori, nisi motus præcedat, sed in posterius, nec iterum in posterius, sed a priori, nisi motus sequatur; unde si nunquam sequeretur vel præcederet motus, *nunc* non esset *nunc*; et hoc patet in motu particulari, qui sensibiliter incipit, cujus quodlibet momentum est fluens, et tamen aliquod est primum et aliquod ultimum secundum terminum a quo et in quem. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 6.

ARTICULUS V

UTRUM TEMPUS REALITER DISTINGUATUR A MOTU.

Videtur quod tempus realiter distinguatur a motu.

1. Mensura enim distinguitur realiter a mensurato, ut colligitur ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 12; l. 4, c. 6); sed tempus est mensura motus, ut dictum est: ergo tempus distinguitur realiter a motu. — 5. *Metaphys.* l. 8 (6); 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 2; 1a, q. 10, a. 6, arg. 2; 4. *Phys.* l. 16, 22, 23.

2. Præterea, accidens realiter distinguitur a suo subjecto; sed tempus est in motu tamquam in subjecto: ergo tempus realiter distinguitur a motu. — 2. *Sent.* l. c.; 1a l. c.; 4. *Phys.* l. 23.

3. Præterea, quorum passiones sunt omnino diversæ, et ipsa sunt realiter diversa et distincta; sed tempus et motus habent passiones realiter diversas ac distinctas, ut dictum est (supra art. 2); nam motus dicitur velox vel tardus; non sic tempus, sed dicitur breve vel longum. — 4. *Phys.* l. 16 et 17.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Phys. text.* 99; c. 11) dicit, quod prius et posterius in motu, quod est tempus, est idem subjecto et realiter, quod motus; sed esse ipsius temporis est alterum ab esse motus. — 4. *Phys.* l. 17.

Respondeo dicendum, quod tempus est idem *realiter* cum motu; simul enim sentimus motum et tempus, et quia tempus est numerus numeratus motus secundum prius et posterius; numerus autem numeratus partium alicujus non distinguitur realiter ab ipsis partibus prioribus et posterioribus numeratis. Differt tamen *ratione*, *tum* quia de ratione motus est, quod sit actus existentis in potentia; sed quod in motu sit prius et posterius, hoc contingit motui ex ordine partium magnitudinis; *tum* quia tempus sequitur motum, non in quantum est motus, sed in quantum habet prius et posterius. Cum enim accipimus prius et posterius in motu et numeramus ea, tunc dicimus fieri tempus, illudque percipimus; et ideo tempus sequitur motum, secundum quod numeratur; non est autem de ratione motus, quod numeretur secundum prius et posterius. — 4. *Phys.* l. 17.

Ad primum ergo dicendum, quod tempus primi motus secundum rationem mensurat motum primi mobilis, et realiter quoscunque alios motus, a quibus realiter distinguitur, ut dictum est (art. 3).

Ad secundum, dicendum, quod tempus est accidens motus, non quidem physicum, sed metaphysicum.

Ad tertium dicendum, quod ideo motus et tempus habent diversas passiones, quia distinguuntur ratione, ut dictum est (in c.).

QUÆSTIO XXII

DE PARTIBUS POTESTATIVIS SEU DE SPECIEBUS MOTUS.

Deinde considerandum est de partibus potestativis seu de speciebus motus.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR NOVEM :

1. Utrum motus sit in prædicamento termini.
2. Utrum motus sit tantum ad tria prædicamenta, nimirum ad quantitatem, qualitatem et ubi.
3. Utrum per motum localem acquiratur aliquid præter locum in mobili.
4. Utrum motus realiter distinguatur a termino.
5. Utrum unitas specifica motus sumatur a termino a quo, an vero a termino ad quem, vel a mobili.
6. Utrum ad unitatem numericam motus requiratur unitas termini ad quem, temporis, mobilis et motoris.
7. Utrum motus specie distincti possint continuari.
8. Utrum contrarietas in motibus accipi debeat ex terminis contrariis ad quos.
9. Utrum quies contrarietur motui.

ARTICULUS I

UTRUM MOTUS SIT IN PRÆDICAMENTO TERMINI.

Videtur quod motus non sit in prædicamento termini.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 22; c. 3), quod motus est actio et passio; sed hæc constituunt proprium prædicamentum distinctum a prædicamento termini : ergo et motus, et sic non erit in prædicamento termini. — 3. *Phys.* l. 1 et 5 (4 ; 5. *Phys.* l. 3.

2. Præterea, si motus est in prædicamento termini, erit in omnibus prædicamentis; nam omnia prædicamenta sunt termini motus; dicit enim Philosophus (l. c. *text.* 5; c. 1), quod sunt tot species motus et mutationis, quot entis; sed motus non est nisi in quatuor prædicamentis, ut dicit Philosophus (*ibidem text.* 4 ; c. 1) : ergo motus non est in prædicamento termini. — 3. *Phys.* l. 1 ; 5. *Metaphys.* l. 9 (7).

3. Præterea id, quod definitur, constat determinato genere et differentia, ut dictum est (in Logica q. 8, a. 2) ; sed motus definitur a Philosopho, ut supra ostensum est (q. 17, a 1) : ergo determinato genere constat ; at si esset in prædicamento termini, non haberet determinatum genus, quia tunc genus definitionis motus non esset potius unius prædicamenti quam alterius, unde non posset definiri : ergo motus non est in prædicamento termini.

4. Præterea, quod est in aliquo prædicamento, recipit prædicationem illius, ut dictum est (in Logica q. 9, a. 5, c.); sed motus non recipit prædicationem sui termini ; nam motus ad quantitatem non est quantitas nec motus ad qualitatem est qualitas ; nam sic esset motus ad motum, quod negat Philosophus (5. *Phys. text.* 5, 10, 11 ; c. 1 et 2.) : ergo motus non est in prædicamento termini. — 5. *Phys.* l. 1 et 3.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *Phys. text.* 4 ; c. 1) dicit, quod motus non est præter res, ad quas est ; hoc autem est motum esse in prædicamento termini. — 3. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod motus est in prædicamento termini, non tamen per se, sed reductive. — Probatur, quia cum motus sit actus imperfectus, omne autem imperfectum sub eodem genere cadat cum perfecto, non quidem sicut species, sed per reductionem, sicut materia prima est in genere substantiæ; — necesse est, quod motus non sit præter genera rerum, in quibus est motus, ita ut sit aliquid extraneum vel aliquid commune ad terminos, ad quos est, sed reducatur ad illa. Unde motus, qui est ad qualitatem, ut alteratio, non est species qualitatis, sed per reductionem pertinet ad genus qualitatis, sicut et potentia reducitur ad genus actus, propter quod omne genus dividitur per potentiam et actum. Et ita oportet, quod etiam motus, quia est actus imperfectus, reducatur ad genus actus perfecti. — 3. *Phys.* l. 1 ; 7. *Phys.* l. 3 ; *Tabula Aurea* voce « motus » n. 13 et 14.

Ad primum ergo dicendum, quod motus dupliciter potest considerari : *uno modo*, ut est actus imperfectus, et sic reducitur ad genus actus perfecti, et ita reducitur ad prædicamentum termini. *Altero modo*, ut est in hoc ab alio vel ab hoc in aliud, et sic pertinet ad prædicamentum actionis et passionis. — 3. *Phys.* l. 5 (4) ; 5. *Phys.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod motus dupliciter potest considerari : *primo* late, licet proprie, quatenus involvit etiam mutationem, et sic est in quatuor prædicamentis : substantia,

quantitate, qualitate et ubi, et hoc modo sumpsit Philosophus motum in 3. *Phys.*, ut dictum est (supra q. 17, a. 2). *Secundo* magis proprie et stricte, et sic motus non est nisi in tribus prædicamentis: quantitate, qualitate, ubi, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 9; c. 1). Sensus autem Philosophi (3. *Phys. text.* 5; c. 1), ubi dixit, tot esse species motus, quot entis, hic est, quod motus dividitur sicut genera rerum; sicut enim ens, dividitur in perfectum et imperfectum. Cujus ratio est, quia privatio et habitus est prima contrarietas, quæ in omnibus contrariis salvatur, ut in 10. *Metaphys. text.* 15 (l. 9, c. 4) dicitur. Unde cum omnia genera dividantur contrariis differentiis, oportet in omnibus generibus esse perfectum et imperfectum, sicut in substantia aliquid est ut forma, et aliquid ut privatio; et in qualitate aliquid est ut album, quod est perfectum, et aliud ut nigrum, quod est quasi imperfectum; et in quantitate aliquid est quantitas perfecta et aliquid imperfecta; et in loco aliquid est sursum, quod est quasi perfectum, et aliquid deorsum, quod est quasi imperfectum, vel leve et grave, quæ ponuntur in ubi ratione inclinationis. Ita similiter motus dividitur secundum diversa genera entium in perfectum et imperfectum, et in quolibet motu est aliquid ut perfectum, et aliquid ut imperfectum, ut in motu ad substantiam est generatio, et correlativum in motu ad quantitatem est augmentum et decrementum. Alia vero ratio est de motu in qualitate et ubi, de qua dicitur in 5. *Phys.* (3. *Phys.* l. 1; 11. *Metaphys.* l. 9.) — *Vel dic* sicut infra art. sequenti *ad primum.*

Ad tertium dicendum, quod quia motus non est in ullo prædicamento tamquam species atque adeo per se, ut dictum est (in c.), non debet in ejus definitione poni genus determinatum alicujus particularis prædicamenti, sed id, quod est illi commune cum omnibus, quæ sunt per se in prædicamentis, cujusmodi est esse actum. Cum enim quodlibet genus dividatur per potentiam et actum, potentia reducitur ad prædicamentum actus, qui est per se in prædicamento, ut dictum est, et debet addi aliquid per modum differentiæ, quo distinguitur ab illis, quæ sunt per se in genere, cujusmodi est esse actum imperfectum. Et quia motus est forma quædam, debet definiri vel in ordine ad subjectum informe, vel in ordine ad idem formatum; et sic definitur a Philosopho motus priori quidem modo consideratus, quod sit actus entis in potentia prout in potentia; posteriori vero, quod sit actus mobilis, ut mobile est. — *Tabula Aurea* voce « diffinitio » n. 32.

Ad quartum dicendum, quod motus non est in prædicamento per se vel tamquam genus summum vel tamquam species illius, sed tantum reductive; et ideo non recipit prædicationem ullius speciei. — V. in Logica q. 9, a. 5, c.

ARTICULUS II

UTRUM SINT TANTUM TRES SPECIES MOTUS.

I. Videtur quod motus sit ad plura prædicamenta quam ad tria, quantitatem, qualitatem et ubi.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 4; c. 1 et 5. *Phys. text.* 7; c. 1), quod motus est in substantia, quantitate, qualitate et ubi, et (11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9) dicit, quod tot sunt species motus, quot entis; entis autem species sunt decem, sicut sunt decem summa genera, in quæ immediate ens dividitur: ergo motus est ad plura prædicamenta quam tria. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Phys.* l. 2.

2. Præterea, ad illa prædicamenta est per se motus, in quibus est contrarietas, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2); sed in genere substantiæ est contrarietas; ignis enim est contrarius aquæ, ut manifeste apparet: ergo motus est ad plura prædicamenta quam ad tria. — 5. *Phys.* l. 3; 11. *Metaphys.* l. 12.

3. Præterea, Philosophus (1. *Phys. text.* 62; c. 7) generationem secundum quid, quæ est motus, tribuit accidentibus, et inter accidentia ibi enumerat relationem; ergo ad relationem est per se motus. — 1. *Phys.* l. 12 (11).

4. Præterea, docet Philosophus (12. *Metaphys. text.* 19 sq.; l. 11, c. 4), quod in omnibus prædicamentis sunt tria principia mutationis, et (1. *Phys. text.* 50 et 56; c. 6), quod in omni genere est una prima contrarietas; sed tam illa tria principia quam hæc prima contrarietas sufficit ad motum: ergo motus reperitur in omni prædicamento, et sic erit ad plura quam ad tria. — 12. *Metaphys.* l. 4 (3); 1. *Phys.* l. 11 (10).

II. Videtur quod motus sit ad pauciora prædicamenta quam ad tria.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 5;

c. 1), quod sicut in quolibet genere est aliquid ut perfectum et imperfectum, ita et in motu; sed in motu ad qualitatem et ubi non est assignare duas species sicut perfectum et imperfectum: ergo motus non est ad prædicamentum qualitatis et ubi. — 3. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, ad illa prædicamenta est motus, in quibus est contrarietas, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2); sed in quantitate non est contrarietas, ut dicit Philosophus (*Prædicam.* c. 7; c. 6): ergo motus non est ad quantitatem. — 5. *Phys.* l. 4; *Opusc.* 18, tract. 3, c. 8.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9) dicit, quod species motus sunt tantum tres: motus ad quantitatem, ad qualitatem et ad ubi. — 5. *Phys.* l. 3; 11. *Metaphys.* l. 12.

Respondeo dicendum, quod dupliciter sumi potest motus: ***uno modo***, ut includit mutationem; et hoc modo si sumatur motus per ordinem ad terminum per se, quatuor sunt illius species: generatio, augmentum, alteratio, motus localis; omne namque quod mutatur, vel mutatur secundum substantiam vel secundum quantitatem vel secundum qualitatem vel secundum locum. Si vero sumatur per ordinem ad quemcunque terminum etiam per accidens, motus potest esse ad omnia prædicamenta; est enim motus per accidens ad aliquid, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 10; c. 2), quatenus ad aliquam mutationem consequitur nova relatio, sicut ad mutationem secundum quantitatem sequitur æqualitas vel inæqualitas, et ex mutatione secundum qualitatem similitudo et dissimilitudo. Similiter per accidens est motus ad actionem et passionem seu ad motum, ut quando subjectum nunc mutatur una mutatione, puta in scientiam, et postmodum alia, puta in sanitatem, et sic de ceteris. Et ratio est, quia non solum in primis quatuor prædicamentis sunt tria principia mutationis, materia, forma et privatio, sed etiam in relatione et ceteris prædicamentis; unde eadem dicuntur esse proportionaliter principia mutationis prædicta in omnibus, ut docet Philosophus 12. *Metaphys.* a *text.* 19; l. 11, c. 4. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Phys.* l. 1 et 3.

Altero modo sumitur motus magis proprie pro mutatione, quæ est de subjecto in subjectum, seu de termino positivo et affirmato in positivum et affirmatum, quo modo excluditur mutatio; et sic sumptus motus est tantum ad tria prædicamenta; quod probatur, quia ubi est motus, ibi est contrarietas, id est, ibi sunt duo termini maxime distantes, inter quos cadunt omnia, quæ sunt illius generis, et ab uno extremo ad aliud contingit continue pervenire; talis autem contrarietas solis prædictis tribus generibus competit, ut fuse probat Philosophus (5. *Phys.* a *text.* 10; c. 2). Dicendum ergo est, quod motus proprie dictus est tantum ad tria prædicamenta. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod motus late sumptus, ut comprehendit mutationem, est in quatuor prædicamentis; sumptus vero magis proprie et presse, est tantum in tribus prædicamentis, ut dictum est (in c. art.). Et sic patet ad auctoritatem Philosophi in l. c. ex *Phys.* Ad textum vero cit. ex 11. *Metaphys.* dicendum, non ideo dici a Philosopho, tot esse species motus, quot entis, quia in quolibet genere entis sit motus, sed quia sicut ens dividitur per actum et potentiam, per substantiam et quantitatem et hujusmodi, et secundum perfectum et imperfectum, ita et motus, quod sequitur ex eo, quod motus non est præter res. — 11. *Metaphys.* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod in substantia est contrarietas secundum differentias, non autem secundum speciem, qualis reperitur in terminis, ad quos est motus proprie dictus; omne autem genus dividitur in contrarias differentias, non autem in contrarias species. Animalis enim differentiæ sunt contrariæ, non autem species. — 5. *Phys.* l. 3; 11. *Metaphys.* l. 12.

Ad tertium dicendum, quod generatio secundum quid seu mutatio potest esse ad relationem per accidens, non autem per se, ut dictum est (in c.); — eodemque modo dicendum *ad quartum*.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod ideo in quantitate est assignare duas species secundum perfectum et imperfectum (secus vero in qualitate et ubi), quia contrarietas, quæ est in quantitate, non est secundum rationem suarum specierum, sed secundum perfectum et diminutum, et secundum hoc denominantur species; sed qualitates sunt contrariæ secundum propriam rationem suarum specierum, secundum quas continentur sub genere qualitatis. In loco autem contrarietas solum est per comparationem ad motum, ra-

tione cujus duo termini maxime distant. — 5. *Phys.* l. 4.

Ad secundum dicendum, quod in quantitate, sicut et in loco, est contrarietas non secundum rationem suarum specierum, ut dictum est, sed secundum perfectum et imperfectum. In utroque enim licet inveniatur prima conditio contrariorum, puta continuitas, deest tamen alia, puta maxima distantia determinatorum extremorum, si secundum communem rationem quantitatis et loci accipiantur, sed solum secundum quod accipiuntur in aliqua re determinata; sicut in aliqua specie animalis vel plantæ est aliqua minima quantitas, a qua incipit motus augmenti, et aliqua maxima, ad quam terminatur. Similiter etiam in loco inveniuntur duo termini maxime distantes per comparationem ad motum aliquem, in quorum uno incipit motus et in alium terminatur, sive sit motus naturalis sive violentus. — 5. *Phys.* l. 3.

ARTICULUS III

UTRUM PER MOTUM LOCALEM IN IPSO MOBILI ACQUIRATUR ALIQUID PRÆTER LOCUM.

Videtur quod per motum localem acquiratur in mobili aliquid præter locum.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1 et 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 1; l. 10, c. 9), quod motus est actus entis in potentia prout in potentia; sed hic actus est actus imperfectus et forma fluens, tendens ad ulteriorem perfectionem seu ad actum perfectum, quo acquisito cessat motus : ergo et motus localis erit talis forma; sed motus localis est in mobili, ut dicitur 3. *Phys. text.* 16; c. 2 : ergo et talis forma, et ita præter locum per motum localem acquiretur aliquid in mobili. — 3. *Phys.* l. 2 et 4; 11. *Metaphys.* l. 9.

2. Præterea, dicit Philosophus (l. c. *text.* 4; c. 1), quod motus non est præter res, ad quas est, et ideo non distinguitur realiter a termino; sed motus est in mobili ex Philosopho : ergo et ejus terminus; ergo præter locum, qui est extra mobile, per motum localem acquiritur aliquid in mobili. — 3. *Phys.* l. 1 et 4.

3. Præterea, extra cœlum empyreum potest corpus gloriosum localiter moveri, ut dictum est (supra q. 20, a. 3); sed tunc talis motus habet aliquem terminum; nam omnis motus est via ad terminum, unde et dicitur non esse præter res, et non habet pro termino locum, quia extra cœlum non est ullum corpus continens nec ullus locus, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 97 et 99; c. 9); ergo habet aliquem terminum intrinsecum mobili, in ipso per motum acquisitum. — 3. *Phys.* l. 1; 1. *de Cœlo* l. 20.

4. Præterea, corpus gloriosum quiescens extra cœlum dicitur esse hic; sed hæc denominatio non est a loco, quia extra cœlum non est ullus locus, ut dictum est ex Philosopho: ergo erit ab aliquo acquisito realiter per motum in mobili. — 1. *de Cœlo* l. 20.

5. Præterea, Angelus prius est alicubi, quam ibi operetur; nam sicut prius est esse quam operari, ita prius est esse hic, quam operari hic; sed non est alicubi per locum circundantem, ut patet : ergo est alicubi per ubi intrinsecum acquisitum per motum localem. — *Quodl.* 1, a. 4, arg. 1.

Sed contra est : 1. quod dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 6; c. 1 et 5. *Phys. text.* 9; c. 1), quod motus localis est ad locum tamquam ad terminum, sicut augmentatio est ad quantitatem et alteratio ad qualitatem sicut ad terminos; sed augmentatio et alteratio non habent alios terminos per ipsas acquisitos præter dictos : ergo nec motus localis habet alium terminum per ipsum acquisitum quam locum. — 3. *Phys.* l. 2; 5. *Phys.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 59; c. 7) : ideo motus localis est maxime perfectus, quia tantum est secundum locum, qui exterius continet, et ideo per illum nihil removetur, quod insit subjecto mobili, sicut removetur per augmentationem, alterationem, generationem et corruptionem; nam per alterationem fit transmutatio secundum qualitatem, per augmentationem secundum quantitatem, per generationem vero et corruptionem fit transmutatio secundum formam ; ergo. — 8. *Phys.* l. 14.

3. Præterea, Philosophus (12. *Metaphys. text.* 38; l. 11, c. 7) ex eo, quod primum mobile sempiterne movetur, colligit necesse esse, quod non contingat aliter et aliter ipsum se habere, sed ut sit semper in eadem dispositione secundum substantiam, et consequenter necesse esse, quod primus motus, quo movetur primum mobile, sit motus localis,

quia quod movetur secundum alios motus, necesse est, quod aliter et aliter se habeat secundum aliquid, quod in ipso est, scilicet secundum substantiam, quantitatem et qualitatem; sed quod movetur secundum loci mutationem, habet se quidem aliter et aliter secundum locum, qui est extrinsecus locato, sed non secundum substantiam vel secundum aliquam intrinsecam dispositionem substantiæ. — 12. *Metaphys.* l. 7 (5).

4. Præterea, si datur ubi intrinsecum, hoc erit perfectio locati, *tum* quia locus est forma et perfectio locati, unde moveri localiter est ferri ad perfectionem, ut dicitur 4. *de Cœlo text.* 23; c. 3; *tum* quia quandocunque aliquid est in potentia ad aliquid, perfectio ejus est sibi in illo esse; sed Philosophus negat, per motum localem tolli aliquid perfectionis inhærens subjecto : ergo per motum localem non acquiritur ubi. — 4. *de Cœlo* l. 2.

5. Præterea, si ubi esset quid intrinsecum locato per motum localem ipsi acquisitum, localiter movere esset agere et facere aliquid, cum præsertim tale ubi esset perfectio locati; nam locatum dicitur esse in statu perfecto, cum est in suo loco et ibi quiescit; sed Philosophus negat, movere localiter esse agere et facere quidquam; ut patet ex 1. *de Generat. text.* 45; c. 6, ubi ait, latius patere quam agere et facere; et 2. *de Generat. text.* 8 (c. 2) negat, gravitatem et levitatem esse activa, et propterea non posse has esse primas qualitates, quia istæ debent esse activæ : ergo per motum localem non acquiritur in mobili ullum ubi. — 1. *de Generat.* l. 18; 2. *de Generat.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod per motum localem nihil omnino acquiritur intrinsecum mobili, sed tantum quid extrinsecum, puta locus. — Cujus ratio quadruplex afferri potest. Et *prima* quidem ex parte mobilis secundum locum seu subjecti motus localis; hoc enim non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum hujusmodi, sed tantum ad aliquid extrinsecum, puta locum. Cujus duplex est signum : *unum* est, quod natura corporalis nata est moveri immediate a natura spirituali secundum locum, non autem secundum aliquam aliam entitatem per alium motum acquisitam; et propterea philosophi posuerunt, suprema corpora moveri localiter a substantiis spiritualibus, et anima movet corpus primo et principaliter motu local. *Alterum* vero, quod subjectum motus localis est ens completum in esse primo et in omnibus proprietatibus intrinsecis rei; unde non indiget, ut per motum localem in se ipso acquirat ullam rem positivam, cum neque per illum ullam continuat possessionem rei, per quam abjectatur aliquod a substantia rei, sed illo mediante tantum acquirit quid extrinsecum, puta locum. — 1a q. 110, a. 3, c.; *de Pot.* q. 6, a. 3, c.; *de Malo* q. 16, a. 10, c.; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, ad 5; *de Verit.* q. 26, a. 1, c.; 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 2, s.l. 1.

Secunda, ex ratione propria motus localis; quia enim hic non mutat aliquid de eo, quod est intra rem, sed solum secundum id, quod est extra, non ponit exitum de potentia ad actum aliquem intranei rei, sed ad actum extrinsecum; et propter hoc non ponitur per motum localem aliqua imperfectio per hoc, quod desit aliquid eorum, quæ debent inesse; nam ratione talium id, quod movetur, est perfectum; sed ponit imperfectionem secundum quid, puta respectu loci, quatenus id, quod movetur, dum est in uno loco, est in potentia ad alium locum, quia non potest esse actu in pluribus locis simul; hoc enim solius Dei est. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1, c. et ad 3 et dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 2, ad 1.

Tertia, ex fine motus localis; hic enim est, ut mobile existens extra locum tendat ad locum suum et in illo quiescat; propterea enim talis motus dicitur localis, et idem dicitur tantum variare locum externum, non aliquid internum rei; mobile autem est in loco, sine ullo ubi intrinseco, tantum per hoc, quod secundum proprias dimensiones circumscribitur ex contactu corporis locantis. Quod autem unum corpus tangat aliud, formaliter ex eo est, quod inter quantitatem corporis tangentis et circundantis seu continentis et quantitatem corporis tacti, circundati et contenti nullum est corpus medium actu vel potentia. Nam ea se tangunt, ut dicitur 5. *Phys. text.* 22 et 26; c. 3, quorum extrema sunt simul; simul autem sunt ex eodem (l. c. *text.* 25 et 7. *Phys. text.* 9; c. 2), inter quæ nihil est medium ejusdem vel diversi generis (sic enim distinguitur contiguum, quod Philosophus vocat habitum seu adhærens, a consequenter se habente), vel certe quæ sunt in uno loco primo seu proprio et non communi,

quomodo duo puncta duarum linearum se tangentium dicuntur esse simul, quia continentur sub uno puncto loci continentis. At negatio corporis medii inter aliqua duo non est effectus ullius entitatis absolutæ intermediæ inter duo corpora se tangentia, sed absentiæ corporis cujuscunque actu et potentia, sicut privatio formæ est effectus absentiæ ipsius, ut dicit Philosophus 1. *Phys. text.* 68 (c. 7), ubi ait, quod sufficit ad mutationem alterum contrariorum sua absentia et præsentia; et similiter contineri sub uno loco proprio tantum involvit denominationem a loco continente; continet autem locus sua quantitate vel superficie, non autem ulla alia entitate absoluta; unde locus definitur, quod sit superficies corporis continentis, ut dictum est. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Phys.* l. 2 et 5; 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 2, sol. 1; 7. *Phys.* l. 3; 1. *Phys.* l. 13 (12).

Quarta, ex ipso ubi intrinseco; si enim hoc datur, debet illi assignari aliquis effectus; omnis enim forma habet aliquem effectum; at nullus illi potest assignari. Vel enim hic est, si quis assignari forte potest, efficere formaliter, ut corpus circundetur tali loco, vel efficere formaliter, ut occupet tale spatium, vel ut hic et non alibi circundetur loco; sed nullum horum potest assignari. *Non primus*, quia ut dictum est, quod corpus contineatur et circundetur tali loco, est effectus corporis continentis locantis et circundantis. *Neque secundus*, nam replere spatium proprium est corporis sensibilis, ut ait Philosophus (4. *Phys. text* 57; c. 7) definiens vacuum, quod sit locus non plenus corpore sensibili; dicitur autem corpus aliquod esse sensibile ex materia et forma et naturalibus accidentibus, calido scilicet et frigido, quæ supponunt quantitatem. Unde si darentur dimensiones etiam separatæ cum ubi intrinseco, non replerent locum; nam cum plenum opponatur vacuo, illud non replet locum, quo posito in loco, locus nihilominus remanet vacuus; potest autem, ut dictum est, in loco esse, præter quantitatem corpus sensibile (4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, sol. 2). *Præterea*, quia per illud corpus replet spatium, per quod replet tantum vel tantum spatium, puta majus vel minus; sed hoc habet corpus sensibile, quatenus habet tantam vel tantam quantitatem; nam substantia ratione sui potest esse in loco majori vel minori. Illud enim, quod secundum se non habet quantitatem, potest esse indifferenter sub parva et sub magna quantitate, ut est substantia; hæc enim sublata quantitate est indivisibilis, ut docet Philosophus, 1. *de Generat. text.* 27; c. 5, ubi ait, quod materia non potest existere sine quantitate, quia alioqui nullum locum occuparet, sicut punctus (1. *de Generat.* l. 12). *Deinde*, quia cum una sit tantum quantitas in toto composito, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 2), per illam extenditur forma substantialis et omnia ejus accidentia, atque adeo et ipsum ubi, si daretur; unde formaliter illud faceret commensuratum et configuratum corpori continenti et tanto spatio. Nam cum ipsum per se non habeat quantitatem, potest, quantum est ex se, afficere majorem vel minorem quantitatem, ac proinde non nisi ratione quantitatis potest efficere, ut corpus sit in tanto vel tanto loco vel spatio saltem imaginario, ac proinde per ubi non habet formaliter corpus, ut repleat vel occupet spatium. — *Neque tertius*, quia esse hic et non alibi dicit ordinem situs corporis locati ad primum continens, ut dictum est (supra q. 19, a. 2), qui ordo est quid respectivum et non absolutum, et est subjective in corpore immediate continente formaliter sumpto, ut ibidem dictum est. — Unde manifestum est, quod per motum localem non acquiritur in mobili aliquid ipsi intrinsecum præter locum, qui est extra ipsum.

Ad primum ergo dicendum, quod motus localis dicitur actus imperfectus, non quia desit aliquid eorum, quæ debent inesse seu quæ sunt intrinseca rei, et talis motus ponat exitum de potentia ad actum aliquem intrinsecum rei, sed dicitur actus imperfectus respectu loci, quia dum mobile est in uno loco, est in potentia ad alium locum; unde tantum ponit imperfectionem secundum quid. — 3. *Sent.* dist. 22, q. 3. a, 1, ad 1; 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1, c. et ad 3 et dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod motus dicitur non esse præter res, ad quas est, quia reducitur ad prædicamentum termini, ad quem tendit, sicut imperfectum sub eodem genere cadit cum perfecto, non quidem sicut species, sed reductive. — 3. *Phys.* l. 1.

Ad tertium dicendum quod, quia corpus gloriosum non dependet a primo continente et locante, ut dictum est, dicitur moveri localiter

extra cœlum, quia per talem motum potest applicari sufficienter cuicumque parti spatii, per quod movetur, et posset approximari cuicumque corpori, si realiter esset extra cœlum. — 3a, q. 57, a. 4, ad 2.

Ad quartum dicendum quod, sicut in corpore glorioso Christi Domini præsertim est potentia per motum localem perveniendi extra totam continentiam corporum cœlestium ad illud spatium imaginarium extra cœlum, ita ubicunque quiesceret in eo spatio, diceretur quiescere in parte talis spatii et non tamquam in loco continente, quia illa sola corpora exigunt esse in loco per se, quæ indigent contineri a corpore cœlesti, cujusmodi non sunt corpora gloriosa; quomodo Philosophus (1 *de Cœlo text.* 100; c. 9) asserit, extra cœlum ibi esse aliquas substantias non tamquam contentas in loco, sed sicut non contentas nec inclusas sub continentia rerum corporalium, sed totam corporalem naturam excedentes. — *Ibid.*; 1. *de Cœlo* l. 20.

Ad quintum dicendum, quod Angeli sunt in loco per operationem transeuntem. Et ad probationem in contrarium negatur consequentia. Nihil enim prohibet aliquid esse prius simpliciter, quod non est prius quantum ad hoc, sicut corpus subjectum est simpliciter prius superficie, sed non quantum ad hoc, quod est colorari. Et similiter prius simpliciter est corpus quam tactus; tamen ipsum est in loco per contactum dimensivæ quantitatis, et similiter Angelus per contactum virtutis; unde prius quidem simpliciter est Angelum esse quam operari; prius tamen est Angelum operari hic, quam esse hic, quia illud est causa hujus. — *Quodl.* 1, a. 4, ad 1.

ARTICULUS IV

UTRUM MOTUS REALITER DISTINGUATUR A TERMINO.

Videtur quod motus realiter distinguitur a termino.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 5; c. 1), quod si albedo, quæ est terminus dealbationis, esset realiter albefactio, daretur motus ad motum, quod est falsum; ergo motus distinguitur realiter a termino. — 5. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, motus est ens successivum, ut dictum est (supra q. 17, a. 2), forma vero seu terminus ens permanens, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text* 80; c. 9.); hæc enim simul cum materia permanet post motum; sed ens permanens et successivum realiter distinguuntur, ut per se constat: ergo motus realiter distinguitur a termino. — 1. *Phys.* l. 15; 11.

3. Præterea, motus respicit terminum sicut potentia actum; unde est, quod per resolutionem pertinet ad genus termini, sicut potentia pertinet ad genus actus, ut dictum est (a. 1); sed potentia realiter distinguitur ab actu; inde enim fit, quod esse in potentia et esse in actu non possunt esse simul in eodem: ergo motus realiter distinguitur a termino. — *Tabula Aurea* voce « actus » n. 55, 56.

4. Præterea, motus non est ens completum, sed via ad esse completum; unde a Philosopho ponitur motus (3. *Phys. text.* 6; c. 1) medius inter potentiam et purum actum. Præterea motus non est in instanti, sed in tempore, et est causa termini, quia causa naturalis operatur effectum per motum, ut dictum est, et separatur a termino; terminus vero est in instanti, causatur a motu, et est, quando cessavit esse motus. Sed hæc non possunt esse realiter eadem, quia nulla via est realiter terminus; et nullum existens in instanti potest esse idem cum eo, quod non potest esse in instanti; et causa omnis realiter distinguitur a suo effectu, ut sæpius dictum est; et si alterum interimitur, ut dicit Philosophus (7. *Topic.* c. 1, n. 13), alterum autem non, non sunt idem: ergo motus realiter distinguitur a termino. — 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (3 *Phys. text.* 6; c. 1) dicit, quod motus est actus imperfectus seu forma imperfecta, terminus vero, ad quem est motus, est forma perfecta; sed forma imperfecta est eadem numero cum eadem facta perfecta: ergo motus non distinguitur realiter a termino. — 3. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod duplex est motus: ***unus*** est, secundum quem nihil mutatur et variatur de eo, quod est intra rem, sed tantum hoc, quod est extra, ut motus localis; et hic realiter distinguitur a termino; nam motus est in mobili, ut dictum est (supra q. 17, a. 3), terminus vero ipsius, puta locus, est in locante, ut dictum est (q. 19. a. 2). ***Alter*** vero est, secundum quem variatur illud, quod inest rei, puta quantitas

vel qualitas, ut est motus augmentationis vel alterationis; et in hoc motu duo considerari possunt : *unum* est id, quod de motu est in rerum natura, et hoc modo nihil est aliud quam inchoatio quædam actus perfecti in eo, quod movetur; sicut in eo, quod dealbatur, jam incipit esse aliquid albedinis; et quia albedo in esse inchoato realiter non distinguitur ab eadem in esse perfecto, quia albedo s quens facit unum quid cum præcedente, ideo non distinguitur realiter a termino. *Alterum* est ratio motus, quæ quia completur non solum per id, quod est de motu in rerum natura, sed etiam per id, quod ratio apprehendit; — nam ad hoc, quod illud imperfectum albedinis seu albedo in esse inchoato habeat rationem motus, requiritur ulterius, quod intelligamus ipsum quasi medium inter duo, quorum præcedens comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum, unde motus dicitur actus; consequens vero comparatur ad ipsum sicut perfectum ad imperfectum vel actus ad potentiam, propter quod motus dicitur actus existentis in potentia, ut dictum est; — propterea motus ratione distinguitur a termino. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1, c. et ad 3; 3. *Phys.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod licet albefactio realiter non distinguatur ab albedine, non tamen albefactio est ad albefactionem et motus ad motum, quia albefactio et motus ratione distinguitur ab albedine atque adeo a termino, ut dictum est (in c.). Sicut similiter, licet motus realiter non distinguatur ab actione et passione, neque tamen motus est actio vel passio, neque actio est passio neque contra, ut dictum est (supra q. 17, a. 4).

Ad secundum dicendum, quod quia motus dicit formam inchoatam cum tendentia ad ulteriorem gradum, ideo ratione distinguitur a termino, qui est forma perfecta. Verum sicut forma perfecta et imperfecta non distinguuntur realiter, ita nec motus et ejus terminus, licet acquisito termino non remaneat esse imperfectum formæ sub ratione termini, cum faciat unum cum esse perfecto formæ. — V. c. art.

Ad tertium [*et quartum*] dicendum primo, quod motus non est realis potentia, sed a nobis concipitur per modum potentiæ respectu termini, qui est actus perfectus, et ideo sicut albedo inchoata facit unum realiter cum albedine perfecta, ita et motus cum termino quantum ad id, quod est de motu in rerum natura. — Quod vero motus non sit in instanti cum termino, sitque illius causa et ab illo separari possit, tantum inde colligitur distinctio rationis inter ipsa, ut patet in simili de motu, actione et passione, ut dictum est (*ad primum.*) — *Ibid.*; 3. *Phys.* l. 3.

ARTICULUS V

UTRUM UNITAS SPECIFICA MOTUS SUMATUR A TERMINO AD QUEM.

Videtur quod unitas specifica motus non sumatur a termino ad quem.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 33; c. 4), quod motus circularis et rectus differunt specie; sed isti duo motus possunt tendere ad eundem terminum specie : ergo motus non sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — 5. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, ambulatio et volatio non sunt unus motus specie, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 32; c. 4); sed ambulatio et volatio possunt tendere ad unum terminum specie : ergo motus non sumit unitatem specificam a termino ad quem. — 7. *Phys.* l. 8.

3. Præterea, motus ab albo in fuscum et a nigro in fuscum non sunt unus motus specie, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 52; c. 5), sed hi motus habent eundem terminum specie : ergo motus non sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — 5. *Phys.* l. 8.

4. Præterea, generatio et creatio possunt terminari ad eundem terminum specie; nam ille homo, qui nunc generatur, poterat a Deo creari; sed generatio et creatio non sunt unus motus vel mutatio specie : ergo motus non sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — Il. citandis *ad quartum.*

5. Præterea, motus ignis usque ad mediam regionem, si ibi detineatur, et ascensus ejusdem ad concavum lunæ sunt ejusdem speciei, et tamen terminus ad quem utriusque non est idem specie; ergo motus non sumit speciem a termino ad quem. — Il. citandis *ad quintum.*

Sed contra est : 1. auctoritas Philosophi (5. *Phys.* a *text.* 31; c. 4), ubi dicit, unitatem specificam motus sumi ex termino ad quem.

2. Præterea, motus sumit suam denominationem a termino ad quem et non a termino a

quo, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 4; c. 15. Cujus ratio est quia per mutationem auferitur terminus a quo et acquiritur terminus ad quem, unde motus videtur repugnare termino a quo, et convenientiam habere cum termino ad quem; sed ab illo sumit motus suam unitatem specificam, cum quo habet convenientiam et a quo denominatur, magis quam ab eo, cum quo videtur habere repugnantiam et a quo non denominatur; ergo motus sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — 5. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, cum processus cujuslibet scientiæ sit quasi quidam motus rationis, consimili modo motus sumit suam unitatem atque scientia; sed hæc sumit suam unitatem specificam ex fine seu ex termino scientiæ: ergo et motus sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — 1. *Poster.* l. 41 (39).

Respondeo dicendum, quod motus secundum rationem suæ speciei requirit duos terminos: a quo et ad quem, præter subjectum, puta mobile; per motum enim mobile transit a termino a quo ad terminum ad quem, ut dictum est (supra q. 3, a. 1). Cum autem ab eodem sumat res suam unitatem specificam, a quo sumit suum esse, oportet ab eodem similiter sumat motus suam unitatem specificam, a quo sumit suum esse; non sumit autem motus suum esse a mobili nec a termino a quo; *non ab illo*, quia motus non diversificatur per instrumenta, quia hæc se tenent ex parte mobilis; *neque ab hoc*, quia nihil refert quantum ad rationem v. g. dealbationis et cujuslibet alterius motus, utrum ille, qui dealbatur, fuerit niger vel pallidus vel rubeus; quare debet illud sumere et consequenter et unitatem specificam a termino ad quem. — 7. *Phys.* l. 8; 1a, q. 23, a. 1, ad 3.

Quod etiam *confirmatur*, quia motus est via ad terminum ad quem, ut dictum est (art. 4); via autem specificatur a termino ad quem, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 21; c. 3); distinguitur enim ratione via ex Thebis Athenas et ab Athenis Thebas. Præterea, quia Philosophus (l. c. *text.* 4 et 5; c. 1) dicit, motum esse in prædicamento termini; cujus ratio nulla alia est, quam quia motus sumit suam unitatem specificam a termino ad quem. — 3. *Phys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ad unitatem specificam motus localis præter terminum ad quem requiritur unitas spatii et viæ, per quam tenditur ad terminum. Et quia lineæ circularis et rectæ differunt specie, ideo et motus tendentes ad eundem terminum specie per viam specie diversam differunt specie. — 5. *Phys.* l. 6; 7. *Phys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod licet motus non diversificetur et multiplicetur specie per instrumenta motus, sed per lineas et magnitudines, super quas transit mobile; sic enim rectum a circulari differt. Et ratio hujus est, quia motus non recipit speciem a mobilibus, sed potius a rebus, secundum quas mobilia moventur; instrumenta autem se tenent ex parte mobilium, figuræ autem ex parte rei, in qua est motus. — 7 *Phys.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod motus, qui terminatur ad medium, ut docet Philosophus (5. *Phys. text.* 52; c. 5), utitur illo tamquam duplici termino; nam si sit motus ex albo in fuscum, fuscum habet rationem nigri; si vero sit motus ex nigro in fuscum, fuscum habet rationem albi, et ita motus specie diversi non tendunt ad terminum unum specie. — 5. *Phys.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod creatio neque est motus neque mutatio; nam quod creatur, non fit ex subjecto præexistenti, quod tamen requiritur ad motum vel mutationem. Præterea creatio terminatur ad ens simpliciter, secus vero generatio. — 1a, q. 45, a. 1, ad 2 et a. 2, ad 2 et a. 3, c.; 2. *c. Gent.* c. 17.

Ad quintum dicendum, quod idem est motus numero ad terminum et medium formaliter sumptum; quod si ibi detineatur vi ignis, ut non tendat magis sursum id est per accidens et violenter ibi manet; motus autem violentus et naturalis tantum differunt accidentaliter et non essentialiter seu specifice. — *de Verit.* q. 22, a. 14, ad 2; *de Pot.* q. 6, a. 8, c.

ARTICULUS VI

UTRUM AD UNITATEM NUMERICAM MOTUS REQUIRATUR UNITAS TERMINI AD QUEM, TEMPORIS, MOBILIS ET MOTORIS.

1. Videtur quod non requiratur ad unitatem numericam motus *unitas termini ad quem*. — Nam voluntas eodem numero motu intentionis potest plura intendere; ergo similiter in naturalibus idem numero motus potest esse ad plures numero terminos ad quem. — 1a 2æ, q. 12, a. 3, arg. 2 et ad 2.

2. Præterea, idem est motus numero, qui tendit ad medium et ad extremum, sicut et voluntas eodem motu tendit in media et finem; sed medium et extremum non solum differunt numero, sed etiam specie, ut dicit Philosophus (10. *Ethic.*)[1] : ergo potest unus numero motus esse, licet non sit ad unum numero terminum ad quem.—*de Verit.* q. 22, a. 14, arg. 2.

3. Videtur quod non requiratur *unitas temporis*. — Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 37; c. 4), quod si eadem qualitas numero corrupta recuperari potest, quod alteratio sequens erit eadem numero cum præcedente; sed hæ duæ alterationes sunt in diversis temporibus numero, ut constat : ergo unitas numerica motus non requirit unitatem numericam temporis. — 5. *Phys.* l. 6.

4. Præterea, idem numero filius, qui est ab uno parente, potuit, ut dictum est (supra q. 14, a. 6, arg. 2), nasci ab alio parente; sed generatio fit per motum alterationis præcedentem, ut dictum est (q. 17, a. 1, ad 5) : ergo idem motus numero potest esse in diversis numero temporibus.

5. Videtur quod ad unitatem numericam motus non requiratur *unitas numerica mobilis*. — Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 23; c. 3), quod si post primam chordam pulsatur ultima, est unus numero motus; sed mobilia sunt numero distincta, ut patet : ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas numerica mobilis. — 5. *Phys.* l. 5.

6. Præterea, inter motum localem liquoris, quo flamma sustentatur, quam Philosophus (l. c. *text.* 40; c. 4) vocat diffusionem, et motum localem flammæ, qui a Philosopho ibidem vocatur lampas, qui consequitur prædictum motum, nullum interjacet tempus et proinde est unus numero motus; sed talis motus non habet unum numero mobile, sed plura, ut patet : ergo unitas numerica mobilis non necessario requiritur ad unitatem numericam motus.— 5. *Phys.* l. 7.

7. Præterea, si canis a concavo lunæ in terram descendat et in medio aere moriatur, talis descensus est unus numero motus, cum nulla quies media intercipiatur; et similiter motus virgæ, cujus una pars est arida, altera viridis, est unus numero; sicut et si continuetur aurum argento, motus illius totius continui erit unus numero; sed in his motibus mobile non est idem numero, sed plura numero, cum canis vivus et mortuus specie differant, et similiter pars arida et viva : ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas numerica mobilis. — 5. *Metaphys.* l. 7 (6).

8. Præterea, si guttæ cadentis una pars in via resolvatur in aerem, et alia pars augeatur per condensationem aeris novi ei oppositi, descensus erit unus numero motus; et similiter si duæ guttæ cadant et in medio uniantur, erit unus numero descensus, et tamen utrobique mobile non est unum; ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas numerica mobilis.

9. Videtur quod ad unitatem numericam motus non requiratur *unitas numerica motoris*. — Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 21; c. 3), quod motus realiter identificatur actioni; sed eadem numero actio potest esse a pluribus agentibus : ergo et idem numero motus potest esse a pluribus motoribus. — 3. *Phys.* l. 5; *Tabula Aurea* voce « actio » n. 65.

10. Præterea, si fax continue deferatur per manum unius, tum per manum alterius a loco ad locum, nulla mora interposita, motus erit unus numero; sed motores erunt plures numero: ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas numerica motoris.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 32 et 34; c. 4) dicit, ad unitatem numericam motus requiri unitatem numericam termini ad quem et temporis, et l. c. *text.* 39; c. 4 et 8. *Phys. text.* 49; c. 6) dicit, requiri unitatem numericam mobilis et motoris, quia ubi est aliud et aliud movens, non erit motus continuus et consequenter unus numero, sed erit consequenter se habens. — 5. *Phys.* l. 6 et 7; 8. *Phys.* l. 12.

Respondeo dicendum, quod ad unitatem numericam motus quatuor unitates potissimum requiruntur : unitas nimirum numerica subjecti seu mobilis, unitas termini ad quem, unitas temporis et unitas numerica motoris. Ratio hujus est, quia cum multipliciter dicatur unum simpliciter : *uno modo*, sicut aliquod indivisibile est unum; *alio modo*, sicut continuum est unum, — motus non potest dici unus simpliciter sicut indivisibile, quia nullus motus est indivisibilis; unde relinquitur, quod hoc modo dicatur unus sicut continuum, et quod hoc sit motui esse unum simpliciter, quod est ei esse continuum; et ipsa continuitas motus sufficit ad ejus unitatem; sequitur enim quod, si est continuus, est unus. Quæcunque igitur requiruntur

1) Fortassis 10. *Metaphys.* c. 8 vel 10.

ad continuitatem motus, requiruntur ad ejus unitatem. — 5. *Phys.* l. 7.

Ad continuitatem autem motus requiritur *primo*, quod sit unus secundum speciem, id est quod tendat ad terminum ad quem specie, imo et numero unum, quia ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 38; c. 4), unus numero actus est unius numero qualitatis acquisitæ per actum illum. *Secundo*, quod sit unius subjecti, quia diversorum subjectorum motus possunt esse habiti, sed non continui, ut patet in mutatione candelæ per motum diversarum manuum. Præterea, quia motus, ut dictum est (supra q. 17, a. 3), cum sit actus mobilis, est subjective in mobili; nullum autem accidens numero idem potest esse in pluribus numero subjectis (4. *Sent.* dist. 4, q. 1, a. 3, sol. 2 et dist. 14, q. 1, a. 3, sol. 1). *Tertio*, quod sit unius temporis, id est, ut non interveniat aliqua immobilitas et quies; quia si deficeret aliquod tempus motui, in quo mobile non moveretur, sequeretur, quod illo quiesceret; si autem quies interponitur, erunt multi motus et non unus; multi enim motus sunt et non unus, quorum quies in medio est. Unde si aliquis motus sit, qui intercipiatur quiete, neque erit unus neque continuus; intercipitur autem quiete, si tempus sit in medio; unde requiritur ad unitatem motus, quod sit unum tempus continuum. Sed tamen hoc non sufficit, quia motus, qui non est unus specie, non est continuus, etiam si tempus non deficiat, quia etsi sit unus secundum tempus, erit alius secundum speciem, quia necesse est ad hoc, quod sit motus unus continuus, quod sit unus secundum speciem, ut dictum est (initio corp.), licet non sequatur, quod motus, qui est unus secundum speciem, sit unus simpliciter. *Demum* requiritur ad hoc, quod motus sit unus numero, quod sit ab uno motore numero, quia si esset a pluribus motoribus, non esset totus motus continuus, sed consequenter se habens.—Unde relinquitur, quod ad unitatem numericam motus requiruntur quatuor unitates : mobilis, termini ad quem, temporis et motoris. — 5. *Phys.* l. 7 et 6; 8. *Phys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod unius motus possunt ex una parte esse plures termini, si unus ad alium ordinetur; sed duo termini ad invicem non ordinati ex una parte unius motus esse non possunt. Verum quoad motum voluntatis considerandum est, quod id, quod non est unum secundum rem, potest accipi ut unum secundum rationem. Intentio autem est motus voluntatis in aliquid præconceptum in ratione. Et ideo ea, quæ sunt plura secundum rem, possunt accipi ut unus terminus intentionis, prout unum sunt secundum rationem; vel quia aliqua duo concurrunt ad integrandum aliquid unum, sicut ad sanitatem concurrunt calor et frigus commensurata; vel quia aliqua duo sub uno communi continentur, quod potest esse intentum; puta acquisitio vini et vestis continentur sub lucro sicut sub quodam communi; unde nihil prohibet, quin ille, qui intendit lucrum, simul hæc duo intendat. — 1a 2æ, q. 12, art. 3, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod verbum Philosophi intelligendum est, quando sistitur in medio; quando enim per medium transitur ad terminum, tunc est unus numero motus, sicut patet similiter in appetitivis; quando enim voluntas movetur in id, quod est ad finem, cum ordine ad finem, est unus motus. — *de Verit.* q. 22, a. 14, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ideo dicit Philosophus, quod si sit eadem qualitas, quæ recuperatur, erit idem motus numero secunda alteratio cum prima; si vero non redit eadem numero qualitas, sequitur, quod non sit idem numero actus, — quia eadem ratio videtur in primo aspectu de unitate qualitatis et motus, cum tamen vere non sit eadem ratio; unde licet eadem numero sanitas redeat, non tamen sequitur, quod sit unus numero motus secunda alteratio cum prima. Et ratio est, quia non sequitur, quod si terminus motus est unus numero, necessario debeat et motus esse unus numero, ut patet manifeste in motu locali. Cum enim ambulans pausat, cessat illa ambulatio; sed quando iterum ambulare incipit, iterum ambulatio erit; si ergo dicatur, quod sit una et eadem ambulatio, contingit, quod unum et idem sit et corrumpatur multoties, quod est impossibile. Sic ergo similiter, licet contingeret, quod eadem sanitas numero repararetur, non sequeretur, quod secunda sanatio esset idem numero motus cum prima, sicut nec secunda ambulatio cum prima, quamvis utraque sit ad eundem locum numero. — 5. *Phys.* l. 6.

Ad quartum dicendum, ut dictum est alibi (supra q. 14, a. 6, ad 2).

Ad quintum dicendum, quod motus primæ chordæ et ultimæ intermissis mediis non est simpliciter continuus et unus; nam licet sit continuus ex parte temporis, sed non ex parte

rei, cujus tamen unitas numerica requiritur ad unitatem numericam motus, ut dictum est (in c.) — 5. *Phys.* l. 5.

Ad sextum dicendum, quod sicut nihil prohibet, in uno instanti temporis, ad quod terminantur partes ejus, terminari unum motum et incipere alium motum alterius generis vel speciei, ut cursum et febricitationem, et sic illi motus erunt habiti, sed non continui; ita poterunt etiam duo motus ejusdem speciei terminari ad idem instans temporis, ut patet in motu locali liquoris sustentantis flammam, et flammæ. — 5. *Phys.* l. 7.

Ad septimum dicendum, quod quia in corruptione rei fit resolutio usque ad materiam primam, ut dictum est (supra q. 3, a. 15), ideo cum per mortem canis recedant omnia accidentia, et de novo alia cum nova forma adveniant, quæ in toto composito, ut dictum est (*ibid.* a. 11), sustentantur, non potest esse unus numero motus descensus canis a concavo lunæ ad medium aerem, ubi moritur, et inde ad terram, sed erunt duo motus consequenter se habentes.

Ad octavum dicendum, quod semper remanet pars, quæ non resolvitur in aerem, et illa retinet eundem numero motum; quando vero duæ guttæ uniuntur, sicut ante unionem erant duæ, ita et duo motus; post unionem vero, sicut fiunt una numero aqua, ita fit unus numero motus juxta ea, quæ dicta sunt (in c.)

Ad nonum dicendum, quod eadem numero actio potest esse a pluribus agentibus subordinatis, puta a primo et secundo agente, non tamen a duobus agentibus ejusdem ordinis. — *Tabula Aurea* voce « actio » n. 65.

Ad decimum patet ex dictis (in c.)

ARTICULUS VII

UTRUM DUO MOTUS SPECIE DISTINCTI POSSINT CONTINUARI.

Videtur quod duo motus specie distincti possint continuari.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Metaphys. text.* 9; l. 4, c. 6), quod aurum potest continuari argento; sed eadem est ratio motuum specie diversorum atque auri et argenti, quæ possunt esse termini ad quos motuum specie diversorum : ergo duo motus specie diversi continuari possunt. — 5. *Metaphys.* l. 7 (6).

2. Præterea lignum, cujus una pars est alba et alia nigra, est unum continuum; et tamen albedo et nigredo specie differunt; ergo quæ specie differunt, possunt continuari; quare et motus specie differentes; nam eadem est ratio utrorumque. — 2. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 4, c.

3. Præterea, illa sunt continua, quæ copulantur termino communi, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 27; c. 3); sed duo motus specie differentes possunt copulari uno termino communi; nam potest in eodem instanti terminari unus motus et alius specie distinctus incipere. — 5. *Phys.* l. 5.

4. Præterea, dicit Philosophus (l. c. *text.* 27; c. 3), quod fructus continuatur arbori; sed hæc differunt specie : ergo specie differentia possunt continuari; sed eadem est ratio motuum et rerum : ergo et motus specie distincti possunt continuari. — l. c.; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

Sed contra est : 1. quod Philosophus (5. *Phys.* a *text.* 41; c. 4) dicit, quod ad hoc, ut motus sit continuus et unus, necesse est, quod sit unus secundum speciem. — 5. *Phys.* l. 7.

2. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod ea possunt continuari, quæ possunt habere idem extremum; sed quæ differunt specie, habent diversa extrema, ut dicitur ibidem : ergo motus specie differentes non possunt continuari. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod res diversæ speciei possunt continuari. Ratio hujus est, quia illa sunt secundum se continua, quæ non dicuntur unum per contactum, sed habent eandem quantitatem; nam quæ se tangunt, non dicuntur unum, sed duo corpora. Possunt autem duo specie diversa esse unum sine contactu et habere eandem *quantitatem*, ut si continuetur aurum argento et fructus arbori; talia enim duo erunt unum, si attendatur sola quantitas, non autem si attendatur natura subjecti. Similiter et motus specie diversi continuari possunt *in ratione subjecti et temporis* extrinseci, quia, ut dictum est, nihil prohibet, in uno instanti temporis, ad quod continuantur partes illius, terminari unum motum et incipere alium ejusdem subjecti alterius speciei vel generis; ut postquam quis cucurrit, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 40; c. 4), immediate febricitare potest. Unde non sufficit unitas temporis ad continuitatem motus, ut inquit Philosophus (l. c. *text.* 41; c. 4); nam possunt motus specie diversi et consequenter non continui ratione formæ, continuari ratione temporis extrinseci, ita

ut inter illos nullum medium tempus, sed solum instans terminans unum motum et incipiens alium. Non possunt autem motus specie diversi continuari ratione formæ. Cujus ratio est, quia continuitas motus non distinguitur realiter ab ipso motu, nec similiter motus ipse nec ejus continuitas a forma, cum motus nihil aliud sit quam forma, ut est in continuo fieri, seu quam forma imperfecta, ut continue et successive tendens ad ulteriorem perfectionem, ut dictum est (supra q. 17, a. 1 et 2). — 5. *Metaphys.* l. 7 (6); 5. *Phys.* l. 7.

Diversæ autem formæ specie non possunt intrinsece continuari, quia carent extremis; continuari enim tantum competit illis, quorum extrema possunt esse unum; quare nec motus specie diversi continuari possunt. Et in hoc distinguuntur duo motus specie diversi a duabus rebus permanentibus, puta duabus formis specie diversis, quod hæ possunt in ratione quanti continuari, ut dictum est, in forma fructus et arboris, auri et argenti, quia distinguuntur realiter a quantitate, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 2), et per eandem numero quantitatem extenduntur; unde sunt unum numero in ratione quanti, sed non in natura subjecti. Motus vero non possunt continuari, quia habent propriam continuitatem et quantitatem realiter indistinctam a forma et termino. Quare si termini sunt distincti specie et non possunt continuari, nec motus poterunt continuari. Excipiendus tamen est motus localis; nam cum hic realiter a termino distinguatur, ut dictum est (supra a. 4), et subjectetur in mobili quanto, ut dictum est (q. 17, a. 3), fit ut, modo remaneat idem mobile quantum et nulla intercedat mora inter motus locales, possint inter se continuari. — Et ex his patet *ad argumenta*. — 5. *Metaphys.* l. 7 (6); 5. *Phys.* l. 7 et 5.

ARTICULUS VIII

UTRUM CONTRARIETAS IN MOTIBUS SUMATUR EX TERMINIS AD QUOS, AN VERO EX TERMINIS A QUIBUS.

1. Videtur quod contrarietas motuum sumi debeat ex terminis ad quos. — Quia ab eo, a quo aliquid recipit speciem, recipit etiam contrarietatem, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 48; c. 5); sed motus recipit speciem a termino ad quem : ergo ab illo recipit et contrarietatem. — 5. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, ab eo debet sumi contrarietas in motibus, quod est causa contrarietatis; sed hæc est terminus ad quem, non terminus a quo; nam duo motus ex contrariis terminantes possunt in unum et idem tendere, ut dicit Philosophus (l. c.); ergo contrarietas in motibus debet sumi ex terminis ad quos. — *Ibid.*

3. Videtur quod contrarietas sumatur ex terminis a quibus. — Motus enim circularis et rectus sunt contrarii, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 25; c. 4); sed non sunt contraria ex parte terminorum ad quos, quia possunt versari circa eumdem terminum ad quem : ergo contrarietas motuum non sumitur ex terminis ad quos. — 1. *de Cœlo* l. 8.

4. Præterea, ascensus aeris a terra et descensus ejusdem ab igne ad suum locum sunt contrarii, sed hæc contrarietas non potest sumi ex terminis ad quos, cum sit omnino idem terminus utriusque : ergo sumitur ex terminis a quibus.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 46; c. 5) dicit, quod contrarietas motuum sumitur ex terminis a quibus et ad quos. — 5. *Phys.* l. 8.

RESPONDEO DICENDUM, quod motus sumit contrarietatem ex terminis a quibus et ad quos; mutatio vero sumit contrarietatem *uno modo* ex accessu ad aliquem terminum et recessu ab eodem; *altero* vero ex contrarietate terminorum a quibus et ad quos simul. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod quinque modis universaliter accipi potest ratio contrarietatis in motibus, quorum *primus* est, ut ratio contrarietatis motuum accipiatur secundum accessum ad aliquem terminum et recessum ab eodem; quomodo generatio et corruptio sunt contraria, quia generatio est motus ad esse, corruptio vero est motus ex esse. *Secundus* est, ut ratio contrarietatis accipiatur secundum contrarietatem terminorum, a quibus incipit motus; quomodo contrariantur inter se motus ex sanitate et motus ex ægritudine. *Tertius*, ut accipiatur contrarietas secundum contrarietatem terminorum ad quos; quomodo contrariantur motus ad sanitatem et motus ad ægritudinem. *Quartus*, ut accipiatur contrarietas secundum contrarietatem termini a quo ad terminum ad quem; quomodo contrariatur motus ex sanitate ei, qui est in ægritudinem. *Quintus* est, ut accipiatur contrarietas secundum contrarietatem utrorumque terminorum; non enim contingit secundum aliquam aliam rationem opponere motum motui. — 5. *Phys.* l. 8.

Ex his modis duo inutiles omnino sunt, puta secundus et quartus; et *hic quidem*,

quia motus, qui est ex uno contrario, non potest dici contrarius ei, qui est in aliud contrarium, ut motus ex sanitate motui in ægritudinem; idem enim non est sibi ipsi contrarium; sed motus, qui est ex sanitate, motui qui est in ægritudinem, est unus et idem subjecto atque adeo realiter, licet differant secundum esse seu ratione. Nam unus importat habitudinem motus ad terminum a quo, alius vero habitudinem ejusdem motus ad terminum ad quem. — *Ille vero* multo minus utilis est, quia ex terminis a quibus nullo modo potest sumi contrarietas motuum. Quod patet *primo*, quia duo motus, qui in idem tendunt, non sunt contrarii; sed duo motus ex contrariis recedentes possunt in unum et idem tendere; puta si duo motus ex contrariis in idem medium tenderent. *Præterea*, quia ex illo accipienda est ratio contrarietatis in motu, quod magis facit motum esse contrarium; sed contrarietas terminorum ad quos magis videtur esse causa contrariorum motuum quam contrarietas terminorum, a quibus motus incipit, quia cum dico, motus incipere contrariis terminis, dico remotionem contrarietatis; cum vero dico, motus accedere ad contraria, dico acceptionem contrarietatis; ergo non accipitur contrarietas motuum secundum terminos a quibus tantum. *Demum*, quia ab eo, a quo aliquid recipit nomen et speciem, recipit etiam contrarietatem, cum contrarietas sit differentia secundum formam, ut patet ex 10. *Metaphys.* (*text.* 24; l. 9, c. 8); sed unusquisque motus magis denominatur et speciem recipit a termino ad quem quam a termino a quo, cum ille habeat rationem formæ; sic enim sanatio dicitur motus in sanitatem, et ægrotatio motus in ægritudinem. Magis ergo accipienda est contrarietas motuum secundum terminum ad quem quam secundum terminum a quo. — 5. *Phys.* l. 8.

Ex reliquis vero modis solus quintus modus ponit contrarietatem in motibus; reliqui vero duo faciunt contrarietatem in mutationibus. Et de *primo* probatur primo, quia contrarietas aliquorum accipitur secundum propriam rationem ipsorum; propria autem ratio specifica motus est, quod sit quædam mutatio a subjecto in subjectum affirmatum. Secundo probatur inductione, *tum* in alteratione corporali, quia ægrotare est contrarium ei, quod est sanari, quorum primus est motus a sanitate in ægritudinem, alius vero ab ægritudine in sanitatem; *tum* in alteratione spirituali animæ, quia ei, quod est addiscere, contrarium est decipi; hi enim motus sunt in contraria ex contrariis, quia addiscere est motus ab ignorantia ad scientiam, decipi autem a scientia ad ignorantiam. — De *secundo* vero etiam probatur, quia si sermo sit de mutatione in rebus, in quibus invenitur contrarietas, sola contrarietas terminorum ad quos non facit contrarietatem motus, sed mutationis. Et ratio est, quia ubi est contrarietas sola terminorum ad quos, non est mutatio a subjecto in subjectum, sed vel a subjecto in non subjectum, vel a non subjecto ad subjectum, quod convenit tantum mutationi, ut distinguitur a motu. — Si vero sit sermo de rebus, in quibus non est contrarietas, sicut in substantiis et similibus, in his accipitur contrarietas mutationis ex eo, quod est recessus ab eo, et quod est accessus in ipsum idem; sicut accessus ad formam ignis, quod pertinet ad generationem ejus, et recessus ab eadem forma, quod pertinet ad ejus corruptionem, sunt contraria, unde generatio est contraria corruptioni et quæcunque remotio cuicunque acceptioni; sed hujusmodi non sunt motus, sed mutationes. Unde relinquitur, quod ad contrarietatem motus, ut distinguitur a mutatione, requiritur contrarietas terminorum a quibus et ad quos simul. — Et ex his patet *ad prima duo objecta*. — 5. *Phys.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod motus rectus et circularis non sunt contrarii, ut probat Philosophus (1. *de Cœlo text.* 24; c. 4), unde l. c. tantum loquitur ex hypothesi : si esset aliquid contrarium circulari, maxime contrariaretur rectum. — 1. *de Cœlo* l. 8.

Ad quartum respondeo ex dictis (in c.)

ARTICULUS IX

UTRUM QUIES CONTRARIETUR MOTUI.

Videtur quod quies non contrariatur motui.

1. Unum enim uni opponitur; sed motui opponitur motus, ut dictum est : ergo non contrariatur motui quies. — 5. *Phys.* l. 10.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 24; c. 4), quod motui cœli non opponitur ulla quies; ergo motui, ut motus est, non opponitur quies. — 1. *de Cœlo* l. 8.

3. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys text.* 55; c. 6), quod mutationi non opponitur quies, sed non mutatio; ergo similiter motui non opponitur quies, sed non motus. — 5 *Phys.* l. 9.

4. Præterea, si opponitur quies motui, maxime illa, quæ est in termino a quo; sed hoc est falsum, quia cum aliquis movetur ex hoc termino, sicut ex loco, aut ut abjiciatur ille terminus, sicut qualitas vel quantitas, adhuc dum movetur, videtur habere illud, quod abjectum est vel derelictum; non enim subito deserit aliquid totum locum, sed successive, et similiter successive amittit albedinem; ergo dum movetur, adhuc remanet in termino a quo. Si igitur quies, qua aliquid manet in termino a quo, contrariatur motui, quo idem recedit, sequitur, quod duo contraria sint simul, quod est impossibile; ergo dicendum est, quod motui non contrariatur quies. — 5. *Phys.* l. 10.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 53; c. 6) dicit, quod motui opponitur quies. — 5. *Phys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod motui opponitur quies; est enim quies privatio motus. Quod autem privatio sit quodammodo contrarium, patet; nam privatio et habitus est prima contrarietas, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 15; l. 9, c. 4, quia scilicet in omnibus contrariis salvatur ratio privationis et habitus, cum semper alterum sit quasi privatio respectu alterius, ut album respectu nigri et amarum respectu dulcis. Verum non omni motui opponitur omnis quies. Cum enim motus sit inter duos terminos affirmatos, motui, qui est ex termino contrario in suum contrarium, contrariatur quies, quæ est in contrario; ut motui, qui est ex albo in nigrum, contrariatur quies, quæ est in albo; et motui, qui est ex nigro in album, contrariatur quies, quæ est in nigro. Et ratio est, quia necesse est, quod motui contrarietur vel quies, quæ est in termino ad quem, vel quies in termino a quo; non enim potest dici, quod quies, quæ est in aliqua alia specie, contrarietur motui vel quieti, sicut quod quies, quæ est in albedine, contrarietur quieti, quæ est in sanitate, aut motui, qui est ad sanitatem. Sed irrationabile est, quod quies, quæ est in termino ad quem, puta in albo, opponatur motui, qui est ex nigro in album, quia illa non opponuntur, quorum unum est perfectio, conservatio et causa alterius; sed quies in termino ad quem seu in albo est perfectio motus a nigro in album; simul enim est cum ipso motu; nam ipsum moveri ad terminum est fieri quietem. Præterea motus est causa quietis; non potest autem unum oppositum esse causa sui oppositi; dicendum ergo est, quod motui opponitur quies, non tamen omnis, sed illa, quæ est in termino a quo. — 5. *Phys.* l. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in omnibus contrariis salvatur ratio privationis et habitus, cum semper unum sit quasi privatio alterius, ut dictum est (in c.), ideo uni contrario unum opponitur contrarie, et eidem potest aliud oppoti privative, et sic motus opponitur contrarie motui, ut dictum est (a. præced.), et quies opponitur privative.

Ad secundum dicendum, quod nos loquimur de motu locali recto; hic autem habet oppositum motum, ut patet ibidem, et quietem, ut patet ex 5. *Phys.* — 1. *de Cœlo* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod quia ita se habet non mutatio ad mutationem, sicut quies ad motum, sicut motui opponitur quies, ita mutationi non mutatio. — 5. *Phys.* l. 9.

Ad quartum dicendum, quod illud, quod movetur recedendo a termino a quo, recedit non simpliciter, sed secundum quid, id est secundum quod adhuc manet in illo, non totaliter, sed partim; quia hoc est universaliter verum, quod semper ejus, quod movetur, una pars est in termino a quo et alia in termino ad quem. Nec est inconveniens, quod unum contrariorum secundum quid permisceatur alteri; sed quanto est magis impermixtum, tanto est magis contrarium; et ideo motus est magis contrarius motui, cum nunquam ei permisceatur, quam quies, quæ quodammodo permiscetur. — 5. *Phys.* l. 10.

QUÆSTIO XXIII

DE PARTIBUS QUANTITATIVIS MOTUS.

Deinde considerandum est de partibus quantitativis motus.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum continuum habeat partes actu.
2. Utrum indivisibilia sint quid positivum.
3. Utrum continuum componatur ex indivisibilibus.
4. Utrum in motu sit primum mutatum esse.
5. Utrum forma substantialis desinat intrinsece seu per ultimum sui esse.

ARTICULUS I

UTRUM CONTINUUM HABEAT PARTES ACTU.

Videtur quod continuum habeat partes actu.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 36; c. 4), quod totum est, quod in partes,

quæ insunt, dividitur; sed continuum est quoddam totum, ut docet Philosophus (l. c. *text.* 16; c. 2) : ergo continuum habet actu partes. — 1. *Phys.* l. 9 (8) et 3.

2. Præterea, causa et causatum simul actu debent esse, ut dictum est (supra q. 14, art. 2); sed esse cujuslibet totius causatur a partibus : ergo sicut totum continuum habet esse actu, ita et partes ejus debent esse actu.

3. Præterea, ubicunque est diversitas partium tum inter se tum a toto, ibi partes actu sunt; pluralitas enim est causa diversitatis; sed in toto continuo et in quolibet alio est diversitas partium inter se et a toto; alioqui totum non distingueretur a partibus contra Philosophum (1. *Phys. text.* 17; c. 2) : ergo continuum habet actu partes.

4. Præterea, potest virga esse partim alba, partim nigra, ut dictum est (supra q. 22, art. 6); sed hoc non potest esse, nisi sint actu partes in continuo : ergo continuum habet actu partes.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 49;l. 6, c. 13) dicit, quod partes totius continui non sunt actu in illo, sed potentia. — 7. *Metaphys.* l. 13.

Respondeo dicendum, quod continuum est quodammodo multa; nam omne continuum est divisibile in infinitum, et sic continet in se multas partes; quod necessario dicendum est non solum propter ipsam multitudinem partium, sed etiam propter diversitatem, quæ videtur esse inter totum et partes. Totum enim secundum quid tantum est idem parti, et non simpliciter; si enim simpliciter totum esset idem uni partium, eadem ratione esset idem alteri partium; quæ autem uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem; et sic sequitur, quod partes, si ponantur simpliciter esse idem toti, sint idem ad invicem, et sic sequitur, quod totum sit indivisibile, non habens diversitatem partium. — 1. *Phys.* l. 3.

Ceterum duplex est totum ex Philosopho (5. *Metaphys. text.* 31; l. 4, c. 26) : *unum* non continuum, quod continet partes actu, eo quod ejus quantitas consurgit ex partibus determinatæ quantitatis, quæ proinde definiuntur a Philosopho (1. *Phys. text.* 36; c. 4) : in quas cum insint, actu scilicet, dividitur totum; hujusmodi autem est totum integrale, ut animal, quod constat partibus existentibus in ipso actu, puta carne, ossibus, nervis. *Alterum* vero continuum est, quod habet partes existentes in ipso potentia, non actu. Cujus ratio est, quia totum continuum est quoddam unum; unitas enim est quasi forma ejus; unde et a logico, cujus consideratio versatur circa rationem et speciem, definitione formali definitur continuum : cujus partes copulantur uno termino communi; sicut e converso, quia naturalis considerat materiam, definitione materiali definit continuum : quod est divisibile in semper divisibilia. Non possunt autem duo vel plura in actu constituere unum in actu; secus vero duo in potentia. Hæc enim constituunt unum in actu; sic enim duo dimidia unius lineæ continuæ, quia sunt in potentia in ipsa linea dupla, constituunt lineam duplam, quæ est una in actu et quoddam totum continuum. — 5. *Metaphys.* l. 21 (30); 1. *Phys.* l. 9 (8); 1. *de Cœlo* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 13; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, sol. 3, ad 1.

Dicuntur autem partes in continuo contineri potestate, quia *tripliciter* potest aliquid esse in aliquo : vel actu, quomodo est anima in corpore; vel potentia, quomodo sunt formæ in materia; vel partim actu, partim potentia, quod est esse potestate seu in potentia proxima, et hoc modo sunt in continuo partes, quia ante divisionem sunt actu secundum entitatem in toto, potentia vero secundum distinctionem; post divisionem autem sunt actu quoad entitatem et distinctionem, ut patet ex dictis (in Logica q. 3, a. 2, c. et ad 4).

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus l. c. loquitur de toto non continuo.

Ad secundum dicendum, quod duo actu, quia non possunt constituere unum ens actu, sed duo in potentia, ut dictum est (in c.), ideo partes, ex quibus constituitur continuum, debent esse in potentia et non actu in toto nisi secundum entitatem, secundum quam sunt causa totius.

Ad tertium dicendum, quod in continuo est diversitas partium in potentia ; non autem actu, ut dictum est (in c.)

Ad quartum dicendum, quod virga, cujus pars est alba, pars nigra, est una in ratione quantitatis et virgæ, non autem in ratione colorati, ut dictum est (supra q. 22, a. 6)

ARTICULUS II

UTRUM INDIVISIBILIA SINT QUID POSITIVUM.

Videtur quod indivisibilia sint quid positivum.

1. Contactus enim realis et physicus debet esse secundum aliquid reale et physicum; sic enim Philosophus (5. *Phys.* a *text.* 22; c. 3 et 6. *Phys. text.* 1; c. 1) definit ea quæ physice se tangunt, quorum extrema sunt simul; sed extrema, secundum quæ se tangunt aliqua duo, sunt indivisibilia; nam duæ lineæ se tangunt secundum puncta, et duæ superficies secundum lineas : ergo puncta sunt aliquid positivum. — 5. *Phys.* l. 5; 6. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, sphæra tangit planum in puncto, ut docet Philosophus (1. *de Anima text.* 13; c. 1); sed tangit in aliquo reali, cum sit tactus realis et physicus : ergo punctus est quid reale et positivum. — 1. *de Anima* l. 2.

3. Præterea, locus est superficies extra corporis continentis, ut dictum est (supra q. 19, a. 2); sed locus est quid reale et positivum, cum sit species quantitatis, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 3) : ergo superficies, quæ est quid indivisibile, erit quid reale positivum.

4. Præterea, continuum est, cujus partes copulantur termino communi; ergo sicut partes realiter copulantur, ita debet esse aliquid reale, quod illas copulet; sed copulantur indivisibilibus, ut partes lineæ puncto, et partes superficiei linea : ergo indivisibilia sunt quid reale positivum. — 5. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, ita se habet punctus respectu lineæ, sicut *nunc* respectu temporis, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 107; c. 11); nam sicut punctus continuat et dividit lineam, ita *nunc* tempus; sed *nunc* est quid reale positivum; alioqui tempus, quod existit ratione ipsius nunc, ut dictum est (supra q. 21, a. 1), non esset quid reale positivum, quod est falsum, ut ostensum est : ergo indivisibilia sunt quid positivum. — 4. *Phys.* l. 18.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 9; c. 2) dicit, quod punctum in actu nihil est aliud quam divisio lineæ, et ut habet alia littera : si magnitudo dividatur in puncta, dividetur in nihil, quia nihil erit residuum præter divisionem, si ulaque est punctum, quod est divisio; divisio autem nihil ponit nisi negationem, cum dicat solam separationem et negationem conjunctionis. — 1. *de Generat.* l. 5; 6. *Phys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod indivisibilia, puta linea et superficies dupliciter possunt considerari : *uno modo*, ut species quantitatis, et hoc modo sunt quid reale positivum, sunt et ipsa quantitas, cujus ipsæ sunt species, ut dictum est in Logica q. 11, a. 3. *Alio modo*, ut sunt termini, superficies quidem corporis, linea superficiei, et punctus lineæ, et hoc modo formaliter dicunt negationes et consequunt quid positivum, cui inest talis negatio. Quod *probatur*, quia per divisionem nihil fit de novo, sed quod erat in potentia, fit actu; at per divisionem lineæ fiunt duo puncta, et per divisionem superficiei duæ lineæ : ergo puncta, lineæ et superficies, quatenus sunt termini, nihil dicunt positivum reale, sed quid negativum existens in positivo. Nam punctum v. g. est negatio existens in linea ulterioris extensionis, cum illa sit in potentia ad ulteriorem extensionem, et per divisionem recipiat talem negationem ulterioris extensionis; et idem dico de superficie respectu lineæ, et de corpore respectu superficiei. Præterea ante quemlibet particularem motum datur primum indivisibile; sed hoc non est quid positivum, cum non possit assignari, a quo agente et per quam virtutem producatur; et idem dico de primo indivisibili ante quodlibet tempus. Ergo dicendum est, indivisibilia formaliter non significare quid positivum. — 3. *Sent.* dist. 21, q. 1, a. 1, sol. 2, ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod ad hoc, ut duo se tangant secundum extrema, ita ut extrema sint simul, sufficit, ut inter illa duo se tangentia nihil actu mediet sive ejusdem sive diversi generis; hoc enim est aliqua esse simul, ut docet Philosophus (5. *Phys. text.* 25; c. 3 et 7. *Phys. text.* 9; c. 2); fieri autem potest, ut inter aliqua duo nihil medietet, licet extrema illorum, quæ se tangunt, non sint quid positivum indivisibile : ergo. — 5. *Phys.* l. 5; 7. *Phys.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod sphæra tangit planum in puncto, quia tangit illud punctualiter et indivisibiliter.

Ad tertium dicendum, quod locus est quid reale, quia est superficies, quæ est species

realis, non tamen quatenus afficit intrinsece corpus continens, sed quatenus extrinsece afficit et denominat corpus contentum, ut dictum est (supra q. 19, a. 2).

Ad quartum dicendum, quod illa definitio non est continui physice et realiter considerati, sed logice, quatenus nimirum ab intellectu concipitur; non enim realiter partes lineæ copulantur uno puncto, nec partes motus uno mutato, nec partes temporis uno instanti; sed intellectus ista imaginatur, ut intelligat continuitatem lineæ, motus et temporis. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 3; l. *de Cœlo* l. 2.

Ad quintum dicendum, cum eadem sit ratio ipsius nunc et mutati esse et puncti, quod dictum est de punctis, idem dicendum est de instantibus; dicitur tamen tempus existere ratione instantis, quia a nobis fluxus ille durationis concipitur existere divisibiliter et indivisibiliter. — *Opusc.* 48, tract. 3, c. 3 et sqq.

ARTICULUS III

UTRUM CONTINUUM COMPONATUR EX INDIVISIBILIBUS.

Videtur quod continuum componatur ex indivisibilibus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Poster. text.* 9; c. 4), quod substantia lineæ est ex punctis, sicut substantia trianguli ex lineis; sed triangulus vere componitur ex lineis : ergo linea ex punctis. — 1. *Poster.* l. 10 (9).

2. Præterea, si indivisibilia, puta puncta, non essent de substantia lineæ, posset nihil deperire de linea sublatis punctis; sed illis sublatis tollitur substantia lineæ : ergo linea componitur ex punctis. — *de Verit.* q. 2, a. 3, arg. 11 et ad 11.

3. Præterea, si continuum non componitur ex indivisibilibus, sed ex divisibilibus, possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens, ut dicit Philosophus (9. *Metaphys. text.* 7; l. 8, c. 3); dividatur ergo in omnes suas partes; *vel* hæ erunt divisibiles, et sic non erit divisum continuum in omnes suas partes; *vel* erunt indivisibiles, et sic continuum erit compositum ex indivisibilibus. — 9. *Metaphys.* l. 3, 4, 5 (2); l. *de Generat.* l. 5.

4. Præterea, si funiculus lineus extendatur, rumpetur et scindetur in partes; sed non datur, ubi scindatur, cum æqualiter in quacunque parte extendatur et non sit ratio, quare magis frangatur in uno loco quam in alio; ergo scindetur in partes indivisibiles; nam si in divisibiles, non erat ratio, cur non scinderetur in medio vel in quacunque illarum partium. — 2. *de Cœlo* l. 25.

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui (6. *Phys.* a *text.* 1; c. 1). docet et probat, quod nullum continuum componitur ex indivisibilibus. — 6. *Phys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod impossibile est continuum componi ex indivisibilibus. — Quod potest esse manifestum multipliciter, et *primo* quidem, si continuum componitur ex indivisibilibus, ita ut sint omnia immediata, vel sunt continua, vel contigua, vel consequenter se habentia; non primum nec secundum, quia continua sunt, quorum extrema sunt unum; contigua vero, quorum extrema se tangunt; sed puncta, cum sint indivisibilia, non habent extrema. Neque tertium, quia illa se habent consequenter, inter quæ non datur medium ejusdem generis; sed inter duo puncta datur linea. — *Secundo*, si indivisibilia sunt immediata, vel se tangunt secundum totum vel secundum partem; si primum, ergo se penetrant, et sic non faciunt majus; nam indivisibile additum indivisibili non facit majus; si secundum, ergo sunt divisibilia. — *Tertio*, sequerentur multa absurda et duo præsertim, puta motum velocissimum et motum tardissimum fieri per æqualia spatia, et quod indivisibile est divisibile. Nam detur spatium octo indivisibilium, per quod A velocissimum et B tardissimum moveantur; tunc eo tempore, quo A transit unam partem, puta unum indivisibile spatii, B transibit eandem, et sic de singulis. Quod si dicas, quod, quo tempore A transit duas partes, B transit tantum unam, tunc sequitur aliud inconveniens; nam dum A transit unam partem, B transit dimidiam, et sic indivisibile erit divisibile, quod est absurdum. Unde dicendum est, quod continuum non componitur ex indivisibilibus neque in illa dividitur, sed est divisibile in semper divisibilia. — 6. *Phys.* l. 1 et 3.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia seu essentia, quam significat definitio lineæ, dicitur esse ex punctis, non quia linea componatur ex punctis, sed quia punctum est de ratione lineæ, sicut linea de ratione trianguli. — 1. *Poster.* l. 10 (9).

Ad secundum dicendum, quod sicut nihil deperit Deo, si ejus creatura ponatur non esse, deperit tamen perfectioni ipsius, si auferatur ab eo potestas producendi creaturam; ita, licet nihil depereat de lineæ quantitate, si diminuatur punctus in actu; si tamen diminuatur a linea, quod non sit ad punctum terminabilis, peribit lineæ substantia. — *de Verit.* q. 2, a. 3, ad 11.

Ad tertium dicendum, quod cum continuum sit quoddam infinitum in potentia, cum sit divisibile in semper divisibilia, non est in illo sejunctus actus a potentia, sed utrumque simul est; non enim unquam deficit potentia dividendi. Quando enim dividitur in actu, adhuc est ulterius divisibile in potentia, et nunquam separatur actus a potentia, ut nimirum quandoque sit totum divisum in actu, et non sit ulterius divisibile in potentia. Unde continuum non habet potentiam ad divisum esse, sed ad dividi, et sic non sequitur, quod sit divisibile in indivisibilia et quod componatur ex illis. — 9. *Metaphys.* l. 5 (2); 1. *de Generat.* l. 5.

Ad quartum dicendum, quod illa ratio est sophistica, primo, quia difficile est æqualiter extendi funiculum; secundo, quia frangetur in medio, quia ibi concurrit violentia, quæ ex utraque parte infertur. — 2. *de Cœlo* l. 25.

ARTICULUS IV

UTRUM IN MOTU SIT PRIMUM INDIVISIBILE SEU MOMENTUM, ET SIMILITER IN TEMPORE PRIMUM NUNC.

Videtur quod in motu non detur primum indivisibile, et similiter nec in tempore primum nunc.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Phys. text.* 55; c. 6), quod in motu non datur primum mutatum esse, sed ante mutatum esse præcedit moveri; ergo in motu particulari non datur primum indivisibile. — 6. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, de ratione ipsius nunc est, quod sit finis præteriti et principium futuri; hæc enim est definitio ipsius nunc; unde quodlibet nunc datum habet ante se tempus prius et posterius, et ita nullum potest esse primum neque ultimum; ergo tempus non habet primum indivisibile (2. *c. Gent.* c. 33, n. 5; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 5; 8. *Phys.* l. 2). — Sed dices, quod primum instans temporis non est finis præteriti, nec ultimum est principium futuri.

3. Sed contra, *nunc* temporis consideratur ut fluens; nam in hoc differt a *nunc* æternitatis; sed quod fluit, ab alio in aliud fluit; ergo oportet omne *nunc* a priori *nunc* in posterius *nunc* fluere; ergo impossibile est esse aliquid primum vel ultimum *nunc*. — *de Pot.* q. 3, a. 17, arg. 16; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 6.

4. Præterea, ut docet Philosophus (6. *Phys. text.* 52; c. 6), omne mutatum prius mutatur, et omne, quod mutatur, prius mutatum est; ergo non datur primum mutatum. — 6. *Phys.* l. 8.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (l. c. *text.* 53; c. 6) dicit, quod omne tempus est inter duo nunc, sicut et motus inter duo momenta; ergo ante motum datur primum momentum et ante tempus primum nunc. — *Ibid.*

2. Præterea, quodlibet tempus particulare incipit esse, et idem dico de motu; vel ergo incipit in tempore, vel in instanti primo, ante quod non est illud tempus neque pars ulla illius temporis. Sed non incipit in tempore, quia sic nihil temporis ante temporis terminum esset; nihil enim rei est, antequam res esse incipiat; ergo incipit in instanti, quod erit primum illius temporis; et idem dicendum de momentis respectu motus. — *de Pot.* q. 3, a. 17, arg. 25.

3. Præterea, quantitas finita habet suum terminum indivisibilem, quo terminatur et finitur; sed quilibet motus particularis est quantitas finita; est enim de genere continuorum, ut dicitur 3. *Phys. text.* 2; c. 1: ergo motus quilibet particularis habet primum indivisibile. — 2. c. *Gent.* c. 36, n. 5; 6. *Phys.* l. 8.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod in quolibet motu particulari datur primum indivisibile. Et ratio hujus est, quia ejusdem rationis est incœptio et terminatio in omnibus continuis, sive sint permanentia sive fluentia, ut patet ex 6. *Phys.*; sed continua permanentia incipiunt et desinunt per indivisibilia; datur enim primum punctum incipiens et terminans lineam: ergo similiter et in motu datur primum et ultimum momentum. — *Confirmatur*, quia proportionaliter se habent tempus, motus et magnitudo, ut docet Philosophus (6. *Phys.*). Sicut ergo in linea ante quamlibet partem lineæ est accipere punctum in medio illius partis, et ante illud punctum

medium est accipere aliquam partem lineæ, et sic in infinitum, — neque tamen linea est infinita, quia datur primum punctum lineæ, ante quod non est aliqua pars lineæ ; — similiter in motu, cum quælibet pars ejus sit divisibilis, ante quamlibet partem motus est accipere indivisibile aliquod in medio illius partis, quod est mutatum, et ante illud indivisibile est accipere partem motus, et sic in infinitum ; neque etiam sequitur, quod sit motus infinitus et perpetuus, quia datur primum indivisibile motus, ante quod non est aliqua pars motus. Verum illud indivisibile non dicitur mutatum esse, quia cum hoc sit terminari motum, supponit partem motus præcedentem (2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 5), sicut nec primum punctum lineæ dicitur divisio, sed dicitur primum indivisibile seu primum momentum. — 6. *Phys.* l. 8 ; 2. *c. Gent.* c. 36, n. 5 ; *de Pot.* q. 3, a. 17, ad 25 ; 2. *Sent.* q. 1, a. 5 et 6 ; *Opusc.* 36.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus non admittit primum mutatum esse in motu; admittit autem primum indivisibile motus, ut dictum est (in c.) — Et ex his patet *ad quartum.*

Ad secundum dicendum, quod in motu cœli, qui secundum Philosophum est æternus, omne momentum est principium futuri et finis præteriti motus ; sed secundum veritatem, quia motus cœli non est æternus, sed incepit, ideo ante illum datur primum indivisibile et primum momentum ; et idem est in quolibet motu particulari et in quolibet tempore illum consequente. — Il. cit. in arg.

Ad tertium dicendum, quod instans semper consideratur ut fluens, sed non semper ut fluens ab aliquo in aliquid, sed quandoque ut fluens ab aliquo tantum, sicut ultimum instans temporis; quandoque ut fluens tantum in aliquid, sicut primum instans. — *de Pot.* q. 3, a. 17, ad 16.

ARTICULUS V

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS INCIPIAT ET DESINAT INTRINSECE, SEU PER PRIMUM ET ULTIMUM ESSE.

Videtur quod forma substantialis incipiat et desinat intrinsece per primum et ultimum sui esse.

1. Quia licet implicet, esse duo instantia immediata per ordinem ad eundem motum, non tamen per ordinem ad diversos ; sed motus, quo una forma substantialis desinit et quo altera incipit, possunt esse diversi : ergo potest una forma substantialis incipere et altera desinere intrinsece (3a, q. 75, a. 7, ad 1 ; 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 2). — Sed dices, quod unitas instantis et temporis et eorum pluralitas accipitur secundum primum motum cœli, qui est mensura omnis motus et quietis.

2. Contra, ita se habent indivisibilia motus et temporis ad motum et tempus, sicut indivisibilia lineæ, puta puncta ad lineam, ut dictum est (supra a. 4) ; sed possunt esse duo puncta immediata duarum linearum, licet illis respondeat unus punctus ex parte loci continentis : ergo similiter potest in instanti ultimo unius motus esse una forma, et in primo instanti immediato alterius motus incipere alia forma substantialis. — *Ibidem.*

3. Præterea, impossibile est in materia simul esse formam aquæ et formam ignis, quia in materia essent duæ formæ contrariæ; ergo debent dari duo instantia, quorum in uno ultimo sit una forma et in altero primo sit alia forma ; sed inter hæc duo instantia non potest esse medium tempus, quia sic materia esset sine omni forma, quod implicat : ergo sunt duo instantia immediata, et per consequens una forma substantialis in uno desinet intrinsece, et altera in alio intrinsece incipiet. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, quæstiunc. 2, arg. 2 et dist. 17, q. 1, a. 5, quæstiunc. 2, arg, 3.

4. Præterea, forma præcedens et forma sequens non possunt simul esse in materia, quia cum habeant contrarias dispositiones, contraria essent simul in materia ; si ergo una forma advenit alia recedente, oportet quod præcedens forma primo fuerit in materia, quando sequens forma non erat ; ergo cum forma præcedens esse desierit, erit dare ultimum instans, in quo fuit præcedens forma, et similiter cum sequens forma esse incipiat, oportet dare primum instans, in quo ipsa inest ; hæc autem oportet esse duo instantia, quia forma præcedens et sequens non simul sunt ; neque inter illa duo instantia est dare tempus medium, quia sic materia esset sine ulla forma ; ergo debent esse immediata, et sic forma substantialis incipiet et desinet intrinsece. — *de Verit.* q. 28, a. 2, arg. 10.

5. Præterea, quidquid quiescit in aliquo per aliquod tempus, quiescit in illo in quolibet instanti illius temporis, quia de ratione quietis est, quod quiescens non aliter se habeat nunc et prius ; sed materia prima in generatione substantiali in toto tempore alterationis quiescit sub una forma substantiali : ergo quiescit in illo etiam in ultimo instanti sub illa, et sic ipsa desinet intrinsece per ultimum sui esse, et alia adveniens incipiet intrinsece per primum sui esse. — 1a, q. 53, a. 3, c.

6. Præterea, esse formæ præcedentis mensuratur quodam tempore ; sed mensura propria æquatur mensurato : ergo in quolibet instanti illius temporis est ibi forma substantialis præcedens, et sic in ultimo instanti ; unde necesse est, quod desinat intrinsece. — *Quodl.* 7, a. 9, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (8. *Phys. text.* 69; c. 8) dicit, quod quando ex albo fit nigrum, in toto tempore alterationis est album ; sed in ultimo instanti illius simul est non album et nigrum : ergo forma præcedens desinit extrinsece. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 2.

2. Præterea, una forma substantialis expellit aliam, non per modum causæ efficientis, sed per modum causæ formalis : sed hæc simul est cum suo effectu formali, qui est non esse formæ substantialis præcedentis : ergo forma substantialis non desinit intrinsece, sed extrinsece per primum non esse. — *Ibid.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 2, ad 2.

3. Præterea, cujuslibet motus, qui mensuratur aliquo tempore, oportet quod ultimus terminus sit in ultimo instanti temporis; ergo cum forma substantialis sit quidam terminus motus alterationis, oportet quod in ultimo instanti temporis illius introducatur forma substantialis ; generatio autem et corruptio simul currunt, quia generatio unius est corruptio alterius : ergo oportet quod in ultimo instanti illius temporis sit terminus corruptionis et generationis ; sed terminus corruptionis est non esse formæ præcedentis, et terminus generationis est esse formæ substantialis sequentis : ergo in eodem ultimo instanti est primum non esse formæ præcedentis et primum esse sequentis, et sic forma præcedens desinet extrinsece et per primum sui non esse, et forma sequens incipiet intrinsece per primum sui esse. — *Quodl.* 7, a. 9, c.

4. Præterea, expulsio formæ dicit terminum motus illius, qui est ad corruptionem ordinatus, et introductio formæ dicit similiter terminum illius motus, qui præcedit generationem, quia tam generatio quam corruptio sunt termini motus, sed omne quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud, ad quod motus ordinatur ; cum ergo motus corruptionis tendat in non esse, generationis vero ad esse, quando forma introducitur, est, et quando expellitur, non est, et consequenter forma incipit esse intrinsece per primum sui esse, et desinit extrinsece per primum non esse. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 2, c.

5. Præterea, forma substantialis elementi non introducitur, nisi materia perducatur ad intensionem qualitatum requisitam a forma ; sed hæc intensio terminatur in instanti, cum fiat per alterationem, quæ est motus continuus: ergo forma incipit intrinsece. — 2. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 5, ad 6; v. infra in 2a 2æ, q. 36, a. 5.

Respondeo dicendum, quod ad hanc difficultatem varie respondetur a diversis. — *Quidam* enim dicunt, quod est signare ultimum instans, in quo est forma substantialis præterita et primo est forma sequens, et hoc instans inquiunt esse unum re, sed plura ratione, quia in quantum illud instans est finis præteriti temporis, est in eo forma substantialis præcedens ; in quantum est principium futuri, est in eo forma sequens in eadem materia. — Sed hoc stare non potest ; nam esse principium futuri et finem præteriti dicit diversum respectum instantis, ex quo ejus substantia non multiplicatur, sed manet una ; et ita secundum rem sequitur, utramque formam in eodem indivisibili temporis esse in materia ; unde consequenter sequitur simul esse contraria. Præterea secundum Philosophum (8. *Phys. text.* 65 ; c. 8), quando aliquid in movendo utitur uno signo ut duobus, necesse est intercedere quietem mediam ; propter quod probat, motus reflexos non esse continuos ; unde si aliquis utitur uno instanti ut duobus, oportet, quod intelligat aliquod medium, et sic erit materia aliquando sine forma, quod est inconveniens. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 2; *de Verit.* q. 28, a. 2, ad 10 ; 3a, q. 75, a. 7, ad 1.

Et ideo *alii* dicunt, quod sicut inter duo puncta unius lineæ cadit linea media, non autem inter duo puncta duarum linearum se tangen-

tium, ita non est necessarium, quod inter instans, quod est ultimum temporis, in quo forma ligni erat in materia, et instans, quod est principium temporis, in quo forma substantialis ignis eidem materiæ inest, sit tempus medium, cum sint instantia diversorum temporum. — Sed hoc etiam stare non potest ; nam linea, quia est mensura intrinseca, dividitur secundum rerum distinctionem ; tempus autem est mensura extrinseca et est unum respectu omnium, quæ sunt in tempore ; non enim alio tempore mensuratur esse formæ substantialis ligni et esse formæ substantialis ignis, nisi dicamus alio tempore, id est alia parte ejusdem temporis continui. Et ideo oportet inter quælibet duo instantia, respectu quarumcumque rerum designentur, esse aliquod tempus medium. Præterea duo puncta duarum linearum se tangentium designatarum in corporibus locatis uniuntur in uno puncto designato in exteriori linea corporis locantis, quia contigua sunt, quorum extrema sunt simul ; unde dato, quod diversarum rerum diversa sint tempora non continua, sed quasi contigua, oportebit nihilominus, quod in tempore exteriori mensurante respondeat eorum terminis unum instans indivisibile, et sic redibit inconveniens prædictum, quod duæ formæ substantiales sint simul. — *Ibid.*

Et ideo *alii* dicunt quod, sicut probatur 4. *Phys. text.* 103 et 104 (c. 11), in toto tempore non est accipere nisi unum *nunc* secundum substantiam ; et quod numerantur duo instantia, hoc est secundum ordinem temporis ad motum et actionem, quam mensurant, prout scilicet tempus excedens mensurat aliquam actionem ; et ita principium et finis illius actionis est in tempore, et secundum hoc in tempore numerantur duo instantia ; et ideo ordo et habitudo duorum instantium ad invicem est consideranda secundum actiones et motus, qui mensurantur. Unde si accipiantur duo instantia respectu ejusdem motus, prout tempus mensurat principium et finem illius motus, sic oportet, quod inter duo instantia sit tempus medium, sicut inter principium et finem motus est motus medius. Si autem accipiantur duo instantia per comparationem ad diversos motus, secundum quod mensurant principium unius et finem alterius, sic inter duo instantia non est tempus medium, sicut nec motus est medius inter principium unius motus et finem alterius; et ideo cum quies mensuretur tempore sicut et motus, duo instantia sunt se invicem consequentia, quorum unum mensurat finem quietis, in quo erat in materia forma substantialis ligni v. gr., et alterum principium quietis, in quo est forma ignis. — Sed hoc iterum non potest stare, quia instantia temporis distinguuntur per comparationem ad illum motum, a quo tempus potest habere unitatem vel multitudinem, ad quam comparatur non solum sicut mensura ad mensuratum, sed sicut accidens ad subjectum, scilicet motum cœli, qui est continuus et interruptionem non patitur secundum naturam ; unde qualitercunque signes duo instantia in tempore, semper est accipere tempus medium, quia est accipere inter quælibet momenta motus cœli motum medium, et ideo in aliis motibus non differet, sive comparentur diversa instantia ad eundem motum sive ad diversos. Patet etiam, quod hæc positio contradicit dictis Philosophi (8. *Phys. text.* 64 et 65 ; c. 8), ubi probat, quod inter quoslibet motus contrarios est quies media ; quod non oporteret, si duo instantia modo prædicto possent se invicem consequi. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 2.

Et ideo *alii* dicunt, quod non est simul signare duo instantia, in quorum uno primo sit forma ignis, et in alio ultimo sit forma ligni, quia sic de necessitate esset inter ea tempus medium ; sed tamen utrumlibet eorum potest per se signari. — Sed hoc iterum nihil est, quia designatio nostra nihil facit ad hoc, quod tempus intersit vel non intersit ; unde si sint duo instantia secundum rem, in quorum uno est forma ligni ultimo et in alio forma ignis primo, sive signentur a nobis sive non, oportet esse tempus medium. Præterea, ex quo illud instans est signabile, non videtur, quod possit designatio ejus impediri per designationem alterius instantis, cum istæ duæ designationes non sint contrariæ. — *Ibid.*

Et ideo aliter dicendum est, quod non est designare ultimum instans, sed ultimum tempus, in quo est forma ligni in materia ; inter tempus autem et instans non cadit necessario tempus medium, sicut cadit medium inter duo instantia. Et veritas hujus quæstionis apparet ex hoc, quod Philosophus dicit (8. *Phys. text.* 69; c. 8), quod quando ex albo fit nigrum, in toto tempore mensurante motum alterationis erat album, sed in ultimo instanti illius temporis est nigrum; unde secundum ipsum non est dandum, quod in toto illo tempore sit album, sed

in toto præter ultimum nunc. Et quia ante ultimum nunc alicujus temporis non est accipere penultimum, sicut nec ante ultimum punctum lineæ penultimum, ideo non est accipere ultimum instans, in quo erat album, sed ultimum tempus; et similiter est de omnibus mutationibus, quæ sunt termini motus, sicut generatio est terminus alterationis; quia cum ex aere fit ignis, in toto tempore alterationis præcedentis erat aer, præter ultimum instans, in quo est ignis. Et sic manifestum est, quod forma substantialis desinit extrinsece per primum non esse, et non intrinsece per ultimum sui esse; contra vero incipit intrinsece per primum sui esse. — 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 2.

Quod si dicas: nullum permanens simul fit et factum est, quia dum fit, non est, et dum factum est, est, non autem simul est et non est; sed si forma substantialis incipit intrinsece, simul fit et facta est: ergo forma substantialis non incipit intrinsece; — respondeo, quod nulla res permanens potest simul fieri et facta esse, si fieri proprie sumitur. Sed quædam sunt, quæ significant ipsum factum esse per modum fieri, sicut cum dicitur motus terminari; simul enim terminatur et terminatus est, et similiter simul illuminatur aliquid et illuminatum est, eo quod illuminatio est terminus motus; et hoc modo se habet forma substantialis, quæ simul recipitur in materia et recepta est. — Et ex his patet *ad prima quatuor objecta.* — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod quies, cum mensuretur tempore, non potest esse in ullo instanti, ut dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 30; c. 3); unde materia tantum quiescit sub forma ligni in toto aliquo tempore et in quacunque parte illius temporis, non autem in ultimo instanti illius temporis. — 6. *Phys.* l. 5.

Ad sextum dicendum, quod punctum additum vel subtractum lineæ non facit majus vel minus, et similiter de instanti apposito tempori vel subtracto ab eo; unde quamvis in ultimo instanti temporis mensurantis esse ligni non sit lignum, tamen non sequitur, quod tempus illud sit majus quam duratio esse ligni, et sic quod mensura non æquetur mensurato. — *Quodl.* 7, a. 9, ad 2.

QUÆSTIO XXIV

DE COMPARATIONE MOTUS AD MOBILE.

Deinde considerandum est de comparatione motus ad mobile.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum motus realiter distinguatur a mobili.
2. Utrum indivisibile per se moveri possit.
3. Utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur.

ARTICULUS I

UTRUM MOTUS REALITER DISTINGUATUR A MOBILI.

Videtur quod motus distinguatur a mobili.

1. Ut enim dictum est (supra q. 17, a. 3) ex Philosopho (3. *Phys.*), motus est actus mobilis; sed actus realiter distinguitur a potentia, cum idem realiter non actuet seipsum; ergo motus distinguitur realiter a mobili.

2. Præterea, motus est idem realiter cum suo termino, ut dictum est (supra q. 22, a. 4); sed terminus motus distinguitur realiter a mobili; hoc enim est substantia corporea, ut dictum est (supra q. 1, a. 5); ille vero est quantitas, qualitas et ubi, quæ distinguuntur realiter a substantia, ut dictum est (in Logica q. 11, a. 2).

3. Præterea, motus, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 21 et 22; c. 3), est idem realiter cum actione; sed actio realiter distinguitur a mobili: ergo et motus realiter distinguetur a mobili. — 3. *Phys.* l. 5 (4).

Sed contra est, quod motus non est ens, sed via ad ens; sed distinctio realis est inter entia realia, ut dictum est: ergo motus non distinguitur realiter a mobili. — 3. *Phys.* l. 3; 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 2, c.

Respondeo dicendum, quod motus triplex est, ut dictum est: augmentatio, alteratio, latio, quorum primi duo, cum realiter identificentur cum termino, sicut terminus realiter distinguitur a mobili, ut dictum est, ita et motus. Tertius vero, puta latio, cum realiter distinguatur a termino, ut dictum est, et sit actus mobilis, sicut actus distinguitur realiter a mobili et similiter locus a mobili secundum locum, ita et motus ipse distinguetur realiter a mobili. — Et

ex his patet *ad prima tria objecta*. — V. supra q. 22, a. 2 et 4.

Ad quartum dicendum, quod motus distinguitur realiter a mobili, non tamen sicut res a re, sed ut modus realis a re, cujus est modus.

ARTICULUS II

UTRUM INDIVISIBILE PER SE MOVERI POSSIT.

Videtur quod indivisibile per se moveri possit.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Phys. text.* 32; c. 4), quod id, quod mutatur, debet in aliquod primum mutari; sed non potest mobile divisibile mutari in aliquod primum, quia cum sit divisibile in infinitum, non potest dari prima pars, quæ mutetur in aliquod primum; secus vero si mobile sit indivisibile: ergo indivisibile per se moveri potest. — 6. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, in motu alterationis non prius una pars alteratur et postea altera, sed totum prius est minus calidum et postea magis calidum; unde Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 7; c. 6) dicit, quod non similiter se habet in alteratione, sicut in latione; lationis namque medium prius attingunt; quæcunque vero alterantur, non adhuc similiter; contingit enim simul alterari et non dimidium prius, velut aquam omnem simul coagulari; ergo indivisibile saltem poterit moveri motu alterationis. — *Ibid.*

3. Præterea, Angelus est impartibilis; sed Angelus potest moveri localiter: ergo indivisibile per se moveri potest. — 1a, q. 53, a. 1, arg. 1.

4. Præterea, si indivisibile per se moveri non potest, maxime propter rationem Philosophi (6. *Phys. text.* 32; c. 4), quia omne, quod mutatur, secundum unam partem est in termino a quo et secundum aliam in termino ad quem, et consequenter est divisibile; sed hæc ratio nulla est, quia dantur aliquæ transmutationes indivisibiles, sicut ipsa generatio substantialis et corruptio, quæ non sunt in tempore; et in hujusmodi transmutationibus non est verum, quod illud, quod mutatur, sit partim in termino a quo et partim in termino ad quem; non enim cum ignis generatur, partim est ignis, partim non ignis; ergo indivisibile per se moveri potest. — 6. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, dicit Philosophus (l. c. *text.* 44; c. 7), quod in quo primo mutatum est id, quod mutatum est, necesse est atomum esse; sed non potest esse atomum et indivisibile, nisi id, quod mutatur, sit similiter atomum et indivisibile; nam ita se habent mutata esse ad motum, sicut puncta et indivisibilia ad continuum, ut dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 4 et 5; c. 1): ergo indivisibile per se moveri potest. — 6. *Phys.* l. 7 et 2.

Sed contra est, quod Philosophus (l. c. *text.* 90; c. 10) dicit, quod sicut impossibile est, quod in *nunc* fiat motus, ita impossibile est, quod indivisibile moveatur; et *text.* 83 (c. 10) probat, quod impartibile per se moveri non potest; et *text.* 32 (c. 4) probat, quod omne, quod movetur, est divisibile. — 6. *Phys.* l. 5 et 12.

Respondeo dicendum, quod indivisibile secundum quantitatem potest quidem moveri ad motum corporis per accidens, non tamquam pars, quia nulla magnitudo componitur ex indivisibilibus, ut dictum est, sed sicut movetur aliquid ad motum alterius, quod non est pars ejus, sicut sedens in navi movetur ad motum navis; sed per se non contingit hujusmodi impartibile moveri. — Quod probatur a Philosopho tribus rationibus, et *primo* quidem (6. *Phys.* a *text.* 32; c. 4 et *text.* 86; c. 10): omne, quod movetur, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem; nam si sit in termino a quo, nondum movetur; si in termino ad quem, jam motum est; indivisibile autem, cum careat partibus, non potest esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem. — *Secundo* omne, quod localiter movetur per spatium majus se, prius movetur per æquale sibi, quam per majus; ergo similiter indivisibile prius movebitur per æquale sibi; quare semper movebitur per puncta, et sic linea constabit ex punctis, quod est impossibile. — *Tertio* omne, quod movetur, in tempore movetur; ergo cum indivisibile movetur, per æquale sibi movebitur; sed omne tempus est divisibile; ergo in dimidio ejus movebitur in minori; at puncto nihil est minus: ergo indivisibile per se moveri non potest. — 6. *Phys.* l. 5 et 12.

Demum idem probari potest inductione motuum; quia cum motus sit triplex: localis, augmenti et alterationis, indivisibile quantitativum non potest moveri motu *locali*; nam hic tendit ad locum, ut dictum est (supra q. 22, a. 3); sed puncto et indivisibili nullus debetur locus, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 9; c. 1).

Neque potest moveri motu *augmenti*, quia punctum seu indivisibile non est capax quantitatis seu rei divisibilis, quia nullum divisibile est in indivisibili, ut dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 7; c. 1). Neque *alterationis* motu ob eandem rationem, quia qualitas, ad quam est motus alterationis, est divisibilis, ut dicit Philosophus ibidem. Est enim motus alterationis ad qualitates tertiæ speciei, ut dicitur 7. *Phys.* a *text.* 14; c. 3, quæ sunt divisibiles. — Unde manifestum est, quod indivisibile per se moveri non potest. — *Ibid.*; 3. *de Cœlo* l. 3; 7. *Phys.* l. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod id, in quod primum mutatur mobile motu locali, dicitur locus, qui tangit locum, a quo mutatur, ita quod nihil est ejus. Si enim acciperetur secundus locus, qui haberet aliquid primi, non esset accipere primum locum, in quem mutatur. Et similiter in motu alterationis accipiendum est primum, in quod mutatur medium alterius speciei; sicut cum mutatur de albo in nigrum, accipi debet fuscum, non autem minus album. — 6. *Phys.* l. 5.

Ad secundum dicendum, quod Aristoteles in 6. *Phys.* agit de motu, secundum quod est continuus; continuitas autem primo et per se et proprie invenitur in motu locali tantum, qui solus potest esse continuus et regularis, ut ostenditur in 8. *Phys.*; et ideo demonstrationes in 6. *Phys.* positæ pertinent quidem ad motum localem perfecte, ad alios autem motus non totaliter, sed secundum quod aliquid continuitatis et regularitatis participant. Sic ergo dicendum est, quod mobile secundum locum semper prius subintrat locum, in quem tendit, secundum partem quam secundum totum. In alteratione autem est quidem ut sic, est autem ut non; manifestum est enim, quod omnis alteratio fit per virtutem agentis, quod alterat, cujus virtus quanto fuerit major, tanto majus corpus alterare potest. Quia igitur alterans est finitæ virtutis, usque ad determinatam quantitatem corpus alterabile subditur ejus virtuti et simul recipit impressionem agentis; unde simul alteratur totum, non pars post partem. Sed illud alteratum iterum alterat aliquid aliud sibi conjunctum; est tamen minoris efficaciæ in agendo, et sic inde, quousque deficiat virtus alterativa; sicut ignis calefacit unam partem aeris statim, et illa calefacta calefacit aliam, et sic pars post partem alteratur. Unde et Aristoteles (*de Sensu et Sensibili* c. 7; c. 6) post verba præmissa subjungit: « attamen si multum fuerit, quod calefiat aut coagulatur, habitum ab habitu patitur. Primum autem ab ipso faciente transmutari necesse est et similiter alterari et subire. » Verumtamen et in hoc ipso, quod simul alteratur, est quandam successionem considerare, quia cum alteratio fiat per contactum alterantis, partes alterati, quanto magis appropinquant ad corpus alterans, perfectius a principio recipiunt impressionem alterantis, et sic successive secundum ordinem partium ad perfectam alterationem pervenitur; et maxime, quando in corpore alterabili est aliquid contra resistens alterantis. Sic ergo id, quod concludit (quod videlicet id, quod mutatur, dum mutatur, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem, quasi una pars prius perveniat ad terminum ad quem quam alia), simpliciter et absolute verum est in motu locali; in motu autem alterationis aliqualiter, ut dictum est. — 6. *Phys.* l. 5.

Ad tertium dicendum, quod Angelus non est indivisibilis indivisibilitate secundum quantitatem, de quo indivisibili est præsens quæstio et procedunt rationes Philosophi. — 1a, q. 53, a. 1, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod propositio Philosophi vera est in omnibus mutationibus tam indivisibilibus quam divisibilibus, licet diversimode. In illis enim mutationibus, inter quarum extrema est aliquod medium, contingit, quod id, quod mutatur, dum mutatur, partim est in uno extremo, partim in alio, secundum ipsa extrema. In illis vero, inter quarum extrema non est aliud medium, id, quod mutatur, non est secundum diversas partes suas in diversis extremis, secundum ipsa extrema, sed secundum aliquid ei adjunctum; sicut cum materia mutatur de privatione ad formam ignis, dum est in ipso mutari, est quidem sub privatione secundum se ipsam, sed partim est sub forma ignis non secundum seipsam, sed secundum aliquid ei adjunctum, id est secundum dispositionem propriam ignis, quam partim recipit, antequam formam ignis habeat; unde infra probat Philosophus, quod etiam generatio et corruptio sunt divisibiles, quia quod generatur, prius generabatur, et quod corrumpitur, prius corrumpebatur. — 6. *Phys.* l. 5.

Ad quintum dicendum, quod dupliciter potest intelligi id, in quod primo aliquid mutatum est: *uno modo*, in quo primo mutatio

est perfecta et terminata; tunc enim verum est dicere, quod mutatum est, quando jam mutatio facta est. *Alio modo* potest intelligi, ut sit id, in quo primo aliquid incipit mutari, non in quo primo fuit verum dicere, quod jam mutatum est. Primo modo accipiendo id, in quo primo mutatum est, id quod mutatum est, dicitur esse indivisibile, quia omnis terminus continui est indivisibilis. Secundo modo accipiendo id, in quo primo mutatum est aliquid, non secundum terminationem mutationis, sed secundum principium, id est secundum primam partem motus, sic non est, in quo primo mutatum sit aliquid; non enim est accipere aliquod principium mutationis, id est aliquam partem mutationis, quam non præcedat alia pars; et similiter non est accipere aliquid primum in tempore, in quo primo mutetur. — 6. *Phys.* l. 7.

ARTICULUS III

UTRUM OMNE, QUOD MOVETUR, AB ALIO MOVEATUR.

Videtur quod non omne, quod movetur, ab alio moveatur.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Cœlo text.* 89; c. 8), quod gravia et levia moventur a seipsis, et (8. *Phys. text.* 50; c. 6) idem dicit de animalibus; ergo falsum est, quod omne, quod movetur, ab alio moveatur. — 1. *de Cœlo* l. 18; 8. *Phys.* l. 13.

2. Præterea, voluntas movet seipsam ad actum volendi; sicut enim movet ceteras potentias, ita et movet seipsam; ergo non omne, quod movetur, ab alio movetur. — 1a 2ae, q. 9, a. 3.

3. Præterea projecta, ubi desinunt tangi a projiciente, moventur, et tamen non est, a quo moveantur; ergo non omne, quod movetur, ab alio movetur. — 8. *Phys.* l. 22; 3. *de Cœlo* l. 7.

4. Præterea, omne mobile per aliud debet reduci ad mobile per se; nam omne, quod est per alterum, reducitur ad illud, quod est per se; sed dantur multa, quæ moventur per alios motores : ergo oportet esse aliquid, quod movetur, et non ab alio, sed a se. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 1, arg. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi (7. *Phys.* a *text.* 1; c. 1 et 8. *Phys.* a *text.* 27 usque ad 34; c. 4 et 5 et a *text.* 40 usque ad 45; c. 5), ubi fuse probat, quod omne, quod movetur, ab alio moveatur. — 7. *Phys.* l. 1; 8. *Phys.* l. 7, 8, 9 et 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod necesse est dicere, quod omne, quod movetur, ab alio movetur. Quod multipliciter potest esse manifestum; et *primo* quidem ex ratione ipsius motus seu movere. Nihil enim movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod movetur; movet autem aliquod, secundum quod est actu. Movere enim nihil aliud est, quam educere aliquid de potentia in actum; de potentia autem nihil potest reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu, sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum. Non est autem possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa; quod enim calidum est in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile ergo est, quod secundum idem eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. — 1a, q. 2, a. 3, c.; 8. *Phys.* l. 10.

Secundo, si aliquid movet seipsum, oportet, quod in se habeat principium sui motus; alter manifeste ab alio movebitur; oportet etiam, quod sit primo motum, id est, quod moveatur ratione sui ipsius et non ratione suæ partis, sicut movetur animal per motum pedis; sic enim totum non movetur a se, sed a sua parte, et una pars ab alia; oportet etiam ipsum divisibile esse, ut probatur 6. (et 7.) *Phys.* (initio). — His positis probatur intentum : Hoc, quod a seipso ponitur moveri, est primo motum; ergo ad quietem unius partis ejus sequitur quies totius. Si enim quiescente una parte alia pars ejus movetur, tunc ipsum totum non esset primo motum, sed pars ejus, quæ movetur alia quiescente. Nihil autem, quod quiescit quiescente alio, movetur a seipso; cujus enim quies sequitur ad quietem alterius, oportet, quod motus ad motum alterius sequatur, et sic non movebitur a seipso; ergo hoc, quod ponebatur a seipso moveri, non movetur a se ipso. Necesse ergo est omne, quod movetur, ab alio moveri. — 1. *c. Gent.* c. 13.

Neque dicas, quod ejus, quod ponitur movere seipsum, pars non potest quiescere, vel quod partis non est quiescere vel moveri nisi per accidens, ut contra hanc rationem, quæ est Philosophi (7. *Phys. text.* 2; c. 1) ab aliquibus objicitur; quia vis rationis in hoc consistit, quod si aliquod seipsum moveat primo et per se, non

ratione partium, oportet, quod suum moveri non dependeat ab aliquo; moveri autem ipsius divisibilis sicut et esse illius dependet a partibus, et sic non potest seipsum movere primo et per se. Non requiritur ergo ad veritatem conditionalis inductæ, quod supponatur, partem moventis seipsum quiescere, quasi quoddam verum absolute; sed oportet hanc conditionalem esse veram, quod si quiesceret pars, quiesceret totum; quæ quidem potest esse vera, etiamsi antecedens esset impossibile, sicut ista conditionalis est vera: si homo est equus, est irrationalis. — *Ibid.*

Tertio, probatur inductione sic: Omne, quod movetur per accidens, non movetur a seipso; movetur enim ad motum alterius. Similiter neque quod movetur per violentiam, ut manifestum est; neque quæ moventur per naturam, ut ex se mota, sicut animalia, quæ constat ab anima moveri; neque iterum, quæ moventur per naturam, ut gravia et levia, quia hæc moventur a generante et removente prohibens. Omne autem, quod movetur, aut movetur per se aut movetur per accidens; si per se, vel per violentiam vel per naturam, et hoc vel motum ex se, ut animal, vel non motum ex se, ut grave et leve; ergo omne, quod movetur, ab alio movetur. — 1. *c. Gent.* c. 13; 8. *Phys.* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod in iis, quæ moventur a seipsis, adhuc id, quod movetur, ab alio movetur; animalia enim moventur ab anima, et gravia et levia a generante; sed in illis materia et forma habent rationem principii, quo moventur. — 1. *c. Gent.* c. 13.

Ad secundum dicendum, quod voluntas per unum actum movet se ad alium actum. — 1a 2æ, q. 9, a. 3.

Ad tertium dicendum, quod projecta moventur ab alio, puta a projiciente tamquam a violento motore, non quidem imprimente ipsi projecto, quod per violentiam movetur, aliquam virtutem, per quam moveatur, sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam consequitur motus naturalis (nam sic motus violentus esset a principio intrinseco, quod est contra rationem motus violenti; et præterea quia sequeretur, quod lapis ex hoc ipso, quod localiter movetur per violentiam, alteraretur, quod est contra sensum); — sed imprimente solum motum aeri vel aquæ tamquam instrumento; quod fit, dum tangit ipsum projectum; nam statim ac projiciens cessavit tangere projectum, aer ab illo motus alterius propellit lapidem et etiam aerem conjunctum, qui etiam movet lapidem ulterius, et hoc fit quousque durat impressio motus primi motoris. — 8. *Phys.* l. 22; 3. *de Cœlo* l. 7; 7. *Phys.* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod hæc propositio: omne mobile per aliud reducitur ad mobile per se, vera est de reductione, quæ est ad primum in illo genere; unde secundum philosophos omnia mobilia reducuntur ad primum mobile, quod dicebant motum ex se, quia est compositum ex motore et moto. Sed hic ulterius reducendus est in primum simplex, quod est omnino immobile. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 1, ad 3.

QUÆSTIO XXV

DE COMPARATIONE MOTUS AD MOTOREM.

Deinde considerandum est de comparatione motus ad motorem.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum movens et mobile debeant esse simul.
2. Utrum detur aliquis primus motor.
3. Utrum conditiones primi motoris sint a Philosopho recte assignatæ.

ARTICULUS I

UTRUM MOVENS ET MOBILE DEBEANT ESSE SIMUL.

Videtur quod movens et mobile non debeant esse simul.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 29; c. 3 et 7. *Phys. text.* 9; c. 2), quod finis movet agentem; sed finis, cum sit postremus in executione, ut dictum est, non est simul cum agente: ergo non omne movens est simul cum mobili. — 2. *Phys.* l. 5; 7. *Phys.* l. 3.

2. Præterea, sol calefacit aerem et illum non calefacit mediantibus cœlis inferioribus, quia non sunt receptibiles caloris; sed sol non est simul cum aere, ut patet: ergo non necessario movens et motum debent esse simul. — 7. *Phys.* l. 4; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, arg. 6; 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, arg. 2.

3. Præterea, sagitta pellitur a projiciente, et tamen dum movetur, non simul est cum illo; ergo movens et mobile non necessario debent

esse simul. — 7. *Phys.* l. 3; 8. *Phys.* l. 22.

4. Præterea, magnes trahit ferrum; sed dum trahit, non simul sunt magnes et ferrum, sed loco distant: ergo non omne movens et mobile sunt simul. — 7. *Phys.* l. 3.

5. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 113; c. 11), quod duo corpora solida non possunt se tangere in aere vel aqua, quin inter illa mediet aer vel aqua; sed contingit, movens et mobile esse corpora dura: ergo movens et mobile non necessario debent esse simul. — 2 *de Anima* l. 23.

6. Præterea, cœlum empyreum influit in corpora inferiora, et tamen cœlum empyreum loco distat a corporibus, in quæ influit; ergo movens et mobile non necessario debent esse simul. — 1a, q. 66, a. 3, arg. 2; *Quodl.* 6, a. 19, arg. 1.

7. Præterea, quidam piscis tentus in rete obstupefacit manum piscatoris, non autem rete medium; ergo non est necesse, quod movens et mobile sint simul. — 7. *Phys.* l. 4; *de Verit.* q. 5, a. 9, arg. 17; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, arg. 6.

8. Præterea, nobilius est agens, quod potest producere effectum in absentia sua, quam quod non potest hoc facere nisi per suam præsentiam; ergo cum inter agentia sint aliqua nobilissima, saltem substantiæ separatæ vel Deus, debet saltem hic posse agere in distans, et sic non omne movens debet esse simul cum mobili. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, arg. 2.

9. Præterea, gravia et levia moventur ad sua loca a generante, ut dictum est (supra q. 24, a. 3) ex Philosopho 8. *Phys.*; sed generans non est conjunctum gravi vel levi, quando movetur, ut patet: ergo non omne movens debet esse simul cum mobili. — 3. *de Cœlo* l. 7.

10. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 78; c. 9), quod non solum ignis tangens calefacit, sed etiam si sit longe, natus est agere; ergo non est necesse, quod movens et mobile sint simul. — 1. *de Generat.* l. 23.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Phys.* a *text.* 10; c. 2) probat, quod movens et motum debent esse simul. — 7. *Phys.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur movere dupliciter: *uno modo*, sicut finis movet agentem, et tale movens aliquando distat ab agente, quem movet. *Alio modo*, sicut movet id, quod est principium motus, et tale movens, cum sit duplex, quoddam remotum, quoddam vero proximum et immediatum mobili, — hoc solum necesse est simul esse cum mobili, non ita quidem, quod utrumque sit in eodem loco, sed quod inter ea nihil sit medium. Quod inductione probatur in omnibus tribus speciebus motus; et *primo* quidem *in motu locali*. Nam omne, quod movetur secundum locum, *aut* movetur a se ipso *aut* ab altero; si a se ipso, sive idem moveat seipsum ratione unius partis, et ratione alterius moveatur, sive idem primo et per se moveat se sive secundum totum, quomodo nihil potest seipsum movere, ut bene probat Philosophus (7. *Phys.* initio), — movens et mobile sunt simul. Si movetur ab alio, vel movetur motu pulsionis vel tractionis vel vectionis vel vertiginis. At in motu pulsionis cum sit ab ipso movente in aliquid aliud, oportet, quod saltem in principio motus pellens sit simul cum eo, quod pellitur, dum pellens id, quod pellitur, removet a se vel ab alio. Et multo verius hoc est in motu tractionis; nam trahens nunquam separatur ab eo, quod trahitur. Et similiter est in vectione et in vertigine; nam vertigo componitur ex pulsu et tractu; vectio autem ex iisdem et vertigine; unde si in pulsione et tractione movens et motum debent esse simul, etiam oportet quod sint simul in reliquis. — 7. *Phys.* l. 3.

Similiter idem patet *in alteratione, tum* inductione; in omnibus enim, quæ alterantur, manifestum est, quod simul sunt ultimum alterans et primum alteratum; *tum* ratione, quia omnis alteratio est similis alterationi, quæ fit secundum sensum. Omnis enim alteratio fit secundum qualitates sensibiles; secundum illa enim alterantur corpora, quibus ab invicem differunt, quæ sunt sensibiles qualitates. Sed in alteratione, quæ est secundum sensum, alterans et alteratum sunt simul; sensui enim visus aer sine medio conjunctus est, aeri vero corpus visibile; superficies enim corporis visibilis terminatur ad aerem illuminatum, qui terminatur ad visum. Et sic patet, quod aer alteratus et alterans ipsum, sunt simul; et similiter visus alteratus cum aere alterante. Et similiter est in auditu et odoratu, si comparentur ad id, quod primum movet, id est ad sensibile corpus, quia hi sensus sunt per medium extrinsecum. Gustus autem et sapor sunt simul; non enim continguntur per aliquod medium extrinsecum. Et similiter est de tactu; et eodem modo se res habet in rebus inanimatis et insensibilibus. — 7. *Phys.* l. 4.

Demum idem etiam patet *in augmento et decremento;* oportet enim, quod augetur et auget, esse simul, quia augmentatio est quædam appositio; per appositionem enim alicujus quanti aliquid augetur; similiter causa decrementi est quædam subtractio alicujus quanti. — Unde manifestum est, quod omne movens et motum debent esse simul, saltem in principio motus. Quod hac ratione confirmari etiam potest, quia omne agens in omni actione, atque adeo movens in motu intendit sibi assimilare passum illudque in se convertere et quantum fieri potest, sibi unire; unio autem ad unitatem tendens vel localem vel realem, necessario exigit simultatem. Quare dicendum est, quod necesse est, quod omne movens sit simul cum mobili. — 7. *Phys.* l. 4; *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod dictum Philosophi de simultate moventis et moti intelligendum est de movente per modum causæ efficientis, non autem per modum causæ finalis, ut dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 9; c. 2). — 7. *Phys.* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod passiva recipiunt actionem activorum secundum proprium modum; et ideo media, quæ sunt inter primum alterans et ultimum alteratum, aliquid patiuntur a primo alterante, sed non semper eodem modo, sicut ultimum alteratum; sic ergo in proposito orbes medii planetarum aliquid recipiunt a sole, puta lumen, non autem calorem. — 7. *Phys.* l. 4; *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 17.

Ad tertium dicendum, quod movens et motum debent esse simul, saltem in principio motus, et hoc modo projiciens simul est cum projecto, quod etiam apparet in motu gravium et levium. — 7. *Phys.* l. 3; *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5.

Ad quartum dicendum, quod magnes attrahit ferrum, non solum sicut finis, sed etiam sicut movens et alterans. Quod patet *primo*, quia magnes non trahit ferrum ex quacunque distantia, sed ex propinquo; si autem ferrum non moveretur ad magnetem, nisi sicut grave ad suum locum, ex qualibet distantia tenderet ad ipsum. *Secundo*, quia si magnes alliis perungatur, ferrum attrahere non potest, quasi alliis vim attractivam ipsius impedientibus aut etiam in contrarium alterantibus. *Tertio*, quia ad hoc, quod magnes attrahat ferrum, oportet ferrum prius liniri cum magnete, maxime si magnes sit parvus, quasi ex magnete aliquam virtutem ferrum accipiat, ut ad eum moveatur. Sufficit autem, ut sit simul magnes cum aere contiguo, quem immediate alterat et mediante quo postea alterat ferrum, quod ad se trahit; neque requiritur, ut eodem modo agat in aerem, sicut per aerem in ferrum, ut dictum est de sole calefaciente sublunaria per orbes intermedios. — 7. *Phys.* l. 3; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus non intendit, movens et motum esse simul, quasi inter movens et motum non intermediet aer vel aqua; sed quia nullum corpus apparentis sensibilitatis inter illa cadit; aer autem et aqua inter illa medians est insensibilis, et ideo existimatur nihil esse medium. — *Vel dic*, quod aer vel aqua medians est movens immediatum, non autem corpus durum. — 2. *de Anima* l. 23; v. Ferrariensem in 7. *Phys.* q. 3, et Javellum *ibid.*

Ad sextum dicendum, quod cœlum empyreum influit in cœlos inferiores, sed non eandem qualitatem, quam influit in corpora inferiora per intermedios cœlos, puta virtutem continendi et causandi vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens. — *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 17; 1a, q. 66, a. 3, ad 2; *Quodl.* 6, a. 19, ad 1; 7. *Phys.* l. 4.

Ad septimum dicendum, quod patitur rete a pisce stupefaciente, sed non stupefactionem, quia ejus non est capax, sed aliquid aliud; licet enim cujuslibet agentis habentis situm actio prius recipiatur in medio quam in termino, non tamen oportet, quod recipiatur in utroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio utriusque; et ideo passiva recipiunt actionem activorum secundum proprium modum. — 7. *Phys.* l. 4; *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 17; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6.

Ad octavum dicendum, quod illud, quod agit per suam absentiam, non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota; virtus enim solis primo imprimitur in corpore sibi conjuncto, et sic deinceps usque ad ultimum, et hæc virtus est lumen ejus, per quod agit in his inferioribus, ut Avicenna dicit. Similiter patet, quod rex præcipiens est causa prima; sed exequens præceptum est causa proxima et conjuncta; Deus autem immediate in omnibus operatur; unde oportet, quod in omnibus sit. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad nonum dicendum, quod gravia et levia

moventur a generante per hoc, quod dat eis formam, per quam moventur ad locum, sicut sagitta dicitur moveri a projiciente, quatenus illi imprimit impulsum; et ideo sicut in motu projecti sufficit, ut movens et motum sint simul in principio motus, ita et in motu gravis et levis; — nisi quod generans movet grave per alterationem; at projiciens movet projectum non quidem per alterationem, imprimendo qualitatem ullam, quia sic motus projecti esset ab intrinseco et naturalis, et sequeretur, quod lapis ex hoc ipso, quod moveretur localiter per violentiam, alteraretur, quod est contra sensum, — sed sine ulla alteratione, imprimendo motum mediante aere. — 7. *Phys.* l. 3; *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5.

Ad decimum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod agens et patiens debent quidem esse divisa et non continua, quia id, quod est continuum, non est passibile; nihil enim patitur a se ipso, quia non est major ratio, quare una pars ejus agat et alia patiatur quam alia, cum partes continui sint similis naturæ; ita tamen debent esse divisa, ut sint in debita propinquitate; omnia enim agentia naturalia habent determinatam virtutem, quæ si ultra suæ virtutis proportionem elongentur a patientibus, nullum effectum causare poterunt; sed cum fiunt propinqua *vel* in se, quod est, quando primum agens et ultimum patiens sunt immediata, *vel* in aliis, quando inter primum agens et ultimum patiens est aliquid, quod in virtute primi agit et patitur, tunc agens agit et patiens patitur. Et ita se habet ignis, qui non solum calefacit nos, quando tangit, sed etiam quando est longe; calefacit enim aerem, qui natus est calefieri ab igne; aer autem calefactus calefacit corpus nostrum. — 1. *de Generat.* l. 23.

ARTICULUS II

UTRUM DETUR ALIQUIS PRIMUS MOTOR.

Videtur quod non detur aliquis primus motor.

1. Philosophus enim (1. *de Cœlo text.* 100; c. 9 et 12. *Metaphys. text.* 48; l. 11, c. 8) ponit plures motores primos; nam unicuique cœlo tribuit unum motorem; et præter hos posuit alias substantias communicantes esse et vitam corporibus sublunaribus. — 1. *de Cœlo* l. 21; 12. *Metaphys.* l. 10 (7).

2. Præterea omnia, quæ apparent in mundo, possunt compleri per alios motores, supposito, quod non sit primus motor simpliciter, quia ea, quæ sunt naturalia, reducuntur in principium, quod est natura; ea vero, quæ sunt a proposito, reducuntur in principium, quod est ratio humana vel voluntas; nulla ergo necessitas est ponendi primum motorem. — 1a, q. 2, a. 3, arg. 2.

3. Præterea, ab uno primo et simplici procedit tantum unum secundum Philosophum (8. *Phys. text.* 49; c. 6 et 8. *Metaphys. text.* 15; l. 7, c. 6); sed plures motus inveniuntur participari in creaturis: ergo videtur, quod procedant a pluribus motoribus primis, et sic non est necesse ponere aliquem primum motorem. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1, arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (8. *Phys. text.* 33 sqq.; c. 5 et 12. *Metaphys. text.* 28 sqq.; l. 11, c. 6) probat, dari primum motorem. — 1. *c. Gent.* c. 13.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod sit aliquis primus motor. Et ratio hujus manifesta est, quia, ut dictum est, omne, quod movetur, ab alio movetur; sed in moventibus et motis non est dare processum in infinitum. Nam in moventibus et motis ordinatis, quorum scilicet unum per ordinem ab alio movetur, hoc necesse est inveniri, quod remoto primo movente vel cessante a motione nullum aliorum movebit neque movebitur, quia primum est causa movendi omnibus aliis. Sed si sunt omnia moventia et mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum movens, sed omnia erunt quasi media moventia; ergo nullum aliorum poterit moveri, et sic nihil movebitur in mundo. Dicendum ergo est, quod datur aliquis primus motor, a quo dependent omnes alii motus. — 1. *c. Gent.* c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod licet quilibet orbis habeat suum motorem, datur tamen unus primus motor, qui respectu aliorum habet rationem primæ et principalis causæ. — 12. *Metaphys.* l. 10 (7); *de Spirit. Creat.* a. 6 et 10; *Opusc.* 16 (c. 2 etc.); v. Ferrariensem in 1. *c. Gent.* c. 13.

Ad secundum dicendum quod, cum natura propter determinatum finem operetur ex directione alicujus superioris agentis, necesse est ea, quæ a natura fiunt, etiam in Deum reducere sicut in primam causam. Similiter etiam,

quæ ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quæ non sit ratio et voluntas humana; quia hæc mutabilia sunt et defectibilia; oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia reduci in aliquod primum principium immobile omnia movens. — 1a, q. 2, a. 3, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod licet proxima moventia sint plura juxta pluralitatem motuum vel mobilium, quia tamen omnis multitudo procedit ab unitate aliqua, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 13, § 11; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 978), oportet universitatem moventium ad unum primum motorem reduci. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1, c.

ARTICULUS III

UTRUM RECTE SINT ASSIGNATÆ PROPRIETATES PRIMI MOTORIS A PHILOSOPHO.

I. Videtur quod non sit recte assignata prima proprietas primi motoris, quod sit omnino immobilis.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Cœlo text.* 21; c. 2), quod necesse est primum movens movere se ipsum motu secundum naturam; ergo primum movens non debet esse omnino immobile. — 3. *de Cœlo* l. 5.

2. Præterea, nihil dat alteri, quod non habet, sicut quod non est calidum, non calefacit; sed primus motor movendo dat motum : ergo necesse est, quod ipse moveatur, et consequenter, quod non sit omnino immobilis. — 1a, q. 75, a. 1, arg. 1.

3. Præterea omne, quod est per alterum, reducitur ad illud, quod est per se; sed omnia, quæ moventur, reducuntur ad primum motorem : ergo oportet, quod primus motor moveat se, et sic non erit omnino immobilis. — 1 *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 1, arg. 3.

4. Præterea, quod movetur ad motum ejus, in quo est, non est omnino immobile, cum saltem per accidens moveatur; sed primus motor movens primum mobile est in illo et per consequens illo moto movetur : ergo primus motor non est omnino immobilis. — 3. *Metaphys.* l. 7; 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 1, arg. 4.

Sed contra est auctoritas Philosophi (8. *Phys.* a *text.* 46; c. 6), ubi probat, primum motorem debere esse omnino immobilem. — 8. *Phys.* l. 12.

II. Videtur quod primus motor non sit perpetuus.

1. Motus enim non semper fuit, sed aliquando incepit; sed perpetuitas motoris non nisi ex motu colligitur, ut patet ex Philosopho (8. *Phys.* initio et 12. *Metaphys. text.* 35; l. 11, c. 7) : ergo primus motor non est perpetuus. — 8. *Phys.* l. 2 et 13; 12. *Metaphys.* l. 6 (4).

2. Præterea, perpetuum et æternum idem sunt; sed æternitas non competit primo motori, quia æternitas est quid factum; dici enim Boethius (*de Consol. Philosophiæ* l. 5, prosa 6; — Migne PP. L. t. 63, col. 858) quod *nunc* fluens facit tempus, et *nunc* stans facit æternitatem; nihil autem factum potest competere primo motori; hic enim est Deus, de quo nihil factum dici potest : ergo primus motor non est perpetuus. — 1a, q. 10, a. 2, arg. 1 et q. 2, a. 3.

3. Præterea, quod est ante æternitatem et post æternitatem, non mensuratur æternitate et consequenter non est æternum nec perpetuum; sed primus motor, qui est Deus, est ante æternitatem, ut dicitur in lib. *de Causis* (propos. 2), et post æternitatem; dicitur enim *Exod.* 15, 18, quod Deus regnabit in æternum et ultra : ergo primus motor non est æternus et consequenter non est perpetuus.— 1a, q. 10, a. 2, arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (8. *Phys.* a *text.* 45; c. 6) probat, quod primus motor est perpetuus. — 8. *Phys.* l. 12.

III. Videtur quod primus motor non sit incorporeus.

1. Nihil enim movetur nisi corpus, ut probat Philosophus (6. *Phys. text.* 32; c. 4); sed primus motor movetur; cum enim moveat primum mobile, ut dicitur 12. *Metaphys. text.* 38; l. 11, c. 7, ad motum ejus movetur, ut dicitur *Eccl.* 1, 6 : In circuitu pergit spiritus : ergo primus motor non est incorporeus. — 1a, q. 50, a. 1, arg. 2; 12 *Metaphys.* l. 7 (5); *Opusc.* 10, a. 18; *Opusc.* 11, a. 6.

2. Præterea, situs non convenit nisi rei corporeæ; sed quæ pertinent ad situm, conveniunt primo motori, quia non est in toto primo mobili, sed tantum in parte determinata, puta in oriente, ut docet Philosophus (8. *Phys. text.* 84; c. 10) : ergo primus motor non est incorporeus. — 1a, q. 3, a. 1, arg. 4; 8. *Phys.* l. 23.

3. Præterea, moventis ad motum oportet esse aliquem contactum; contactus autem non est nisi corporum; cum ergo primus motor moveat primum mobile, ut dictum est (a. 2), videtur quod sit corporeus. — 1a, q. 75, a. 1, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (8. *Phys. text.* 86; c. 10 et 12. *Metaphys. text.* 41; l. 11, c. 7) probat, quod primus motor immobilis nullam habet magnitudinem, ita ut neque sit corpus neque virtus in corpore. — 8. *Phys.* l. 23; 12. *Metaphys.* l. 8 (5).

IV. Videtur quod primus motor non sit unus.

1. Principium enim determinatum alicujus generis non invenitur nisi in habentibus naturam illius generis, sicut anima non invenitur nisi in rebus viventibus; sed unitas est in genere quantitatis sicut principium, sicut et punctus : ergo cum quantitas non sit in primo motore, cum non sit virtus in magnitudine, neque sit corpus, ut dictum est, non erit primus motor unus (1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 1, arg. 1). — Sed dices, quod primus motor est unus non unitate, quæ est principium numeri, sed unitate, quæ convertitur cum ente.

2. Contra, unum, quod convertitur cum ente, importat privationem; sed omnis privatio imperfectio est, quæ non competit primo motori, qui Deus est : ergo primus motor non est unus. — 1a, q. 11, a. 3, arg. 2.

3. Præterea, ab uno primo et simplici procedit tantum unum secundum Philosophum (8. *Phys. text.* 49; c. 6 et 8. *Metaphys. text.* 15; l. 7, c. 6); sed plures bonitates inveniuntur participari in creaturis, sicut sapientia, pax, bonitas et hujusmodi : ergo videtur, quod procedant a pluribus primis principiis, et sic est ponere plures primos motores, cum primus motor sit causa omnium sublunarium, ut docet Philosophus (1. *Metereol.* c. 2) : ergo primus motor non est unus. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1, arg. 1; 1. *Metereol.* l. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (8. *Phys. text.* 83; c. 10) probat, quod primus motor debet esse unus. — 8. *Phys.* l. 23.

V. Videtur quod primus motor non sit virtutis infinitæ.

1. Probat enim Philosophus (l. c. *text.* 79; c. 10), quod si potentia alicujus corporis esset infinita, moveret in instanti; sed primus motor non movet in instanti : ergo primus motor non est virtutis infinitæ (1a, q. 25, a. 2, arg. 3; *de Pot.* q. 1, a. 2, arg. 2). — Sed dices, quod voluntas primi motoris non determinat, quanto tempore velit effectum suum compleri, et sic non oportet, quod potentia primi motoris moveat in non tempore.

2. Contra, voluntas primi motoris non potest immutare ejus potentiam; sed de ratione potentiæ infinitæ est, quod agat in non tempore : ergo hoc per ejus voluntatem immutari non potest. — *de Pot.* l. c. arg. 3.

3. Præterea, omnis potentia manifestatur per effectum; alias esset frustra; si igitur potentia primi motoris esset infinita, posset facere infinitum effectum, puta motum vel infinitum in velocitate vel in duratione, quod est impossibile. — 1a, q. 25, a. 2, arg. 2; *de Pot.* l. c. arg. 4.

4. Præterea, secundum Philosophum (1. *Phys. text.* 15; c. 2) finitum et infinitum conveniunt quantitati; sed primus motor caret magnitudine et est omnino indivisibilis, ut dicitur 8. *Phys. text.* 83; c. 10 : ergo primus motor non est virtutis infinitæ. — 1a, q. 7, a. 1, arg. 2; 1. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 1, arg. 2; *de Pot.* q. 1, a. 2, arg. 6.

5. Præterea, primus motor agit tota sua potentia; si ergo ejus potentia motiva est infinita, effectus ejus, puta motus, erit infinitus, quod est falsum; ergo primus motor non est virtutis infinitæ. — *de Pot.* l. c. arg. 13.

6. Præterea, secundum philosophos, si esset aliqua potentia activa, cui non responderet aliqua potentia passiva in natura, illa esset frusta; sed nulla potentia passiva est ad recipiendum motum infinitum : cum ergo potentia primi motoris non sit frustra, videtur quod non sit infinita. — *Ibid.* arg. 1; 1. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 1, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (8. *Phys. text.* 78 et 86; c. 10) probat, quod primus motor est virtutis infinitæ. — 8. *Phys.* l. 21 et 23.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod necesse est dicere, quod primus motor sit omnino immobilis. Et ratio duplex afferri potest : *una* est, quia omne, quod movetur, ab alio movetur; si igitur illud, a quo mobile movetur, ipsum etiam moveatur, oportet, quod ab aliquo motore moveatur; sed impossibile est ire in infinitum; ergo

oportet devenire ad primum motorem, qui movet et nullo modo movetur, et sic erit omnino immobilis. *Altera* est, quia omnis motus vel mutatio consequitur aliquam possibilitatem, cum motus sit actus existentis in potentia ; cum igitur primus motor sit actus purus, ut probat Philosophus (12. *Metaphys. text.* 30; l. 11, c. 6), non potest in eo esse aliqua mutatio, et sic erit omnino immobilis. — 1. *c. Gent.* c. 13; 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 1, arg. 2 *Sed contra* et in c.; 12. *Metaphys.* l. 5 (4).

Ad primum ergo dicendum, quod primum movens est duplex : *unum* simpliciter primum, et hoc est omnino immobile, ut probatur 8. *Phys. text.* 83 (c. 10) et 12. *Metaphys. text.* 35 (l. 11, c. 7). *Aliud* est primum movens in genere naturalium moventium, quod movet seipsum tamquam compositum ex motore et moto, ut probatum est 8. *Phys. text.* 40 et 41 ; c. 5. Alia tamen littera habet, primum movens movere necesse ipsum motum, scilicet primum secundum naturam ; et etiam intelligitur de primo motore simpliciter seu primo movente simpliciter, quod est omnino immobile, quod movet primum mobile. Quocunque autem modo accipiatur primum movens, necesse est, quod moveat secundum naturam ; non enim est possibile, ut id, quod est præter naturam, sit prius eo, quod est secundum naturam. — 3. *de Cœlo* l. 6; 8. *Phys.* l. 23 et 10; 12. *Metaphys.* l. 6 (4) et 7 (5).

Ad secundum dicendum, quod cum omne, quod movetur, ab alio moveatur, quod non potest in infinitum procedere, necesse est dicere, quod non omne movens moveatur. Cum enim moveri sit exire de potentia in actum, movens dat id, quod habet, mobili, in quantum facit ipsum esse in actu. Verum movens triplex est : et unum quidem, quod per se movetur, et hoc est corpus; aliud vero, quod non movetur per se, sed per accidens, et propter hoc non movet motum semper uniformem, et hoc est anima. Est autem aliud movens penitus immobile, quod nec per se nec per accidens movetur, ut probat Philosophus (8. *Phys.* a *text.* 45; c. 6), et hoc est primus motor omnino immobilis, qui proinde potest movere motum semper uniformem. Et quia antiqui naturales nihil esse credebant nisi corpora, posuerunt, quod omne movens movetur, et quod anima per se movetur et est corpus. — 1a, q. 75, a. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod proposito praedicta vera est de reductione, quae est ad primum in genere illo; unde secundum philosophos omnia mobilia reducuntur ad primum mobile, quod dicebant motum ex se, quia est compositum ex motore et moto; sed hic ulterius reducendus est in primum simplex, quod est omnino immobile. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 3, a. 1, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod primus motor non est in primo mobili et in determinata ejus parte, nisi quatenus determinatae parti coeli applicat suam virtutem; unde non circumfertur cum primo mobili, quod movet, sed remanet penitus immobilis. — 1a, q. 51, a. 3, ad 3 et q. 52, a. 2, c.; 8. *Phys.* l. 23; *Opusc.* 11, a. 6.

Ad secundum quæstionem dicendum, quod primus motor debet esse perpetuus. Cujus ratio est, quia primus motor est omnino immutabilis et immobilis, ut dictum est; sed perpetuitas seu æternitas consequitur immutabilitatem, sicut tempus consequitur motum : ergo primus motor est omnino perpetuus. — 1a, q. 10, a. 1 et 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio, qua Philosophus probat ex perpetuitate motus perpetuitatem motoris, non est demonstrativa, quia vere motus aliquando incepit, ut fides docet; sed aliunde potest probari, ut dictum est (in c.) — 12. *Metaphys.* l. 5 (4); 8. *Phys.* l. 12.

Ad secundum dicendum, quod secundum nostram apprehensionem *nunc* stans dicitur facere æternitatem; sicut enim in nobis causatur apprehensio temporis, eo quod apprehendimus fluxum ipsius *nunc*, ita causatur in nobis apprehensio æternitatis, in quantum apprehendimus *nunc* stans. — 1a, q. 10, a. 2, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod primus motor seu Deus dicitur esse ante æternitatem, prout participatur a substantiis immaterialibus; unde et ibidem dicitur, quod intelligentia participatur æternitati. — Ad id vero, quod dicitur in *Exod.* « Dominus regnavit in æternum et ultra », sciendum, quod æternum accipitur ibi pro sæculo, sicut habet alia translatio; sic igitur dicitur, quod regnabit ultra æternum, quia durat ultra quodcunque sæculum, id est ultra quamcunque durationem datam; nihil enim est aliud sæculum quam

periodus cujuslibet rei, ut dicitur 1. *de Cœlo text.* 109; c. 9. Vel dicitur etiam ultra æternum regnare, quia si etiam aliquid aliud semper esset, ut motus cœli secundum quosdam philosophos, tamen primus motor seu Deus ultra regnat, in quantum ejus regnum est totum simul. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod primum movens est omnino incorporeum. Cujus ratio est, quia nullum corpus movet non motum, ut patet inducendo per singula et probatur ratione, quia cum movens et motum debeant esse simul, ut dictum est, oportet, quod corpus movens moveatur ad hoc, quod sit simul cum corpore moto; ostensum autem est supra, quod primum movens est omnino immobile; unde manifestum est, quod primum movens est incorporeum. — 1a, q. 3, a. 1, c.; 1. *c. Gent.* c. 20.

Ad primum ergo dicendum, quod licet primus motor moveat primum mobile, non tamen movetur per accidens ad motum ejus. Et ratio est, quia corpus cœleste non recedit de loco secundum totum, nec determinatur primo motori vel cuicunque spiritui moventi orbem locus secundum aliquam partem determinatum substantiæ orbis, quæ nunc est in oriente nunc in occidente, sed secundum determinatum situm, quia semper est in oriente virtus movens, ut dicitur 8. *Phys. text.* 84; c. 10. Unde cum dicitur *Eccl.* 1, 6 : « In circuitu pergit spiritus », non est sensus, quod Angelus movens orbem cum illo circumferatur, sed quod facit cœlum pergere in circuitu, sicut Spiritus dicitur interpellare, quia facit nos interpellare; vel quod pergit in circuitu secundum operationem, quia movet cœlum circulariter. — 1a, q. 51, a. 3, ad 3; *Opusc.* 10, a. 18; *Opusc.* 11, a. 6.

Ad secundum dicendum, quod primus motor et quilibet spiritus movens orbem dicitur esse in parte determinata, quia applicat virtutem suam ad unam partem cœli determinatam, puta ad orientem. — 1a, q. 51, a. 3, ad 3 et q. 52, a. 2, c.

Ad tertium dicendum, quod est duplex contactus : quantitatis et virtutis. Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporea, et hoc modo tangitur cœlum a suo motore incorporeo. — 1a, q. 75, a. 1, ad 3.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod primus motor est unus. Et ratio est, quia impossibile est, unum motum continuum et singula regulantem a pluribus motoribus esse; nam si simul movent, nullus eorum est perfectus motor, sed omnes se habent loco unius perfecti motoris; quod non competit in primo motore; perfectum enim est prius imperfecto. Si autem non simul movent, quilibet eorum est quandoque movens et quandoque non, ex quo sequitur, quod motus non est continuus neque regularis; motus enim continuus et unus est ab uno motore. Motor etiam, qui non semper movet, irregulariter invenitur movere, sicut patet in motoribus inferioribus, in quibus motus violentus in principio intenditur et in fine remittitur; motus autem naturalis e converso; sed primus motus et unus est et continuus, ut probatum est a philosophis : ergo oportet ejus motorem esse unum; hic autem est primus motor : ergo hic debet esse unus. — 1. *c. Gent.* c. 42, n. 4; 8. *Phys.* l. 23.

Ad primum ergo dicendum, quod unum, secundum quod est principium numeri, non prædicatur de primo motore, sed solum de his, quæ habent esse in materia, cujusmodi non est primus motor, cum sit incorporeus, ut dictum est, atque adeo immaterialis. Unum enim, quod est principium numeri, est de genere mathematicorum, quæ habent esse in materia, sed sunt secundum rationem a materia abstracta. Unum vero, quod convertitur cum ente, est quoddam metaphysicum, quod secundum esse non dependet a materia; et licet in primo motore, qui est Deus, non sit aliqua privatio, tamen secundum modum apprehensionis nostræ non cognoscitur a nobis nisi per modum privationis et remotionis. Et sic nihil prohibet aliqua privative dicta de Deo atque adeo de primo motore prædicari, sicut quod est incorporeus, infinitus, et similiter de illo dicatur, quod sit unus. Et ex his patet *ad secundum.* — 1a, q. 11, a. 3, ad 2; 1. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod quamvis bonitates participatæ in creaturis sint differentes ratione, tamen habent ordinem ad invicem, et una includit alteram, et una fundatur super altera; sicut in intelligere includitur vivere, et in vivere includitur esse; et ideo non reducuntur in diversa principia, sed in unum. Quod si etiam ordinem non haberent, non propter hoc excluderetur unitas primi principii et primi motoris; quia quod in prin-

cipio unitum est, in effectibus multiplicatur; semper enim in causa est aliquid nobilius quam in causato. Unde primum principium, licet sit unum et simplex re, sunt tamen in eo plures rationes perfectionum, scilicet sapientiæ, vitæ et hujusmodi, secundum quas diversæ perfectiones re differentes in creaturis causantur. — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad quintam quæstionem dicendum, quod primus motor est virtutis infinitæ. Quod probatur, quia nulla potentia finita potest movere in finito tempore; sed potentia primi motoris movet tempore infinito, quia motus primus est sempiternus et perpetuus de se, cum non sit defecturus propter impotentiam motoris neque propter corruptionem substantiæ mobilis, cum non videatur motus cœli per diuturnitatem temporis lentescere; ergo potentia primi motoris est infinita. — 1. *c. Gent.* c. 20; 8. *Phys.* l. 21.

Præterea, agere consequitur essentiam; nam unumquodque, secundum quod est, agere potest; sed Deus secundum essentiam suam est infinitus, quia nullus actus invenitur finiri nisi per potentiam, quæ est ejus receptiva; invenimus enim formas limitari secundum potentiam materiæ. Si igitur primum movens est actus absque potentiæ permixtione, quia non est forma alicujus corporis nec virtus in corpore, necesse est ipsum infinitum esse; ergo et ejus virtus erit infinita. — Item unumquodque, quod est in potentia, secundum hoc habet virtutem receptivam et passivam; secundum quod vero actu est, habet virtutem activam. Quod igitur est in potentia tantum, scilicet materia prima, habet virtutem infinitam ad recipiendum, nihil de virtute activa participans, et supra ipsam quanto aliquid formalius est, tanto id abundat in virtute agendi; propter quod ignis inter omnia elementa est maxime activus; Deus igitur, qui est actus purus, nihil potentialitatis permixtum habens, in infinitum abundat in virtute activa super alia. — *Opusc.* 1, c. 18 et 19.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus (8. *Phys. text.* 79; c. 10) probat, quod si aliquod corpus haberet potentiam infinitam, moveret in non tempore, et tamen ostendit, quod potentia motoris cœli est infinita, quia movere potest tempore infinito; relinquitur ergo secundum ejus intentionem, quod potentia infinita corporis si esset, moveret in non tempore; non autem potentia incorporei motoris. Cujus ratio est, quia corpus movens aliud est agens univocum; unde oportet, quod tota potentia agentis manifestetur in motu. Quia ergo, quanto in virtutis corporis potentia est major, tanto velocius movet, necesse est, quod si fuerit infinita, moveat improportionabiliter citius, quod est movere in non tempore; sed movens incorporeum est agens non univocum; unde non oportet, quod tota virtus ejus manifestetur in motu, ita quod moveat in non tempore; et præsertim quia movet secundum dispositionem suæ voluntatis. — 1a, q. 25, a. 2, ad 3; *de Pot.* q. 1, a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod licet voluntas primi motoris non possit mutare ejus potentiam, potest tamen determinare ejus effectum; nam voluntas potentiam movet. — *de Pot.* l. c. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod potentia agentis univoci tota manifestatur in suo effectu: potentia enim generativa hominis nihil potest plus quam generare hominem. Sed potentia agentis non univoci non tota manifestatur in sui effectus productione; sicut potentia solis non tota manifestatur in productione alicujus animalis ex putrefactione generati. Manifestum est autem, quod primus motor non est agens univocum, ut dictum est; unde relinquitur, quod effectus ejus semper est minor quam potentia ejus. Non ergo oportet, quod manifestetur infinita potentia primi motoris in hoc, quod producat infinitum motum in duratione vel intentione; nam etiam si nullum effectum produceret, non esset ejus potentia frustra; quia frustra est, quod ad finem ordinatur, quem non attingit; potentia autem primi motoris, cum sit Deus, non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus. — 1a. q. 25, a. 2, ad 2: *de Pot.* q. 1, a. 2, ad 1; 1. *Sent.* dist. 43, q. 1, a. 1, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod infinitum sumitur dupliciter : vel *privative*, secundum quod scilicet dicitur a privatione finis, qui est terminus quantitatis, et sic Deo non convenit; vel *negative*, et sic primi motoris potentia dicitur infinita, quia nullo modo finitur. — 1. *Sent.* l. c., in c. et ad 2; 1a, q. 7, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod primus mo-

tor semper agit tota sua potentia; sed effectus terminatur secundum imperium voluntatis et ordinem rationis. — *de Pot.* q. 1, a. 2, ad 13.

Ad sextum dicendum, quod Philosophus loquitur de potentia activa naturali; res enim naturales coordinatæ sunt ad invicem et etiam omnes creaturæ; Deus autem atque adeo primus motor est extra hunc ordinem; ipse enim est, ad quem totus hic ordo ordinatur sicut ad bonum extrinsecum, ut exercitus ad ducem, secundum Philosophum (12. *Metaphys. text.* 52; l. 11, c. 10). Et ideo non oportet, ut ei, quod est in primo motore, aliquid in creaturis respondeat. — *de Pot.* q. 1, a. 2, ad 1.

Hæc dicta sufficiant ad majorem gloriam præpotentis Dei, ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ et ad laudem Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis.

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM

QUÆ IN HAC PRIMA SECUNDÆ SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

E D. THOMÆ DOCTRINA CONTINENTUR.

QUÆSTIO I

DE PHILOSOPHIA NATURALI QUALIS SIT ET AD QUÆ SE EXTENDAT

Art. I. — Utrum Philosophia naturalis sit scientia. 1
II. — Utrum sit una scientia vel plures. 3
III. — Utrum sit scientia speculativa an practica 5
IV. — Utrum Philosophia naturalis sit de his, quæ sunt in motu et in materia 6
V. — Quod sit subjectum ejus. . . . 8

QUÆSTIO II

DE PRINCIPIIS ENTIS MOBILIS IN COMMUNI

Art. I. — Utrum principium, causa et elementum idem sint 12
II. — Utrum principia rerum naturalium sint contraria 13
III. — Utrum principia rerum naturalium sint tantum tria 15
IV. — Utrum recte sint a Philosopho primorum principiorum conditiones assignatæ. 17
V. — Utrum prima principia semper maneant 19

QUÆSTIO III

DE MATERIA PRIMA

Art. I. — Utrum materia prima sit ens reale actu existens. 20
II. — Utrum materia habeat existentiam distinctam ab existentia formæ . 22
III. — Utrum materia sublata quantitate sit divisibilis. 29
IV. — Utrum quælibet pars materiæ sit in potentia ad omnes formas substantiales. 32
V. — Utrum materia habeat unam potentiam ad omnes formas . . . 34
VI. — Utrum potentia materiæ sit ejus essentia, an vero sit ejus passio . 36
VII. — Utrum materia appetat formas. . 37
VIII. — Utrum materia sit una numero omnium corporum generabilium et corruptibilium 39
IX. — Utrum materia sit ingenerabilis et incorruptibilis 40
X. — Utrum materia prima sit prima causa generabilitatis et corruptibilitatis. 41
XI. — Utrum in materia prima sit quantitas interminata illi cæva . . 42
XII. — Utrum in materia sit inchoatio formarum substantialium. . . . 46

Art. XIII. — Utrum de potentia materiæ educatur forma substantialis . . . 49
XIV. — Utrum definitio materiæ sit a Philosopho recte tradita 51
XV. — Utrum in corruptione compositi substantialis fiat resolutio usque ad materiam primam 52

QUÆSTIO IV

DE FORMA SUBSTANTIALI

Art. I. — Utrum detur forma substantialis . 54
II. — Utrum recte definiatur a Philosopho, quod sit quodquid erat esse rei. . . . . , 56
III. — Utrum forma substantialis sit principium generationis ut finis et terminus, an vero ut forma . . . 57

QUÆSTIO V

DE PRIVATIONE

Art. I. — Utrum privatio sit aliquid . . . 58
II. — Utrum privatio sit principium mutationis per se an vero per accidens 61
III. — Utrum privatio, quæ est principium mutationis, sit privatio formæ specificæ an vero numericæ . . 62

QUÆSTIO VI

DE NATURA REBUSQUE NATURALIBUS

Art. I. — Utrum recte tradita sit a Philosopho definitio naturæ 63
II. — Utrum natura dicatur de materia et forma 65
III. — Utrum omnis forma substantialis sit natura. 67
IV. — Utrum ratio naturæ tantum conveniat materiæ et formæ . . . 68
V. — Utrum ridiculum sit velle demonstrare naturam esse. 71

QUÆSTIO VII

DE CAUSIS RERUM NATURALIUM IN COMMUNI

Art. I. — Utrum ad philosophum naturalem spectet agere de causis rerum naturalium 72
II. — Utrum recte causa definiatur : ad quam sequitur esse alterius . . 72
III. — Utrum sint tantum quatuor genera causarum. 74

QUÆSTIO VIII

DE CAUSA MATERIALI

— Utrum causalitas materiæ consistat in receptione et sustentatione formæ. 77

QUÆSTIO IX

DE CAUSA FORMALI

Art. I. — Utrum causalitas formæ consistat in informatione materiæ . . . 78
II. — Utrum forma sit tota quidditas compositi substantialis 79
III. — Utrum forma sit nobilior composito 81
IV. — Utrum forma substantialis sit immediatum principium actionis . 83

QUÆSTIO X

DE CAUSA EXEMPLARI SEU DE IDEA

Art. I. — Utrum necesse sit ponere ideas. . 87
II. — Utrum recte definiatur idea, quod sit forma extra rem, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem . . 89
III. — Utrum idea sit terminus intrinsecus cognitionis practicæ seu verbum practicum, an vero sit res ipsa facienda ut ab intellectu cognita 91
IV. — Utrum idea reducatur ad causam formalem vel finalem vel ad causam efficientem. 95

QUÆSTIO XI

DE CAUSA EFFICIENTE

Art. I. — Utrum aliquid aliud a Deo sit causa efficiens alicujus rei 97
II. — Utrum causalitas agentis consistat in agere 102
III. — Utrum sit recte a Philosopho definitum efficiens : unde primum principium motus 103
IV. — Utrum Deus in omni operatione secundi agentis operetur, seu in natura et voluntate operantis operetur 103
V. — Utrum agentia naturalia tantum disponant materiam ad formam substantialem, et solus Deus illam creet. 108
VI. — Utrum creatio et conservatio ejusdem rei sint actiones realiter distinctæ. 111
VII. — Utrum res creatæ conserventur in esse a Deo, an vero circumscripta omni operatione Dei per se in esse remaneant 112
VIII. — Utrum Deus immediate omnem creaturam conservet 114

QUÆSTIO XII

DE CAUSA FINALI

Art. I. — Utrum finis sit causa. . . . 115
II. — Utrum definitio finis sit, esse id cujus gratia 116
III. — Utrum de ratione finis sit, esse ultimum simpliciter, ita ut nullo modo dentur fines intermedii. . 117
IV. — Utrum causalitas finis sit ab agente appeti et desiderari 121
V. — Utrum finis causet secundum esse reale an vero secundum esse intentionale. 122
VI. — Utrum omnia agant propter finem. 124

QUÆSTIO XIII

DE COMPARATIONE CAUSARUM AD INVICEM

Art. I. — Utrum finis sit causa causarum et omnium prima 125
II. — Utrum causæ sint sibi invicem causæ in diverso genere causæ . 127
III. — Utrum causæ possint esse sibi invicem causæ in eodem genere causæ 128

QUÆSTIO XIV

DE COMPARATIONE CAUSARUM AD EFFECTUM

Art. I. — Utrum causa sit prior effectu natura, tempore, cognitione . . . 131
II. — Utrum causa particularis in actu sit simul et non sit cum suo effectu. 132
III. — Utrum causæ universali respondeat effectus universalis et causæ particulari particularis. 133
IV. — Utrum idem numero effectus corruptus possit redire. 134
V. — Utrum idem effectus numero possit produci simul a duabus causis efficientibus ejusdem ordinis totalibus et adæquate concurrentibus 137
VI. — Utrum idem effectus numero produci possit a diversis causis efficientibus diverso tempore. . . 139
VII. — Utrum idem effectus numero produci possit ab eadem causa efficiente diverso tempore. . . 139

QUÆSTIO XV

DE CAUSIS PER ACCIDENS

Art. I. — An dentur fortuna et casus. . . 140
II. — Quid sit fortuna . . . 142
III. — Quid sit casus. . . . 144
IV. — Ad quod genus causæ reducantur fortuna et casus. 145
V. — Utrum respectu Dei, Angelorum et eorum detur aliquid a casu vel fortuna . . . 146
VI. — Utrum monstra sint a casu. 148
VII. — Utrum de fortuna et casu possit dari scientia . . . 149
VIII. — Quænam sit prima radix contingentiæ et necessitatis in rebus naturalibus 151
IX. — Unde oriatur necessitas in rebus naturalibus tamquam ex causa proxima, ex fine an ex aliis causis. 154

QUÆSTIO XVI

DE FATO

Art. I. — Utrum fatum sit aliquid. . . . 156
II. — Utrum fatum sit in rebus creatis . 157
III. — Utrum recte definiatur fatum, quod sit immobilis dispositio. . . 158
IV. — Utrum omnia subsint fato. . . 158

QUÆSTIO XVII

DE MOTU SECUNDUM SE

Art. I. — Utrum prima definitio motus, quod sit actus entis in potentia prout in potentia, recte sit a Philosopho tradita 159
II. — Utrum de ratione motus sit successio seu continuitas successiva. . 163
III. — Utrum secunda definitio motus recte sit a Philosopho tradita. . 165
IV. — Utrum actio et passio sint unus motus. 166
V. — Utrum actio transiens sit realiter in agente an in passo. 168

QUÆSTIO XVIII

DE INFINITO

Art. I. — Utrum detur infinitum actu sive in magnitudine sive in multitudine. 170
II. — Utrum actu dari possit infinitum sive in magnitudine sive in multitudine 173
III. — Utrum recte definiatur infinitum : cujus semper est aliquid extra . 177

QUÆSTIO XIX

DE LOCO

Art. I. — Utrum locus sit 178
II. — Utrum recte definiatur locus a Philosopho 180

Art. III. — Utrum recte assignentur a Philosopho proprietates loci. . . . 183
IV. — Utrum ultima sphæra sit in loco . 186
V. — Utrum duo corpora possint esse in uno loco 189
VI. — Utrum unum corpus possit esse in pluribus locis simul 192

QUÆSTIO XX

DE VACUO

Art. I. — Utrum detur vacuum vel dari naturaliter possit 194
II. — Quid sit vacuum. 197
III. — Utrum posito vacuo possit in illo fieri motus 197
IV. — Utrum si fieret motus in vacuo, fieret in instanti an in tempore. 199
V. — Utrum ascensus aquæ vel æris sursum ad replendum vacuum sit aquæ vel æri naturalis. . . 202

QUÆSTIO XXI

DE TEMPORE

Art. I. — Utrum tempus sit in rerum natura. 204
II. — Utrum recte sit a Philosopho assignata definitio temporis . . . 206
III. — Utrum sit unum tempus omnium temporalium. 208
IV. — Utrum sit idem nunc realiter in toto tempore 210

QUÆSTIO XXII

DE PARTIBUS POTESTATIVIS SEU DE SPECIEBUS MOTUS

Art. I. — Utrum motus sit in prædicamento termini 213
II. — Utrum sint tantum tres species motus. 214
III. — Utrum per motum localem in mobili acquiratur aliquid præter locum. 216
IV. — Utrum motus realiter distinguatur a termino 219
V. — Utrum unitas specifica motus sumatur a termino ad quem . . 220
Art. VI. — Utrum ad unitatem numericam motus requiratur unitas termini ad quem, temporis, mobilis et motoris 221
VII. — Utrum duo motus specie distincti possint continuari 224
VIII. — Utrum contrarietas in motibus accipi debeat ex terminis ad quos an vero ex terminis a quibus. 225
IX. — Utrum quies contrarietur motui . 226

QUÆSTIO XXIII

DE PARTIBUS QUANTITATIVIS MOTUS

Art. I. — Utrum continuum habeat partes actu 227
II. — Utrum indivisibilia sint quid positivum. 229
III. — Utrum continuum componatur ex indivisibilibus 230
IV. — Utrum in motu sit primum indivisibile seu momentum, et similiter in tempore primum nunc. . 231
V. — Utrum forma substantialis incipiat et desinat intrinsece, seu per primum et ultimum sui esse. . . 232

QUÆSTIO XXIV

DE COMPARATIONE MOTUS AD MOBILE

Art. I. — Utrum motus realiter distinguatur a mobili 235
II. — Utrum indivisibile per se moveri possit. 236
III. — Utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur 238

QUÆSTIO XXV

DE COMPARATIONE MOTUS AD MOTOREM

Art. I. — Utrum movens et mobile debeant esse simul 239
II. — Utrum detur aliquis primus motor. 242
III. — Utrum proprietates primi motoris sint a Philosopho recte assignatæ. 243

Typis Cistercii, diœces. Divionensis.

B 765 .T51 1885 v.1 IMS

Thomas,
Summa philosophiae ex variis
libris D. Thomee Aquinatis I
47090642

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA